FRANCISCI FLORI DI SABINI IN M. ACTII PLAVTI ALIORVMQVE LATINAE LINGVAE SCRIPTORUM calumniatores Apologia, nunc primum ab autore aucta atque recognita.

Eiusdem de Iuris Ciuilis interpretibus Liber, itidem auctus atque recognitus.

Eiusdem de C. Iulij Caesaris praestantia Libri III. nunquam antea excusi.

Eiusdem Lectionum succisiuarum Libri III. iam quoque primum & nati, & in lucem editi.

AD RODVLPHVM PIVM CARDINALEM CARPENSEM.

Quibus accessit etiam singulis, in studiosorum gratiam, rerum ac uerborum memorabilium copiosissimus index.

Cum Gratia & priuilegio ad triennium.

APVD INCLYTAM BASILAEAM, ANNO A CHRISTO NATO M. D. XL. MENSE MARTIO.

RODVLPHO PIO

CARDINALI CARPENSI TITVLO SANCTAE Priſcæ, Piceni Legato, Franciſcus Floridus Sabinus S.D.

DECREVERAM Præſul ampliſſime humaniores literas, in quibus aliquot annos eram uerſatus, tum à patre, tum ab alijs pleriſq; admonitus prorſus relinquere, ne in ijs ſtudijs conſeneſcerem, in quibus uel maxime excellentes, nullo in honore diu ob eorum qui literas fouere debebant, auaritiam habitos fuiſſe intelligimus, ſed pro eis iuris ciuilis ſcientiam, quæ aliquod ſtudioſis præmium pollicetur, mihi pro uiribus compararem: eaq; de cauſa Bononiam ueneram, cum perexigua ſcribendi oblata occaſione, id & libentiſſimè quidem commiſi, quod quum deſipere incœpiſſem, mihi ſummopere præcauendū propoſueram. Enimuero cum iam bienniū in acquirenda legum cognitione abſumpſiſſem, eorumq; qui politiores literas profitentur familiaritati non admodū ſtuderem, ne dulciſſimo Muſarum lenocinio illectus, in priſtinum inſtitutum relaberer, neſcio quo pacto aliquot iuuenes iuri initiati in eum ſermonem incidimus, quos nam ueteres Romani egregios poëtas habuiſſent. De qua re poſtquam ſuam quiſque ſententiam protulit, cum nominato Terentio, de M. Plauto nulla mentio eſſet facta, non potui, quin & hunc ipſe producerem, & rationibus quæ tunc mihi in mentem uenire potuerunt, nihil eſſe oſtenderem, in quo is Terentio eſſet poſtponendus: ſi aliquot uerba locutionesq; à ſequentibus ſeculis damnatæ, ei condonarentur. Itaque ubi illi non minus in me unum ora conuerterunt, quàm ſi immane aliquod in deos facinus perpetraſſem, quaſi toto cœlo eis aberrare uiſus, cum diſceſſiſſem, non defuerunt præfractiores etiam Latinitatis candidati, qui de Plauti Terentijq; excellentia mecum coràm diſſerentes, ad id me reuocarint, ad quod apertè iam declinaturus uidebar. Veriſſimè namq; Horatius,

Naturam expellas furca, tamen uſque recurret,
Et mala perrumpet furtim faſtidia uictrix.

Vt enim omnib. Plauti calumniatoribus una opera reſpondere, Apologiam, quæ ſuperioribus annis tibi nuncupata in lucem prodijt, in eos ſcribere coactus ſum: cui cum alia quædam, tum contra Marullum Byzantium, tum contra uulgaris linguæ aſſertores addidiſſem, ſic ad ſcribendum, & ea quæ uix primis labris attigeram, diffuſius tractanda

accensus sum, ut priori opusculo recognoscendo, augendoq; aliquot menses tribuerim, ne quis me de tanto poeta paucis egisse (ut uaria sunt hominum ingenia) interpretaretur. Quod quidem an sim consecutus, cæteri dijudicarint. Ego sanè quoniam Richardi Pacæi libellum, de Fructu qui ex literis percipitur, ante priorē huius opusculi editionem nusquam reperire potueram: posteaq; unicū eius exemplar casu in sordida quadam bibliotheca seruatum, ab urbe ad me transmissum est, illius quem prius ne nominaram quidem, de Romanis authoribus iudicium multis uerbis reieci. Nihili etenim hominem in nostros scriptores tam acerbè & impunè debacchatum fuisse, ferendum nō erat. Quid multa? Cum Pacæi edictum excuteremus, iniquum Plutarchi Chæronei de M. Cicerone iudicium obiter reiecimus, Ianiq; Lascaris in eundem M. Tullium, Virgiliumq; epigrammata, Gulielmi item Budæi in eorum alterum & latinam linguam, Macrobij uerò in alterum maledicta, non maledictis (quod quidem facile nobis fuisset) sed rationibus confutauimus. Quapropter quod tantū tibi debeo, tantum etiam patrui tui Alberti Pij singularissimi principis manibus, quantum nunq;, uel si Nestoris annos uiuerem, persoluere possem, hoc opus antea alij Episcopo dicatum, nunc in Cardinalium ordinem ascito tam libenter inscriptum emittimus, ut maximum me operæ precium fecisse sim iudicaturus, si hilari uultu nostrum hoc munusculū acceperis. Quod si incomptum, parumq; elegans alijs uidebitur, non dubito, quin tu tale sis existimaturus, quale à iuuene (septem enim & uiginti annos natus sum) expectari potest. Quanquam & à studijs sæpissime reuocatus, & alijs negotijs occupatissimus, stilum non satis exercere ualuerim. Cæterum non me latet futuros, qui nostra hæc qualiacunque uellicent, cum repertus sit nebulo, qui se primæ nostræ fœturæ titulum intelligere negarit: & extiterit, qui Latinum quidē opusculum iudicauerit, sed minimè Ciceronianū: quasi aut ipse hoc esset consecutus, aut ego hanc laudem affectarim. Horū ego, & si qui sunt pestilentiores, iudicia nec assis unquam feci, nec faciam in futurum: tum quod æqui, candidiq; lectores non omnia exactissimè à iuuene præstari posse intelligunt, tum quòd nemo ad hoc tempus inuentus est, qui omnibus fecerit satis. Si qui uerò à nobis in toto opere dissenserint, prodeant in medium, scriptisq; prouocent, quem clanculum rodere tutò quidem, sed turpissimè poterunt. Verum de his multa, si hoc addidero, te ita hanc lucubrationem lecturū, ut in ea prioris nullam faciem sis agniturus. Vale: & me, ut facis, ama. Bononiæ, decimoquarto Calendas Martij. Anno à Christi Natali millesimo quingentesimo trigesimo octauo.

FRANCISCI FLORI

DI SABINI APOLOGIA IN M. PLAVTI, ALIORVM que Latinæ linguæ ſcriptorum calumniatores, nunc primum ab authore aucta atque recognita,

AD RODVLPHVM PIVM CARdinalem Carpenſem.

CVM ſæpe mecum cogito, quanta olim fuerit Græcorum Romanorumq́ prudentia, quàm exactum undique iudicium, tum in rebus omnibus ſummam laudem, tum in hac maximè mihi meruiſſe uidentur, quod nō propè plus illis tribuerint, qui domi ſapienter pacis artes, foris rem bellicam fortiſſimè adminiſtrauerint, quàm ijs qui ex bonarum literarū ſtudijs, immortalem ſibi gloriam pepererunt. Si quis enim diligentius attendat, quantū illæ ueræ ſolidǽque utilitatis humano generi fluxo, fragilíque ſemper attulerint, & eos optimè ſenſiſſe fatebitur, & errare toto cœlo, qui aliquid inter homines beatum abſque literatorum beneficio inueniri poſſe aſſeuerant. Nam ut ea mittamus, quæ ueteres philoſophi de rerum naturæ cognitione, de hominum moribus, deq́ uitæ ratione primi tradiderunt, quis dignè ſe poëtarum laudes exequi poſſe confidat? Quorum cùm multa ſint genera, nónne qui heroici uocantur, regum, ducúmque geſta eò uſque extulerunt, ut eos iam non tanquam homines, ſed deos quodammodo agnoſcamus? Qui uerò tragœdiam, comœdiámque, qui deinde ſatyram ſcripſere, quid ſibi aliud uoluerunt, quàm ut nobis plurimū prodeſſent, ſi propoſitis utriuſq; uitæ exemplis, quid expetendum, quid'ue fugiendum eſſet, nos docentes, ad uirtutes exhortarent, à fugiendis ſceleribus deterrerent? Nam qui Lyricos, Elegos, aliáq́ id genus maluere, uel eòdem ſpectant, uel ut doctorum aures plurima cum delectatione tenere poſſint, maximè ſtudent. Proinde non immeritò à pleriſque olim dictitatum ſcimus, hoc hominum genus neſcio quid cum dijs immortalibus commune habere; nempe quod in eorum ſcriptis ſpiritus quoſdam humanis uehementiores, in uerbis magnitudinem, excellentiam, ac delectū: in mouendis uerò affectibus, & reddendo cuiq; decoro diligentiam ſingularem, artemq́ incredibilem perſpicerent. Iam infinitas eſſe Oratorum laudes, quis non intelligit? nec minores eorū qui hiſtorias ſcripſere? quorū illi cum eloquentiæ ſapientiam coniunxerunt, uix dici poteſt, quantum ciuitatibus ad opem ſupplicibus ferendam, ad pacem, aut bellum uel ſuadendū, uel diſſuadendum, ad ſenſus uel inflammandos, uel etiā extinguendos, ad ſontes puniendos, excitandosq́ afflictos profuerint. Hi uerò uel in hoc magnoperè laudandi ſunt, quod ipſorū opera, quid quoq; ſeculo memoria dignum geſtum fuerit, uelut in ſpeculo conſpicimus: quod ſummorū regum, ſtrenuiſſimorū ducum fortia facta, diuerſas populorū coniurationes, maximarū quondam urbium principia, incrementa, euerſiones deniq;, nō ſecus cognoſcimus, quàm ſi heri aut nudiuſtertius geſta fuiſſent. Hoc pacto Græcorum res, quæ non ita amplæ reuera fuerunt, ſolo hiſtoricorū beneficio ampliſſimæ habentur: Romanorū autem, quos unos dignos fuiſſe qui terrarum orbem regerent, nemo diffitetur, quis hoc tem-

pore, post uarias barbarorum in Italum nomen conspirationes meminisset, nisi in scriptoribus adhuc uiuerent? Quocirca cum duæ olim linguæ celeberrimæ fuerint, Græca & Latina, quamuis Græci primas sibi in aliquibus scientijs non immeritò uendicent: in poësi tamen, oratoria arte, atque historia, uel eis pares, uel non admodum inferiores Latini fuerunt. Siquidem & poëtas optimos habuimus, & oratores absolutissimos, historicos uerò nullis secundos: qui quidem omnes diuina, ut reor, prouidentia una ferè ætate floruerunt, qua Latinam linguam florentem, atque adeò exactam fuisse, haud dubiè intelligimus: nimirùm ut qui Græcos, aliosq́ omnes imperij magnitudine, reiq́ bellicæ gloria longo post se interuallo reliquerant, domi haberent, quorum scripta post militarem puluerem in manus sumerent, quorum uoces in foro, & frequentibus concionibus audirent, quorum demum opera tantarum rerum monumenta consecrarentur. Sed fortuna, quæ in rebus humanis plurimum potest, quæ'que nihil unquam inter mortales perpetuum esse uoluit, cum res Romanas ad summum extulisset, cum orbis imperium Romæ collocasset, grauissimis eandem urbem calamitatibus, ruinis, miserijsq́ afficere, atque in infimum statum detrudere constituit: huic rei, nisi fallor, fundamenta faciens, quum rem læto prætextu ad monarchiam non sine maxima ciuiũ internecione redegit. Enimuero post Iulij Cæsaris, Augustiq́ imperium, ut aliquot mediocres tolerabilesq́ principes Romanæ rei præfuerint, quæ tamen hominũ portenta Romæ semper uisa sunt? quibus monstris ex infimo plerũq́ loco, è cœno, ex ultimis terrarũ partibus accersitis, Romani imperij maiestas credita est? cum Scythas, Thracas, Getas, Afros, Arabes, Isauricos, & si quid huiusmodi pestis erat, ad moderandas imperij habenas per militares tumultus admotos fuisse, nemo ignoret. Quod si quis ambigat, quis'nam exitus tales tantasq́ miserias exceperit, quorsum tandem tam funesta infeliciaq́ bella eruperint, is sciat eundem urbis Romæ finem, qui & aliarum ciuitatum, fuisse: ut post diuersas barbarorum colluuiones, post Gothorũ, Vuandalorumq́ in Italiam aduentum, nobilissima illa Roma, orbis terrarum caput, quæ tam egregios duces ediderat, tot ciues fortissimos pariter & sanctissimos aluerat, tam diuina ingenia procreauerat, ferro demum igneq́ absumpta fuerit. Qua in re quantum iacturæ fecerimus, hæc tempora apertissimè ostendunt. Aurum enim, argentum, gemmas, signa elegantissima, ædificia, quæ non hominum, sed deorum manibus facta ex ipsis ruinis uideri possint: & quod hæc omnia facilè uincit, Latinam linguam amisimus: cuius puritas, quamuis ab Augusti seculo cum Imperio ad occasum uergere cœpisset, qualiscunq́ tamen ad illa usq́ tempora durauerat: & quæ eius authores nec ferro, nec flamma, nec uetustate aboleri posse gloriari solebant, ferro (quis crederet?) & flamma, & uetustate sunt abolita: præsertim quòd qui Romanum nomen omnino extinctum uolebant, hoc pacto uoti compotes fieri sibi posse uidebantur, si conquisitis undiq́ Latinorum scriptis sacrilegas manus in illis comburendis inficerent, Dij boni, quale, quantum'ue facinus? Vnde'nam obsecro immanes beluæ tantum odij in Italum nomen conceperant? num ut acceptas iniurias ulciscerentur? Atqui nullos sanctius uictis quàm eos imperitasse, nullos in remittendis iniurijs faciliores extitisse, nullos deniq́ amicos ac socios melius defendisse legimus. Quæ tamen hominum uæcordia esse solet, ut eos maximè oderimus, à quibus nullo unquam incommodo affecti simus, Latinum nomen pro uiribus ad inferos detrudere conati, ingentia urbis ædificia solo æquarunt, cultissimaq́ nostrorum scri-

pta concremantes, eandem in homines, quam in deorum fana pietatem ostenderunt. Verum illa ipsa fortuna, quæ talia monstra in Romanam perniciem armauerat, eadem portenta quibus Italia omnis referta erat, ita ex hominum numero nõ multo pòst tempore sustulit, ut non modò nullum hodie illorũ supersit uestigium, sed uix conijcere possimus, unde olim pestis illa emanarit: Latinamq; linguam, multis non annis, sed seculis obrutam, nõnulla ueterũ scripta à situ uendicans, & aliquot homines in ijs perquirendis detergendisq; diligentissimos comparans, luci ostendere cõmodissimè cœpit. Quo tempore iterum nata mihi uidetur latina lingua, iterũ incrementa suscepisse, donec ad nostra tempora minime pœnitenda uentũ erat, quibus illa per omnem Europã fusa, certam spem omnibus dabat, pristinum statũ, ueteremq; elegantiã recuperandi, nisi tot se illi incõmoda opponerent, ut (absit inuidia uerbo) perpetuò sopitam fuisse præstiterit: cum ex tot optimorũ librorũ millibus paucissimi ad nos, ijdemq; tam naufragi peruenerint, ut plus laborũ sit subiturus, qui illos expurgare uelit, quàm ipsi ferè in eis componendis authores pertulerint. Nullũ enim adhuc antiquorũ scriptũ ad nos peruenit, cui plurima, atq; adeò infinita non desint. Nam quę supersunt, ita sunt immutata, ut sine Oedipo coniectore, qui Sphingi interpres fuit, nullo pacto intelligi ualeant. Iam primũ M. Tullij Romanę eloquentiæ patris operũ, nónne bonam partem desideramus? Nónne sex de Republica libri, qui quales fuerint, ex unico de Somnio Scipionis fragmento, quo nihil nec eruditius, nec ornatius legi posse arbitror, cõijcere licet, exciderunt? Multæ sanè eiusdẽ orationes, multi epistolarũ, iocorum, carminumq; libri non habentur. Crispi Sallustij duo tantũ libri supersunt. T. Liuij, qui centum & quadraginta libris Romanas octingentorũ ferè annorum historias complexus est, uix triginta sunt in manibus. Parum enim refert, sint eius, nec'ne, quinque illi, quos superiorib. annis in lucem dari uidimus; ut in quibus plures obeli asterisciq; sint, quàm literæ. C. Cæsaris oratio nulla; de bello Gallico septem libri per tot rerũ discrimina euaserũt, nam tribus de bello ciuili ei falsò ascriptis, nihil est nec asperius, nec durius, nec (ut in pauca conferã) Cæsariano candori minus cõueniens. M. Terentij Varronis, omniũ Romanorũ doctissimi, quem Cicero πολυγραφώτατον ad Atticũ scribens appellat, quid restat, præter pauca fragmenta? quid Nigidij Figuli? quid Licinij Calui? quid Cælij? quid Asinij Pollionis? Pacuuij nihil legimus, Accij non multò plura. Atq; ut alios præteream, qui propè sunt innumerabiles, nõ minimam eorum qui comœdiam scripserunt, iacturam fecimus, utpote ex quibus uix duo sint ab igne uetustateq; erepti: quorum alterius opera, quamuis omnia, attamen mendosa legimus: alterius quotam partem, adeò mendis scatentem deprauatamq;, ut nemo eruditus tantum incommodi æquo animo ferre ualeat. Quibus cũ summopere gratulari deberemus, quòd ex tantis, tam multisq; tempestatibus ad nos euaserint, illos contrà deprimimus, ingrato in illos animo & esse & perhiberi uolumus: quippe qui ut aliquid nos unos in literis profecisse ostẽtemus, nihil magis cupimus, quàm summo nos acerrimoq; iudicio esse prędictos ab omnibus cognosci. Ita optimos scriptores uel probandi, uel improbandi licentiam unusquisque sibi audacter desumit. Quo fit, ut cum non multi ad nos ex illorum numero peruenerint, nullus fermè non aliquorũ calculo expunctus reperiatur: quod quàm iniquè, quamq; petulanter fiat, non dico. Quotus enim quisque hodie uiuit, qui non sibi censuram in scriptores à dijs immortalibus demandatam arbitretur? Vt enim de aliquibus toleretur iudicium, quis hoc

tempore de M. Tullio, Terentio Varrone, C. Cæsare, Crispo Sallustio, Tito Liuio, Marco Catone, Cornelio Celso, Iunio Columella, & similibus, aliquid sine magno scelere in sinistram partem pronunciare audeat? Quis de nostrorũ poëtarum principe P. Virgilio, M. Plauto, P. Terentio, Horatio Flacco, Ouidio, Lucretio, Catullo, Tibullo, ac Propertio? Quorum scripta ab eruditis semper probata fuere, à nullo autem adhuc satis dignè laudata. Sunt præter hos, qui alia ætate, licet duriuscula, floruerunt: ex quorũ numero sunt M. Fabius Quintilianus, uterque Plinius, Suetonius Tranquillus, Cornelius Tacitus: poëtæ autem, A. Flaccus Persius, Anneus Lucanus, Valerius Martialis, Iunius Iuuenalis, Papinius Statius, Valerius Flaccus, Sillius Italicus, & post hos Ausonius Gallus, & Cl. Claudianus, alijq; quos breuitatis causa pretereo, ijs quos superius nominauimus, quod ad latinam puritatẽ spectat, minimè comparandi, uerũ eruditissimi, ac oppidò quàm egregij: & præter cæteros, Plinius Auunculus, Fabiusq; Quintilianus, omni laude procul dubio maiores. Quod ut aliquid in ijs desiderent, quos in secunda classe posuimus, quamuis temporũ plerũq; uitia hominib. obijciãt, eos certè qui felicissimi, ac aurei planè seculi scriptores pro suo arbitratu maximè cauillantur, quis nõ aduersa Minerua natos formatosq; existimet? Quis non rideat quorundam stuporem, qui Marcum Tullium iam diu nõ eloquentis. sed eloquentiæ nomen assecutum, malæ latinitatis accusant? & Virgiliũ, cuius tanta est inter Latinos authoritas, ut nec laudibus cuiusquam augeri, nec uituperatione imminui queat, tanquam impropriè locutum in ius rapiunt? At quonã sub iudice? Sub sesquibarbaro aliquo & balbutiente grammaticulo, pannis, annis, mucore, situq; obsito, & usque ad fastidium contentioso. Quamobrem, ut sint isti maximè reprehendendi, quódnam condignum in eos supplicium excogitari potest, qui Romanam linguam nullo scriptorum habitò discrimine pessundant? Inuentus est enim in tanta ingeniorũ uarietate Richardus Paceus Britannus, qui optimo cuique Latinorum authorũ, in libello, de Fructu qui ex doctrina percipitur, inscripto, perduellionis diem diceret; hoc nobis (nisi fallor) persuadere studens, neminem unquam fuisse græcæ, latinæq; literaturæ tam scientem, quem nõ ipse rerum cognitione, ingenij acumine, censuræq; integritate anteierit. Siquidem cùm alij Græcos oratòres, & Demosthenem præcipuè ita legerint, ut Marcum Tullium ei uel æquauerint, uel etiam antepofuerint: ita Thucydidem Herodotumq; laudarint, ut Sallustium illi, Liuiũ huic, non timidè opposuerint: Pacæus non Aristarchus, sed Archilochus (si tamen dignus est, qui optimi poëtæ uestigia humi stratus adoret) ita in Latinos calamum strinxit, ut quicquid apud nostros, uel in arte dicendi, uel etiam in historia proprium apparet, id omne à Græcis mutuò sumptũ esse pronunciarit: cùm Ciceronem, qualem habemus, effecerint Demosthenes, Isocratesq;: & Latinis octo historicis, unus Thucydides, Pacæo authore, sit anteponendus. Cuius tamen insolentiam, nè dicam scurrilem fatuamq; temeritatem, pro uiribus reprimemus, postquam de Marullo Byzantio, quo nemo unquam uentosior extitit, aliqua dixerimus. Eius autem uerba ex aureo illo, quem dixi, libello in medium adducens, de singulis non ieiunè fortasse agam, aliáque permulta in eandem, aut similem sententiam ab antiquis quibusdam recentioribusq; scripta ad illa adiungens, ita discutiam, ut non liuore permotum, sed causæ tantum æquitate fretum, hoc me negocij suscepisse sinceros iudices existimaturos sperem. Sed utinam non essent præter eos alij, qui nec græcam, nec latinam linguam probant, unica nos uulgari, quę lippis tonsoribusq; promiscua est, contentos esse debere

ariolan-

ariolantes. Itaq; ut ad prauam de ueteribus iudiciorū rationem redeamus, cùm uarij de antiquis scriptoribus multa decernant, hoc uno nemo mediocriter eruditus non commoueri debet, quod aliqui solum Terentium satis arroganter amplexantes, eò rem redegerunt, ut M. Actium Plautum linguæ elegantiæq; Latinæ (ut cum Gellio dicam) principem, cuius ore Musas locutas fuisse planè cognoscimus, quasi Apuleium, aut Martianū Capellam, ex omnibus Academijs eiectum exulare compellant: quem quidem antiquis omnibus adeò probatum fuisse scimus, ut quo semper illi doctiores fuerint, hoc impensius Plautum laudarint, multis interim hoc seculo plurimas calumnias in Plautum congerentibus, ac tunc demum orbi (ut ipsi existimant) placituris, cum de hoc poëta pessimè pronunciarint. Quòd ut hic amor in Terentium, hoc laudis Terentianæ studium aliquibus condonetur, ita'ne demum illius authoritatem sartam tectámque esse arbitrantur, si Plautinum nomen omnino depressum fuerit? Falluntur quidem, & quàm futilibus nitantur argumentis, quàm nulla de causa Plautum impetant, ijdem ipsi palàm faciunt. Ex omnibus enim, qui in hunc poëtam inuehuntur, uix unum atq; alterum reperias, qui non à Plautina lectione, uelut à Nemeæo leone abstinuerit: quo fit, ut illum hostem habeant, quem nunquam uiderint: illiusq; adeò scripta pessundent, quorum ne uerbum quidem unquàm legerint. Atqui tolerari hoc utcunq; poterat, si suum quisq; iudicium secum habuisset, nec omnibus à furno lacuq; redeuntibus illud aliqui impertissent. Franciscus namq; Asulanus, credo ut P. Terentium à nullo unquam nisi impudentissimo contemptum, nobis commendaret, cùm sex eius fabellas excudere parasset, non castigatoris, aut iudicis, sed calumniatoris officio functus est, ita Terentium extulit, Plautumq; eo meliorem pro uirili conculcauit: licet non desint, qui uirulentam eam epistolam Andreæ Naugerij fuisse contendant, ab eo id sæpe auditum testantes, gloriante alioqui omnem se eius rei inuidiam in Asulanū deriuasse, ac tam odiosam fabulā absque ullo sui nominis dispendio saltasse. Siue Naugerij ergo, siue Asulani fuerit, ne flocci quidē eam facio, quæ nihil aliud quàm cauillandi studium, maledicendiq; pruriginem præ se ferat. Quis enim unquam Græcus, aut Latinus tam egregius fuit, tam extra aleam positus, qui eiusmodi Momis undecunq; satisfacere potuerit? Quis'nam ex eis, quos maximos nouimus, unquā inuentus est, in quo nihil aut desideretur, aut reprehendatur? Summum Græcorū poëtarum Homerum non ueritus est discindere perditissimus Zoilus, Homeromastigis nomine supra quàm credi potest delectatus. At is in crucem Alexandrini regis iussu meritò actus, condignè alitibus pabulum præbuit. Demosthenem Græciæ inter oratores principem, ut nemo alius insectatus fuerit, Aeschines quidem ita exagitabat, ut plurima in eo reprehenderet, illudensq; nō pauca in eodem dura, odiosa, intolerabiliáq; esse diceret: quin eum belluam etiam appellans, utrum illa uerba essent an portenta, interrogare solebat. Virgilium quoque, quem nullius unquam scientiæ error inuoluit, impudentissime Critici lacerarunt, nunc Græcorū compilatorem eum, nunc nullius doctrinæ hominem appellantes. A Carbilio quoque pictore omnium nebulonum citra controuersiam principe, liber Aeneidomastix in eundem editus fuit: quanquam non desint, qui eum à Mecœnate suppositū asserant. Hic eiusdem uitia, hic furta adnotauit. Macrobius præterea, Higinus, Phauorinusq;, nō pauca in tanto poëta deprehenderūt: digni uel maxime, quibus toties feruenti aqua os perfusum fuisset, quoties tales ineptias diuino homini impingebant.

Imperitia

Imperitia enim potius, quàm ueritatis ueſtigandæ ſtudio eos omnes motos fuiſſe, ex hoc dignoſcimus, quòd Aſconius Pedianus uir eruditiſſimus, Virgilijq́ſeculo proximus, librū olim in Maronis calumniatores ſcripſit, & Seruius Grammaticus multis in locis poëtam defendit. Poſtremo autem Ioannes Iouianus Pontanus, omnium recentiorum meo iudicio in literis præſtantiſſimus, in dialogo qui Antonius inſcribitur, illos planè quod non intelligunt reprehendere, abundè oſtendit. Sed nec Cicero obtrectatorum aculeos fugit, licet in Romana eloquentia non parem modò, ſed ne longo quidem interuallo proximum habuerit: quem omnibus modis lacerarint Licinius Caluus, & Aſinius Pollio, nō alia de cauſa, quàm quod diuinas illius uirtutes aſſequi nullo pacto potuerunt. quod quidem apertè oſtendit in duodecimo Oratoriarum Inſtitutionum libro Fabius Quinnlianus, ita ſcribens: Tranſeo illos, qui Ciceroni ac Demoſtheni ne in eloquentia quidem ſatis tribuunt: quanquam neque ipſi Ciceroni Demoſthenes ſatis uideatur eſſe perfectus, quem dormitare interim dicit: nec Cicero Bruto, Caluoq́, qui certè compoſitionem illius etiam apud illum reprehendūt: nec Aſinio utrique, qui uitia orationis eius etiam inimicè pluribus in locis inſequuntur. Cornelius quoque Tacitus de eadem re in dialogo de Oratoribus ſcribens, ita inquit: Satis conſtat, ne Ciceroni quidem obtrectatores defuiſſe, quib. inflatus, & tumens, nec ſatis preſſus, ſupra modum exultans & ſuperfluens, & parum antiquus uideretur. Legiſti utique & Calui & Bruti ad Ciceronem miſſas epiſtolas, ex quibus quidem facile eſt deprehendere, Caluum quidem Ciceroni uiſum exanguem ac tritum, Brutum autem ocioſum atque diſiunctum: Rurſumq́ Ciceronem à Caluo quidem malè audiſſe, tanquam ſolutū & eneruem, à Bruto autem (ut ipſius uerbis utar) tanquam fractum atque elumbem. Hactenus ille de Marci Tullij obtrectatoribus: quos ut nodum in ſcirpo quæſiſſe fateamur, quàm prodigioſus, quàm inſanus cenſendus eſt Largius Licinius, à quo (ſi Gellio credimus) liber infando titulo Ciceromaſtix inſcriptus, in Latinæ eloquentiæ deum edi potuit? Vt enim hi quatuor nunquam ſatis laudati proceres, aliquando caligare potuerint, nempe quia homines fuerunt, quis tamen eſt tam bardus, qui non eoſdem naturæ miracula fuiſſe affirmet, quorum excellentiam nō aſſequi, ſed rectè cognoſcere ſit ferè ſupra humanas uires? Criſpum etiam Salluſtium in Romana hiſtoria multorum iudicio principem, acerrimè exagitauit ille idem Aſinius, ſcripto propterea libro, eum increpans, quòd nimis antiqua uerba, quæq́ in uſu eſſe deſijſſent, amaret. Quem ſecutus, niſi fallor, Auguſtus Cæſar, qui ne Tiberio quidem (ut Suetonij utar uerbis) exoletas reconditasq́ uoces aucupanti parceret, M. Antonium ut inſanum increpabat, quaſi ea ſcribentem, quæ mirarentur potius homines, quàm intelligerent. Dein de inconſtans eius ingeniū in eligendo dicendi genere uituperans, hæc ad eum ſcripſit: Tuq́ dubitas, Cimber ne Anneus, an Verrius Flaccus imitandi ſint tibi, ita ut uerbis, quę Criſpus Salluſtius excerpſit ex Originibus Catonis utaris, an potius Aſiaticorum Oratorum inanibus ſententijs uerborum uolubilitas in noſtrum ſermonem transferenda. Pompeij item Magni libertus monſtruoſum in ſcriptis Salluſtium, & Catonis uerborum furem ineruditiſſimum appellauit. Qualis tamen in hiſtoria fuerit Salluſtius, malo ex antiquorum iudicijs, quàm ex noſtro dignoſci. Quid? quod nec Titus Liuius lacteo eloquentiæ fonte manare dictus, Pollionis publici cenſoris iudicium effugere potuit? ſed ab eo Patauinitatis nomine accuſatus fuit? Marcum Terentium Varronem Romanæ lin

guæ

guæ peritiſſimum, qui tot aureos libros de rebus diuinis humaniſꝙ, tot de lingua Latina, cum ſumma uel Marci Tullij admiratione ſcripſit, impuriſſimus, lutulentusꝙ Palæmon porcum uocare ſolebat. Quid Terentius? num cauillos uitauit? quos ut hoc loco prætereã, non mirum eſſe debet, ſi hoc demum tempore inuentus eſt, qui canina mordacitate in Plautum elegantiſſimũ poëtam debaccharetur, Laurentij Vallenſis exemplo, qui cum de Latina elegantia ſcriberet, ſummis authoribus eo iudicio maledicere auſus eſt, quo impenſius Quintiliano quàm Ciceroni fauit, cum non eos in eloquentia pares ſtatuat, ſed illum huic ſatis apertè præponat: quàm iniquè, quis non intelligit? cum & de arte Cicero, & ex arte abſolutiſſimè ſcripſerit: Fabius autẽ de arte tantum, ut eruditiſſimè, ita quod ad phraſim ſpectat, duriuſculè, minusꝙ feliciter. Quamobrem contra ipſius Vallæ ſententiam omnes eruditi fatentur, plus authoritatis in latinitate non modò Marco Tullio, ſed omnibus qui Tullij temporibus, uel antea fuerint, quàm ipſi Quintiliano eſſe tribuendum: quem alioqui tantopere admiror, ut in ijs quæ ad eruditionem iudiciũꝙ ſpectant, nemini (Ciceronem ſemper excipio) poſtponendum ducam: eiuſdemꝙ teſtimonijs ita ſemper utar, ut ſummam eis fidem adhibeam, ſinguláque eius uerba ſingulas putem ſententias. Ac ne quis hæc me de Valla confingere credat, audiat quo pacto ille in primo Elegantiarum libro Ciceronem, Quintilianúmque pares ſtatuat: Quare ſeparemus, inquit, ea quæ de hac re ſuperſunt dicenda, & eis ſuum locum aſſignemus. quæ & ſi poſſent poſterius tractari, tamen quia ad materiam graduum pertinent, in hoc potiſſimum loco exequamur, rem dignam auribus ſtudioſorum, de exactiſſima antiquorum latinitate & elegantia, M. Tullio Ciceroni, Marcoꝙ Fabio Quintiliano præcipuè obſeruata, duobus luminibus atque oculis tum omnis ſapientiæ, tum uero eloquentiæ Latinæ. Quo loco non de eruditione tantum, ſed de exactiſſima antiquorum Latinitate & elegantia agens Valla, poſt M. Tullium, omiſſis Cæſare, Liuio, Salluſtioꝙ, non modò Quintilianum nominauit, ſed aut parem Tullio, aut certè maiorem conſtituit. De quo etiam libro primo Dialecticorum ita ſcripſit: Non'ne ubicunꝙ Quintilianum nuncupo, uideor uelut Achillem inter heroas nuncupare? Cuius ego (ô magnam arrogantiam: ſed temeritati meæ det ipſe Achilles ueniam) cuius inquam auriga, uelut ille Patroclus, & armis ornatus, & curru conſcenſo, & phalange inſtructa Troianos audeo inuadere, iam Græcã claſſem urere incipiens, & ipſum Hectorem, cui naues incendenti iam nemo reſiſtere poterat, ut cæteris Græcis ad ultima redactis, animum ardoremꝙ reſtituam, facturus idem multo apertius in ſequentibus libris, & præcipuè in priore, ad quem ipſum iam tranſeamus. His uerbis nihil modeſtius uidebitur, ſi ea conſideremus, quæ de eodẽ Fabio ſecundo eiuſdem operis libro ſcripſit. ait enim: De qua re cum nihil ego noui excogitare poſſim, ero nimirũ præceptis Quintiliani cõtentus: cui uiro tantũ tribuo, ut is unus ſit, cuius dictis aut addere quid, aut detrahere, aut ex his mutare uel minimum, nec alios poſſe arbitrer, & me id expertum ſępe nihil potuiſſe profitear. parum dico: quo eius opera magis altiusꝙ uerſo, hoc mihi admirationis hic author, ac plus ſtuporis infundit, ut eò opinionis iam uenerim, perſuaſumꝙ mihi ſit, neminem neque ea ingenij ui, neque ea eloquentia poſſe quicquam dicere, niſi deus aliquis (ut ſic dicam) foret, qua Quintilianus dixit: eum ita ſublimiter de rebus ſcripſiſſe, ut pro comperto habeam, nullam me illius uirtutem aſſecuturum, me inquam, male de memetipſo ſentientem, quippe qui nullum ſcripto-

rum (quos authores uocamus) ausim aliqua in parte corrigere. Quare eius ad literam præcepta huius rei subijciamus, necessariò simul ac libenter, tanquam Achillis armaturam nostro operi induentes, non modò inuiolabilem, uerum speciosissimam. Hæc Valla. In quibus mehercle, opinor, egregie fallitur. Namque ut alios omnes tum Græcos tum Latinos missos faciam, quis unquam præter Vallam tam supinus fuit, ut Fab. Quintilianum Aristoteli, uel in Rhetoricis, in quibus ille excelluit, comparandum duxerit? Qui tamen Quintilianum uelut Achillem inter heroas nuncupat, Aristotelem idem ne lunam quidem inter sidera existimauit. In præfatione etenim Dialecticorum ita inquit: Quo minus ferendi sunt recentes Peripatetici, qui nullius sectæ hominũ interdicunt libertate ab Aristotele dissentiendi, quasi sophus hic, non philosophus, & quasi nemo hoc antea fecerit: ignari, peripatetica hæresi inuenta, non modò pares uiguisse, ut Pythagoream, Democriticamque, sed alias quoque subortas fuisse, ut Stoicam, Epicureámque, de quibus, tanquam florentibus in domicilio philosophiæ Athenis, meminit Lucas in Actis Apostolorum: nec ante Peripateticam nominatos fuisse Platonicos, & qui ab eodem fonte manarunt Academicos. Quid alios loquar? Nónne Theophrastus Aristotelis successor, à præceptore suo dissentire non timidè solet? Hæc de Græcis: ut taceam, qui Homerum, Platonem, Demosthenem, magis quàm Aristotelem semper sunt admirati. Quid Latini? nunquid Aristotelem sophum putauerunt? imò nec summum philosophũ. An Varro Aristotelicus fuit? minime, sed iter suum tenuit: si Lactantio credimus, duobus Platoni & Aristoteli par: Cicero Academicus, ac Platonis æmulus, qui semper primas in philosophia partes Platoni tribuit, ut ferè omnes fecerunt: Plancus partim Stoicus, partim Epicureus: Brutus ac Seneca Stoici, quam sectam diuus Hieronymus simillimam censet Christianæ religioni: cuius præcepta tradentem Panætium atque Ciceronem Ambrosius æmulatus est, quasi & ipse stoicaretur. Augustinus in publica opinione est, Platonem philosophorum esse principem: Apuleius Platonicum se & esse & dici uoluit. nam & Macrobius multò plus defert Platoni: nec aliter sentit eruditorũ ultimus Boëtius, magis (ut mihi uidetur) Platonicus, quàm Aristotelicus. Et paulò pòst: Neque uero mihi uidetur tanti ingenij Aristoteles, ut quasi Achilles, Hercules ue inter heroës, aut luna inter sidera, nedum sol sit æstimandus. Non enim his rebus operam dedit, unde præstantes uiri maximè dignoscuntur, aut cõsilijs publicis, aut administrandis prouincijs, aut exercitui ductando, aut causis agendis, aut medicinæ factitandæ, aut iuri dicundo, aut responsis consultorum, aut scribundis historijs, aut poëmatibus componendis, quæ & magnopere occupant homines, & patefaciunt. Et subdit: At composuit plura quàm cæteri Aristoteles, num protinus & præstantiora? Ego nescio an præstantius sit, quod Hippocrates, quod Euclides, quod alij quidam fecêre, firma atque indubitata alicuius artis tradidisse principia. Composuit plura quàm cæteri, sed & plura compilauit: in quo improbitatem eius licet cognoscere, quòd quæ compilat, non illis refert accepta, à quibus sumpsit, sed sibi uendicat, & eosdem ubicunque peccasse opinatur, citius ardentem flammam ore continere posset, quàm nõ nominare. Composuit plura quàm cæteri: esto, num cuncta quoque cæteri melius? &c. Hæc Valla. quæ à nobis refelli, nõ est præsentis negotij: ad alia enim propero. Vnũ tamen illud nõ præterierim, nimis illũ audacem uideri posse, qui cùm Aristotelem tam iniquè conculcet, quòd nec prouincias administrarit, nec exercitũ

ductarit unquam, Fabium Quintilianum alibi quaſi ſolem inter ſidera collocet, à quo nihil eorum unquam ne per ſomnium quidem geſtum fuit. Nec quiſquam hæc à me obtrectandi ſtudio ſcribi putet. Præter hæc enim maligna iudicia, ita Laurentium Vallenſem admiror, ut alium non fuiſſe contendam, cuius opera magis ad hanc, quam hodie habemus, uenuſtatem latina lingua redierit. Sed ſint iſta huiuſmodi. Cum Plauti ſcripta tantum laudis apud antiquos omnes merita fuerint, ut nemo ea lacerare ſit auſus: nuper autem prodierit, qui unus plus ijs omnibus uiderit, & cornicum (ut aiunt) oculos confixerit: cuperem hoc ſeculo, felicium ingeniorum feraciſſimo, aliquem inuentum eſſe, qui tam Latino, tam eleganti Poëtæ patrocinaretur, ne hoc onus mihi parum exercitato foret ſubeundum. Cæterum nòn paucis, neſcio qua cœli intemperie perſuaſum eſt, nefas eſſe in bibliotheca Plautinas fabulas habere: tantum abeſt, ut ex hoc numero Plauti defenſorem expectare poſſimus. Cuius rei indignitate commotus, cui ſi natura neget, indignatio uerſum factura ſit, iſtorum errorem inuolutum præterire non potui: ſed calumnias in Plautum iactas ita diluere decreui, ut ab ijs longiſſimè abſim, qui non aliter mihi Terentium probare poſſe uiſi ſunt, quàm ſi Plautum eodem negocio deprimerent, obeloꝗ quantum in eis fuit iugulatũ relinquerent. Terentiũ enim, quod ſciam, nemo ſanus improbauit unquam: quamuis antiqui nõ illi palmam, ſed Cæcilio de comœdia ſtatuerint, quem & Horatius Latinos omnes grauitate uiciſſe affirmat. Cumꝗ ueterum de hac re iudicium pluris quàm recentium ſit faciendum, optimo iure ex ijs omnibus, qui aliorum ſcripta data opera excuſſerint, primas uendicat ſibi Fabius Quintilianus, uel propter ſingularem eruditionem, quam in eius ſcriptis dignoſcimus: uel propter incorruptam cenſendi ſinceritatem, cùm ita eruditè, ita liberè, ita ſine aliqua oſtentationis inuidiæꝗ ſuſpicione, de Græcis Latiniſꝗ pronunciarit, ut rectè ſit ab eis ornatus, à quibus Latinus Ariſtarchus appellari ſolet. Is inquam Quintilianus decimo Oratoriarum inſtitutionum libro, ubi de copia uerborum exquiſitiſſimè agit, qui in omni genere, ſiue Græci, ſiue Latini excellant, cõſtanter aſſeuerans. Homero inprimis de heroicis palmam defert: Pindaro, Callimachoꝗ de Lyricis ac elegis primas tribuit: Demoſthenem Oratoribus omnibus, Comicis Menandrum anteponit. Rurſus ex Latinis heroicis Virgilium præcipuè celebrat: Lyricis, Elegiaciſꝗ Horatium ac Tibullum præfert. In hiſtoria uel pares Liuium & Salluſtium, uel parem penè laudem aſſecutos innuit. Si uidiſſet porrò, quod iſti Lynceo perſpicaciores primi animaduerterunt, minimè dubitaſſet (ut eſt ſcriptor liberrimus) Latinos Comicos omnes reijcere, ac unicum Terentium amplexari. Sed quid ſentit de illis obſecro? In comœdia, inquit, maximè claudicamus, licet Varro Muſas Aelij Stolonis ſententia Plautino dicat ſermone locuturas fuiſſe, ſi latinè loqui uellent: licet Cæcilium ueteres laudibus ferant: licet Terentij ſcripta ad Scipionem referantur, quæ tamen ſunt in hoc genere elegantiſſima, & plus adhuc habitura gratię, ſi intra trimetros ſtetiſſent. Non'ne his uerbis fatetur Quintilianus, nõ uidere ſe cur Plauto Cæcilioꝗ exploſis, unum Terentium recipiamus? At ſuccinet hic aliquis: Idipſum deſignare uoluit, cùm Terentij ſcripta in hoc genere elegantiſſima uocauit. Verum nihil hoc ad rem. Non enim comparatiuè omnium elegantiſſima dixit, ſed elegantiſſima tantum. Eodem modo ſi de Romanis Imperatoribus loquamur, fortiſſimum Iulium Cæſarem, fortiſſimos Scipiones, fortiſſimum Cneum Pompeiũ, & alios itidem fortiſſimos rectè uocabimus. At ſi Cæſarem omnium Romanorum Imperatorum fortiſſimum

dicamus, gradum illi longè eminentiſſimum, excluſis ab ea præſtantia reliquis, tribuemus. Quis neget optimum hiſtoricum Criſpum Salluſtiū, optimum Liuium, optimum Cæſarem? At ſi Salluſtium Latinorum in hiſtoria optimum affirmemus, tunc Liuium ei Cæſaremq́; ſine dubio poſtponimus. Iccirco non leue eſt hoc Fabij pro Plauto iudicium, à maioribus docti, quorum nemo unquam de tam lepido poëta non honeſtiſſimè & ſcripſit, & locutus eſt. Quòd ſi quis ita mecum agat, ut nec Plautum Terentio, nec Terentium Plauto prætulerit Quintilianus, in omnibus tamen, qui latinè comœdiam ſcripſerunt laudandis, frigidiſſimus idem uidetur, alioqui à ſummis ſcriptoribus celebrandis minimè abhorrens. Nec ergo optimus poëta Plautus Quintiliano uiſus eſt, nec tanti faciendus, ut inter latinæ linguæ proceres collocari debeat. Huic ego ſic reſpondeo, tantam fuiſſe Menandri in comœdia præſtantiam, ut aliorum omnium tam Græcorum quàm Latinorum famam obſcurarit. Itaq; maximus illi uiſus eſt Menander, cæteri autem longo interuallo Menandro inferiores. quod decimo Oratoriarum inſtitutionū libro teſtatur, cum de Euripide loquens ait: In affectibus uerò cum omnibus mirus, tum in ijs quæ miſeratione conſtant, facile præcipuus, & admirandus maximè eſt, ut ſæpe teſtatur, & eum ſecutus, quanquam in opere diuerſo Menander, qui uel unus, meo quidem iudicio, diligenter lectus, ad cuncta quæ præcipimus efficienda ſufficiat, ita omnem uitæ imaginem expreſſit, tanta in eo inueniendi copia, & eloquendi facultas, ita eſt omnibus rebus, perſonis, affectibus accõmodatus. Nec nihil profectò uiderũt, qui orationes, quæ Chariſij nomine eduntur, à Menandro ſcriptas putant. Sed mihi longe magis orator probari in opere ſuo uidetur, niſi forte aut illa mala iudicia, quæ Epitrepontes, Epicleros, Locros habent, aut Meditationes in Sophocle, & Nomothetæ Hypobolimæo non omnibus oratorijs numeris ſunt abſolutæ. Ego tamen plus adhuc quiddam collaturum eſſe declamatoribus puto, quoniam ijs neceſſe eſt ſecundum conditionem controuerſiarum plures ſubire perſonas, patrum, filiorum, maritorum, militum, ruſticorum, diuitum, pauperum, iraſcentium, deprecantium, mitium, aſperorum, in quibus omnibus mirè cuſtoditur ab hoc poëta decorum. Atq; ille quidem omnibus eiuſdem operis authoribus abſtulit nomen, & fulgore quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit. Habent tamen alij quoq; Comici, ſi cum uenia legantur, quædam quæ poſſis decerpere: & præcipuè Philæmon, qui ut prauis ſui temporis iudicijs Menandro ſæpe prælatus eſt, ita cõ ſenſu omnium meruit credi ſecundus. Eódem ſpectant, quæ in primo idem Fabius ſcribit: Comœdiæ, inquit, quæ plurimum ad eloquentiam conferre poteſt, quem uſum in pueris putem, paulo pòſt ſuo loco dicam. Nam cum mores in tuto fuerint, inter præcipua legenda erit: de Menandro loquor. Nec tamen excluſerim alios. nam Latini quoq; authores afferent utilitatis aliquid. Ex quibus præclarè diſcimus, nõ eſſe mirum, ſi omnes ei præter Menandrũ, male (ut ita dicam) olere uiſi ſunt. Nam & idem nobis in cæteris uſu uenire ſolet, ut optimos poëtas fuiſſe credamus Heſiodum, Antimachũ, Apollonium, Aratum, cùm tamen uix digni ſint, quos ubi de Homero agitur, nominare audeas. Ita Lucanũ etiam Statiumq́; laudamus: at ij Virgilio comparati, quantuli? quàm ridiculi? Huc accedit Attica illa Venus comœdijs maximè apta, nõ modò Latinis non conceſſa, ſed ne alijs quidem Græcis linguis: in qua præter alias uirtutes excelluit is, de quo agimus, Menander. Quocircà cùm plurimis nominibus idem ſit extra aleam ponendus, nõ Plautum Menandro adæquare nitimur, (nam id quidem ſtultum eſſet) ſed inter Latinos Comi-

cos de-

eos elegantissimum fuisse, ac Terentio meliorem contendimus: quid in eo reprehendant leuissimi isti obtrectatores, paucis dicturi. Quis legat, inquiunt, antiquissimi Poëtæ fabulas, in quibus plurimis uerbis partim obscuris, partim obsoletis offendare? Quid prorsus ex Plautina lectione percipi fructus potest? Quin Terentium potius amplectimur, in quo nihil immundum, nihil non castum, nihil non elegans inuenias? Atqui illi mihi ipsi & sordidi & immundi uidentur, qui hæc immerenti Plauto uitio uertunt: non intelligentes, quæ obscuriora in illo leguntur, corrupta esse, atque iccirco nostris mentibus minimè peruia: quæ autem in usu esse desierunt, non hominis uitium, sed ætatis potius & usus fuisse,

Quem penes arbitrium est, & uis, & norma loquendi.

Quod si quis me doceat ea uerba, quę Terentij, ac deinde M. Tullij temporibus ex usu recesserant, Plauto scribente optima ac purissima non fuisse, ne uerbum quidem commutabo, quin Plautum omnium Comicorum infimum fuisse concedam. Sin, quod summum in hoc est uitium, non hominis fuit, sed ætatis: quæ uerò præcipua est Terentij laus, seculo etiam est communis: non tantum gloriæ Terentius, quantum Plautus meruisse uidetur. Atque ut singula diligentius examinare nimis esset morosum, ita operęprecium fuerit, ex unica dicendi formula de alijs conijcere. Facere igitur contumeliam Plautino seculo rectè dicebatur, ea Plautus in Asinaria elegantissimè usus est ex Leonidæ serui persona, ita dicens: Ita facito, Age, ambula ergo, tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur? Terentius Plauti simia, bis ad eundem modum locutus est, semel in Eunucho, cum Thais ita inquit: Nam si ego digna hac contumelia sum maximè, at tu indignus, qui faceres tamen. In Phormione iterũ, ait enim: Ain', tu tandem? ubi peregrè tibi quod libitum fuit feceris, neque huius sis ueritus fœminæ primariæ, quin nouo modo ei faceres contumelias. Cum tamen M. Tullij seculo hic loquendi modus obelo expunctus fuisset, non satis feliciter in edicto scripsit hæc uerba M. Antonius: An ulla cõtumelia est, quam facit dignus? Quid est porrò, inquit Cicero, facere contumeliam? quis sic loquitur? Et paulo pòst: Nónne satius est mutum esse, quàm quod nemo intelligat dicere? Vbi quum iure reprehendatur Antonius: quicunque tamen idem uel in Plauto, uel in Terentio damnare audeat, is in crasso aëre se, & ueruecum patria natũ fateatur opus est. Quamuis autem contumeliam facere ex usu recesserit, afficere tamen cõtumelia, Quintiliano teste, tutò dicemus. quod confirmat in quarta Verrina Cicero ipse, cùm ait: Quis unquam tanta à quoquam contumelia, quis tanta ignominia affectus est? Similes proinde dicendi formulas, qui in Plauto damnabit, omnis iudicij se expertem ingenuè profitebitur. Sed quispiam fortè hic dixerit: Vtcunque hæc fuerint, non nunc agimus cuius hoc sit uitium, sed quis'nam eorum nobis hoc tempore magis prodesse queat, quis ad Latinæ linguæ elegantiam plus conferre. Nõ equidẽ diffitebor liberè & hac in re quid sentiam ostendere, tantundem quidem fructus ex sex Plauti fabulis, quantũ planè ex integro Terentio commodissimè percipi posse. Nec ignoro multos peruersum mihi sensum, atque à ueritate remotum esse iuraturos: quod tamen æquo animo feram, dum incorruptos iudices sortiar, penes quos non multorum acclamatio, sed rei ueritas sit ualitura. Si enim in Plauti scriptis ab ijs abstineas, quæ uel mediocriter docti minus esse in usu dignoscunt, quid alijs (quæ innumera sunt) doctius, absolutius, cultius, eruditius, magisque latinum excogitari, nedum dici potest? Quid est, quod in hoc authore sedatus lector extra illum in theatro concitati

uulgi plausum, non probare ualeat? Nam & hoc quoque inspiciendum opinor, quis nam horum latinæ linguæ plus utilitatis attulerit. Qua in re longè mihi Plauto inferior uidetur Terentius: qui si pauca eleganter scripsit, ille multo plura æquè eleganter, ne dicam elegantissimè. Hic sex tantum fabulas, ex quibus Hecyra sæpè exclusa, uix demum acta est, quod & ipse author non diffitetur, satius esse hoc à se, quàm ab alijs diuulgari ratus. At Plautus multo plures, cum tanto scilicet omnium stupore, tanta admiratione, tanto inquam uel uulgi uel eruditorum plausu, ut non multo pòst infinitæ propè fabulæ Plauti nomine in lucem datæ fuerint: arbitrantibus, qui illa scripta supponebant, tantam esse Plauti maiestatem, ut tunc demum fabulæ dignæ uideri possent, quæ poscerentur, & spectatæ demũ reponerentur, cum Plautino nomine adumbratæ prodirent. Ac si quis hoc mihi in loco obijciat, facilius fuisse Plauti quàm Terentij scripta imitari: quia porrò si quid pro Terentiano fuisset editum, nemini persuaderi potuisset Terentij illud esse: is plurimos olim uersus inter Homeri poëtarum principis carmina à diuersis interfertos fuisse intelligat, quæ tamen Pisistrati Athenarũ tyranni beneficio, Aristarchi autem Alexandrini opera, ab adulterinis segregata fuerunt, tantum laudis hac in re assecuti, ut ille demum Homeri uersus haberetur, qui Aristarcho placuisset. De quo ad Appiũ Pulchrum ita scribit Cicero: Vt enim Aristarchus Homeri uersum negat, quem non probat: sic tu (libet enim iocari) quod disertum non erit, ne putaris meum. Hic Pomponium Atticũ idem Cicero suorum operũ Aristarchum uocat. Quin & ipsum etiam Pisistratũ, doctissimum eloquentissimumq; fuisse legimus, de quo M. Tullius libro tertio de Oratore ita scribit: Quis doctior ijsdem illis temporibus, aut cuius eloquẽtia literis instructior fuisse traditur, quàm Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem ciuibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut literis doctrinaq; præstaret. Hunc ipsum Aulus Gellius primum liberalium disciplinarum libros Athenis publice ad legendum præbendos posuisse testatur. Apud Platonem quoq; sic de eo respõdet Hipparcho Socrates: πολίτῃ μὲν ἐμῷ τε καὶ σῷ, πεισιστράτου δὲ υἱεῖ, τῷ ἐκ φιλαϊδῶν ἱππάρχῳ, ὃς τῶν πεισιστράτου παίδων ἦν πρεσβύτατος, καὶ σοφώτατος, ὃς ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο, καὶ τὰ ὁμήρου πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἑξῆς αὐτὰ διιέναι, ὥσπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσι, καὶ ἐπ' Ἀνακρέοντα τὸν τήιον πεντηκόντορον στείλας ἐκόμισεν εἰς τὴν πόλιν. Σιμωνίδην δὲ τὸν κεῖον περὶ αὑτὸν ἀεὶ εἶχε, μεγάλοις μισθοῖς καὶ δώροις πείθων. ταῦτα δ' ἐποίει, βουλόμενος παιδεύειν τοὺς πολίτας, ἵνα ὡς βελτίστων αὐτῶν ὄντων ἄρχῃ, οὐκ οἰόμενος δεῖν οὐδενὶ σοφίας φθονεῖν, ἅτε ὢν καλός τε κἀγαθός. Hæc de Pisistrato Plato. Quæ si à Marsilio Ficino ita essent in Latinũ sermonem conuersa, ut eorum sensum exactè expressisset, ipse Latina non facerem. Cum uerò ille fidi interpretis officium, meo iudicio, in eis non præstiterit, ego sic uerto: Ciui quidẽ meo ac tuo, Pisistrati autem Philædonici filio Hipparcho, Pisistrati filiorũ natu maximo, qui alia multa & præclara sapientiæ opera edidit, Homeriq; poëmata primus in hancce urbem aduexit, Homericorũq; carminum recitatores impulit, ut quinquatribus pro arbitratu ordine ea recitarent, quemadmodum nunc quoq; ijdem faciunt. Sed & Anacreonta Teium, missa quinquaginta remorum naui in urbem recepit: Simonidem item Chium magna mercede donisq; persuadens, secum semper habuit. Hæc autem faciebat, ciues in suam sententiam adducere uolens, ut ipsis optimè degentibus imperaret, nulli sapientiam negare oportere ratus, nimirũ honestus ipse, bonusq; existens.

existens. Verum ut ad rem redeam, in Virgilianis quoq; operibus, diuinis planè, nõnullos uersus suppositios comperimus: & multa M. Tullij nomine sunt edita, quæ eius non sunt. Ex quibus, quo præstantiores uiri semper fuerint, eo plura illorum titulo uelut munita scripta fuisse, prçclarè intelligimus. Ne tamen etiam suus Plauto deesset Aristarchus, M. Terentius Varro doctissimus, genuinas fabulas ab adulterinis secreuit, ne quid scilicet ex aliorum imperitia tanto poëtæ obijci posset. Qua in re adeò diligens fuit, adeò curiosus, ut unam & uiginti eius fabulas ita à cæteris segregarit, ut Varronianæ meritò uocatæ fuerint, de quarum authore nunquam inter eruditos fuisset dissensio: alias autem quasdam stilo, sermoneq; Plauto cõuenienti adductus, probauerit. Quo in negotio hac norma illum usum fuisse testatur Gellius, ut non Helij Sedigiti, nec Claudij, nec Aurelij, nec Accij, nec Manilij indicibus, sed ipsius poëtæ ingenio & linguæ crediderit. Ea ratione multas aliorum nominibus occupatas Plauto uendicauit, inter quas Bœotiam fuisse idem Gellius testatur libro tertio Noctium Atticarum: quæ quamuis Aquilij esse à plurimis crederetur, nõ dubitauit Varro, quin Plauti foret. ubi singulare Gellij erratum deprehenditur, qui eodem loco Plauti esse Bœotiam & neget, & affirmet. Mox enim hæc uerba ex libro M. Varronis, de comœdijs Plautinis excerpta, recenset: Nam nec Gemini, (inquit Varro) nec Leones, nec Cordalium, nec Anus Plauti, nec Bis compressa, nec Bœotia unquàm fuit neque adeò ἄγροικος, neque Cõmorientes, sed M. Accutici. Si Bœotia Plauti nunquam fuit, uiderit Gellius, quomodo eam Plauto uendicare potuerit M. Varro. Adhæc si uerum est hoc de ijs fabulis iudicium, Publium quoq; Terentium hallucinatum fuisse intelligimus. Enimuero negat Varro, Commorientes Plauti esse, Terentius uerò eosdem in Adelphorum prologo Plauto assignat, ait enim,

Synapothniscontes Diphili comœdia est,
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.

Sed utrius hac in re iudicium sit pluris faciendum, haud facilè iudices. Quamuis enim de comœdia comicus rectius iudicare credatur, multos tamen Terentius ante Varronem annos uixit, in dignoscendis Plauti fabulis diligentissimè uersatum. Quocircà potius improbatum fuisse hoc loco Terentij iudicium credere licet, quàm Adelphorum uersus à Varrone uel ex professo Plautinorum scriptorum Aristarcho non fuisse animaduersos. Phauorinus quoque Neruulariam Plauti inter dubias relatam, ex unico uersu Plauti esse iudicauit. Quin & Aulus Gellius suum eodem in negotio iudicium interposuit, cum'que Fretum, quam quidam Plauti fabulam esse inficiabantur, lectitasset, nõ dubitauit eandem & Plauti esse, & omnium maximè genuinam affirmare: quæ tamen quàm sint uera, hoc tempore iudicare non possumus, quod nulla earum ad manus nostras peruenerit. Sed M. Varro in eodem quem superius citauimus libro, nisi Gellij testimonium floccifacimus, scriptum reliquit, Plautium fuisse quempiam comicum poëtam, cuius quoniam fabulæ Plautij inscriptæ forent, acceptas esse quasi Plautinas, cùm essent non à Plauto Plautinæ, sed à Plautio Plautianæ. Ferebantur autem (inquit Gellius) sub Plauti nomine comœdiæ circiter centum atque triginta, sed homo eruditissimus Lælius quinque & uiginti esse eius solas existimauit. Et subdit: Non tamen dubium est, quin ista, & quæ scripta à Plauto non uidentur, & nomini eius adijciuntur, ueterum poëtarum fuerint, & ab eo retractatæ expolitæ'que sint, ac propterea recipiant stilum Plautinum. Sed enim Saturionem, Addictum, &

tertiam quandam, cuius nunc mihi nomen non ſuppetit, in piſtrino eum ſcripſiſſe Varro, & plerique alij memoriæ tradiderunt, cùm pecunia omni, quam in operis artificum ſcenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam rediſſet, & ob quærendum uictum ad circumagendas molas, quæ truſatiles appellantur, operam piſtori locaſſet. Hæc ille. Quorum ut poſtrema fidem mereantur, illud tamen abſurdum uidetur, quòd fabulas, quæ Plauti iudicarentur, cuius non eſſent, à Plauto recognitas expolitas'que fuiſſe aſſeueret. Velim namque à Gellio diſcere, quis'nam Latinorum Comicorum ante Plautum uixerit, præter Liuium Andronicum? qui primus fabulam Romæ docuit, Caio Claudio Cæci filio, & Marco Tuditano C O S S. anno ipſo antequàm natus eſt Ennius, ſeptem annis antequam naſceretur Cato, cuius ætate uixiſſe, & quo cenſore mortuum eſſe Plautum ſcimus. De qua re in eodem Bruto Cicero ita ſcribit: At hic Cethegus, inquit, conſul cum Publio Tuditano fuit bello Punico ſecundo, quæſtor'que his C O S S. Marcus Cato, modò planè annis centum ſexaginta ante me conſulem: & idipſum niſi unius eſſet Ennij teſtimonio cognitum, hunc uetuſtas, ut alios fortaſſe multos obliuione obruiſſet. Illius autem ætatis qui ſermo fuerit, ex Næuianis ſcriptis intelligi poteſt. His enim C O S S. ut in ueteribus cõmentarijs ſcriptum eſt, Næuius eſt mortuus. quanquàm Varro noſter diligentiſſimus inueſtigator antiquitatis, putat in hoc erratum, uitam'que Næuij producit longius. Nam Plautus Publio Claudio, Lucio Portio, uiginti annis poſt illos quos antè dixi, C O S S. mortuus eſt, Catone cenſore. Hunc igitur Cethegum conſecutus eſt ætate Cato, qui annis nouem poſt eum fuit C O S. Idem Cicero Catonem libro de Senectute ita loquentem inducit: Vidi, inquit, etiam ſenem Liuium, qui cum ſeptem annis antequam ego natus ſum, fabulam docuiſſet, Cethego & Tuditano C O S S. uſque ad adoleſcentiam meam proceſſit ætate. Qui locus, ut id quod uolumus abundè comprobat, ita etiam deprauatè legitur. Non enim Cethego & Tuditano, ſed Caio Claudio Cæci filio, & Marco Tuditano C O S S. Liuius fabulam docuit, anno poſt Romam cõditam quadringenteſimo decimo, antequam naſceretur Cato. cum Marcus Cornelius Cethegus, & Publius Sempronius Tuditanus decimo quinto, niſi fallor, ſecundi belli Punici anno C O S S. fuerint, & eodem tempore quæſtor Cato. Quæ cum ita ſint, quamuis Liuius Ennio & Catone natu maior fuerit, ita tamen ante eos uixit, ut uſque ad adoleſcentiam Catonis proceſſerit ætate. Quare ut Næuius eadem ætate uixerit, qua Plautus, aut etiam aliquanto maior natu fuerit, cùm Cato eorum utrique ſuperuixerit, qua etiam ætate floruit Ennius, cuius'nam horum fabulæ illæ, quas Plautum retractaſſe atque expoliuiſſe ait Gellius, eſſe potuerunt? quo pacto tam breui tempore authorum nomen eæ amiſerant? aut quis Plautum præceſſit, præter unicum Liuium? cuius comœdiæ, quamuis nomen (quod tamen maximè fuiſſet mirum) tam breui tempore amittere potuiſſent, Marco tamen Tullio non ſatis dignæ uiſæ ſunt, quæ iterum legerentur: quod quidem de fabulis à Plauto recognitis expolitis'que minimè dici liceret. Itaque ſiue Accutici, ſiue Plautij fuerint comœdiæ, quæ Plauto non rectè aſſignabantur, (Næuij enim eſſe non poterant) cur illæ à Plauto expolitæ fuerint, nulla ratio, niſi futilis adduci ualet.

Sed enim cum Liuium excuſemus, quòd inconcinnas fortaſſe & rudes, & incompoſitas ſcripſerit comœdias, (nihil eſt enim ſimul & inuentum & perfectum) ſummis certe laudibus dignum fuiſſe Plautum fateri cogimur, quòd

illud opus

illud opus adeò expolierit, in quod horridum ipse inciderat, ut si non multa uerba, quibus tunc utebantur, excipias, nihil eius fabulis elegantius posteri, quamuis præstantes, edere potuerint. Scripserunt eodem seculo Næuius, Ennius'que, sed nihil ad Plautum. In Ennio ingenium nemo desiderauit: sed artem, sed uerborum ornatum, adeò in eo non fuisse antiqui omnes tradiderunt, ut optimas sententias sub incultis uerbis latere dicerent: & Virgilius Maro Ennium aliquando in manibus habens, quid faceret interrogatus, aurum se ex Ennij stercore colligere respondèrit. Hoc uitium, quàm non Plauto assignes? Scripsit is quidem cum Ennio, at ita, ut non modò Ennium, sed etiam Terentium, qui postea floruit, haud dubia palma uicerit. De Næuio nihil dicam. nullius enim unquam iudicio dignus fuit, qui Plauto æquaretur. Nec dubium est, hunc de quo agimus Næuium, aliquanto ante Ennium scripsisse, ut Cicero in Bruto testatur, quum ait: Rectè, inquam, Brute intelligis, atque utinam extarent illa carmina, quæ multis seculis ante suam ætatem in epulis esse cantitata à singulis conuiuis, de clarorum uirorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato. Tamen illius quem in Vatibus & Faunis enumerat Ennius, bellum Punicum quasi Myronis opus delectat. Sit Ennius sanè, ut est certè, perfectior, qui si illum ut insimulat, contemneret, non omnia bella persequens, primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset. Sed ipse dicit, quur id faciat: Scripsere, inquit, alij rem uersibus, & luculentè quidem scripserunt, etiam si minus quàm tu politè, nec uerò tibi aliter uideri debet, qui à Næuio uel sumpsisti multa, si fateris: uel, si negas, surripuisti. Vt ergo ad Plautum reuertamur, non leuiter est ingemiscendum, plurima nobis excidisse tam egregij poetæ scripta: ex quibus Macrobius tertio Saturnaliorum libro Bacchariam citat, tanquam Plautinam, ex ea'que parasiti uersus adducit, in quo itidem libro de Nuce mollusca loquens, hunc uersum ex Plauti Calceolo adducit:

Molluscam nucem superius dixit impendere tegulas.

Et subiungit: Ecce Plautus nominat quidem, sed quæ sit mollusca nux, non exprimit. Seruius autem Grammaticus de numero Plauti fabularum primo Aeneidos Commentario sic ait: Alij dicunt Plautum unam & uiginti scripsisse fabulas, alij quadraginta, alij centum. Earum sanè nomina, quoniam ipsas amisimus, diligentius perquirere distuli. Vtcunque tamen se res habet, hoc certum est, multa nobis huius poetæ scripta excidisse: cum omnes habeamus Terentij fabellas: nec enim plures scripsit unquam. Nam quod ait Donatus, Quintum Cosetium dicere solitum fuisse, redeuntem è Græcia Terentium in mari cum centum & octo fabulis à Menandro conuersis, perijsse, non sunt aliud quàm gerræ germanæ, atque ædepol λῆροι λήρων. Si enim omnibus uel leuissimis testimonijs erit credendum, cur non & ijs credimus, per quos non obscura fama fuit, adiutum fuisse Terentium in scriptis à Lælio, & Scipione? Cur non ijs, qui has quas habemus fabulas, Lælij, & non Terentij esse, optimis argumentis arbitrati sunt? Cur non Quinto Memmio, qui in oratione pro se dixit, Publium Africanum personam à Terentio mutuatum, quæ domi ipse luserat, illius nomine in scenam detulisse? Denique ut ipsius Donati uerba adducam: Nepos, inquit, authore certo comperisse se ait, Caium Lælium quondam in Puteolano Calendis Martijs admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petijsse ab ea ne interpellaretur. serius tandem ingressum triclinium, dixisse, non sæpe in scri-

bendo magis successisse sibi: deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronunciasse uersus, qui sunt ἑαυτοντιμωρουμένου,

Satis pol proterue me Syri promissa huc induxerunt.

Quæ si uera sunt, nihil habent hæ quas legimus fabellæ Terentianum, nisi merum nomen: tantum abest, ut centum & octo Menandri fabulas in latinum sermonem conuerterit. Licet & de ipsius obitu non parum discrepent authores, alijs in mari Terentium perijsse affirmantibus, alijs in Stymphalo Arcadiæ oppido: & plus fidei (iudicio meo) multis id quod dixi affirmantibus, Romanis præsertim, etiam se id pro comperto habere dicentibus, esse adhibendum, ipsa ratio suadet, quàm Quinto Cosetio nescio cui, qui id per somnium fortè commentus est: à quo non multum abesse eius uerba, optima ut opinor ratione ostendere possum. Aulus namque Gellius his in rebus diligentissimus, decimoseptimo Noctium Atticarum libro, Menandrum ex quorundam sententia centum & octo fabulas reliquisse docet, cum alij centum & nouem scribant. Vt autem Apollodorus scriptor celebrarissimus, quem ipse sequitur, eo libro qui Chronica inscribitur, tradit, centum & quinque tantum. Hæc si ita se habent, quo pacto potuit Terentius cum centum & octo fabulis à Menandro conuersis in Italiam reuertens, in mari perire, cum quatuor eiusdem antequàm discederet latinitati donasset? An fortè has improbauerat, & in Græcia iterum in Romanum sermonem conuerterat? Iccirco aliud est poëtas optimis rationibus improbare, aliud solo deblatterandi maledicendi'que studio chartas oblinere. Quòd si tam rarus, & quasi Achilles inter Græcos Terentius fuit, cur'nam integros uersus, pulcherrimas'que sententias idem à Plauto mutuatus, eisdem uerbis, ne syllaba quidem immutata, aut transposita, reddidit? cur non aliud dicendi genus nouum ac mirificum in eis exhibuit? ut facilè nobis ostenderet, Plautum rudem fuisse, sibique minimè comparandum? Sed quid ego de Terentio loquor? qui de Plauto semper optimè sensit, & se eius imitatorem profiteri non erubuit? nisi eum fortasse calumniari uoluit, quum in Commorientibus, quam fabulam Terentio Varrone (ut superius dictum est) refragante, Plauto assignat, locum adolescentis, qui lenoni meretricem eripuit, integrum à Plauto relictum, & per negligentiam præteritum, ipse in Adelphos à se translatum gloriatur: quasi non potuerit Plautus eum locum sciens uolens'que prætermittere, ipsum autem unum decuerit Adelphos Menandri, translato in eam fabulam ex Diphilo, uirginis raptu, parum fideliter conuertere, & ut plerique antiquorum, quamuis impudenter, dicere solebant, ex bonis Græcis malas Latinas facere. Quod si Terentio quidem non uitio, sed laudi dandum uidebitur, Plautus sanè immeritò carpitur, & quasi oscitabundus traducitur. Hac uero eadem ratione Virgilium quoque deridebimus, qui cum tres Græcos poëtas sibi imitandos proposuisset, diuerso tamen ab eis omnibus scribendi genere usus est. Theocritum etenim Syracusanum ita secutus est, ut omnia fermè illius scripta in decem, eas'que perbreues Aeglogas coarctauerit. Contrà Hesiodi ita similis esse noluit, ut de eadem re scribens, quod unico ille libro, quem ἔργα καὶ ἡμέρας, id est Opera & dies inscripsit, quatuor ipse libris, relicto etiam post se quem imitabatur, cecinerit. At Homerum ita effinxit, ut quod in duobus ille, Vlysse atque Achille expresserat, hic in uno Aenea collocarit: quod Homerus octo & quadraginta libris perfecerat, in duodecim tantum Virgilius contraxerit. Qua quidem in re hoc apud doctos est consecutus, ut maiori

iudicio

iudicio nostrum fuisse iudicarint, non singula etiam minutissima exequentem, quàm Homerum ipsum, omnium quod ad cætera spectat scientiarum oceanũ. Id autem ingenti arte fecisse Virgilius dicitur, ut sui ingenij uim, lata coarctans, & angusta dilatans patefaceret. Quamobrem iniuria Plautus à Terentio argui tur: quum sit uero similius, improbatum fuisse à Plauto in ea fabula Diphilum, quàm locum illum integrum à tanto poëta negligenter prætermissum, qui cum plurimis in rebus esset Terentio inimitabilis, non sine causa Terentium data opera ad proprietatem se conuertisse censendum est, ad reliquas Plauti uirtutes assequendas minus aptũ. Nam summam eruditionem, miram grauitatem, singularem inuentionem, uim Comicam, & robur quoddam in Plauto copiosissimè deprehendimus: in Terentio non item, in quo cum omnia peruolueris, nihil aliud quàm proprietatem unquam cõmendatum inuenias; quam etiam artem in Epistolis appellat Horatius, quum ait,

Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro,
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicarmi,
Vincere Cæcilius grauitate, Terentius arte,

Vbi artem pro proprietate accipiendam esse, à Seruio Grammatico admonemur in primo Virgilianæ Aeneidos commentario, ita scribente: Sciendum tamen est, Terentium propter solam proprietatem omnibus comicis esse præpositum, quibus est, quantum ad cætera spectat, inferior. Res quoque ipsa docet, non esse maius in Terentio quàm in Plauto artificium. Sed non semper cæteris anteponendi sunt, qui ex sola proprietate commendantur, cuius seruantissimum Crispum Sallustium cum A. Gellius alijq; fuisse affirment, non protinus Ciceroni anteponunt, qui cùm proprietate ualuerit, translatione idem non minus commendatur. Verum quid Ciceronem nomino? cum Titus Liuius immortalem Sallustij uelocitatem diuersis uirtutibus cõsecutus fuerit, non magis ipse quoq; proprietate quàm translatione usus, in qua uel maximum esse orationis ornatum Quintilianus octauo Oratoriarum institutionum libro docet: & Quintiliano melior Cicero, in tertio de Oratore. Inquit enim: Atq; hoc in genere persæpe mihi admirandum uidetur, quid sit quòd omnes translatis & alienis uerbis magis delectantur, quàm proprijs & suis. Nam si res suũ nomen & proprium uocabulum non habet, ut pes in naui, & nexum, quod per libram agitur, ut in uxore diuortium, necessitas cogit, quod non habeas aliunde sumere. Sed in suorum uerborum maxima copia, tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant. Id accidere credo, uel quod ingenij specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, & alia longe repetita sumere: uel quòd is qui audit, aliò ducitur cogitatione, neque tamen aberrat, quæ maxima est delectatio: uel quòd singulis uerbis res, ac totum simile conficitur: uel quod omnis translatio, quæ quidem sumpta ratione est, ad sensus ipsos admouetur, maximè oculorum, qui est sensus acerrimus. Nam & odor urbanitatis, & mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis, sunt ducta à cæteris sensibus. Illa uerò oculorum multo acriora, quæ ponunt penè in conspectu animi, quæ cernere & uidere non possimus. Nihil est enim in rerum natura, cuius nos in alijs rebus possemus uti uocabulo, & nomine. Vnde enim simile duci potest, potest autem ex omnibus, indidem uerbũ unũ, quod similitudinem cõtinet translatũ, lumen adfert orationi. Et paulo pôst: Ita fit, ut omnis singulorũ uerborũ uirtus atq; laus, tribus existat ex rebus: si aut uetustum uerbũ sit, quod tamen consuetudo ferre possit: aut factum uel coniun-ctione,

ctione, uel nouitate, in quo item eſt auribus conſuetudiniq; parcendum: aut tranſlatum, quod maximè tanquam ſtellis quibuſdam notat & illuminat orationem. Hactenus Cicero. Quid quòd ipſa proprietas ab antiquis deriuatur authoribus? Atq; hoc quidem ſatis apertè docet Quintilianus octauo libro, ubi de ornatu orationis agit: Cum ſint autem, inquit, uerba propria, ficta, tranſlata, proprijs dignitatem dat antiquitas. namq; & ſanctiorem & magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat uſurus: eoq; ornamento acerrimi iudicij Publius Virgilius unicè eſt uſus. Olli enim, & Quianam, & Mi, & Ponè, pellucent & aſpergunt illam, quæ etiam in picturis gratiſſima eſt, uetuſtatis inimitabilem arti authoritatem. Magni eſt etiam illud faciendum, quòd multo plures ſunt in Plauto, quàm in Terentio Latinæ locutiones: quòd tibi per hunc ſit perſæpe tacendum, cum illius uerbis omnia ferè, quæ in uita hominum contingere ſolent, exprimere poſſis. quæ faciunt, ut non tam mihi abſurdum Volcatij Sedigiti de Latinis Comicis iudicium, quàm Aſulano uideatur. Animaduertit enim Volcatius, nec abſurdè quidem, illos eſſe anteponendos, qui pluribus uirtutibus excelluiſſent. Cumq; antiquiores Comici, omnia quæ comœdiæ neceſſaria ſunt, præter exactam proprietatem præſtitiſſent: Publius autem Terentius, unica ualuerit proprietate, nō tam ei, quàm ſeculo accepta referenda: meritò palmam Cæcilio delatam, Plauto datum ſecundum locum credamus, quod & confirmare uidetur Gellius, qui Volcatij uerſus ſic in medium adducit, ut eius ipſum iudicio ſubſcripſiſſe ſit credendum. Nec moueor, quòd Cicero Cæcilium malum Latinitatis authorem, aut duriſſimum uocarit Licinium. Id enim nō eſſe ipſis ſcriptoribus, ſed ſeculo potius, quo uixerunt, adſcribendum, in Bruto oſtendit idem Cicero, quum de Catone loquens ait: Sed & in noſtris inſcitia eſt, quòd ij ipſi, qui in Græcis antiquitate delectantur, ea'que ſubtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non nouerunt quidem, Hyperidæ uolunt eſſe, & Lyſiæ. Laudo: ſed cur nolunt Catonis? Attico genere dicendi ſe gaudere dicunt. Sapienter id quidem, atq; utinam imitarentur, nec oſſa ſolum, ſed etiam ſanguinem: gratum eſt tamen quod uolunt. Cur igitur Lyſias, & Hyperides amatur, cùm penitus ignoretur Cato? Antiquior eſt huius ſermo, & quædam horridiora uerba: ita enim tunc loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, & adde numeros, & aptior ſit oratio, ipſa uerba cōpone, & quaſi coagmenta, quod ne Græci quidem ueteres factitarunt: iam neminem antepones Catoni. Hæc cum de Catone ſcribat Cicero, de alijs tamen, qui eius ſeculo uixerunt, eſt intelligendū. Huc ſpectat, quod de tragœdiæ ſcriptoribus loquens Quintilianus libro decimo, quicquid in poëtis antiquius, minus'ue uſitatum uidetur, in tempora, non in homines reijcit, inquit enim: Tragœdiæ ſcriptores Accius atq; Pacuuius, clariſſimi grauitate ſententiarum, uerborumq; pondere, & authoritate perſonarum. cæterum nitor, & ſumma in excolendis operibus manus, magis uideri poteſt temporibus, quàm ipſis defuiſſe. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuuium uideri doctiorem, qui eſſe docti affectant, uolunt. Quo loco, neſcio an Horatium taxare uoluerit, qui de ijſdem ſcribens, ſic ait:

Ambigitur quoties uter utro ſit prior, aufert
Pacuuius docti famam, ſenis Accius alti.

Non eſt igitur, quare Volcatium tam acriter inſectemur, quem & bonum poëtam fuiſſe ſcimus, & Caio Plinio ualde probatum, ſi de Comicis eo pacto iudicauit: nec error fuit eorum, qui illius uerſibus plurimum tribuerunt.

Quid

Quid enim? ſolus'ne Volcatius de Plauto bene ſenſerat? ſolus'ne Volcatius contra omnium ſententiam, aliquid Plauto deferre auſus eſt? Minimè quidem. Homo enim eruditiſſimus Lælius idem factitauit, cum eius fabulas genuinas quinque tantum & uiginti fuiſſe iudicauit: quod nullo pacto facere potuiſſet, niſi in illius ſcriptis fuiſſet maximè uerſatus. Ac ne cui mirum id uideatur, ſciendum eſt, hunc C. Lælium antiquitate ſuprà modum delectatum fuiſſe, Ciceronis teſtimonio, qui de eo in Bruto ita ſcribit: Cum ſint in dicendo uariæ uoluntates, delectari mihi magis antiquitate uidetur, & lubenter uerbis etiam uti paulo priſcis Lælius. Idem quoque Cicero Papyrio Pæto ſcribens, ſic ait: Sed tamen ipſe Cæſar habet peracre iudicium, & ut Seruius frater tuus, quem literatiſſimum fuiſſe iudico, facile diceret, Hic uerſus Plauti non eſt, hic eſt, quod tritas haberet aures notandis generibus poëtarum, & conſuetudine loquendi: ſic audio Cæſarem, cum uolumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, ſi quid afferatur ad eum pro meo, quod meum nõ ſit, reijcere ſolere. Quæ uerba Plautum ſummum poëtam fuiſſe indicant, in cuius lectione tam tritas haberet aures Seruius hic M. Tullij iudicio literatiſſimus, quod non in mediocribus, ſed in egregijs poëtis, quales ſunt Homerus Virgiliusq́, fieri ſolet. Nemo enim niſi ſtupidus quæret, ſint'ne Prudentij, aut Iuuenci, aut Aratoris carmina, quæ ipſis tribuuntur. Et Seruij iudicium probaſſe uidetur Cicero, gnauus alioqui eorum caſtigator, quorum ſententiam in literis improbaret. Aelius quoque Stolo pariter dixerat, Muſas, ſi latinè loqui uellent, Plautino ſermone locuturas fuiſſe: & ex eius ſententia M. Terentius Varro idem aſſeuerauit: qui omnes tam Plauti quàm Terentij fabellas legerant, nec tot errata in Plauto deprehenderant. Sed nonne Gellius, publicus penè (ut inquit Valla) literarum cenſor, eos ſecutus, ſeptimo Noctium Atticarum libro Plautum linguæ Latinæ atq́ elegantiæ principem, decimo nono eundem linguæ Latinæ decus, & alibi Plautum uerborum Latinorum elegantiſſimum uocat? Næ ille haud parum ab Aſulano diſſentit, qui nihil in Plauto præter loquacitatem uidet. Non adducam hoc loco duo Sidonij Apollinaris de Plauto iudicia, quorum altero Plauti genium, ſales commendat altero, ne Baptiſtam Pium ſuis laboribus defraudem: quanquam Apollinaris de huiuſmodi ſcriptoribus cenſura non ſanè multum apud eruditos habet authoritatis. Credat proinde illi Pius, nos eiuſmodi cenſorem in hoc opere non nominabimus, ne quam Plauto labeculam Sidonij laudatione aſpergamus. Itaq́ qui Volcatij Sedigiti, quicunque ille fuit, iudicium improbat, tot ſummorum hominum idem ſententiam damnat, quum ij liberè faſſi ſint non uidere ſe, cur uno Terentio probato, Plautum, aliosq́ excludamus. Nec quiſquam hîc mihi exclamet, Varronem non quod ita ſenſerit, pronunciaſſe, ſed ut Stolonis tantum oſtenderet ſententiam. Si quis enim ingenuum puerum laudans, hoc Virgiliano carmine alloquatur,

Macte noua uirtute puer, ſic itur ad aſtra:

Non id ea de cauſa faciet, quòd Maronis ea in re ſententiam exprimere uelit, ſed quòd uerbis illis puerum egregiè laudari arbitretur: in quibus tamen idem ſentit de puero, qui cum loquitur, quod de Aſcanio apud Virgilium Apollo. Eodem modo cum Plautum laudare uellet Varro, Stolonis uerbis id commodiſſimè fieri ratus eſt. Iam ij cachinno excipiendi ſunt, qui minimũ fidei hac in re Varroni tribuendum eſſe autumant, quòd poëticæ artis ignarus, de poëta non rectè iudicare queat. Deridebimus enim M. Tullium, qui Homerum Euripidemq́ laudarit, cum eorum uirtutes dignoſcere non potuerit. Nimirum li-

mites præ-

mites prætergressus est Fabius Quintilianus, qui rhetor de poëtis iudicium fecerit. O etiam atq; etiam supinum Horatium, qui comœdiæ alios, tragœdiæq; uirtutes docuerit, cum nec comœdiam ipse, nec adeò tragœdiam scripserit. Sed his se carminibus tutatur Horatius:

Ergo fungar uice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum ualet, exsors ipse secandi,
Munus & officium, nil scribens ipse, docebo.

Quod tamen ad M. Tullium attinet, scimus eum iuuenem poësi mirificè delectatum fuisse, ac Arati Phænomena, cuius adhuc pars magna extat, Latinis uersibus reddidisse: & in omnibus ferè eius operibus, in quibus de philosophicis agit, multos Sophoclis Aeschiliq; & aliorum uersus, latinitate ab ipso donatos legimus. Verum ipsius Ciceronis de hac re ad Lentulum uerba audire operæprecium fuerit: Scripsi, inquit, etiam carmina quædam, nam etiam ab orationibus disiungo me ferè, referoq; ad mansuetiores Musas, quæ me maximè, sicut iam à prima adolescentia delectarunt. Et paulo pòst: Scripsi etiam uersibus tres libros de temporibus meis, quos iampridem ad te misissem, si esse edendos putassem. sunt etiam testes, & erunt, sempiterni meritorum erga me tuorum, meæ que pietatis. Sed quia uerebar non eos, qui se læsos arbitrabantur, (etenim id feci parcè & molliter) sed eos quos erat infinitum, bene de me meritos omnes nominare. Quos tamen ipsos libros, si quem, cui rectè committam, inuenero, curabo ad te perferendos. Marcum etiam Varronem, quis nescit, satyras quas quidam Cynicas, alij Menippeas appellarunt, cum summa omnium admiratione scripsisse? quod quia leuiter in illius uita attigit Petrus Crinitus, aliorum testimonijs diffusius ipse declarabo: præsertim quòd non aliud poëma, quod sciam, composuit Varro, cuius quod fuerit argumentum, per Crinitum, qui Latinorum poëtarum uitas atque opera scribens, hoc in primis agere debuerat, ignorare turpissimum est. Sequar autem hac in re M. Tullium, Latinæ eloquentiæ lumen, qui quanti semper M. Varronem fecerit, cum ex multis rebus cognoscimus, tum quòd pulcherrimos ei Academicarum quæstionum libros nuncupauit, in quorum primi fragmento Varronem sic loquentem inducit: Si uerò, inquit, Academiam ueterem persequamur, quam, ut scis, probamus, quàm erit illa acutè explicanda nobis, quàm argutè? quàm obscurè etiam contra Stoicos disserendum? Totum igitur illud Philosophiæ studiū, mihi quidem ipse sumo, & ad uitæ constantiam, quantum possum, & ad delectationem animi, nec ullum arbitror (ut apud Platonem est) maius, aut melius à Dijs datum munus homini: sed meos amicos, in quibus est studium, in Græciam mitto, id est, ad Græcos ire iubeo, ut ea à fontibus potius hauriant, quàm riuulos consectentur. Quę autem nemo adhuc docuerat, nec erat unde studiosi scire possent, ea quantum potui, (nihil enim magnopere meorum miror) feci ut essent nota nostris. A Græcis enim peti non poterant, ac post Lælij nostri occasum, ne à Latinis quidem. Et tamen in illis ueteribus nostris, quæ Menippū quidem imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admista ex intima philosophia, multa dicta dialecticè, quæ quo facilius minus docti intelligerent, iucunditate quadam ad legendum inuitati, in laudationibus, in ijs ipsis antiquitatum procemijs philosophiæ scribere uoluimus, si modò cōsecuti sumus. Tunc ego: (subdit Cicero) Sunt, inquam, ista Varro. Nam nos in nostra urbe peregrinantes, errantesq; tanquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt, ut possemus aliquando, qui, & ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu de-

tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem locorum, regionum, tu omnium diuinarum humanarumꝗ rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti. Plurimum quidem & poëtis noſtris, omninoꝗ Latinis & literis luminis, & uerbis attuliſti, atꝗ ipſe uarium & elegans omni ferè numero poëma feciſti, philoſophiamꝗ multis in locis inchoaſti ad impellendum ſatis, ad edocendum parum. Hęc Cicero. Ex quibus rectè dignoſcimus, quales fuerint M. Varronis ſatyræ, quod ue eorũ argumentum. Fabius quoꝗ Quintilianns libro primo Oratoriarum inſtitutionum, minimè ignarum philoſophię uult eſſe quem format, cum propter plurimos, ut ait, in omnibus ferè carminibus locos ex intima quæſtionum naturalium ſubtilitate repetitos, tum uel propter Empedoclem in Græcis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui præcepta ſapientiæ uerſibus tradiderunt. De ijs præterea Varronis ſatyris nominatim ita ſcribit libro decimo idem Quintilianus: Alterum illud eſt, & prius ſatyræ genus, quod non ſola carminum uarietate miſtum condidit Terentius Varro, uir Romanorum eruditiſſimus. Aulus Gellius porrò Noctium Atticarum libro primo, ſatyram à Varrone de officio mariti ſcriptam nominat: & decimo tertio, lepidiſſimam ex ſatyris Menippeis citat, quæ inſcripta erat, Neſcis quid ſerus ueſper uehat: in qua diſſerebat Varro de apto conuiuarum numero, deꝗ ipſius cõuiuij habitu, cultuꝗ. Eodẽ quoꝗ libro de Neriene agens, hos adducit uerſus ex Marci Varronis ſatyra, σκιαμαχία, uel κριομαχία inſcripta:

Theanna, & Peranna, Pranda, Celato, Pales,
Nerienes, Minerua, Fortuna ac Ceres.

Ibidem etiam librum ex eiſdem ſatyris nominat, cuius titulus erat ὕδωρ κρυὸν: et decimoquinto alium, περὶ ἐδεσμάτων. Exciderat mihi penè, quod tertio libro ſatyram eiuſdem, cuius erat inſcriptio Teſtamentum, citat: tametſi de eius authore ambigere uidetur. Et ſexto aliam, cuius titulus eſſet, δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Deniꝗ Macrobius Saturnaliorũ libro tertio, ſatyræ mentionẽ facit, quæ inſcripta erat περὶ κεραυνοῦ, et ibidẽ eius etiã aliam citat, cuius titulus erat, ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς. Fuit uerò is Menippus, quem Varro imitatus eſt, Phœnix, et conditione ſeruus, licet poſtea libertate donatus, ut Diogeni Laërtio placet. Scripſitꝗ libros multo riſu refertos: quamuis inuenti ſint, qui illos Dionyſij, Zopyriꝗ Colophoniorum, non Menippi fuiſſe affirmarint. Ex his ergo ſatis eſt perſpicuum, Varronem optimum poëtam rectè de Plauto iudicare potuiſſe, qui etiam Adelphorum Terentij principium (ut Donatus ait) Menandri principio prætulerit. Verum non deerit fortè hoc loco, qui ita mihi in aurem inſuſurret. Quid tu? Si quid ad Plauti laudem attinet, libenter id quidem in mediũ adducis. Contrà, quicquid eidẽ aduerſatur, omnino diſſimulas. Audi quid de Plauto, quẽ tanto pere effers, Horatius acerrimo inter Latinos poëtas iudicio præditus ſcripſerit,

At noſtri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere ſales, nimium patienter utrunꝗ,
Ne dicam ſtultè mirati, ſi modò ego & uos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dictum,
Legitimumꝗ modum digitis callemus & aure.

Imò ſi potius oſtendero, non magis his uerſibus Plautum quàm Terentium, cæterosꝗ Latinos Comicos improbari, nihil erit prӕterea, quod nobis aduerſetur. Sed antequàm id faciam, minimè prætermittendũ duco, quod pleriꝗ de Horatio ſentiũt: cum uidelicet in omnes antiquiores poëtas iniquiſſimũ iudicẽ fuiſſe:

uel quod aliquid (ut fieri necesse est) in eorum plerisq; desideraret, uel (quod magis crediderim) quia sui temporis homines, nullos nisi antiquos optimos poëtas fuisse censebant, nihilq; proinde quod legeretur esse dignũ, nisi quod Libithina sacrasset. De qua re multis in locis, sed in epistola ad Augustum Cæsarem præcipuè ac diffusè agit, hanc potissimũ rationem prætẽdens, quòd si antiqui, quorum temporibus Plautus, Næuiusq; uixerant, illorũ scripta reiecissent, quia antiqua non essent, nullũ omnino antiquorũ scriptum peruenire ad nos potuisset, uel si de Hesiodo, aut Homero intelligamus, qui omniũ poëtarum antiquissimi fuere. Nec sanè Horatij ratio prorsus erat aspernanda, nisi multã, dum eam confirmare nititur, antiquis notã inussisset. Is Horatius de Lucilio egregio satyrarũ scriptore pessimè sensit, modò eum fluere lutulentum dicens, & habere aliquid quod tollere uelles, nunc garrulum eundem, pigrumq; rectè scribendi laborem ferre affirmans: idq; non semel aut obiter, sed edita etiam, ut suam sententiam tueretur satyra, cuius hoc est principium,

Nempe incomposito dixi pede currere uersus
Lucili.

De quo tamen ita ab omnibus reiectũ est Horatij iudicium, ut Fabius Quintilianus ab eo apertè dissentire libro decimo non dubitarit. Sic enim ait: Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos habet amatores, ut eum non eiusdem modò operis authoribus, sed omnibus poëtis præferre non dubitent. Ego tantum ab illis, quãtum ab Horatio dissentio. Nam eruditio in eo mira, & libertas, atq; inde acerbitas, & abundè salis. Hinc planè colligimus, non omnibus ilicò probatum esse debere, quod ab Horatio pronunciatur. Nec mouere quenquã debet, quod idem Fabius tersiorem, ac magis purum in satyra Horatium uocat. Nam ad linguæ tantum elegantiam, quam ob temporum duritiem Lucilius integrè reddere nõ potuit, est referendũ. M. quidem Cicero de Lucilio nunquã nõ honestè scripsit: & Iunius Iuuenalis in satyra celeberrimus, nõ lutulentũ uocat Lucilium, sed magnũ Aurũcæ alumnũ: eiusq; uehementiã, ita scribens admiratur:

Ense uelut stricto, quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus.

Aulus item Gellius decimooctauo Noctiũ Atticarum libro, Lucilium linguæ latinæ adprimè scientem appellat. Cumq; hi omnes, ut uidemus, ab Horatio dissenserint, quid mirum? cum ipse quoq; Plauti calumniator eiusdem Horatij de Latinis poëtis iudiciũ reijciat? qui cum Cæciliũ grauitatè, Terentiũ arte omnes uicisse censeat, ab Afulano sic improbatur: Atqui, inquit, ne grauitate quidem uideo quomodo ab ullo Terẽtius uinci potuerit. Quæcunque in Comico esse aut potest, aut debet grauitas, in illo est. Quod si grauior Cæcilius, næ ille fortasse comœdiæ limites sit prætergressus. Quanquam enim tollat plerunq; uocem Comœdia necesse est, ita tamen debet tollere, ne ullo illi pacto ad tragœdiam ascendendum sit. Ob hoc ego Afranio libenter accedo, qui neminem Terentio dici posse similem affirmat: neq; cuiusquã uerius iudicium fuisse arbitror. Quibus uerbis, quid aliud sibi uoluerit non intelligo, quàm nobis Horatium non fuisse adeò perspicacem, ostendere, ut comicam grauitatem à tragica discernere sciuerit. At in Arte poëtica ita scripserat,

Versibus exponi tragicis res comica non uult:
Indignatur item priuatis, ac propè socco
Dignis carminibus narrati cœna Thyestæ.

Vt que Plauti obiurgator aliquando in comœdia uocem tollere, & in tragedia humi-

[illegible]lius repere concedi intelligeret, ſubdidit,

Interdum tamen & uocem comœdia tollit,
Iratusq; Chremes tumido delitigat ore.

Ipſe uerò non poſſum non ſummopere admirari Aſulani ingenium, quòd cum Horatij uerſus adducit, quib. Plautũ damnare uidetur, nihil Horatio prius exiſtimat: quum aũt Terentium à Cæcilio grauitate ſuperari eodem teſte intelligit, diſrumpitur fermè, ac tam elegantem poẽtã ſtuporis arguit, ab eoq; non minus perturbatus diſcedit, quàm ſi in pauorẽ nuper, palloremq; incidiſſet: uniq; tandem Afranio aſſentitur, in dubiũ etiam reuocans, ſint'ne Cæſaris ea carmina, quibus uis omnis comica Terentio aufertur. Sic enim ait: Sed ualeat Sedigitus, nos Afranio aſſentiri non pigeat, ac Terentium omnibus præſtitiſſe credamus: neque uim illam comicã, quam ei unam defuiſſe dolet Cæſar, (ſi modò ſunt illa Cæſaris carmina) deſideremus. Nã cur & nobis dicere nõ licebit, ſi modò Afranij eſt ille uerſus, qui neminẽ Terentio ſimilem eſſe affirmat, cum utrunq; iudicium ab Aelio Donato Terentij interprete acceperimus? An ille in altero Apollo Pythius, in altero uerò Parthis mendacior extitit? Næ ſi Aſulani aures implere uoluiſſet Horatius, non Cæcilio modò, aut Plauto, ſed ipſi etiã Menandro Terentiũ antepoſuiſſet. Sed iam res ipſa poſtulare uidetur, ut quomodo intelligendi ſint Horatij uerſus, ſuperius in mediũ adducti, oſtendamus. Quo in negocio uidendũ inprimis arbitror, cur in Plauti mentionẽ Flaccus inciderit: & profecto cũ Græca exẽplaria nocturna diurnaq; manu uerſanda eſſe paulo antè docuiſſet, quoniã tamen pleriq; latina tũ ad numerorũ tum ad ſaliũ rationem ſufficere iudicabant, eũ errorem diluere uoluit poẽta, cũ Plautina ſcripta neminẽ ita debeãt aſtringere, ut nefas ſit tranſuerſum (ut aiunt) ab eis unguẽ recedere. Plurimos namq; animaduertebat Flaccus, Græcis comicis relictis, Latinos tantũ in manibus habere, quaſi Plautus numerorũ rationẽ ad amuſſim ſeruaſſet. Vbi Plauti nomen, nõ pro ſolo Plauto, ſed pro omnib. Latinis comicis eſt accipiendum: alioqui nec plenus, nec abſolutus appareret poẽtæ ſenſus. Qui enim ad unum hoc Plautũ referre uelit, non uidet quàm ſit ridiculus, cùm non ſolus Plautus numerorũ rationem ſit aſpernatus, ſed Latini omnes comici, ut ipſe Horatius in Arte poẽtica teſtatur, quum inquit: Non quiuis uidet immodulata poëmata iudex: Et data Romanis uenia eſt indigna poẽtis. Idcirco'ne uager? ſcribam'ne licenter? an omnes Viſuros peccata putem mea? Quòd ſi unus Plautus Romanus poẽta fuit, unũ illũ ab Horatio deſignari non diffitebor: ſin et Terentiũ Romanum poẽtã fuiſſe ſcimus, eũ quoq; ibi ab Horatio reprehendi credamus. Hoc cõprobat, quod Fabius Quintilianus libro decimo ſcribit, In comœdia maximè claudicamus. Sicut enim claudicare dicuntur, qui pedũ uitio laborant: ita & comœdia claudicat, quæ ſuis pedibus nõ conſtat. Nec tamẽ dixit, In comœdia maximè claudicat Plautus, ſed claudicamus: quod ad Latinos omnes eſt referendũ. Sumpſit autem hoc uerbũ Fabius, ſicut cętera, à M. Tullio, qui in tertio de Oratore libro ſic ait: Verũ ut in uerſu uulgus, ſi eſt peccatũ uidet, ſic ſi quid in noſtra oratione claudicat, ſentit. Et in Oratore, de numeris qui in oratione requiruntur agens, claudicantẽ dicit orationẽ, quæ debitos pedes nõ habet. Sed omnis, inquit, nec claudicãs, nec quaſi fluctuans, æqualiter conſtanterq; ingrediens, numeroſa habetur oratio. Ex quibus præclarè uidemus, eam orationẽ claudicantem dici, quæ pedũ obſeruatione ſoluta, diſſipata, & abrupta fluat. Idem Cicero actionẽ claudicare, quæ non rectè obſeruatur, in Bruto de P. Antiſtio loquens, ait: Actio, inquit, paulum tum uitio uocis, tum

etiam ineptijs claudicabat. Et oratio in parte dicitur claudicare, quæ non omnes partes habet, ut eodem libro ostendit Cicero: idꝗ ait, cũ constaret ex quinꝗ notissimis partibus, nemo in aliqua parte earũ omnino nihil poterat. In qua cunque enim una planè claudicaret, orator esse nõ posset. Perspicuũ est igitur, Horatianos uersus nihil prorsus Plauti maiestatem imminuere, sed ex Latinis comicis unumquenꝗ designare, ut Græcos non tantũ sibi licentiæ in metris præcipuè desumpsisse innueret. Quòd si quis miretur Horatiũ solum Plautũ nominasse, quum alios etiam designare uellet, sciat hunc loquendi morem apud eum frequentem esse, maximeꝗ usitatum, uel cum in Arte poëtica ait:

Et noua fictaꝗ nuper habebunt uerba fidem, si
Græco fonte cadant parcè detorta: quid autem
Cæcilio, Plautoꝗ dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varioꝗ?

Enimuero sicut nõ soli Cæcilius, Plautusꝗ, ex antiquis noua uerba induxerunt: ita etiã non soli Virgilio Varioꝗ idem erat cõcessum. Cur enim non Ouidio? Cur non Catullo? Cur non Propertio? Cur deniꝗ non omnibus, modò non sordidis, ac reiectis? Sed quorsum hæc? Nonne ipse Horatius cum de hac re ageret, inuideor primus protulit: ut sibi etiam id licere crederemus? inquit autem:

Ego cur acquirere pauca
Si possum, inuideor? cum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit?

An obsecro soli Cato & Ennius Romanũ sermonẽ ditauerunt? Nõ opinor: sed Plautus, Cæcilius, Næuius, & alij pleriꝗ. Cũ ergo aliquos nominat, nõ eos tantũ intelligit, sed cæteros omnes, quibus eius uerba conueniunt. Eodẽ modo Iunius Iuuenalis cum malos ubiꝗ, probos non item reperiri decimaquarta Satyra affirmat, pro illis Catilinæ, pro his Bruti, Catonisꝗ uel nomina, uel quæ nominũ uim haberent, posuit, licet nõ pauci scelerati præter Catilinã, probiꝗ præter Brutũ ac Catonem inuenti fuerint. Inquit autem:

Et Catilinam
Quocunꝗ in populo uideas, quocunꝗ sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus usquam.

Demũ ut nihil magis esse friuolũ, quàm nominũ sic positorum proprietatem superstitiose exigere, pro certo haberemus, Moderatus Columella tertio de Re rustica libro, non dubitauit Virgilij in Georgicis de eligẽdis leguminũ seminibus præceptũ, tum ad arborũ plantas, tum ad omnẽ Agricolationis rationẽ referre, cũ ita scribat: An non opilionẽ laudabimus, ex ea matre sobolem propagãtem, quæ geminos enixa sit? & caprariũ summittentẽ fœtus earum pecudũ, quæ trigemino partu commendantur. Videlicet quasi semper sit parentũ fœcunditati proles respõsura, & nos sequamur in uitibus hanc ipsam rationẽ: tanto quidem magis, quòd compertum habeamus, naturali quadã malignitate desciscere interdũ quamuis diligenter probata semina. idꝗ nobis Poëta, uelut surdis ueritatis indulget dicendo:

Vidi lecta diu, & multo spectata labore,
Degenerare tamen, ni uis humana quotannis
Maxima quæꝗ manu legeret: sic omnia fatis
In peius ruere, ac retrò sublapsa referri.

Quod non tantũ de seminibus leguminũ, sed in totã agricolationis rationem dictum esse, intelligendũ est. Eodẽ pertinent, & quæ idem in septimo ait, de ouino pecore loquens: Verũ tamen eligendũ est ad naturam loci, quod semper obseruari non solũ in hoc, sed etiã in tota rustica discipina Virgilius præcipit, quũ ait,

Nec

Nec uerò terræ ferre omnes omnia possunt.

Hactenus Columella. Sed nobis de salibus superest dicendū, qui si in aliquo unquam poeta laudati fuerunt, in Plauto quidem semper uehementissimè cōmendati sunt. Quamobrem nec illos damnare uoluit Horatius, nec si damnasset sanè, omnes ei protinus erant assensuri: sed stupidos quosdam, qui nihil in Plauto præter sales aut dignoscūt, aut admirātur, omnia in salibus posita esse arbitrantes: quasi unicus sit comicorū scopus, iocis, salibusque poëma refertū edere. In huiusmodi nebulones inuehitur Horatius, non omnes Plauti sales damnat, prout stupidè nonnulli interpretantur. Tum quæ de duobus facetiarū generibus disserit Asulanus, quorū alterum in re positū sit, in uerbis alterū, quorsum spectent, non uideo. Pro Plauto siquidem eum dixisse opinor, in quo tantū inuenias facetiarum, siue illæ in re sint, siue in uerbis, quantū planè in Terentio desideres. Cicero quidem, quem libentius aliquāto quàm Asulanū sequor, de iocandi ratione agens, non modò illud præcipi dicit, ne quid insulsè, sed etiā si quid perridiculè possis. Quod si hæc ille ab oratore exigit, quanto magis poëtæ conuenient? & comico præsertim? Idem Cicero cùm de salibus & iocis non uno loco agat, nō modò Plautū nunquam improbat, sed ex omnib. Latinis unicū Officiorum libro primo commendat. Duplex, inquit, est omnino iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnū: alterum elegans, urbanū, ingeniosum, facetum: quo genere non modò Plautus noster, & Atticorū antiqua comœdia, sed etiā philosophorum Socraticorum libri referti sunt. multa multorū facetè dicta, ut ea quæ à Catone collecta sunt, quæ uocantur apophthegmata. Hæc ille. Iam uerò quis unquā Aristophanem ueteris comœdiæ poëtā damnauit, quòd salibus scateret? Quid de ipso Horatio dicemus? nō modò in sales, sed in obscœna etiā ita profuso, ut eū in multis interpretari nolit Fabius Quintilianus? Nam tragœdia, quę omne scripti genus grauitate superat, si Ouidio credimus, ad obscœnos risus plerunque descendit, de qua ille secundo Tristium libro sic scribit:

Est & in obscœnos deflexa tragœdia risus,
Hæc quoque præteriti multa pudoris habet.

Quis Catullū docti cognomen eruditorū consensu meritum rejciat, quòd parum pudicos uersus scripserit? Desināt proinde quæ ab optimis probatissimisque authoribus admiranda sunt, caniuo latratu insectari: nisi fortè ita persuasum habent, improbandos esse in comicis iocos risusque, quòd ijs Terentius uel paucis, uel frigidiorib. sit usus. Et hæc de salibus. Reliqua enim, et paucis quidē illa sunt peragēda. Atqui, inquit nescio quis, antiquus est Plautus. Nō inficior: sed quis eum antiquitatis nomine lacerauit unquā? Imò M. Tulliū probasse Plauti Næuijque sermonē uideo, quū apud eum libro III de Oratore scriptū inueniā: Equidem cum audio socrū meam Læliā, (facilius enim mulieres incorruptā antiquitatem conseruant, quòd multorū sermonis expertes, ea tenent semper, quæ prima didicerunt) eam sic audio, ut Plautū mihi, aut Næuiū uidear audire. Nō existimauit scilicet Cicero indignum, & minimè ferendū esse, si quis ut Plautus aut Næuius loqueretur. Quin potius cum uariæ semper fuerint multorum opiniones, qui nam poëtæ essent præcipuè legendi, non defuerunt, qui solos ueteres probarent. Hocque à Quintiliano, decimo Oratoriarū institutionum libro docemur, quum ait: Nam quidā solos ueteres legendos putant, neque in ullis alijs esse naturalem eloquentiā, & robur uiris dignū arbitrantur. Alios recens hæc lasciuia, deliciæque, & omnia ad uoluptatem multitudinis imperitę composita delectant. Quomodo autem sit aliquando etiam antiquioribus uerbis utendū, idem

author primo libro ostendit: Verba, inquit, à uetustate repetita, non solum magnos assertores habent, sed etiã afferunt orationi maiestatem aliquam, non sine delectatione. nam & authoritatem antiquitatis habent, & quia intermissa sunt, gratiã nouitati simılem parant. Sed opus est modo, ut neq; crebra sint hæc, nec manifesta, quia nihil est odiosius affectatione: nec utiq; ab ultimis et iam obliteratis repetita temporibus, qualia sunt Toper, et Antigerio, & Exantlare, et Prosapia, & Saliorum carmina, uix sacerdotibus suis satis intellecta. Et paulo pòst: Neq; enim Tuburcinabundũ & Lurcabundum iam nobis quisquam ferat, licet Cato sit author: nec hos Lodices, quãquam id Pollioni placeat: nec Gladiola, atqui Messala dixit: nec Parricidatũ, quod in Cęlio uix tolerabile uidetur: nec Collos mihi Caluus persuaserit, quæ nec ipsi iam dicerent. Hactenus Quintilianus. Ex cuius uerbis manifestè apparet, quàm sint illi improbandi, qui obsoleta tantum uerba à Plauto accipiunt: quales non paucos nouimus, ex ijs etiam, qui non mediocre eruditionis nomen aucupantur, hoc uno Plautini simioli, quòd si quid in eius fabulis abstrusum, reconditũ, ex usuq; sublatũ adnotauerint, auide illud in sua scripta congerunt, nõ uerbis, sed uerborũ fece conspicui. Nam & hoc dictitare solent, nõ esse omnino probandũ, quod ab omnibus intelligatur, & uulgo etiam sit promiscuum. Pereat potius hoc genus hominũ, aut Plautum sic imitari desinat: quẽ nullo uerbo usum scimus, quòd à sui temporis hominibus percipi non posset. Quod & Fabius, quem mihi quasi ducem in hoc opere proposui, libro secundo, ubi docet, qui primi authores sint legendi, apertè testatur. Duo autem, inquit, genera maximè cauenda pueris puto, ne quis eos antiquitatis nimius admirator, in Gracchorũ, Catonisq;, & aliorũ similium lectione durescere uelit: fient enim horridi, atq; ieiuni. nam neq; uim eorum adhuc intellectu consequentur: & elocutione, quæ tum sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, contenti, similes sibi magnis uiris uidebuntur. Neq; credat sanè aliquis Quintilianũ nos hoc loco à ueterum lectione deterrere uoluisse, ne in ea durescamus, horridiq; euadamus, & ieiuni: Sed cũ duo sint extrema, ueterrimos maximeq; recentes pueris authores proponere, utrumq; futuro oratori perniciosum esse innuit. subdit enim: Alterũ quod huic diuersum est, ne recentis huius lasciuiæ flosculis capti, uoluptate quadam praua deliniãtur, ut prædulce illud genus, & puerilibus ingenijs hoc gratius, quo propius est, adament. Firmis autem iudicijs, iamq; extra periculũ positis suaserim, & antiquos legere, ex quibus si assumatur solida ac uirilis ingenij uis, deterso rudis seculi squallore, tũ noster hic cultus clarius enitescet: et nouos, quib. et ipsis multa uirtus adest. Nec enim nos tarditatis natura damnauit, sed dicendi mutauimus genus, et ultrà nobis quàm oportebat indulsimus: ita nõ tam ingenio illi nos superarũt, quàm proposito. His admodũ sunt similia, quæ libro 1. Oratoriarũ institutionũ idem scripsit, quũ ait: Multũ ueteres etiam Latini conferũt, quanquã pleriq; plus ingenio quàm arte ualuerunt. In primis copiã uerborũ, quorũ in tragœdijs grauitas, in comœdijs elegantia, & quidã uelut ἀττικισμὸς inueniri potest. Oeconomia quoque in his diligentior, quàm in plerisq; nouorũ erit, qui omniũ operũ solam uirtutem, sententias putauerunt. Sanctitas certè, & (ut sic dicam) uirilitas ab his petenda, quando nos in omnia deliciarũ uitia dicendi quoq; ratione defleximus. Deniq; credamus summis oratorib. qui ueterũ poëmata, uel ad fidem causarum uel ad ornamentũ eloquentiæ assumũt. Nã præcipuè quidẽ apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asiniũ etiam, & cæteros qui sunt proximi, uidimus, Ennij, Accij, Pacuuij, Lucilij, Terentij, Cæcilij, & aliorũ inseri uersus, summa non

eruditionis

eruditionis modò gratia, ſed etiā iucunditatis: cum poëticis uoluptatibus aures à forenſi authoritate reſpirant: quibus accedit non mediocris utilitas, cū ſententijs eorū, uelut quibuſdam teſtimonijs, quæ propoſuere, confirment. Hæc ille. Quibus cū ueteres comicos, tragicosq; maximè cōmendet, non deſunt tamen ſcioli, qui ex hoc loco Plautū, quaſi à Quintiliano reiectū aſpernentur, quaſi ij quos hic non recenſuit Fabius, excluſi uideantur: aut qui Ennij uerſus in orationibus citauerint, non potuerint etiā Plautinos multo melius. Quāuis ipſe Quintilianus, quum et aliorū ſubiunxit, Plautū, Næuiū, et ſimiles ſine dubio deſignarit. Fuit & qui mecū de Plauti excellentia diſſerens, magnū eſſe contra illū argumentū diceret, quod M. Cicero noſtrorū oratorū princeps, quū Terentiū ſæpe nominet, Plautum quidem nunquā citarit: quod tamen abſurdiſſimū eſſe, in Ciceronis lectione uerſati apertè dignoſcūt. Ad Brutū ſiquidem ſcribens Tullius, Plautini patris meminit, eiusq; hunc uerſum ex Trinummo citat,

Mihi quidem ætas acta eſt, tua iſthuc refert maximè.

Et libro 1 de Oratore: Nō poſſum, quin exclamē, inquit, ut ait ille in Trinūmo. In libris quoq; de Inuentione, eiuſdem Trinūmi carmina proponit: & in L. Piſonem ex eadē fabula locū, quamuis Plauti ſupprimat nomen. Is aūt eſt: Ratio quidem hercle apparet, argentū οἴχεται. Verū quid ſi Tullius nullū ex Plauto teſtimoniū ſumpſiſſet? an idcirco ab eo improbatū diceremus hūc poëtam? Quid hoc abſurdius excogitari poſſet? Quod ſi recta fuerit hæc cōiectura, & qui à Cicerone frequentius citantur, alijs ſunt præſtantiores, Terentius quidē Q. Ennio iure poſtponetur, quē tamē ſicut ſacros uetuſtate lucos adoramus, in quib. grandia & antiqua robora, iam nō tantā habent ſpeciem, quantā religionem. At Pindarum, Græcorū poëtarū ab Homero præſtantiſſimū, perraro nominat. Reijciamus ergo ſi licet, Pindarū: et eo maiorem Q. Ennium fuiſſe, non tam ridiculi, quàm ſtupidi credamus. Sed longè diuerſum eſt M. Tullij de Plauto iudiciū. In cuius mentionem cum perſæpe inciderit, nihil tamen de illo non honorificū unquàm ſcripſit, licet Cæciliū malū Latinitatis authorem, et duriſſimū appellet Atiliū: idem de Plauto, ſi ratio ei ſuaſiſſet, dicturus. Atq; ut aliquid eſſet in Plauto quod Ciceroni nō ſatiſfaceret, nū ideo illū minus amplecteremur? Is porrò M. Tullius, de Demoſthene in Oratore ſic ait: Nec enim nūc de nobis, ſed de re dicimus, in quo tantū abeſt ut noſtra miremur, ut nobis non ſatiſfaciat ipſe Demoſthenes, qui quanquā unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non ſemper implet aures meas. At eundē in Bruto ſic laudat: Tū fuit, inquit, Lyſias ipſe in cauſis forenſib. non uerſatus, ſed egregiè ſubtilis ſcriptor, atq; elegās, quem iam probè audeas oratorem perfectū dicere. nam planè quidem perfectū, & cui nihil admodū deſit, Demoſthenem facilè dixeris. Nihil acutè inueniri potuit in eis cauſis quas ſcripſit, nihil (ut ita dicam) ſubdolè, nihil uerſutè, quod ille nō uiderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleatè, quo fieri poſſit aliquid limatius: nihil contrà grande, nihil incitatū, nihil ornatū, uel uerborū grauitate, uel ſententiarū, quo quicquā eſſet elatius. Quòd ſi tā egregius orator Ciceronis aures non ſemper impleuit, mirū erit, ſi Plautū id, aut Terentium facere potuiſſe credamus. Sed honorificè, dicet Aſulanus, de Terentio ſemper ſenſit, ut VII Epiſtolarū ad Atticū libro, quū inquit: Secutusq; ſum nō dico Cęciliū, Mane ut ex portu in Pyræeū, (malus enim author Latinitatis eſt) ſed Terentiū, cuius fabellæ propter elegantiā ſermonis putabātur à C. Lælio ſcribi. Hoc ut nō diffitear, nunquā tamen idē Cicero Terentiū Cæcilio præferre auſus eſt, quin potius hunc uel nolens, inuitusq; comicorū principē, tametſi fortè adiūxit, in libro de

optimo genere oratorũ appellauit. Itaq;(ait) licet dicere, & Enniũ summũ Epicum poëtam, si cui ita uidetur, & Pacuuiũ tragicum, & Cæciliũ fortasse comicum. Nam quòd multi dicere solent, Pub. Terentium ab eodem M. Tullio familiarem suum appellari, scutica digni sunt: quando id non ex Ciceronis, uerũ ex C. Lęlij persona dicitur, qui de amicitia differens inducitur, cuiusq; amicitia uerè usum Terentium legimus. Sed non defuerit fortè, qui mecũ sic agat: Menandrum omnium tum nostrorũ, tum Græcorũ in comœdia principem fuisse, maximè est conspicuum. quocirca quicunq; est Menandro propior, procul dubio idem cæteris omnibus meritò præponetur. qua tamen in re, minimè comparandus est Terentio Plautus, cum quatuor ille Menandri comœdias Latinas fecerit, Plautus nullã omnino. Ego uerò huic sic respondeo, satis quidem hæc per se leuicula esse. Si tamen qui Menandrum propius est æmulatus, alijs erit melior, hæc laus non Terentij erit, sed Afranij, de quo Horatius in Arte poëtica,

Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro.

Quod si rursus ita urgeat: Non est contemnendũ commune omniũ iudicium, apud quos sic ferè est receptũ, siue docti illi, siue omnis literaturæ sint expertes, Plautinas fabulas à Terentianis & lepore & elegãtia longe uinci. Quid? Te'ne unum pluris, quàm alios omnes facis? Sic accipiat, breuem semper fuisse doctorum numerũ, nec sanè multo maiorem hodie inueniri: ex horumq; ordine nunquam defuisse, qui Plautum quàm Terentium mallent: Populi autem de his rebus iudicium nullius authoritatis esse debere, cum sic sit populus, ex ueritate pauca, ex opinione multa æstimet, Qui stultos honores, Stultus

Sæpe dat indignis, & famæ seruit ineptus.

Ac si eius fortè iudiciũ aliquo in loco ponis, quid est causæ, cur non illud nostrorum temporũ populi, utpote illiterati, bonarumq; artium expertis, reijciamus, antiqui autem probemus? Et ille quidem uetera magis, quàm rec entia probabat. De qua re ita ad Augustum Cæsarem scribens queritur Horatius:

Sed tuus hic populus sapiens, & iustus in uno
Te nostris ducibus, te Graijs anteferendo,
Cætera nequaquam simili ratione modoq;
Aestimat, & nisi quæ terris semota, suisq;
Temporibus defuncta uidet, fastidit & odit:
Sic fautor ueterum, ut tabulas peccare uetantes,
Quas bis quinq; uiri sanxerunt, fœdera Regum
Vel Gabijs, uel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annosa uolumina uatum,
Dictitet, Albano Musas in monte locutas.

Quamuis quum populũ antiquitatis supra modũ delectatũ fuisse testatur Horatius, nec doctos, nec ullũ hominũ genus excludat: cum populi appellatione, & patricij, & senatores, docti quoq; & indocti cõprehendantur. Laudauit antiquus populus Plautũ, & reliquos antiquos. Nos aũt non uerè dicemus, Plautũ populo non esse ita clarũ, sed uulgò potius, cum illũ non pauci, & docti quidem summoperè probent. Horatij uerò temporibus etiã præstãtissimos scriptores antiquisimis uerbis fuisse delectatos, hoc est argumẽto, quod Virgilius eis quandoq; elegãtissimè est usus, quorũ est, Scelerare, quod Seruius Plautinũ esse affirmat: & Arietare, ab eodem Plauto sumptum. sed Scelerare etiam ante Vergilium usus fuerat Valerius Catullus, cuius hic est in Argonaut. uersus,

Impia non uerita est diuos scelerare penates.

Sallustius

Sallustius nempe eiusmodi uerba maximè probauit, in quem hoc distichon lusum olim fuerit, Et uerba antiqui multum furate Catonis,

Crispe Iugurthinæ conditor historiæ:

Quantũ autem L. Sisenna, omniũ qui antè Sallustiũ uixerint in Romana historia celeberrimus, antiquitati detulerit, M. Tullius ostẽdit, de eo in Bruto sic scribens: Sisenna autẽ, quasi emendator sermonis usitati cũ esse uellet, ne à C. quidem Ruscio accusatore deterreri potuit, quo minus inusitatis uerbis uteretur. Quid nam isthuc est? inquit Brutus. aut quis est iste C. Ruscius? Et ille: Fuit accusator (inquit) uetus, quo accusante Chirtiliũ, Sisenna defendens dixit, quædã eius sputatilica esse crimina. Tũ C. Ruscius: Circumuenior (inquit) iudices, nisi subuenitis. Sisenna quid dicas nescio, metuo insidias. Sputatilica, quid est hoc? Sputa quid sit scio, Tilica nescio. Qualis aũt fuerit hic Sisenna, eodem libro, sed paulo antè ostendit Cicero, quũ ait: Inferioris autẽ ætatis erat proximus L. Sisenna, doctus uir, & studijs optimis deditus, benè latinè loquens, gnarus reipublicæ, non sine facetijs: sed neq; laboris multi, nec satis uersatus in causis, interiectusq; inter duas ætates Hortensij et Sulpitij, nec maiorem consequi poterat, & minori necesse erat cedere. Huius omnis facultas ex historia ipsius perspici potest, quæ cum facilè omnes uincat superiores, tum indicat tamen, quantũ absit à summo, quámq; genus hoc scriptionis nondũ sit satis Latinis literis illustratum. Itaq; ut rem paucis absoluam, nõ diffiteor multa esse in Plauto, quib. hodie non utimur, quamuis & aliqua etiã sint in Terentio: & pueris, qui ea quibus hodie uti possumus ab obsoletis secernere nesciunt, tutius esse Terentiũ quàm Plautum legere: cũ tamen ætate prouectioribus (siquidẽ in literis eam, non in alea & compotationibus triuerint) uberiorẽ ex hoc, quàm ex illo fructũ prouenturum esse non ambigã. Atqui Afranius neminẽ Terentio similẽ dici posse affirmat. Videlicet de proprietate intelligebat, quã ob seculi squalorẽ nõ ita exactè Plautus reddere ualuit. Quòd si in omnibus Terentiũ faceret eximiũ, nõ uererer eius iudiciũ (aliorũ tamen antiquorũ authoritate fretus) tanquã absurdũ reijcere, atque in eorũ ordine collocare, qui tam peruerse censurã gesserunt, ut nullos unquam in sua sententia riuales inuenerint: quales fuerunt, qui Luciliũ satyrarum scriptorem omnibus cuiuscunq; generis poëtis, Menandro Philæmonem, & Licinium Caluum omnibus nostris oratoribus prætulerunt. Euripidem quoq; celeberrimũ tragicum tradidit Varro, cum quinq; & septuaginta tragœdias scripsisset, quinq; solis uicisse: in alijs non modò à Sophocle, uerum etiam ab oscitantibus poëtis sub nihili iudicibus superatũ. quod & Valerius Martialis quinto Epigrammatum libro designat, ita canens,

Rara coronato plausere theatra Menandro.

Sed quorsum Euripidem nomino? qui uiris à fœdissimis nebulonibus postpositus fuit: cum Pindarum nouem Lyricorum principem, & quoddam quasi naturæ miraculum, Corynna muliercula, sub Thebanis iudicibus, lyrico carmine uicerit, non utriusq;, ut opinor, præstanniam, sed formam sectatis. ut si uerbum in Horatij uersibus immutare liceat, & pro lepore formam apponere, hac eius sententia uerissimè notari possint: Malè uerum examinat omnis

Corruptus iudex, formam sectatus.

Pulchrè cõuenisset huiusmodi iudicibus cũ Hadriano Cæsare, qui cũ uetustissimum scribendi genus amaret, Ciceroni Catonẽ, Enniũ Virgilio, Sallustio Cæliũ satis impudẽter prætulit. Vtq; tã præposteri ingenij aliquod urbi monumentũ relinqueret, Catacrianos libros obscurissimos composuit. Ante quẽ C. Cali

gula

gula omniũ monſtrorũ monſtruoſiſſimus, omniſq; ſceleris aſylum, quaſi nõ ſatis ſuperq; in deos & homines ſæuiſſet, de abolendis Homeri carminibus cogitaſſe dicitur, & Virgilij Liuijq; ex omnibus fermè bibliothecis libros amouiſſe, alterum tanquam indoctũ, hebetiſq; ingenij, alterũ quaſi uerboſum, negligentemq; in hiſtoria, eodẽ animo lacerans, quo cum ſororibus ſuis omnibus ſtupri conſuetudinẽ habuit, & Ioui Capitolino cõminari non erubuit, ſe illum ἐς γαῖαν Δαναῶν tranſlaturũ. De quo hominũ genere quid ſit ſtatuendũ, aliorum ſit iud cium. Ego ſanè, ut inſtitutũ peragam, parũ uideri ſanos autumo, qui Plauto duritiem obiectant, & omnes Plauti ſtudioſiores duriſſimos fuiſſe prædicant, Enimuero nõ uidẽtur mihi uim comicã, quę in Plauto maxima fuit, intelligere, cuius ne ueſtigiũ quidem in Terentio apparere, hi C. Cæſaris uerſus oſtendũt:

Tu quoq;, tu in ſummis ô dimidiate Menander
Poneris, & meritò puri ſermonis amator,
Lenibus atq; utinam ſcriptis adiuncta foret uis
Comica, ut æquato uirtus polleret honore
Cum Gręcis, neq; in hac deſpectus parte iaceres:
Vnum hoc maceror, & doleo tibi deeſſe Terenti.

Nam quod propriũ eſt eruditorũ, ut doctiſſimi ſemper uiri duriores in ſcribendo fuerint, ad Plauti laudem ſpectat, ſi eruditiſſimo cuiq; illius fabulæ arriſerũt. Tũ quæ præterea in tam elegantem poëtã congerũtur ab Aſulano, Caſpijs niuibus ſunt frigidiora, quale eſt illud: Plautũ omnib. in rebus nimium fuiſſe, quod tamen unde collegerit nõ uideo. An quia parcior uerborũ Terentius fuit, ad huius rationẽ Plautũ aſtringas? Hoc qui dixerit, nõ minus deridebitur, quàm qui in Liuio Salluſtij breuitatẽ, cõntrà in Salluſtio Liuij copiã ac ubertatẽ requirat: quorũ tamen uterq; eſt in ſuo genere abſolutiſſimus: nihil minus inquã egerit, quàm qui Ciceronẽ carpat, quòd ſit Demoſthene copioſior, cũ hic ſit Cicerone denſior. Itaq; ſi fortè Terentio nihil adimi poteſt, huic certè nihil addas. Ad ſummam, ut diligentia Terentius aliquatenus pręſtiterit, in Plauto quidẽ plus eſt ingenij. Huic ſimile eſt quòd ille decorũ in comœdia diligentiſſimè cuſtodierit, cuius hic nonnunquã fuerit oblitus: cur enim uel unicus ex eo locus non adducitur, in quò ille à decoro receſſerit? Quid quòd dicacitatẽ primus in Plauto deprehendit Aſulanus, quaſi Aſinius Pollio ab inferis excitatus? Quantũ dij boni noſtra ætas pollet? quàm hallucinati ſunt ueteres omnes, quorũ nullus dicacitatẽ in Plauto cõperit, hoc demũ ſeculo, uelut ex Apollinis tripode pronunciatã? Amabat Terentiũ Aſulanus, ſeu ille Naugerius fuit: at Plautus nõ erat ilico impetendus. Fouebat Terentiũ, at Plautus immeritò reprehenditur, qui Terentiũ, quantus eſt effecit, à quo tamen ſi proprietatẽ excipias, nulla in re ſuperatus fuit: nec tamen in ea paſſim, ſed in ijs ſolũ, quæ ſequens ætas dãnauit, cũ ſumma ſit reliquorũ elegantia. Tũ quòd Plauti fabulas hiantes, ac minimè cohęrentes eſſe adijcit, (pace hominis dixero) ipſe hians, ridiculus, minimeq; cohærens mihi uidetur, & nihil aliud quàm inſipidus calũniator. His ego niſi fallor Aſulani maledicta modeſtè, quoad licuit, reieci, cũ Plautũ de Romana lingua optimè meritum nihil cõmiſiſſe uideã, cur tam acriter inceſſeretur. Supereſt Grãmaticus neſcio quis (nam Donatũ eum non eſſe ſatis liquet) qui cùm de comœdia tragœdiaq; nõ pauca ſcripſerit, quaſi è plauſtro in Plautũ debacchatus, multa cõmentus eſt, in quibus Terentius comicos omnes, et Plautũ pręcipuè ſuperaſſe uideatur: cũ alij Cornutũ, Aſprũ alij putant. Siue igitur Aſper fuerit, ſiue Cornutus (nam utrunq; nomen eiuſmodi nebuloni pulchrè conuenit) quantum à uero aberret, uideamus.

uideamus. Magnæ hic in primis laudi Terentio uertit, quòd cũ Græci θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς, id est deos argumentis narrãdis machinatos, cæteriq; Latini ad Græcorum similitudinẽ habeãt, Terentius eis careat. Cur tamen unius Terentij, quàm Græcorũ Latinorumq; omniũ iudiciũ sit magis probandũ, non ostendit: sicut in re non admodũ obscura pueriliter est hallucinatus, quum Græcos, atq; ad eorum similitudinem Latinos deos ἀπὸ μηχανῆς, hoc est narrãdis argumentis machinatos habuisse mentitur: cum in comœdijs nõ dij, sed homines argumenta narrare soliti sint, ac tum tantũ non in comœdias, sed in tragœdias dij adducentur, quum difficillimus quispiam, ac penè inextricabilis nodus incidisset: quòd sicut opportunè cõuenienterq; factum summopere erat laudandum, ita non temerè, aut quacũq; de causa faciendum monet Horatius, in Arte poëtica ita scribens:

Nec deus intersit, nisi dignus uindice nodus

Inciderit. Ad hæc ait, πρωτατικὰ πρόσωπα, hoc est, personas extra argumentum accersitas, non facilè cæteros habere, quibus tamen frequentius utatur Terentius, ut per earum inductiones facile pateat argumentũ: nec quicquam adducit, quo utrũ sit laudabilius ostendat, præter solam Terentij authoritatem: quod tamen non aliud innuit, quàm omnes Comicos extra Terentiũ cuculos fuisse. Personarum leges, Aspro, aut Cornuto iudice, circa habitũ, ætatem, officium, partes agendi, nemo Terentio diligentius custodiuit. sed Horatius huic sic respondet, Aspice Plautus,

Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Vt patris attenti, lenonis ut insidiosi.

Et subdit Asper, solũ Terentiũ esse ausum, cum in fictis argumentis ueritatis fidem assequeretur, etiã contra comœdiæ præscripta meretrices bonas interdũ facere. Nõ possum quin hoc loco uehemẽter Cornuti improbem ingeniũ, quòd quæ pleriq; in Terentio reprehendunt, ita celebret, ut ei etiã contra comica præscripta, aliquid inauditũ inducere licere iudicet, cũ Græci & Latini omnes auaras, insatiabilesq; meretrices, naturã, reiq; ueritatem secuti, expresserint. Quę tamen cùm sint (ut ille ait) in Terentio artificiosissima, tum illud quoq; in eodẽ admirabile statuit, quòd & morem retinuerit, ut comœdiã scriberet, & affectũ temperauerit, ne in tragœdiã transiliret: quod minimè Plautus, Afranius, Accius, & multi ferè magni Comici obtinuerint. Non grammaticũ hæc, sed superciliosum aliquẽ Rhadamantũ scribere credas: cũ tamen sint nugarũ portenta, & nihil ratione, sed propria authoritate pronunciet, in asperũ aliquod meritò relegandus rabula. Nã quod inter Terentianas uirtutes excellentissimũ esse subiungit, quod eius fabulæ eo tẽperamento sint, ut ad tragicã celsitudinẽ non extumescãt, neq; abijciãtur ad histrionicã, C. Cæsarẽ stuporis dãnat. Sed sunt & aliæ Terentij uirtutes, omni admiratione maiores, cũ nihil ponat abstrusum, aut quod ab historicis sit requirendũ: quod sæpius facit Plautus, eoq; plurib. in locis est [illegible]. Imò nisi hic grãmaticulus rectè meruit, ut cũ Thurino densissimo fumo præfocaretur, Plautũ non Terẽtio modò, sed Liuio etiã Andronico postponendũ affirmabo. Demũ ut in multis quæ adijcit hic corniger, sed nõ Ammon, dissimiles fuerint Plautus Terentiusq;, plures tamen in eodẽ genere siue poëtæ, siue oratores egregij esse possunt, licet dissimillimi, quod M. Tullius libro III. de Oratore testatur, quũ inquit: Natura nulla est (ut mihi uidetur) quæ non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quæ tamen consimili laude dignentur. nam & auribus multa percipimus, quæ etsi nos uocibus delectant, tamen ita sunt uaria sæpè, ut id quod proximum audias, iucundissimum esse uideatur

obscurior.

uideatur. & oculis colliguntur penè innumerabiles uoluptates, quæ nos ita capiunt, ut unũ sensum dissimili genere delectẽt, et reliquos sensus uoluptates ob lectent dispares, ut sit difficile iudiciũ excellẽtis maximè suauitatis. At hoc idem quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes. Vna fingendi est ars, in qua præstantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus, qui omnes inter se dissimiles fuerunt, sed ita tamen, ut neminem sui uelis esse dissimilem. Vna est ars, ratio'que picturæ, dissimilesq; tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neque eorum quisquam est, cui quicquam in arte sua deesse uideatur. Et si hoc in alijs quasi mutis artibus est mirandum, & tamen uerum, quanto admirabilius in oratione, atq; in lingua? quæ cum in ijsdem sententijs uerbisq; uersetur, summas habet dissimilitudines, non sic ut alij uituperãdi sint, sed ut ij quos con stet esse laudãdos, in dispari tamen genere laudentur. Atque id primum in poëtis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quàm sint inter se Ennius, Pacuuius, Acciusq; dissimiles, quàm apud Græcos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quãnquam omnibus par penè laus in dissimili scribendi genere tribuatur. Aspicite nunc eos homines, atque intuemini, quorum de facultate quærimus, quid intersit inter Oratorum studia, atq; naturas. Suauitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, uim Demosthenes habuit. quis eorum non egregius, tamen cuiusquam nisi sui similis? Grauitatem Africanus, lenitatem Lælius, asperitatem Galba, profluer.s quiddam habuit Carbo, & canorum: quis horum nõ princeps temporibus illis fuit? & suo tamen quisq; in genere princeps? Hæc Cicero. Quæ quidem, nisi fallor, Cornuti commentatiunculas satis superq; diluunt, hoc præcipuè nomine Plautum calumniantis, quòd eius dissimilis fuerit P. Terentius: cultus quidem & ornatus, sed infra Plauti naturam ponendus. Seruauit ille quidem decorum, & cuiq; personæ conuenientia reddidit: sed & Plautus id optimè præstitit. Paucas ille personas effinxit, & rectè quidem: at hic multo plures, quodam eloquij flumine exuberans, ingenioq; tam admirabili, ut nullæ in comœdijs interuenient personæ, quas non uarijs modis expresserit. Inprimisq; cum diuersi sint hominum mores, nihil est eius Demeneto sene lenius, qui omnes parentes liberis suis obsequelam facere æquum censet, ut magis amicis utantur gnatis, & beneuolis. Itaq; ut amanti filio argenti faciat copiam, quid non molitur? Nõnne uxorem, atriensem, se deniq; ipsum à seruo defraudari cupit, dum uiginti illi minæ parentur? Euclio tam miserè parcus est, ut non auarus, sed ipsa auaritia uideri possit. Is ut in filiæ nuptijs bene haberet, postquam omnia apud macellum cara esse comperit, tusculum demum, & floreas coronas emit, quę lari imponerentur. Quid multa? qui follem dum iret dormitum obstringeret ob gulam, ne quid animæ dormiens amitteret, qui inquam ne famem quidem uicinis utendam daret, unguiũ præsegmina abstulisse credi potest, & plorans atq; eiulans à prætore postulasse, ut miluium uadari ob ereptum sibi ab illo pridie pulmentum liceret. Aegione sanè nihil est miserius, qui captiuorum mercaturam faceret, ut filium ab Aulidensi medico cõsimili empto recuperaret. At eodem nihil cautius, qui censeat eum qui cauet ne decipiatur, uix cauere cum etiam cauerit: quin etiam quum cauisse ratus est, sæpe eum cautorem captum esse. Repuerascit Stalino senex capularis, Acherontis pabulum, stabulum nequitiæ, quum omnibus rebus amorem, & nitoribus nitidis anteire credit, nec quicquam cõmemorari posse autumat, quod plus salis, plusq; nitoris habeat. At Nicobolus & Philoxenus, duri & inexorabiles, ad Bacchides meretrices profecti, ut corruptos filios

lios, & ſeruum Chryſalū, à quo eorum alter omnes ſtultos, ſtolidos, fatuos, fungos, bardos, buccones, blennosq́ ſtultitia longè antecellens, quadringentis philippeis circumductus fuerat, ab illis abducerent, leniti demum redditi, à meretricibus capti ſunt, qui filijs inſidias fecerant. Nō mediocriter fallitur Teuropides, qui triennio pòſt Aegypto domum aduenïens, expectatum ſe familiaribus redire credit. Nimio enim & filio, & ſeruo expectatior ueniſſet, qui eum nunciaret mortuum. Egregiam operam amatori nauat Periplectomenus, magnamq́ in ſuos euomit iracundiam, quòd Sceledro militis ſeruo, qui herilem amicam cum Pleuſide in ſuis ædibus oſculantem è tegulis conſpexerat, talos non defregiſſent. A Sceledro tamen ita pœnas repoſcit, ut niſi ſupplicium ſibi de eo detur, longum diutinumq́ à mane uſque ad ueſperam, nihil ſit cauſæ, cur non militem dedecoris pleniorem faciat, quàm magno uento ſit undoſum mare. Non nequam eſt, ſed nequiſſimus Demipho, qui ut mercatorem filium formoſam uirginem adduxiſſe conſpicatus eſt, eam ad ſuos uſus comparari ſtudet: & renitente filio Lyſimachum orat, ut eandem ancillam ſibi præmercetur, nec gnato in exilium ob ereptæ amicæ dolorem ituro mouetur. Quid mirum? Senex enim quum extemplo quis eſt, iam nō ſentit, nec ſapit, aiunt ſolere eum rurſus repueraſcere. Simone & Calliphone nihil eſt diſſimilius. Ille oblitus (ut ſolent patres) qualis ipſe in iuuentute fuiſſet, ſi Athenis dictator fiat, de damnoſis, aut de amatoribus, neminem filio ſuo antecedere credit. hic nil mirum, aut nouum facere adoleſcentem hominem arbitratur, ſi amat, ſi amicam liberat: cùm probum eſſe patrem oporteat, qui filiū ſuum probiorem eſſe, quàm ipſe fuerit poſtulat: & quæ Simo iuuenis damna ac flagitia fecerat, uiritim populo diſpartiri potuiſſent. Iuſtus & acer eſt Dæmones, qui ſceleratiſſimum impuriſſimumq́ lenonem, mulierculas duas è phano Veneris per uim abducere conantem, proripi pedibus ad ſe imperat, quaſi occiſam ſuem, utq́ Labrax quid tandem ſentiret apertè intelligeret, ſic inquit,

Occipito modo illis afferre uim ioculo pauxillulum
Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipſus te ut non noueris.
Nam hercle te barba continuo arripiam, & in ignem conijciam,
Teq́ ambuſtulatum obijciam magnis auibus pabulum.

Non paucos prætereo ſenes, (hæc enim quota pars eſt?) ut ad perditos adoleſcentes deueniā, tam pulchrè exacteq́ à Plauto effictos, ut ipſam penè in eis naturā æquauerit. Quàm uehemēti amore irretitus eſt Argyrippus, qui ut argentū, quod lenæ daret, à ſeruo acciperet, genua ei confricare poteſt, & ipſum demum uehere? At huius riualis Diabolus Niclauci filius, manifeſtum corruptelæ exemplum uiginti minas eidem lenæ dare geſtit, Philenium ut ſecum per annum eſſet noctes & dies. Equidem cum eius ſyngraphum lego à paraſito conſcriptū, omnes mihi in illo amantium affectus, omnes ſuſpiciones ad unguem exprimi uidentur. nam neq́ ullum eam uerbum perplexabile facere uult, neque ulla lingua loqui, niſi Attica, neque tuſſire quidem, ita ut linguam cuiquam in tuſſiendo proferat. Acerrimè torqueri oportet Alceſimarchum, qui amorem primum apud homines carnificinam commentum credit: quique cruciatur, iactatur, agitatur, ſtimulatur, uerſatur in amoris rota, exanimatur, fertur, differtur, diſtrahitur, diripitur, nullam mentem animi habet, & ubi eſt, ibi non eſt, ubi non eſt, ibi animum habet: ita illum lapſum animi amor ludificat, fugat, agit, appetit, raptat, retinet, iactat: quod dat, non dat, eludit: modò quod ſuaſit, diſſuadet, quod diſſuaſit, id oſtentat. Quàm ſui eſt impotens Stratiphocles, piſtori ſeruum pla-

gis irrigatum daturus, niſi quadraginta minas prius comparet, quàm ipſe poſtremam argenti ſyllabam ei fuerit elocutus? Piſtoclerus dum amico operam impertit, illi quidem amicam, ſibi autem, ſuæ'que ætati reperit infortunium. Philolaches, quo nemo induſtrior de iuuẽtute, erat arte gymnaſtica, diſco, haſtis, pila, curſu, armis, equo, qui uolupe parſimonia & duritia uictitabat, qui diſciplinæ alijs erat, poſtquam nihili eſt, fruſtra argumẽtatur, cuius nam rei hominem, quando natus eſt ſimilem eſſe dicat. Nullus homo eſt Charino infelicior, neque cui aduerſa plura ſint ſempiterna, ut cui, quicquid agere occœpit, nihil proprium, quod cupit, euenire poſſit, ita aliqua ſemper ei mala res obijcitur: uelut cum amicam ſibi animi cauſa comparaſſet, ratus illam ſe clàm patre habere poſſe, pater tamen id reſciuit, amicam'que uidit, neque ullo pacto induci potuit, ut illam matri ancillam emptam eſſe crederet, quamobrem nulla ſpes ei ſupereſt. Miſerè miſer eſt Callidorus, qui animum non habet in pectore, ſed in amicæ tabellis: quas cum à ſeruo legi audit, cum ea ſibi fabulari uidetur. At eum quo animo fuiſſe putemus, qui ſine amica nullo pacto uiuere poſſet, nec libellę ſpem haberet uſquam gentium, cum uiginti minis ea die inuentis opus eſſet, ne illa à lenone abduceretur? Tardo aduocato nihil Agoraſtocli eſt iniquius, præſertim quòd qui amat, quicquid agit, properat omnia: licet ergo dedita opera ſenes amicos fugiſſet, nequicquam ſibi eligit patronos loripedes, tardiſſimos, quorum gradus cribro pollinario ſuccretus eſſet, niſi fortè cum pedicis lento gradu graſſari didiciſſent. Sic multo tardiores erant, quàm corbitæ ſolent in tranquillo mari. Iuuat Pleuſidippum properantem audire, cùm lenonem ex Veneris phano per uim amicam diripere uelle accepiſſet. Ita feſtinat, curritq;, et ſeruum reprehendit, quòd non illum occiderit extemplò. Alios deinde quàm celerrimè accerſi iubet, qui lenonem ad carnificem traherent, ut in columbari collum haberet, ac mille in neruo nidamenta congereret. Lyſiteles interim multas res ſimul in corde uerſat, multum in cogitando dolorem indipiſcitur, ut cui non liqueat, amori'ne, an rei potius obſequi par ſiet. Eidem uerò poſtquam amantium incommoda affatim recenſuit, certum eſt animum ad frugem applicare. Siquidem qui in amorem præcipitauit, peius perit, quàm ſi ſaxo ſaliat. Leſbonicus cum minus quindecim dies eſſent, quòd quadraginta minas à Callicle pro paternis ædibus acceperat, ita à ſeruo rationem accipit, argentum omne comeſum, expotum, exutum, elotum in balneis eſſe, piſcatorem abſtuliſſe, lanios, coquos, holitores, myropolas, aucupes. Nam quod ſcortis datum fuerat, quod'que ipſe ſeruus defraudauerat, ibidem unà trahitur: hoc pacto citius abſumi potuit, quàm ſi formicis obijcias papauer. Strabax ruſticus, cum rus ire à patre iuſſus eſſet, ut bubus glandem prandio promeret, à mercatore uiginti minas libenter accipit, atque in crumenam condit. Proinde Martem patri iratum fuiſſe cenſet: cuius oues non longè abeſſent à lupis, quandoquidem omnes ipſe mundulos urbanos amaſios eo ictu exponere decreuit, ac foras eijcere, ut una opera & patrem eradicet & matrem, ad eam argentum afferens, quam plus quàm matrẽ amabat. Sed hos quàm breuiter attigi? Ipſum Plautũ qui legerint, pauca hæc quidem eſſe cognoſcent, ſi alijs multis comparentur, quibus adoleſcentum animos moresq; ita expreſſit, ut

Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.

Vix dici poteſt, quàm callidi, quàm uerſuti ſint Plautini ſerui: ex quorum ordine Litanus, ut herili filio argentum paret, ad uetus uerſutum ingenium ſuum ſe recipit, conſeruumq; ſubornat, ut Sauriam ſe atrienſem eſſe dicat, & uiginti

minis

minis mercatorem circumducat. At exemplum est fidei Tyndarus, qui ut herum captiuum in libertatem asserat, ipse in uinculis relinqui non grauatur. Olympio riuali Chalino ita est morosus, ut eum quasi umbra, quoquò iuerit, sequi statuerit, uel si in crucem ille pergere uellet, bellam tenellam'que Casinam ubi impetrasset, rure incubaturus in præfectura sua. At Chalinus ut par pari referat, tribus libertatibus conduci non potest, quin & hero, & Olympioni comparet magnum malum, si eorum collusionem heræ palàm faciat. Epidicus bis hero (ut Plauti utar uerbo) argentarias opes exenterat, duosq́ uetulos decrepitos ludibrio habet, duodecim ipse Dijs plusquàm placens, utpote cui quicquid malefacit, auxilia ei & suppetiæ domi sint. Callidum lepidumq́ est Chrysali de Archidemide commentum, cui tanquam Autolico hospini aurum fuisse creditum seni persuadet, ut tantum ex eo herilis filius sumeret, quantũ collibuisset: quod tamen cum ab eo satis ineptè totum patri redditum esset, nouam struit astutiam, qua senem iterum eludat. Sic militem Cleomachum subornat, ut uxorem suam diceret meretricem, cum qua Mnesilocum esse patri ostenderat. Igitur et Troiæ excidium multis de causis suo comparat facinori, in quo senem quasi Priamum quadringentis philippis aureis ipse Vlysses malè mulctauerat. Grumio autem rusticus germana illuuies, hara suis, hircus, allium Tranioni obolet: cum domesticus Tranio, postquam herum & senem Simonem miris modis de ædibus ludificatus fuerat, cornicem Teuropidi duos uulturios ludificantem ostendere nitatur, seipsum designans, qui duobus capularibus senibus tam facetè imposuisset. Palestrione porrò nihil est confidentius, qui sibi consilia in animum conuocat, & quid agat consulit, ut quod factũ erat, infectum redderet, quodq́ Sceledrus uiderat, ut id uisum non esset. Pseudolus omnium maliciarum artifex perfectissimus, cunctorum seruorum exemplar esse potest, qui Callidoro adolescenti uiginti minas, quæ nusquam essent, se inuenturum pollicetur. Quumq́ tragulam in senem iacere uoluisset, isq́ nescio quo pacto serui animum præsensisset, sic tamen copias duplices, triplices dolos, & perfidias parat in pectore, ut ubicunq́ cũ hostibus congredi, & signum ex arce Ballionia per sycophantiam, & doctos dolos recipere queat. Milphio quidem Agorastoclis blanditias ne flocci quidem facit, à quo pro multis benefactis persæpe bubulis corijs remuneratus fuerat. Pulchram tamen in sacrilegum, sceleratumq́ lenonem Lycum balistam intendit, ut cum tota familia leno Agorastocli addicatur. Acerrimè pro hero pugnat cum lenone Trachalio, Cyrenensium omnium popularium, accolarum, incolarumq́ fidem implorans, ne mulierculas è Veneris phano à Labrace abduci sinerent. Idem Dæmonem senem orat, siquidem ab lippitudine siccitatem sperat, ut impuratæ beluæ uim propulsaret. Eius deinde fauore fretus, sic lenoni minatur,

Extemplò hercle ego te follem pugillatorium
Faciam, & pendentem incursabo pugnis periurissime.

Et mox tanquam negocij nihil haberet, Grypo piscatori rudentem complicare uult. Vtq́ in argenti, quod ille fuerat piscatus, partem ueniret, furtũ se qui faciebat uidisse ariolatur, & dominũ nouisse, cui id fiebat. Sed hæc omnia quorsum tandem? hoc omne ad piscatorem spectare docet, nunquam nisi præda diuideretur, inde abiturus. inquit enim,

Si tu proreta isti naui es, ego gubernator ero.

Quàm est impudens Stasimus, qui ab hero quin loquatur, nullo pacto deterreri potest? Pulcherrimo dein commento Philtoni dissuadet, ne ab herili filio uni-

cum fundum, quem ſibi reliquū fecerat, pro ſororis dote acciperet. Per deos ergo atq; homines ſenem orat, ne illum agrum ſuum ſinat unquam fieri, neq; gnati ſui. Primum enim omniū cum terra proſcinditur, in quinto quoq; ſulco moriuntur boues: tū Acherontis hoſtiū in eo agro eſt. Vinum autem priuſquam coactum eſt, putidum pendet. Poſt id frumenti, quando albi maxima eſt meſſis, tribus tantis domino minus reddit, quàm ibi ſit obſitū. Nec unquam quiſquam extitit, cuius ille ager fuiſſet, quin peſſimè illi omnia uertiſſent. alij exulatū abierant, alij emortui, alij ſe ſuſpenderant, ſues angina moriebantur acerrimè. Tum autem ex Syrorum genere, quo nullū eſt laborū patientius, nemo extiterat, qui ſex ibi menſes uixiſſet: ita cuncti ſolſtitiali morbo decidebant. Quid uerbis, inquit, opus eſt? quamuis malam rem quæras, ibi reperias. Ex hoc ſerui figmento, qualia ſint aliorū ingenia, licet conijcere. Nam quod eſſe in agro malū poteſt, quod non hic optimè ſit effictū? Hæc quidem uerba non agrū alicui odioſum, ſed fortunatas etiā inſulas, infeſtas reddere poſſent. Quòd ſi magnū fuiſſe Dorſennum in edacibus paraſitis Horatio credimus, quantam in eis laudem Plautum promeritū eſſe uidemus? Scilicet Ergaſilo iuuentus nomen ſcorto indidit, quòd inuocatus in conuiuijs eſſe ſoleret. Hunc de triplici hominum miſeria diſſerentem audire, eſt operæprecium:

Miſer homo' ſt, qui ipſe ſibi quod edat, quærit, & id ægrè inuenit:
Sed ille eſt miſerior, qui ægrè quærit, & nihil inuenit:
Ille miſerrimus eſt, qui cum eſſe cupit, quod edat, non habet.

Peniculus, ideo ſic dictus, quòd menſam, quando eſt, detergere ſolet, hoc pacto homines ne aufugiāt, aſſeruari poſſe autumat, ſi eſca illi atq; potione uinciātur, & roſtrū eiſdem apud menſam deligetur. Dum enim quod edant, potentq; illis præbeas, nunquā fugient, tametſi capital fecerint. Sunt namq; nimis lenta uincula eſcaria, quæ quidē quanto extendas magis, tanto illigent arctius. Artotrogo, cui plurimas erumnas uenter creat, multa peraudienda ſunt, ne dentes dentiant: quapropter ſtat propè uirū fortem atq; fortunatū, cum quo bellator Mars haud auſit comparare uirtutes ſuas, quæ ne quis eum ex animo loqui credat, magis periurū Pyrgopolinice hominem, gloriarumq; pleniorem neminem inueniri poſſe ſubdit. Saturio ueterem atq; antiquū quæſtum maiorū ſuûm obtinet, qui omnes ſe pariſitando pauerant, & alienum cibum ſemper comederant. Ab his inſtitutus, Collyricū non uult in ueſicā quod eat, in uentrem uult, & hoc quaſi hæreditariū præceptum habet in memoria, ut murena & conger ne calefiant, quæ nimio melius appetantur frigida. Charmides ſceleſtiorem Thyeſtea cœnam apud Labracem cœnauit, poſtquam Neptunus frigidus balneator ſalſam ei frigidamq; potionem tam copioſè ſuggeſſerat, ut fortunatos cenſeret fabros ferrarios, qui apud carbones aſſident, ſemperq; calent: lenone interim ſcirpi fortunas, qui aritudinis gloriā ſeruat, laudante, et omnia pręe tremore coruſca fabulante. Gelaſimus per caram annonā natus, famem ſibi matrē fuiſſe ſuſpicatur, quippe qui poſtquā natus eſt, ſatur nunquā fuerit, cuiq; ob grauiſſimā famē uteri dolores quotidie oborirentur: hac tamen arte ante alios omnes eſt conſpiciendus, quod nulli negare ſolet, ſi quis eum eſum uocet. Horum omniū uerba quum audis, inexplebilem uoracitatem, ſententiasq; in coquinā rectà euntes dignoſcis. Nec minus lenones artificioſe reddidit Plautus. Nā impurus ille Cappadox, cum collatino uentre, atq; oculis herbeis, è phano emigrare conſtituit, poſtquā nihili ſe ab Aeſculapio fieri ſentit. Terapontigonū idem militem ita in Epidaurū incolumem adueniſſe gaudet, ut apud ſe non delingat ſalem: à quo

cum

cum frustra nimis territaretur, per uolsellas, pectinem, speculum, calamistrum, exterſum'que linteum iurat, ſe non pluris facere militis magnas minas, quàm ancillam ſuam, quæ latrinam lauat. Iam ille impudicus, ſceleſtus, uerbero, ſacrilegus, periurus, fraudulentus, impurus & fugitiuus Ballio, omnium ſcelerum ſtabulum ac ſentina uidetur, quem boni ad paupertatem adigunt, improbi alunt, cui Venus multa bona dat, cum ad eum lucrifugas, damni'que ſui cupidos adducit, quos quidem dij ſunt recentes admordere, dum calent comeſſe, dum decet deuorare poſſit. De quo Marcus Tullius pro Roſcio Comœdo, Chæream deridens ita ſcribit: Cuius perſonam præclarè Roſcius in ſcena tractare conſueuit, neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. Nam Ballionem illum ipſum improbiſſimum & periuriſſimum lenonem quum agit, agit Chæream. Perſona illa lutulenta, impura, inuiſa, in huius moribus, natura, uita'que eſt expreſſa. Lycus ſeſtiuum hoſpitium Colabiſco dare poteſt; ſiquidem in lecto lepidè ſtrato, lepidam mulierem complexus contrectare ſciuerit, ubi Leucadio, Leſbio, Thaſio, Choo, uetuſtate uino edentulo ætatem irriget, unguentorum uſque è zeugmatis repletus. Dorpali luti lenonij commiſti, publici ſterquilinij, impuri, inhoneſti, auidi, pecuniarũ accipitris, procacis, trahacis, rapacis, impuritias trecentis uerſibus loqui nemo poteſt. At Labrax natum quantum eſt hominum maximè ſacrilegus, antequam nauem conſcenderet, to tam ſe Siciliam inſulam deuoraturum poſtulabat, & poſtquam ſacerdotis ſceleſtus fauces interpreſſit, ſuas mulieres inuita Venere & ſummo Ioue ex ara capillo diripere audet. Miremur, niſi iuramentũ hic ſeruandæ, non perdundæ rei inuentũ arbitratur. Non ſunt admodum ijs abſimiles uentoſiſſimi milites, nulla re, præterquam inanibus dictis extimeſcendi. Terapontigonus ille Platagidorus, nõ mediocri incedit iratus iracundia, ſed eapſe illa, qua oppidis excidionem facere condidicit. Quod niſi Lyco trapezita triginta minas ei dare properet, nihil eſt cauſæ, cur non uitam properet ponere. Sed nec ipſe à Lyco mediocri mactatur infortunio, uerum eopſe illo, quo mactari ſolent, quibus nihil debetur. At lenonem idem miles uult facere pilum catapultarium, atq; ita eum torquere, ut catapultæ ſolẽt. Alius in Epidico, uirtute belli armatus promeruit, ut omnes ei mortales gratias agere decere deceat. Cleomachũ non militem, ſed mulierem arbitratur Nicoboli filius, qui ſe ſuosq; nequeat defendere,

Nam neq; Bellona, inquit, mihi unquam, neq; Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo, ſi conuenero,
Ni'ue exhæredem fecero uitæ ſuæ. Et,
Nunc niſi ducenti philippi redduntur mihi,
Iam illorũ ego animam amborum exorbabo oppidò.

Pyrgopolinice ſi quis periuriorem uidit unquam, paraſitum ſibi mancupi habeat. Machæram enim ſibi conſolari uult, ne lamentetur, ne'ue animũ deſpondeat, quòd illam tam diu feriatam geſtitet, quæ quidem fractũ ex hoſtibus facere geſtiat. Inter egregia huius belluæ facinora, non poſtremum erat, quod paraſitum ſeruaſſet in campis curculionijs, ubi Bombomachides, Cluninſtadides Archides erat imperator ſummus, Neptuni nepos, cum armis aureis, cuius hic legiones difflauerat ſpiritu, quaſi uentus folia, aut peniculum tectorium. Quàm eſt impudens Anthemonides, qui in pugna penthetronica ſexaginta hominum euolaticorum uno die manibus occidit ſuis? Primum omnium uiſcum legioni ac fundas dedit, eosq; proſternebat, ſicut folia farfari. quid multa? granDiculos globos in fundas infundebat, eosq; uolantes iubebat funditari, proinde

minis

de ut quisque ceciderat, necabat eũ pinna per cerebrum suta, sic quasi turturem*
Hæc ita ei credit leno, ut par est. ait enim,

Si hercle istuc unquam factum est, tum me Iuppiter
Faciat, ut semper sacrificem, neque unquam litem.

Non expectent spectatores, dum suas pugnas prædicet Stratophanes, qui manibus duellis prædicare solet, haud in sermonibus. Sycophantas quis Plauto effinxit melius? Simia non acetum, sed acidissimum habet in pectore. quin si sit opus ut dulce indidem promat, murrhinam, passum, defrutum, mel, mellinam potest, qui in corde quondam œnopolium cœpit instituere, atque in re aduersa ita scit uersari, ut non turbo melius: quumq; manifesto tenetur, facillimè elabitur, malorum facinorum usq; à pueritia sciens. Alius in Trinummo cum hillurica facie nimium graphicus est nugator, qui ex longinquis regionibus, quas nunquam uiderat, se redire simulans, cum à Charmide ignoto, à quo se epistolas & mille nummos philippeûm ferre dicebat, interrogaretur, quos'nam adisset locos? Primum omnium in Pontũ, Arabiam terram, se uectum fuisse dicit, non illam ubi thus gignitur, sed ubi absinthiũ fit, atq; cunila gallinacea. inde porrò ad caput amnis, quod è cœlo exoritur, peruenisse aduectum dariola usq; aduersa aqua per Anienem. Demum ne nimis hoc in negotio uidear morosus, qui Plauti uirtutes, & diuinam quandam naturam, non cõmodius quàm in nubes aquilam persequi studeam, plurima prætermitto, & meretrices præcipuè rapaces, auarasq;, quales sunt Bacchides, nõ Bacchides, sed Bacchæ acerrumæ, uirgines, matronas, lænas, nutrices, fidicinas, ancillas, trapezitas, lorarios, coquos, medicos, aduocatos, & si quæ præterea in comœdia personæ inducuntur, quæ singulæ decenter suum in Plauto locum sortiuntur. Nec tamen inficias iuerim, Terentium hac in re decorum seruasse: sed in Plauto plura sunt horum exempla, & ad naturam propius accedunt. Quid ergo? nihil'ne in Plauto est, quod reprehendi queat? Equidem non tam impense illi unquam faui, ut nihil ab eo scriptum esse arbitrarer, quod nulla ex parte damnari possit: ab Horatio doctus, in Arte poëtica ita scribente,

Sunt delicta tamen, quibus ignouisse uelimus:
Nam neq; chorda sonum reddit, quem uult manus, & mens,
Poscentiq; grauem, persæpe remittit acutum:
Nec semper feriet, quodcunq; minabitur arcus.
Verum ubi multa nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura. Et inferius,
Quandoq; bonus dormitat Homerus:
Verum opere in longo, fas est obrepere somnum. Et in Sermonibus:
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?

Humanum quippe est errare: qui tamen multa optima præstiterit, leuissimos istos Momos ne assis quidem facere debet. Quòd si Asulanum Afranio assentiri non piget. nec nos quidem Aelij Stolonis, Terentij Varronis, Volcatij Sedigiti. Auli Gellij, Seruij, aliorumq; multorum non pudeat. Verum hic locus postulare uideretur, ut de Plauti laudibus aliqua dicerem: sed in syluam (ut aiunt) ligna ferrem, & facerem optimo poëtæ iniuriam, si eum ornarem laudibus, ex cuius operũ lectione ac imitatione immortalem sibi plerique gloriam pepererũt, ex cuius inquam familia Terentius quoque inter egregios collocari meruit. Neque tamen sic me cupere Plautum ab omnibus legi, amariq; diffiteor, ut teneat

locum

locum suum Terentius, ut multas in illo uirtutes admiremur, & hunc quoque plurimum ueræ laudis meruisse fateamur. Cum'que ex Terentij fabellis, Eunuchus ob argumenti elegantiam facilè cæteras exuperet, nõ uerebor illi uel Mænechmos, uel Militem, uel Pseudolũ, uel Rudentem, uel Trinummũ opponere. Rectène an malè sentiam, nullum iudicem, modò æquum, recuso. Illos tamen sic censere optarim, ut maledictis Plautum non lacessant, qui ei iniquiores fuerint: quæ nobis quoque non defuissent, nisi illis ea maximè conuenire arbitrarer, qui cum nec rationes, nec ueterum testimonia in medium adducere possint, ad iurgia protinus, & uerborum contumelias confugiunt. Obtrectatorum itaque cauillationes reijciamus, & Marullo Byzantio, qui Plautum è poëtarũ numero excludere ausus est, nihil unquã deterius fuisse fateamur. De quo pluribus agam, si prius rationem reddidero, quare in principio huius operis, quum tam oratores, quàm poëtas & historicos enumeraui, duos scriptores, Valerium Maximũ, & Anniũ Senecam omiserim. Valeriumq́ primò doctissimorum iudicio, non multum laudis esse assecutum dicam, quòd cum florentissimo Augusti seculo proximus uixerit, quouis adamante sit durior, quouis in orationis structura saxeto asperior. Iccirco nec Italũ plerique eum, sed Afrum potius uideri prędicant: tantum abest, ut Tiberij Cęsaris seculo uixisse credi possit, nisi hoc ipse de se testaretur. De Seneca nihil ausim pronunciare: sed facit Fabius Quintilianus, ut eũ indignũ esse arbitrer, qui in selectorum numerũ referatur, tum quòd ipse stilo non multũ ualuit, tum quòd Ciceronẽ & alios optimos scriptores acerrimè sit insectatus. quare & ipsius Fabij ex decimo Oratoriarũ institutionũ libro uerba subijciam, ut qualis fuerit Seneca, quantũq́ eius iudicio sit tribuendũ, discamus. Ex industria, inquit ille, Senecam in omni genere eloquentię distuli, propter uulgatã falsò de me opinionem, quia damnare eũ, & inuisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi dum corruptũ, & omnibus uitijs fractũ dicendi genus reuocare ad seueriora iudicia contendo. Tũ autem ferè solus hic in manibus adolescentiũ fuit: quem nõ equidẽ omnino conabor excutere, sed potioribus præferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cùm diuersi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse, in quibus illi placerent, diffideret. Amabant aũt eum magis quàm imitabantur, tantumq́ ab eo defluebant, quantũ ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandũ, pares, aut saltẽ proximos illi uiro fieri. Sed placebat propter sola uitia, & ad ea se quisq́ dirigebat effingenda, quæ poterat. Deinde cũ se iactaret eodẽ modo dicere, Senecã infamabat. Cuius & multæ alioqui, & magnæ uirtutes fuerũt, ingenium facile & copiosum, plurimũ studij, et multarũ rerũ cognitio: in qua tamen aliquando ab ijs, quibus inquirenda quædã mandabat, deceptus est. Tractauit etiam omnem ferè studiorũ materiam. Nã & orationes eius, & poëmata, & epistolæ, & dialogi feruntur. In philosophia parũ diligens, egregius tamen uitiorũ insectator fuit. Multæ in eo claræq́ sententiæ, multa etiã morũ gratia legenda, sed in eloquẽdo corrupta pleraq́, atq́ eo perniciosissima, quòd abũdant dulcibus uitijs. Velles eũ suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nã aliqua cõtempsisset, si parũ concupisset, si nõ omnia sua amasset, si rerũ pondera minutissimis sententijs non fregisset, cõsensu potius eruditorũ quàm puerorũ amore cõprobaretur. Verum sic quoque iam robustis, & seueriore genere satis firmatis legendus, uel ideo, quòd exercere potest utrunq́ iudiciũ. Multa enim (ut dixi) probanda in eo, multa etiã admiranda sunt: eligere modò curæ sit, quod utinã ipse fecisset: digna enim fuit illa natura, quæ meliora uellet, quæ quod uoluit effecit. Hæc Fabius.

Quæ quamuis modestè protulerit, ne odio eum habere uideretur, apertè tamen Senecã uilissimũ, uitiatissimumq́ locutionis genus induxisse ostendunt, ut alios quos etiam uehementer lacerabat, ex hominum manibus excuteret. De eodem quoq́ Aulus Gellius duodecimo Noctiũ Atticarũ libro ita scribit: De Anneo Seneca partim existimãt, ut de scriptore minimè utili, cuius libros attingere nullum preciũ operæ sit, quòd oratio eius uulgaris uideatur & protrita, res atq́ sententiæ aut inepto inaniq́ impetu sint, aut leui, & quasi dicaci argutia, eruditio autem uernacula & plebeia, nihilq́ ex ueterũ scriptis habens gratiæ, neq́ dignitatis. Alij uerò elegantiæ quidem in uerbis parũ esse non inficias eunt, sed & rerum quas dicat scientiam, doctrinamq́ ei deesse nõ dicunt, & in uitijs morũ obiurgandis seueritatem, grauitatemq́ non inuenustã. Mihi de omni eius ingenio deq́ omni scripto iudiciũ censuramq́ facere non necessum est. Sed quod de M. Cicerone, & Quinto Ennio, & Publio Virgilio iudicauit, ea res cuiusmodi sit, ad considerandũ ponemus. In libro enim uigesimo secundo Epistolarũ moralium, quas ad Lucilium composuit, deridiculos uersus Q. Ennium de Cethego antiquo uiro fecisse hos dicit: Dictus popularibus olim

Qui tum uiuebant homines, atq́ æuum agitabant,
Flos delibutus populi, suadæq́ medulla.

Ac deinde scribit de ijsdem uersibus uerba hæc: Admiror eloquentissimos uiros, & deditos Ennio, pro optimis ridicula laudasse. Atque id etiam de Cicerone dicit: Non miror, inquit, fuisse qui hos uersus scriberet, cùm fuerit qui laudaret: nisi fortè Cicero summus orator agebat causam suam, & uolebat hos uersus uideri bonos. Postea hoc quoque addidit insulsissimè: Apud ipsum quoque, inquit, Ciceronem inuenies etiam in prosa oratione quædam, ex quibus intelligas illum non perdidisse operam, quòd Ennium legit. Ponit deinde, quæ apud Ciceronem quasi Enniana reprehendit, quòd ita scripserit in libris de Re publica, quòd Menelao Laconi quædam fuit suauiloquens iucunditas: & quod alio in loco dixerit, breuiloquentiam in dicendo colat. Atque ibi nugatur homo, Ciceronis errores deprecatur. Et non fuit, inquit, Ciceronis hoc uitium, sed temporis. Necesse erat hæc dici, cum illa legerentur. Deinde adscribit, Ciceronem hæc ipsa interposuisse, ad effugiendam infamiam nimis lasciuæ orationis & nitidæ. De Virgilio quoque eodem in loco uerba hæc ponit: Virgilius quoque noster non ex alia causa duros quosdam uersus, & enormes, & aliquid supra mensuram trahentes interposuit, quàm ut Ennianus populus agnosceret in nouo carmine antiquitatis aliquid. Hactenus Gellius. cuius locum in medium adduxi, tum ut quid de Seneca senserint alij, tum ut quid ipse de Cicerone & Virgilio iudicarit, uideremus. Ego sanè licet quid sentirem proferre minimè constituissem, hoc tamen addam pro tempore, plus elegantiæ, doctrinæ, lepôris'que habere Q. Ennij de Cethego uersus, quàm omnia quæ à Seneca scripta sunt: cuius ingenium, loquentiam'que, indicent epistolæ morales, maximè dignæ, non quæ à pueris, aut ab alio hominum genere legantur, sed quæ unctæ mittãtur Ilerdam. Nec sunt his meliores cæteræ eius lucubrationes, nihil aliud quàm cacata charta, triuialibus sententijs, uerborumq́ monstris plena: de qua plura dicant, quibus hoc argumentum arriserit. Nobis hæc obiter dixisse satis fuerit, atque hoc etiam subiungere, Caium Caligulam, licet in alijs nihil principe dignum unquam gesserit, de Seneca rectè iudicasse, cum eum commistiones meras cõponere, & arenam sine calce esse diceret. Demũ si quos etiam præter hos duos authores prætermisero, non est mihi uitio uertendum,

quippe

quippe qui non omnes data opera, sed eos tantum, quorum frequentissimus est usus recensuerim. In quorum ordinem, quum de Romanis loquor, qui omnes una ferè ætate floruerunt, nisi rectè conuenerint Iunius Columella, & Cornelius Celsus, quòd aliquanto posterius uixerint: hominum tamen excellentia, & in Romano sermone puritas facit, ut inter optimos cōnumerari debeant. à qua præstantia nec Plinium quidem auunculum excludere ausim. Nunc ad Marullum uenio, cuius Iambicum ab eruditis etiam non sine doctrinæ ambitione passim uel extra cantionem recitari, nō leuiter est ingemiscendum. Neque omnem euomas stomachi indignationem, si illa M. Tullij exclamatione utaris, ô tempora, ô mores. Quis enim ferat Græculum in alienam prouinciam tam impudenter excurrisse, ac ita de Romanis poëtis pronūciasse, ut si quem ad eos addas, quos ip se poëtæ nomine dignatur, oneres poëtarum numerum quàm honores uerius? Nā quid hoc est, si non est singularis Marulli stultitia? quis tam seuerè iudicauit unquam, ut alijs censendi ademerit facultatem? aut quis nō statuat Marullum Byzantium millies distento sago in sublime esse excutiendum? cum Græci de Romanis scriptoribus iudicium, quantumuis incorruptum, suspectum uideri possit? Sed dixerit Græculus pro suo arbitratu infelicissimè, quo supplicio erit remunerandus, qui Marulli uersiculos tanquam prætoris edictum, aut Sibyllæ responsum, suis operibus consecrare uoluit? Nónne Petrum Crinitum, qui putidum illud carmen, quasi margaritam quampiam, suis lucubrationibus posteritati commendare, & immortale reddere uoluit, omnis iudicij prorsus expertem fuisse dicemus? Verum hoc per deos Crinito huic Iopæ condonemus: qui ut ingentem librorum numerū expleret, nihil quantumlibet immundum, aut fœtidum non collegit, quod in illos de Honesta disciplina libros, tanquam in sentinam conijceret. In quibus quid obsecro præter meras nugas, & inanem uerborum apparatum comperias, in fronte nonnulla, in recessu uerò nihil quod probes habentem? Dum enim interpretatur, quod sit

Nerei repandi rostrum, incuruiceruicum pecus: quæ,
Terrigena, herbigrada, domiporta, sanguine cassa: quæ,
Quadrupedes tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite breui, ceruice anguina, aspectu truci,
Euiscerata, inanima cum animali sono:

quæ reciprocicornes, ~~exunges~~, excornes belluæ: dum primus nescit, qui sint apud Horatium cæritæ cæra digni: dum demum aliqua Flauio Vopisco, Aelio Lampridio, Volcatio Gallicano, aut Ammiano Marcellino furatur, quinque illos & uiginti de Honesta disciplina libros expleuit, quorum primus qui longissimus est, decimo octauo tandem capite absoluitur, cum alia ferè omnia decimo, aut decimo tertio claudantur, quibus quiuis ex stulto prorsus insanus, ex indocto indoctissimus facillimè fieri potest. Ea siquidem, quæ alijs subrepta clariora, magis'que perspicua reddere debebat, magis commiscet, conuoluit'que: cum'que maximo ueritatis habendæ studio detineris, uelut anguilla elabitur, ut rectè dignoscas, nihil eum aliud curasse, quàm ut è rebus obscuris obscurissimas, dubijs maximè dubias faceret. Quòd si quis mihi ostendat, quid sibi uelit primum eius librorū caput, ubi de triplici Tamburlani tentorio frigidissimè agit, nisi si à Scythica disciplina inauspicatū operi suo initiū dare constituerat, erit mihi Apollo Pythius. Is, inquam, Crinitus dum se dignum Marullū amplexatur, diuinum eius iambicum non absimilibus immundicijs miscuit. Itaque tam lepidum carmen, siue ex Marulli, siue ex Criniti ore tandem audiamus.

Amor

Amor, inquit, Tibullo, Mars tibi Maro debet,
Terentio ſoccus leuis,
Cothurnus olim nemini ſatis multum,
Horatio ſatyra & chelis,
Natura magni uerſibus Lucretij
Muſæo lepôre illitis,
Epigramma cultum teſte Rhallo adhuc nulli,
Docto Catullo ſyllabæ:
Hos ſi quis inter cæteros locat uates,
Onerat, quàm honorat uerius.

Hæc autem omnia, ut hominis infelicitatem agnoſcamus, propius & ſingulatim ſunt aſpicienda. Amor, inquit, Tibullo debet. Vt hoc tibi cõdonemus Marulle, Tibullum in Latina elegia eſſe principem, ſi quis tamen ad tuum tribunal Propertium ſtatuat, num'nam ei amor quippiam debebit? Minimè, inquis: quia duobus tribus'ue ſimul debere non poteſt. Quis te hoc docuit, nõ poſſe in quouis ſcriptorum genere, primas, ſecundas, & tertias dari? Hoc ſi neſciebas, poteras à M. Tullio diſcere, in Oratore ita ſcribente: Non enim, ait, in poëtis Homero ſoli locus eſt, (ut de Græcis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: ſed horum uel ſecundis, uel etiam infra ſecundos. Nec uero Ariſtotelem à ſcribendo deterruit amplitudo Platonis, nec ipſe Ariſtoteles admirabili quadam ſcientia, & copia cæterorũ ſtudia reſtinxit. Nec ſolũ ab optimis ſtudijs deterriti excellentes uiri non ſunt, ſed ne opifices quidem ſe artibus ſuis remouerunt, qui aut Hyaliſi, quem Rhodi uidimus, non potuerunt, aut Coæ Veneris pulchritudinem imitari. Nec ſimulachro Iouis olympij, aut Doryphori ſtatua deterriti, minus experti ſunt, quid efficere, aut quò progredi poſſent: quorũ tanta multitudo fuit, tanta in ſuo cuiuſq; genere laus, ut cum ſumma miremur, inferiora tamen probaremus. Et paulo poſt: Nam neque illud ipſum, quod eſt optimum, deſperandũ eſt: & in præſtantibus rebus magna ſunt ea, quæ ſunt optimis proxima. Eòdem ſpectant, quæ idem in primo de Finibus ſcribit, quũ ait: Quid eſt enim à Chryſippo prætermiſſum in Stoicis? Legimus tamen Diogenem, Antipatrũ, Mneſarchũ, Panætiũ, & multos alios, inprimiſq; familiarem noſtrũ Poſſidoniũ. Quid Theophraſtus? mediocriter'ne delectat, cum tractat locos ab Ariſtotele antea tractatos? Quid Epicurei? num deſiſtunt de eiſdem, de quibus & ab Epicuro ſcriptũ eſt, & ab antiquis, ad arbitriũ ſuum ſcribere? Vides ni fallor Marulle, quàm diuerſus à tua ſententia fuerit M. Tullius, aliquanto certè quàm tu eruditior. Quòd ſi illius opinioni ſubſcribere dubitas, habes et Iuniũ Columellam, qui cũ eo ſentit, libro de Re ruſtica primo ita ſcribens: Veruntamen quod in Oratore iam M. Tullius rectiſſimè dicit, par eſt eos qui generi humano res utiliſſimas conquirere, & perpenſas exploratasq; memoriæ tradere concupierint, cuncta tentare. Nec ſi uel illa præſtantis ingenij uis, uel inclytarum artium defecerit inſtrumentum, confeſtim debemus ad ocium & inertiam deuolui, ſed quod ſapienter ſperauimus, perſeueranter conſectari. Summum enim culmen affectantes, ſatis honeſtè uel in ſecundo faſtigio conſpiciemur. An Latiæ Muſæ non ſolos Accium & Virgilium recepere, ſed eorum & proximis, & procul à ſecundis ſacras cõceſſere ſedes? Nec Brutum, aut Cælium, Pollionem'ue, cum Meſſala & Catulo, deterruere ab eloquentiæ ſtudio fulmina illa Ciceronis. Nam neq; ille ipſe Cicero territus ceſſerat, tonãtibus Demoſtheni, Platoniq;: nec parens eloquentiæ deus ille Mæonius uaſtiſſimis

fluminibus

fluminibus facundiæ suæ posteritatis studia restinxerat. Ac ne minoris quidem famæ opifices tot iam secula uidemus laborem suũ distulisse, qui Protogenem, Apellemq; cum Parrhasio mirati sunt. Nec pulchritudine Iouis Olympij, Mineruæ'que Phidiacæ sequentis ætatis attonitos piguit experiri Bryaxim, Lysippum, Praxitelem, Polycletum, quid efficere, aut quóusque progredi possent. Sed in omni genere scientiæ etiam summis admiratio, uenerario'que et inferioribus merita laus contigit. Hæc si animaduertisset Marullus, Propertium, etiam si Tibullo esset multo deterior, nequaquam tam impudenter præterijsset. Atqui Fabius quoque Quintilianus de eadem re duodecimo Oratoriarum institutionum libro sic agit: Verum etiam si quis summa desperet, quod cur faciat, cui ingenium, ualetudo facultas, præceptor non deerunt? tamen est, ut Cicero ait, pulchrum in secundis, tertijs'que consistere. Neque enim si quis Achillis gloriam in bellis consequi non potest, Aiacis, aut Diomedis laudem aspernabitur: neque Hesiodi, & Theocriti, qui Homeri non fuerint. Quinimò si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur, ij ipsi qui sunt optimi non fuissent, neque post Lucretium ac Macrum Virgilius, nec post Crassum & Hortensium Cicero. Verum ut transeundi spes non sit magna, tamen est dignitas subsequendi. Hunc quidem scriptorem non rejcies opinor Marulle. Si enim Crinito credimus, hoc quoque inter cæteras nugas memoriæ prodidit, Fabium Quintilianum tuo iudicio Romanum Aristarchum rectè uocari posse. Ego tamen non modò id te ex animo dixisse non arbitror, sed hoc potius ambisse reor, ut multas Quintiliani sententias ipse Aristarchus corrigeres, nunquam non ab eo ubi detur occasio dissentiens: prout & hoc loco facis, quum amorem Tibullo nescio quid debere somnías, de Propertio nihil dicens. Quanto melius ille, eruditius'que, quum de Græca elegia loquitur? Tunc & elegiam uacabit, inquit, in manus sumere, cuius princeps habetur Callimachus, secundas confessione plurimorum Philetas occupauit. Quid est, obsecro te, Philetam secundas occupasse, si unicus tantum in quouis genere erit probandus? At nec ipse Propertius unius Callimachi manes inuocat, sed & Philetæ quoque, in secundis sedentis, sic enim ait,

Callimachi manes, & Coi sacra Philetæ,
In uestrum quæso me finite ire nemus.

Et alibi Lynceum poëtam admonens, ut relictis alijs poëmatibus elegiam scriberet, non unicum ei Callimachũ imitandum proposuit, sed & Philetã quoq;,

Tu satius memorem Musis imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.

Hic Marulle quid respondeas, nihil habes, nisi propiorem Callimacho Philetam fuisse, quàm Tibullo Propertiũ, asserere non erubescis. Verùm his ue: bis errorem tuũ diluit Quintilianus: Elegia Græcos prouocamus, cuius mihi tersus atq; elegans maximè uidetur author Tibullus. Sunt qui Propertiũ malint. Ouidius utroq; lasciuior, sicut durior Gallus. Quàm parũ tibi cõuenit cũ Fabio Marulle? Tu unicũ Tibullũ probas, cęteros excludis: Is nõ modò Propertiũ non exclusit, sed omnib. etiã aliquorũ iudicio antepoſuit: qua in re id sibi uoluisse uidetur, ut cũ eorũ uterq; in elegia celeberrimus fuerit, unicuiq; sit liberũ, quẽ malit imitari. Quàuis aũt nihil sit fermè odiosius, q̃ de summis uiris et æqualib. præsertim iudicare, nec libẽter à Fabio dissentiã, cũ quo bona eruditorũ pars Tibullũ Propertio cultiorem asserit, nõ uererer in eotũ albũ, qui Propertiũ malunt, no-

men

men dare, quippe qui quid in huius poëtæ ſcriptis deſiderare liceat, non uideam, ita omnia munda, abſoluta, culta, concinna, elegantia ſunt, nihilq́ habent quod caudam trahat. Atq; ut illum Tibullo parem ſtatuamus, in hoc certè magis eſt laudandus Propertius, quòd Italorum primus Elegiam Latio donauit, ut ipſe de ſe elegantiſſimè teſtatur:

Primus ego ingredior, puro de fonte ſacerdos,
  Itala per Graios orgia ferre choros. Et,
Ah ualeat, Phœbum quicunq; moratur in armis,
  Exactus tenui pumice uerſus eat.
Quò me fama leuat terra ſublimis, & à me
  Nata coronatis Muſa triumphat equis.

At id tam eleganter fecit, ut nihil quicquam eius inuentis poſteri addere potuerint: quod neſcio an Romanorum alicui (ſi Horatium, quamuis in diuerſo opere, excipias) adhuc contigerit. Ouidius certè blandi oris Propertium appellat, quem & iure ſodalitij ſibi iunctum fuiſſe fatetur. Sed quantulus eſt apud Marullum Ouidius? aut quàm nihil eius amoribus defert? Dicet porrò ſecum ſentire Fabium Quintilianum, qui Ouidium in elegia laſciuum tradit. Reſponde mihi Græcule, num ſi laſciuiam in Ouidio deprehendis, ſummum tamen in eo ingeniũ requiris? num Latinæ linguæ elegantiam? num eruditionem ſummam? Non auſim hercule à Fabio in hoc diſcedere: ſed in reliquis, ubi reprehendi poſſit, non uideo. Habeat hoc ſanè in elegia iudicium: quid uerò in alijs potuerit, quid'nam hic ſapientum octauus de reliquis Ouidij ſcriptis pronunciarit, uideamus. Atqui illum ex poëtarum albo prorſus eraſit. Hic Marulle, quod ſentio diffiteri non poſſum, te omnium qui ſunt, qui fuere, quiq; adeò futuri ſunt, arrogantiſſimum, impuriſſimum'que fuiſſe, rationis'que & iudicij expertem, maximeq́ dignum, quem facto impetu, apud inferos poëtæ excarnificent, & in crucem cum iam petulanti carmine agant. Enimuero tantæ omnibus admirationi ſemper fuit Ouidius, ut non ingenioſus, ſed ipſum ingenium, non Latinus, ſed ipſa latinitas, non Muſarum ſacerdos, ſed ipſum Muſarum numen ſit habitus. Quis enim plura? quis elegantiora hoc poëta ſcripſit? Nec uelim ex ſcriptorum numero ſummam eſſe Naſonis authoritatem, cum ſæpius uno in libro Perſius, quàm leuis Marſus in tota Amazonide memoretur: in multos'que conueniant hi Callimachi uerſus,

Ἀσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
λύματα γῆς, καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει. Hoc eſt,
Aſſyrius uaſto tractu circumfluit amnis,
Multa tamen liquidis trahit excrementa ſub undis.

Sed cum infrequens apud noſtros fuerit, ut qui abſolutè, multa idem ſcripſerit, hinc certè Ouidium optimum in ſuo genere fuiſſe colligimus, quòd infinita nobis propemodum, & abſolutiſſima ſui ingenij monumenta reliquit, inter quæ iure uendicat ſibi primum locum, diuinum illud Metamorphoſeos opus, tam admirabili ſerie contextum, ut non homo, ſed deus quiſpiam eius author uideatur. Mitto heroici carminis altitudinem, facilitatem, elegantiam: nónne diuerſiſſimas fabulas tam artificioſe colligauit, ut non multæ, ſed una tantum iudicari ualeat? & ab eo illas Græci inuentores, tanquam non ſuas accipiant? Quod autem ad Latinam linguam attinet, eruditi omnes uno ore fatentur, ſi illa funditus perijſſet, unius'que Ouidij ſcripta ſupereſſent, ex ijs facillimè eam reſtitui poſſe. Sed Marullũ reclamantem uideo, atq; ita mecum agentem

tem, in aliis quidẽ scientijs mediocres authores tolerari posse, in poësi non item, ex Horatij sententia in Arte poëtica ita scribentis:

Consultus iuris, & actor
Causarum mediocris, abest uirtute diserti
Messalae: nec scit quantum Cassellius Aulus,
Sed tamen in precio est, mediocribus esse poëtis,
Non homines, non dij, non concessere columae.

At hic Marulle, mediocre illud nomen, non in eum qui summus esse non potest, sed in illum potius cadit, in quo plura improbare quàm laudare possis, quod idem Horatius satis apertè tertio Carminum libro ostendit, quum ait,

Non si priores Maeonius tenet
Sedes, Homerus, Pindaricae latent,
Caeaeq;, & Alcaei minaces,
Stesichoriq; graues camoenae:
Nec si quid olim lusit Anacreon,
Deleuit aetas, spirat adhuc amor,
Viuuntq; commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

Idem & in Epistolis designat,

Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen iccirco contemnas lippus inungi,
Nec quia desperes inuicti membra Gliconis,
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra.

Ipse quoq; Horatius, non ideo est à scribendo deterritus, quòd Pindarus nulli ob beatam rerum uerborumq; copiam sit imitabilis: sed magnae sibi laudi fore arbitratus est, si inter mediocres Lyricos posset recenseri. Iam Cornelij Galli scripta, quamuis dura plerisq; uiderentur, utinam nõ penitus excidissent. Nam quae illius nomine adumbrata circumferuntur, nihil minus quàm ueterem elegantiam & lepôrem sapiunt: ut ex primis quatuor eius operis uersiculis, quiuis in bonorum poëtarum lectione uersatus, nebulonem aliquem, illam nobis fecem obtrusisse, acu (quod aiunt) tangere possit: prout & in Macri de Herbis opusculo factum uidemus, quod qui pro Macri poëmate nuper diuulgauit, nae & Macrum se ille, & macilentum, & insulsum esse praeclarè ostendit. Sed ad te redeo Marulle. Si de Graecis poëtis idem iudicium facere uoluisses, in angustissimum locum eos, & perexiguum numerum coarctasses. Siquidem cum unus tantũ in quouis genere gradus dari debeat, ex heroicis unum Homerum, Antimacho, Hesiodo, Arato, Apollonio, & alijs plerisq; exclusis, admisisses: quorũ quisq; lõgè est ab Homero remotior, quàm à Virgilio Ouidius: & fortè Statius, & Lucanus. Si de Lyricis pronunciasses, unico Pindaro fuisses contentus: Stesichorus, quia redundat atq; effunditur, tibi non placuisset. Alceum non laudares, quia maioribus aptus, nõ ita feliciter ad minora descendit. Simonidis tenuitatem derideres: Alcman tam acuto iudicio non fecisset satis. Sapphus puellae amores semiuir Marullus reiecisset. Ibyco, uel quod Italus fuit, uel quod nimio amore flagrauit, nigrum theta praefixisset. Anacreonti & Bacchilidi dixisset diem: & ne nimis omnia exquiramus, quàm minimus esset Graecorum poëtarum numerus? Nisi enim in tuis idem fecisses, omnes Latinos pariter tibi inuisos fuisse suspicaremur. Vnum admiror, Virgilium esse inuentum, qui huic Momo placere potuerit, ùt (quae est hominis benignitas) nonnihil ei Martem debere decernat. Et sequitur noster censor, Terentio soccus leuis. Nos quia superius de

B

perius de Plauto nō pauca diximus, hunc locum, leui (ut aiunt) pede pertrāsibimus. Nam Plautum iste sat scio, non probaret, qui poëtas honorare uerius quàm onerare decreuit. Et subdit: Cothurnus olim nemini satis multum. At nec rectum tibi iudicium admodum debet Marulle: quod cum prauissimum habueris, non contentus de ijs qui ad manus nostras uenerint pronunciare, in eos etiam quorum scripta legere non potuisti, censuram excerces: dignus, qui de Alexandria à milla dei, aut Architrenij scriptis iudicares. Quisquis certè quàm hic arbiter in meridie caligauerit, dignoscere cupit, sciat Pacuuium olim, Acciumq́, grauissimos uiros, dignè eleganterq́ comœdiam scripsisse: in quibus cū multæ enituerint uirtutes, Pacuuius tamen docti nomen, alti Accius doctorum consensu est assecutus. Verum ut aliquid ijs olim debuerit cothurnus, in Varij Thyeste, quem Fabius Quintilianus cuilibet Græcorū comparari potuisse affirmat, quid optasses ex argilla homule, & luto ficte? quid in Ouidij Medea? in quibus quicquid à tragicis exigi potest, maiores nostri facile compererunt. An dices, Istorū ego scripta nunquam legi? At tu dum olim, inquis, illos etiam excludis, quos nunquam uidisti, nisi Aetalides quondam Mercurij filius fueris, deinde in Euphorbum Panthoidem, qui Troiano bello interfuit, immigraris, postea in Hermotimum, tum in Pyrrhum Delium piscatorem, atq́ inde in Pythagoram, per longam demum annorum seriem in Marullum Byzantium desieris, qui tanquam è tripode de Romanis poëtis responderes. & postquam cothurnū nemini olim satis multum debuisse affirmaueras, hunc uersiculum subiungeres: Horatio satyra, & chelis. Quo loco demiror Marulle, quo'nam pacto Horatium aliquid in Lyricis meruisse tam tristis arbiter decreueris, cum ipse in Carminū libris, ubi Pindari laudes artificiosè exequitur, quem cygno etiam nubium tractus uocis magnitudine ac dulcedine superanti comparat, semetipsum apiculæ dicat similem, quæ cum exiguæ sit uocis, circa humillima semper uolitat, nec quicquam nisi per plurimum laborem assequitur. Sed hæc fuit nimirum consilij tui ratio, ut tuos istos uersiculos in latrinam quampiam discissos laceratosq́ conijciendos fore pro certo haberes, si tam cultum, tam elegantem poëtam, tam deniq́ doctissimo cuique probatum, ut nemo non eum Virgilio, quamuis longo interuallo, secundum esse contendat, omnino reiecisses. Verū dum hunc errorem uitas, in alium multo maiorem incidisti, dum illi uni satyram nescio quid debere submurmuras. qua in re non dissimulare potes, hoc fuisse consilium tuum, ut cum Horatium poëtæ nomine ornare uelles, hoc innueres, Romanos, nisi Horatium habuissent, & lyra pariter, & satyra fuisse carituros: qua in re quàm altè dormitaueris, omnibus est perspicuum. Quamuis enim satyra à tragœdia primò, mox ab antiqua comœdia emanarit, quod & Flaccus in Sermonibus testatur, dum omnem Lucilium ab Eupoli Cratino ac Aristophane pendere ait: satyra tamen, quæ noua dicitur, tota Latinorum est. In qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius: qui licet Horatio lutulentus fluere uisus sit, omnibus tamen mirificè arrisit. Scripsit satyram post Lucilium ipse Horatius, non eadem qua ille acerbitate, sed per risum quodammodo, iocumq́ uitia hominibus exprobrans. quod & ipse de se fatetur author, quum ait:

Quanquam ridentem dicere uerum,
Quid uetat? Et Persius magis apertè, his uersibus:
Omne uafer uitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.

Floruit

Floruit poſt Horatiũ in hoc poëmate A. Flaccus Perſius Volaterranus, cum tãta multorum admiratione, ut palmam illi de ſatyra deferre nõ dubitent. Quem Quintilianus etiam multũ ueræ laudis, quamuis unico libro, meruiſſe affirmat. Scripſit ultimo loco ſatyram Iunius Iuuenalis Aquinas, de quo cũ eodem tempore uixerit, paucis agit idẽ Quintilianus. Sũt clari, inquit, hodie quoꝗ, & qui olim nominabuntur: Quis autem ex horum numero fuerit in hoc opere præcipuus, licet multi (ut fieri ſolet) Luciliũ omnibus etiam poëtis præpoſuerint, aliqui Horatium, Perſium pleriꝗ maluerint, palma tamen frequenti meliorũ conſenſu Iuuenali eſt delata: Quod ut eruditiſſimo cuiꝗ eſt perſuaſum, ita & Acrõ Horatij interpres nõ diffitetur. Deniꝗ, ait, niſi Iuuenalis ſcripſiſſet, iſto (de Horatio loquitur) nemo eſſet melior. Quæ cũ ita ſe habeant, quis nõ hunc Marullũ Anticyrã nauigare compellat? quòd in eo poëmate, quod propriũ eſt Latinorũ, unicum Horatiũ probet, ac cæteros etiam meliores excludat? Sed ad reliqua pergamus. Natura, inquit, magni uerſib. Lucretij, Muſæo lepôre illitis. Aliqua uenia dignus Marulle uideri poteras, ſi Iuuenalem ac Perſiũ iccircò reieciſſes, quòd parũ fortè ad eloquentiam poſſent cõferre: niſi Lucretio tantũ tribuiſſes, quem in hac parte uehementer improbat Quintilianus. Decimo namꝗ Oratoriarũ inſtitutionũ libro ſic inquit: Nam Macer & Lucretius legendi quidẽ ſũt, ſed nõ ut phraſim, hoc eſt corpus eloquentiæ faciãt. Elegantes in ſua quiſꝗ materia, ſed alter humilis, alter difficilis. Quę uerba, quàm parũ ſobriũ, quamꝗ inconſtans ſit iudiciũ tuũ, non obſcurè indicant. Cum enim Ouidiũ quaſi laſciuũ reijceres, nõ erat cur Lucretio difficili tantopere faueres, ut et magnũ diceres Lucretiũ, & eiuſdẽ uerſus Muſæo lepôre illineres: quæ quorſum ſpectẽt nõ uideo, niſi Lucretio fortè plus quàm Virgilio tribueris. Et ſubdit: Epigramma cultũ teſte Rhallo adhuc nulli. Quis ſit iſte Rhallus, nec ſcio, nec ſcire admodũ laboro. Hoc quidẽ nõ me latet, epigramma cultũ (Plinio iuniore ac Iouiano Pontano teſtib.) aliquid Valerio Martiali artificioſiſſimo illorũ ſcriptori debuiſſe. Epigrãma cultũ Rhallo & Marullo teſtib. adhuc nulli: multis tamen teſtib. & Rhallo & Marullo meliorib. nonnihil Auſonio Gallo debuit, qui unico, quod in Nioben marmoream luſit epigrãmate, ſic aures tuas (niſi fortè mentitur Crinitus) oblectauit, ut nihil eo nec apud Græcos, nec apud Latinos pulchrius, abſolutiuſꝗ eſſe iuraueris. Epigramma ipſum ſubijciam, ut lectori in promptu ſit.

Viuebam, ſum facta ſilex: quæ deinde polita
Artificis manibus, uiuo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, ſed ſine ſenſu:
Hunc ego, cum læſi numina, non habui.

Epigramma cultũ, teſte Rhallo, adhuc nulli: Cicerone tamen teſte, qui ſi non Rhallo par, proximus tamẽ fuit, aliquid debuit Q. Catulo, cuius carmina quãuis interciderint, ex unico tamen illius tetraſticho, quod in Roſciũ luſit, quantũ illi cultũ epigrãma debuerit, manifeſtè docemur. Catuli in Roſciũ uerſus hi ſũt,

Conſtiteram exorientem auroram fortè ſalutans,
Cum ſubito à læua Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat cœleſtes dicere ueſtra,
Mortalis uiſus pulchrior eſſe Dea.

Qui ſi cum Auſonianis cõferantur, hi aurei quidem, illi ferrei uidebuntur. Nec cuiquam eſſe hoc nouum debet, cum peculiare fuerit Catulorũ lingua Latina egregie uti, quod libro primo Officiorũ teſtatur M. Tullius, ita ſcribens: Verũ alterũ exercitatio augebit, alterũ imitatio preſſè loquentiũ, & leniter, quod fuit

in Catulis, ut eos exquisito iudicio putares uti literarũ, quanquã erant literati, sed & alij. Hi autem optime uti lingua Latina putabantur, sonus erat dulcis, literæ neq; expressę, neq; oppressæ, ne aut obscurũ esset, aut putidũ, sine cõtentione uox, nec lãguens, nec canora. uberior oratio L. Crassi, nec minus faceta. Sed beneloquendi de Catulis opinio nõ minor. Designauit autem eo epigrammate Quintus Catulus Rosciũ illũ comoedũ præstantissimũ, quem Cicero in iudicio defendit, Horatius doctũ appellat. Is quamuis peruersos haberet oculos, elegantissimus tamen fuit: quod etiam aruspices de eo futurũ patri respõderant, prout M. Tullius libro primo de Diuinatione testatur, ita scribẽs: Quid amores ac deliciæ tuæ Roscius? Nũ aut ipse, aut pro eo Lanuuiũ totũ mentiebatur? qui cũ esset in cunabulis, educareturq; in Selonio, qui est campus agri Lanuuini, noctu lumine apposito experrecta nutrix, animaduertit puerũ dormientem circũplicatũ serpentis amplexu, quo aspectu exterrita clamorẽ sustulit: pater autẽ Roscij ad aruspices retulit, qui responderunt nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. atq; hanc speciem Praxiteles cælauit argento, & noster expressit Archias uersibus. De hoc eodẽ Roscio idem Cicero libro primo de Oratore sic ait: Sępe enim soleo audire Rosciũ, quũ ita dicat, se adhuc reperire discipulũ, quem quidẽ probaret, potuisse neminẽ: nõ quòd nõ essent quidam probabiles, sed quia si aliquid modò esset uitij, id ferre ipse nõ posset. Nihil est enim tam insigne, nec tam ad diuturnitatẽ memorię stabile, quàm id in quo aliquid offenderis. Itaq; ut ad hanc similitudinem huius histrionis oratoriã laudem dirigamus, uidetis ne, quàm nihil ab eo nisi perfectè, nihil nisi cũ sũma uenustate fiat, nisi ita ut deceat, & uti omnes moueat atq; delectet? Itaq; hoc iamdiu est cõsecutus, ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur. Et libro secundo, de eodẽ: Quanquàm soleo, inquit, sæpe mirari eorũ impudentiã, qui agunt in scena gestum spectante Roscio. Quis enim sese cõmouere potest, cuius ille uitia nõ uideat? Et pro Archia: Quis nostrũ, ait, tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscij morte nuper nõ cõmoueretur, qui cum esset senex mortuus, tamẽ propter excellentem artem ac uenustatem, uidebatur omnino mori non debuisse. Hæc de Roscio M. Tullius: quem alibi, nisi fallor, nõ sine labore ac stomacho docuisse affirmat. nec mirũ. Quo enim quisq; (ut in Roscianæ fragmento legimus) est solertior, & ingeniosior, hoc docet iracundius, & laboriosus: quod enim ipse celeriter arripuit, id cũ tardè percipi uidet, discruciatur. Aulus autem Gellius, ut ad cultũ epigramma reuertamur, decimo nono Noctiũ Atticarũ libro, Valerij Aeditui ueteris poëtæ duo recenset epigrãmata, Portij Licinij unicũ, eiusdem Q. Catuli alterũ, quibus mundius, uenustius, limatius, pressius, græcũ latinum'ue nihil quicquam reperiri putat. Ea quia digna sunt, quæ nõ modò apud Gelliũ, sed ubique legantur, subijciam, ut manifestò uideamus, quàm sint Ausonianis carminibus iucundiora, elegantioraq;. Aeditui uersus hi sunt:

Dicere cum conor curam tibi Pamphila cordis,
Quid mi abs te quæram, uerba labris abeunt.
Per pectus miserum manat subito mihi sudor,
Sed tacitus, subidus: duplo ideo pereo.

Eiusdem sunt & hi, prioribus non minus dulces, lepidiq;:

Quid faculam præfers phileros, qua nihil opus nobis?
Ibimus, hic lucet pectore flamma satis.
Istam non potis est uis sæua extinguere uenti,
Aut imber cœlo candidus præcipitans.

At contra hunc ignem Veneris, si non Venus ipsa,
Nulla est quæ possit uis alia opprimere. Portij Licinij hi sunt:
Custodes ouium uidere propaginis ignem:
Quæritis ignem? ite huc. quæritis? ignis homo est.
Si dig, ito attigero, incendam syluam simul omnem:
Omne pecus flamma est, omnia quæ uideo. Item Q. Catuli:
Aufugit mi animus, credo (ut solet) ad Theotimum
Deuenit: sic est, perfugium illud habet.
Quid, si non interdixem ne illum fugitiuum
Mitteret ad se intrò, sed magis eijceret?
Ibimus quæsitum, uerum ne ipsi teneamur
Formido. quid ago? da Venus consilium.

Hęc porrò quid aliud, q̃ nos eorũ quę amisimus desiderio excruciant, cũ ex paucis antiquorũ in scribẽdo epigrãmate p̃stantiã, quasi leonẽ (ut aiũt) ex unguib. cognoscamus? Et addit Marullus: Docto Catullo syllabę. Hic Marulle latini omnes uno ore tibi gratias agunt, quòd syllabas Catullo aliquid debuisse affirmas. Verebant enim, ne qui lasciuũ Ouidiũ aspernabaris, Catullũ, uel utriusq; Plinij iudicio duriorẽ, hoc tuo edicto expũgeres. Et iambicũ absoluens: Hos, ait, si quis inter cæteros locat uates, Onerat q̃ honorat uerius. Itaq; nil aliud superest, nisi ut omnes posthac Marulli nomine admoneamus, ut à reliquis poëtis in posterũ abstineãt. Si quis eñ aut Ouidiũ, aut Propertiũ legerit, operã ludet, Marullo authore. Tũ à Plauto quisque abstineat, qui comœdiã onerauit, q̃ honorauit uerius. Persiũ aut Iuuenalẽ, qui cũq; semel lectitarit, in patrios cineres, aut triste bidẽtal minxisse uidebitur. Lucanũ, aut Statiũ qui cõmendarit, intestabilis sacerq; esto. Nam Ausoniũ & Claudianũ, hũc Aegyptiũ, illũ Gallũ, facilè cõtẽnet Gręcus homo. Quin tu potius Marulle cũ tuis Rhallis abi in malã pestẽ, malũq; cruciatũ: quicq; tuũ istud edictũ iterũ æquo animo legere poterit, is fateatur se quid æra lupinis distent, nõ cognoscere. Tũ quicũq; Crinitũ tuæ laudis studiosissimũ, nõ esse Aesopi corniculã iudicarit, is nihil se nõ inuita Minerua dicere aut facere, minime ambigat. Quoniã tamẽ sũt nõ pauci, qui postq̃ huiusmodi uenena semel imbiberint, ne sententiã mutare cogantur, aliter eorũ uerba interpretant, q̃ ab ipsis authorib. fuerint prolata: nonnullos audiui, ita hoc loco Marullũ excusantes, ut illũ cęteros poëtas nõ exclusisse, sed sex tanquã eximios seposuisse dicãt, quib. iniuriam sint facturi, qui eos cũ alijs in ordinẽ redigere uelint. Sed est hoc maximè ridiculũ, & eòdẽ redit. Quisquis enim Tibullũ nõ honorat, sed onerat, si cũ Propertio eũ collocet, quid sẽtit aliud, q̃ indignũ esse Propertiũ, quẽ in excellentiũ catalogũ adscribas? Demũ idẽ est, sex poëtas à Marullo in albũ receptos, ita alijs pręstitisse, ut cũ eis in ordinẽ nõ sint redigendi, quod Plautũ, Ouidiũ, Propertiũ, Iuuenalẽ, ac Persiũ, ita esse aspernãdos, ut in optimorũ subselliũ nõ sint admittendi. Nec inficias ibo, P. Virgiliũ frigidissimè à Marullo laudatũ, talẽ esse, ut alios quantũuis lõgo interuallo pręcedat. Sed cur cedat Plautus Terentio? cur Tibullo Propertius? Cur in satyra Horatio Iuuenalis? cur ubi Catullũ nominas, te Ouidij pigeat? At ille hendecasyllabo est sũmus. Sed Ouidio in heroico uersu, præter Virgiliũ, quẽ anteponas? Lucretiũ inquis, quia de Philosophia scripsit. At hic fabulas (ut de utriusq; eruditione sileã) longè elegantius, cultiusq;. nisi in hoc Lucretius præstiterit, quod ita cecinerit de Epicuro: Ipse Epicurus obit, decurso lumine uitæ, Qui genus humanum ingenio superauit, & omnes
Perstrinxit stellas. exortus uti ætherius sol.

Et hæc de Marullo. Locus enim postulare uidetur, ut ad Pacæũ ueniamus: qui in libro de Doctrinæ fructu, præcipitanter (ut ipse testatur) scripto, & in eo loco, ubi

nec doctorũ cõmerciũ, nec ulli eſſent libri, nempe Cõſtantiæ in publica caupona, in publico hypocauſto uolui dicere, ut ſolus aliquid Græce ſcire uideretur, tã ſeuerè Latinos omnes peſſundat, ut fungos lapidesq; fuiſſe deſignet, qui Romãos multis in reb. Græcos nõ æquaſſe ſolũ, ſed etiam ſuperaſſe crediderũt. Is Pacæus poſtquàm in eo quod modò nominaui opuſculo, deos hominesq; tãquam è tragœdia uel iure uel iniuria loquẽtes introduxit, quaſi prętor ad hũc modũ edicit: Hic inſurgit neſcio quis cõtra me, Aſſeueras'ne tu omnes indoctos eſſe, & fore, niſi qui græce ſciant? Nõ hoc dico, inquam, Imò fateor multos doctos eſſe poſſe, qui nec græcè, nec latine ſciãt, ſi benigna natura uim largiatur ingenij: quales fuerũt Hebræi, & Chaldæi. quos tamẽ tantũ ſuperarũt Græci, quantũ Latini cedũt Græcis. Ratio ſeipſam profert, nec multis utendũ eſt argumẽtis. Apud Chaldæos nihil fermè eſt, apud Hebræos parũ: quod tamẽ eſt, bonũ eſt, quia ad Vetus teſtamentũ intelligendũ nõnihil cõfert. Apud latinos uerò quicquid apparet propriũ, ut in arte dicẽdi, & in hiſtoria, hoc totũ quaſi mutuo ſumptũ eſt à Græcis. Nam Ciceronem, quãtus eſt in arte oratoria, Quintiliano id cõfitente, fecit Demoſthenes, & Iſocrates: in philoſophia uerò, Plato & Ariſtoteles: quorũ alterũ diuinũ, alterũ ſapientiſſ. ut doctiſſimos Græcos ſæpe appellat. Sed philoſophia adeò apud Latinos manca eſt, ut nihil poſſit eſſe eruditis auribus ſtultius, quàm latinos philoſophos cũ Græcis cõparare: quo in genere nec Ciceronẽ quidẽ ipſũ (quod eius uenia dictũ ſit) excipio. Porrò in hiſtoria ſunt latini octo, uel ad ſummũ nouem probati, quos omnes meo iudicio unus ſuperat Thucydides, cui cur tã parũ tribuit Cicero, uiderit ipſe, longe diſſentiens à Demoſthene, omnis eloquentię fonte, quẽ ſua ipſius manu Thucydidẽ octies ſcripſiſſe cõſtat. Nempe admiratur id quod eſt, maximã eloquentiã cũ ſũma prudentia, pulcherrimis dicendi ornamẽtis aſperſa, cõiunctã. Præterea in theologia omne Nouũ teſtamentũ Gręcũ eſt, atq; in id Græci pręclariſſimi uiri, cũ alij, tũ ſancti ſcripſerũt. A quorũ hortis, qui ſũt apud latinos præcipui, ut Heronymus & Auguſtinus, oẽs ſcientiæ ſuæ floſculos decerpſerũt. Hæc Pacæus. Mitto dicẽdi elegantias, quib. hic ſermo refertus eſt, (quàm enim incõptè dictũ eſt illud? Hic inſurgit neſcio quis cõtra me. &, Quod tamẽ eſt, bonũ eſt) atq; ipſam rem aggredior. Cõmendat primo Græcas literas. Iã hic nõ mediocrẽ agnoſcas hominis prudẽtiã, cũ id ſentit, quod nemini antea fuit perſuaſũ. Ita enim cenſebãt noſtri, græcas literas ijs qui latinas profiterentur, parũ prodeſſe. Sunt iſta ut dicimus, an potius Romani ferè omnes, uel poëtę, uel oratores, uel etiã philoſophi, & hiſtorici, in Gręciã, cũ adhuc ſtarent Athenæ, ad cõdiſcendas eorũ linguas moresq; cõcedebãt? An aliquis uel mediocris doctrinæ famã conſequi potuit, qui nõ græcè doctus fuerit? At hodie plurimos eſſe ait, qui græcas literas contemnant. Nõ inficior: ſed pauci etiã inueniũtur, quos uerè literatos appellare poſſimus. Multos deinde fatetur Pacæus doctos eſſe poſſe, qui nec græce, nec latine ſciant, dum tamen ingenij uim à naturæ benignitate acceperint, quales fuere Hebræi & Chaldæi. Quid eſt hoc? quales fuerũt uel Hebræi, uel Chaldæi? Quid? ſi quis ita ſit hebraicè doctus, ut multos hodie Hebræos cognoſcimus, num'nã cadet in eũ hæc ingenij uis à naturæ benignitate proficiſcens? An Hebræi olim docti fuerũt, hodie nõ ſũt? Ille uerò, qui bonũ ingeniũ naturæ debet, niſi aliquã ſcientiã didicerit, nũ doctus rectè uocabitur? Et ſubdit: Chaldæos, Hebræosq; tam à Græcis fuiſſe ſuperatos, quàm Latini cedũt Græcis: quod nõ tàm publicũ hypocauſtũ, quàm priuatã popinam ſapit. Enimuerò ut Latinos in aliquib. ſcientijs Græcis inferiores fuiſſe cõcedamus, quis eſt tã egregie impudens, qui Hebræos Chaldęosq; cũ Romanis cõferre audeat, ſi eas artes, quarũ græci multas inuenerũt, Latini ita excoluere, ut ad inuentores proximè acceſſerint, Hebræi aũt penitus ignorarũt? cũ in Hebræorũ literis Pacæus nihil eſſe aliud

affirmet,

affirmet, quàm quod ad Vetus instrumentū intelligendū nõnihil possit cõferre? Illud porrò, quàm est imperitè dictū? quàm stultè? Apud latinos quicquid propriū apparet, siue in historia, siue in arte dicendi malis, id totū quasi mutuo à Grȩcis sūprū esse? Hoc ego abs te in primis quȩro Pacæe, cū & Oratores & Historicos Grȩci celeberrimos habuerint, cur poëtas omittis, cū apud Græcos antiquissimū è doctis genus sit poëtarū? an nõ meliores illi, pluresq̃ habuerūt poëtas, quàm pfectos oratores? Quid Homero diuinius? quis Pindarū æquare potuit? quis Sophoclem in suo genere, ac Euripidem? quorū nemo peior poëta fuit, quàm orator Demosthenes. Quãtus fuit in comœdia Menander? quantus in elegia Callimachus? Sex tam præstantes oratores nusquàm apud Græcos cõperias, quàm hi poëtæ fuerūt. Proinde nulla in re magis admirabiles Grȩci, quàm poëtis fuerunt. Nã philosophi in hūc ordinem nõ ueniunt. Oratores atq̃ historicos Græcis minimè cedentes habet Latiū. Ex poëtarū quidē classe unicū Homero Virgiliū opponimus, cū ij pro solo Horatio nouē lyricos proferre possint. De comicis nulla est quæstio. Antiqua comœdia nostris ignota fuit, in noua uincit Romanos omnes unus Menander. In tragœdia illi præstant. An dices fortè latinos poësim à Græcis, sicut alias artes, nõ accepisse? an potius nihil esse hypocausto cū poëtis? Quòd uerò hic noster sapiens, nihil omnino latinis tribuit, facit quod hominē exactè imperitū decet. Ac siquis M. Tulliū aliter sentientem Pacȩo produceret, næ ille eum leuissimū diceret authorem. Is tamē primo Tuscul. quæstionū libro, semper se iudicasse ait, Romanos aut inuenisse per se sapitirus quàm Græcos, aut ab eis accepta fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent. Quòd si doctrina superabant Grȩci, serius tamē hæc studia ad nostros transierūt, & poësis prȩsertim, quæ quàm nõ grata diu Romanis fuerit, M. Catonis oratio edocuit, quasi probrū M. Nobiliori obiectans, quòd secū poëtas in prouinciã duxisset. Postquã aūt ad doctrinas animū applicuerūt, quantū in eis breui profecerint, nostri & oratores & historici indicãt, grȩcis nequaquam inferiores, licet plures illi poëtas habuerint. Sed Græci, inquit, priores fuerūt. Verū quidem. Et ea unica est causa. cur illis nostri sēper, ut ȩquū est, assurgant. Neq̃ tamē si posterius uixerūt, idcircò sūt reijciendi. namq̃ & ij qui sūt apud Græcos excellentissimi, nõ ijdē opus & inuenerūt, & absoluerūt. Siquidē cū omniū ferè (eorū inquã qui celebrantur) poëtarū antiquissimi fuerint Homerus & Hesiodus, ante hos tamē uixisse & poëtas alios, nemini est dubiū, et in Bruto testatur Cicero: quod ex eis carminib. quȩ apud Homerū & in Phæacū & in procorū epulis canuntur, colligi potest. Nec tragœdia simul & reperta, & absoluta est. Eam (ut inquit Quintilianus) primus in lucem protulit Aeschylus, sublimis quidem, & grauis, & grandiloquus, sæpe usq̃ ad uitiū, sed rudis in plerisq̃, & incompositus: Horatius tamē in Arte poëtica, Thespim primū hoc poëma inuenisse asseuerat, licet id aliquãto melius palla personaq̃ reperta expoliuerit Aeschylus. Verū hoc opus longè clarius illustrarūt Sophocles atq̃ Euripides, in dispari dicendi figura immortalē laudē sine dubio assecuti. At Cicero, inquit Pacæus, à Demosthene plurima sumpsit: quia scilicet idē fecerat Demosthenes. Quid enim? nõne plurimi & clari quidē oratores ante Demosthenē uixerūt? Fuerant quidē Pisistratus, Themistocles, Pericles, Cleõ, Alcibiades, Critias, Theramenes, Platõ, Aristoteles, Isocrates, uel oratores, uel qui oratori plurimū cõferre potuerint. Magistri uerò dicēdi, Leõtinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedõius, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, & Hippias Helæus, qui Demostheni plurimū profuerūt. Sint ista, ut dicis, respõdebit Pacæus: Sed uicit omnes Grȩcos oratores Demosthenes, & Ciceronem perfectus ipse orator maximè iuuit. Esto hoc, inquã: sed magis est laudandus Cicero, qui pfecto absolutoq̃ Demosthene maior extitit, quàm Demosthenes ipse, qui

Periclē, Lysiā, ac Pisistratū superauit. Quod uerò addit noster diuinus scriptor, M. Tulliū omnia à Gręcis mutuo sumpsisse: tā est absurdū, quàm ipse inter uilissimæ locutionis Beroaldos uix tolerabilis uidetur. Namq; ut M. Tullius rhetoricæ artis pręcepta, quæ ne Demosthenes quidem inuenit, à Demosthene sumpserit, nū tamē omnia illi accepta referre debet? Quid si multa habuit Cicero, quæ in Demosthene nō fuerūt? Sed hoc paulo pòst Fabij Quintiliani testimonio cōfirmabimus, nempe quū aliorū quorūdā maligna de Cicerone iudicia cōfutabimus. Itaq; paulo altius rem repetemus. Vtq; illa tanq̄ leuissima aspernemur, quę superius de Caluo, Pollione, similibusq; attigimus, quis tacitus iniquissimā Plutarchi Cheronei de nostrę eloquentię fonte cēsurā dissimulet? Equidē sæpissimè eius de hac re uerba me legisse fateor, atq; id de Plutarchi sensisse ingenio, quod de omnib. Græcis Romani uerissimè semper existimauere: nullā scilicet gentē ijs sibi magis unq̄ fuisse addictā, nullā æquè atq; illos suorū res esse admiratā. Proinde cū in bellica disciplina uel inuiti nostris fuerint inferiores, literarū palmā ita sibi assumpsere, ut nostros, qui in illis eminentissimi fuerint, nō minus q̄ barbariæ inscitiæq; feces cōtempserint. Atq; eā quidē ob causam, quamuis hic de quo loquimur Plutarchus, satis ueteratoriè gregarios quosdam ac minutos Græcorū duces cū Romanis cōtulisset, neq; se cuiq̄ quod uolebat speraret persuasurū, Gręciā porrò cū Italia imperatorū excellētia posse cōtendere, Demosthenis, Marciq; Tullij uitas non alia de causa scripsit, q̄ ut Romanos eloquētię gloria à nostro oratore suis prærepta omnino defraudaret. Sed nos, qui Plutarchi eruditioni ueterū & Plutarcho in examinandis aliorū scriptis meliorū iudiciū, authoritatemq; opponere ualemus, ipsius de M. Cicerone Demosthenéq; uerba referamus. ἔχει δὲ ἡ λέξις αὐτῷ ὧδε. Ἃ μὲν οὖν ἄξια μνήμης τῶν περὶ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος ἱστορουμένων εἰς τὴν ἡμετέραν ἀφῖκται γνῶσιν, ταῦτ' ἐστίν. ἀφεικὼς δὲ τὸ συγκρίνειν τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἕξιν αὐτῶν, ἐκεῖνό μοι δοκῶ μὴ παρήσειν ἄρρητον, ὅτι Δημοσθένης μὲν εἰς τὸ ῥητορικὸν ἐνέτεινε, πᾶν ὅσον εἶχεν ἐκ φύσεως ἢ ἀσκήσεως λόγιον, ὑπερβαλλόμενος ἐναργείᾳ μὲν καὶ δεινότητι τοὺς ἐπὶ τῶν ἀγώνων, καὶ τῶν δικῶν συνεξεταζομένους· ὄγκῳ δὲ καὶ μεγαλοπρεπείᾳ, τοὺς ἐπιδεικτικούς· ἀκριβείᾳ, καὶ τέχνῃ, τοὺς σοφιστάς. Κικέρων δὲ καὶ πολυμαθής, καὶ ποικίλος τῇ περὶ τοὺς λόγους σπουδῇ γενόμενος, συντάξεις μὲν ἰδίᾳ φιλοσόφους ἀπολέλοιπεν οὐκ ὀλίγας εἰς τὸν Ἀκαδημαϊκὸν τρόπον· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν πρὸς τὰς δίκας, καὶ τοὺς ἀγῶνας γραφομένων λόγων δῆλός ἐστιν, ἐμπειρίαν τινὰ γραμμάτων παρεπιδείκνυσθαι βουλόμενος. ἔστι δέ τις καὶ τοῦ ἤθους ἐν τοῖς λόγοις ἑκατέρου δίοψις. ὁ μὲν γὰρ Δημοσθενικός, ἔξω παντὸς ὡραϊσμοῦ καὶ παιδιᾶς εἰς δεινότητα καὶ σπουδὴν συνηγμένος, οὐκ ἐλλυχνίων ὄδωδεν, ὥσπερ ὁ Πυθέας ἔσκωπτεν, ἀλλ' ὑδροποσίας καὶ φροντίδων, καὶ τῆς λεγομένης πικρίας τοῦ τρόπου καὶ στυγνότητος. Κικέρων δὲ πολλαχοῦ τῷ σκωπτικῷ πρὸς τὸ βωμολόχον ἐκφερόμενος, καὶ πράγματα σπουδῆς ἄξια γέλωτι καὶ παιδιᾷ κατειρωνευόμενος ἐν ταῖς δίκαις εἰς τὸ χρειῶδες, ἠφείδει τοῦ πρέποντος, ὥσπερ ἐν τῇ Καιλίου συνηγορίᾳ, μηδὲν ἄτοπον ποιεῖν αὐτὸν ἐν τοσαύτῃ πολυτελείᾳ καὶ τρυφῇ ταῖς ἡδοναῖς χρώμενον. τὸ γὰρ ὧν ἔξεστι μὴ μετέχειν, μανικὸν εἶναι, καὶ ταῦτα ἐν ἡδονῇ τὸ εὐδαιμονοῦν τῶν ἐπιφανεστάτων φιλοσόφων τιθεμένων. λέγεται δέ, Κάτωνος Μουρήναν διώκοντος, ὑπατεύων ἀπολογεῖσθαι, καὶ πολλὰ διὰ τὸν Κάτωνα κωμῳδεῖν τὴν Στωϊκὴν αἵρεσιν, ἐπὶ ταῖς ἀτοπίαις τῶν παραδόξων λεγομένων δογμάτων. γέλωτος δὲ λαμπροῦ κατιόντος ἐκ τῶν περιεστώτων πρὸς τοὺς δικαστάς, ἡσυχῇ διαμειδιάσας, πρὸς τοὺς καθημένους εἰπεῖν, ὡς γελοῖον ὦ ἄνδρες ἔχομεν ὕπατον. δοκεῖ δὲ καὶ γέλωτος οἰκεῖος ὁ Κικέρων γεγονέναι, καὶ φιλοσκώπτης. τό, τε πρόσωπον αὐτοῦ μειδίαμα, καὶ γαλήνην παρεῖχε. τῷ δὲ Δημοσθένους, ἀεί τις ἐπῆν σπουδή, καὶ τὸ πεφροντικὸς τοῦτο, καὶ σύννουν οὐ ῥᾳδίως ἀπέλειπεν. ὅθεν καὶ δύσκολον αὐτὸν οἱ ἐχθροί, καὶ δύστροπον, ὡς αὐτός φησιν, ἀπεκάλουν. Ἔτι τοίνυν ἐν τοῖς συγγράμμασιν κατιδεῖν ἔστι, τὸν μὲν ἐμμελῶς καὶ ἀνεπαχθῶς τῶν εἰς αὑτὸν ἁπτόμενον ἐγκωμίων, ὅτε τούτου δέοι πρὸς ἕτερόν τι μεῖζον, τἆλλα δ' εὐλαβῆ καὶ μέτριον. ἡ δὲ Κικέρωνος ἐν τοῖς λόγοις ἀμετρία, τῆς περιαυτολογίας ἀκρασίαν τινὰ κατηγόρει, πρὸς δόξαν βοῶντος, ὡς τὰ ὅπλα ἔδει τῇ τηβέννῳ, καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην, τελευτῶν δέ, οὐ τὰ ἔργα καὶ τὰς πράξεις μόνον, ἀλλὰ καὶ

τοὺς

τοῦ λόγους ἐπαινεῖ τοὺς ἡρμοσμένους ὑπ' αὐτοῦ, καὶ γεγραμμένους, ὥσπερ ἰσοκράτης, καὶ ἀναξι-
μένοι τοῖς σοφισταῖς διαμειρακιευόμενος, ὁ τὸν ῥωμαίων δῆμον ἄγειν ἀξιῶν, καὶ ὀρθοῦν, βριθὺν
ὁπλιτοπάλαν δάϊον ἀντιπάλοις. ἰσχύειν μὲν γὰρ διὰ λόγου τὸν πολιτευόμενον, ἀναγκαῖον, ἀγα-
πᾶν δὲ, ἀγεννὲς καὶ λιχνεύειν τὴν ἀπὸ τοῦ λόγου δόξαν, ὅθεν ἐμβριθέστερος ταύτῃ καὶ μεγαλο-
πρεπέστερος ὁ Δημοσθένης. τὴν μὲν αὐτοῦ δύναμιν, ἐμπειρίαν τινὰ πολλῆς δεομένην τῆς πα-
ρὰ τῶν ἀκροωμένων εὐνοίας ἀποφαινόμενος, ἀνελευθέρους δὲ καὶ βαναύσους, ὥσπερ εἰσὶ, τοὺς
ἐπὶ τούτῳ φυσωμένους ἡγούμενος. Hæc de M. Tullio, Demosthenéq; Plutarchus.
Quæ ut quàm feliciter ab aliis, fideq́; Latino sermoni donata fuerint, hoc loco
non discutiam: ipse quidem sic uerto. Quæcumque igitur memoratu digna de
Demosthene ac Cicerone historicis tradita, ad nostram peruenere cognitio-
nem, hæc sunt. Vt autem ipsorum in dicendo confirmatam exercitationē omit-
tam, nullamq́; cōtentionem ac cōparationem faciam, id mihi silentio prætereū-
dū nō uidetur: Demosthenē quidem, qui quicquid uel natura, uel exercitatione
potuit assequi, in rationem dicendi contulit, efficacia & grauitate eos qui sibi in
certaminib. causisq́; fūt aduersati, amplitudine ac magnificentia declamatores,
diligentia autem & arte, dicendi magistros superasse. Cicero uerò doctissimus,
uarioq́; disciplinarū genere instructus, priuata philosophica monimenta iuxta
Academicorū morē cōposita non pauca reliquit. Verūtamen ex orationib. pro
causis certaminibusq́; ab eo scriptis, manifestū est, peritiam quandā literarū illū
ostentare uoluisse. Qui autē fuerint utriusq; mores, ex illorū oratione dispicere
possumus. Demosthenica namq; citra omnem fucū lusumq́;, in grauitatē ac se-
riū deflexa, nō lucernam, sicut Pytheas ille calumniabatur, sed aquæ potū, curā,
acerbitatem morū quam uocant, seueritatemq́; oluit. At Cicero scōmate sæpe-
numero ad scurrilitatem usq; euectus, seriasq́; res risu ac lusu dissimulans, cū in
causis, ualdeq́; grauib. & necessariis uersaretur, à decoro discessit, sicut in Cælii
defensione: Nihil absurdū facere se in tanto luxu & deliciis, uoluptatib. utentē,
earum namq; quū licet participem nō fieri, insanum esse: cum præsertim claris-
simi philosophi felicitatem in uoluptate ponant. Fertur aūt Murenam Catone
reū peragente, consul defendisse, ac sæpe propter Catonem, qui dogmata præ-
ter omniū opinionem, & illa quidem absurda approbaret, comicis conuiciis in
sectatus esse Stoicam disciplinā: multoq́; sanè ob eam rem risu inter eos, qui iu-
dicib. adstabant, coorto, subridēs Cato propè assidentib. dixisse, Quàm ridiculū
ô uiri habemus cōsulem. Videntur uero Ciceroni risus dicacitasq́; familiares ex
titisse. Eius namq; facies risum & tranquillitatem præ se fert, cū Demosthenicæ
semper seriū, cogitatioq́; inesset, nec facile prudentē seueritatem poneret, unde
& difficilē illū inimici, & morib. asperū, ut ipse inquit, uocabant. Sed & idem in
eorū monumentis est uidere, hunc quidem aptè, & citra animi affectū, inuidi-
amq́; suas laudes, si quid maius id exigeret, attingentem, cætera uerecundum,
moderatumq́;. Ciceronis autem in orationibus iterationis immodestia, intem-
perantiam quandam clamitat, & ostentat, gloriosè exclamantis,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Deniq; non opera, neque facta solum, sed & orationes à se dictas scriptasq́; lau-
dat, tanquam cum Isocrate & Anaximene rhetoribus iuueniliter contendat, nō
populum Romanum fortem, bellicosum, hostibus timendum regere conetur.
Et sanè oratione potentem esse decet eum, qui reipublicæ moderetur. Cæterum
amare atq; aucupari ex sua oratione gloriam, ingenerosi hominis est. Vnde gra
uior hac de causa, & magnificentior est Demosthenes, uim illam suam usum
quendam multa auditorum beneuolentia indigentem esse ostendens: illibera-
les autem

les autem & ſordidos, ut ſũt, qui hac de cauſa turgent, exiſtimans. Quibus uerbis cum nihil unquam magis temerè, ne dicam abſurdè prolatum, ſcriptum'ue fuerit, ita ea refellam, ut non præter rem à Plutarcho totis uiribus uidear diſſenſurus. Negat ſe ullam utriusque eloquentiæ comparationem facturum. Atqui aut id maximè erat expediendum, aut de utriusq; in foro præſtantia prorſus ſilendum. Et qui tùm aliorũ, tum Demoſthenis, Ciceroniſq; in multis morũ uitæq; ſimilitudinem utcunq; attingere decreuerat, qua ratione, cum ij nulla alia re quàm oratoria arte fuerint inter ſe magis ſimiles, utriuſq; in ea collationẽ omiſerit, non uideo. Sed ut id iuſtiſſima de cauſa non explicarit, ita certè Demoſthenem extulit, ut nõ potuerit magis: ita Ciceronem depreſſit, ut de ſcurra aliquo, non de uiro eloquentiſſimo, publicasq; res adminiſtrandi peritiſſimo pronunciare uiſus ſit. Ac ne ijs quæ Demoſthenem laudans ſcripſit, quicquam detraham, cũ illum in ſuo genere, & apud ſuos ſummè excelluiſſe non ignorem, quis tamen tulerit Plutarchũ iccirco Ciceronem uituperantem, quòd quædam partim natura, partim arte ſibi comparauit, quæ in Demoſthene nemo unquam cognouit? Demoſthenes, inquit, cũ omnem naturæ uim, omnemq; exercitationis induſtriam in oratoriam artem contuliſſet, omnes rhetores omnibus oratorijs uirtutibus ſuperauit. Cedò, quid tum? Cicero uerò multiplicis doctrinæ uir in philoſophia nõ pauca compoſuit: in orationibus quas reliquit, peritiam quandam literarũ uoluit oſtentare. At tuis manibus perpetuos cruciatus, ſcriptis autem profundiſſimas tenebras dent Dij, Deæq;, qui tam eleganter Ciceronem laudare noris. Philoſophica, ait, pleraq; conſcripſit, non re, ſed oſtentatione orator. Quin potius quid hoc eſt aliud, quàm nigræ loliginis ſuccus, (ut ait Horatius) & ærugo mera? An non ſic Achillem, quod optimè ad citharam canere, Iuliumq; Cæſarem, quod nõ uulgaris fuerit aſtrologus, laudaremus? cum eorum neuter cithara, aſtrorumq; peritia, ſed uterq; bellica laude cõmendetur? Quapropter quòd ſummam Plutarchus philoſophiæ cognitionem Ciceroni fuiſſe aſſerit, id perſuaſum habet, quod eſt per ſe notiſſimum. Quòd uerò de eloquentiæ oſtentatione neſcio quid ſubmurmurat, inuidi Græci officium præſtat: cũ alij ita didicerint, in M. Tullio multis ſcientijs ornatiſſimo, ita forenſem laudem enituiſſe, ut nõ ſolum noſtris, ſed ipſi quoq; Demoſtheni meritò ſit anteferendus, uidelicet qui pluribus quàm ille uirtutibus polluerit. De quibus ipſe contra Plutarchum nihil dicere auderem, niſi Fabium Quintilianum, non Italum illum (ne ſuorum id auribus dare uoluiſſe iudicetur) ſed Hiſpanum ſcriptorem de Græcis Latiniſq; æqua lance iudicantem poſſem proferre, qui ea decimo Oratoriarũ inſtitutionũ libro tradat, quibus omnib. Ciceronis calumniatorib. mirificè reſpondeat. Ait autem: Oratores uerò, uel præcipuè Latinam eloquentiam parem facere Græcæ poſſunt. Nam Ciceronem cuicunq; eorum fortiter oppoſuerim. Nec ignoro, quantam mihi concitem pugnam, cũ præſertim id nõ ſit propoſiti, ut eum Demoſtheni cõparem hoc tempore. neq; enim attinet, cum Demoſthenem in primis legendũ, uel ediſcendũ potius putem: quorũ ego uirtutes pleraſq; arbitror ſimiles, conſiliũ, ordinem diuidendi, præparandi, probandi rationem, omnia deniq; quæ ſũt inuentionis. In eloquendo eſt aliqua diuerſitas. denſior ille, hic copioſior: ille cõcludit aſtrictius, hic latius pugnat: ille acumine ſemper, hic frequenter, & pondere: illi nihil detrahi poteſt, huic nihil adijci: curæ plus in illo, in hoc naturę. Salib. certè & cõmiſeratione (qui duo plurimũ affectus ualent) uincimus: et fortaſſe epilogos illi mos ciuitatis abſtulerit. Sed & nobis illa, quæ Attici mirantur, diuerſa Latini ſermonis ratio minus permiſerit.

miserit. Cedendum uerò in hoc quidem, quod & ille prior fuit, & ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi uidetur M. Tullius cum se totũ ad imitationem Græcorum contulisset, effinxisse uim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec uerò quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas, uel potius omnes ex seipsô uirtutes extulit, immortalis ingenij beatissima ubertate. Non enim pluuias (ut ait Pindarus) aquas colligit, sed uiuo gurgite exundat, dono quodam prouidentiæ genitus, in quo totas uires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, mouere uehementius potest? Cui tanta unquam iucunditas affuit? ut ipsa illa quæ extorquet impetrare eum credas: & cum transuersum ui sua iudicem ferat, tamen ille non rapi uideatur, sed sequi. Iam in omnibus quæ dicit, tanta authoritas inest, ut dissentire pudeat: nec aduocati studium, sed testis, aut iudicis afferat fidem. Tum interim hæc omnia, quæ uix singula quisquam intẽtissima cura consequi posset, fluunt illaborata: & illa, qua nihil pulchrius auditu est, oratio, præ se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus ætatis suæ regnare in iudicijs dictus est. Apud posteros uerò id consecutus, ut Cicero iam non hominis, sed eloquentiæ nomen habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc propositum sit nobis exemplum: Ille se profecisse sciat, cui Cicero ualde placebit. Hic Quintiliani locus Plutarchum quidem malignitatis, inuidiæq;, Pacæum uerò dementiæ notat. Sed aliquis fortè hoc loco sic me impetet, ut uera esse quæ de M. Tullio Quintilianus scripta reliquit, non eat inficias: dum hoc certum esse fateamur, eum quem tam diuinum nouimus, risus dicacitatisq; fuisse amantissimum, resq; grauissimas sæpe scommate dissimulasse, cum Demosthenes serium quiddam semper & seuerũ præ se ferret. Ego uerò ut Demosthenem non à seueritate, quæ homines mœstos, tetricosq; facit, sed ab atra, ut sic dicam, bile semper detentum fuisse concedam, num tamen M. Tullium, quòd paulo lætior, hilariorq; fuerit, protinus damnabo? Atqui Demosthenes cum aspero illo suo atque obscuro uultu, cumq; oratione omni fuco uacua, frequenter à Demade, ac Phocione, quem suorum uerborum securim quandoq; appellauit, in iudicijs uictus fuit: cum M. Cicero risum, loci, rei, temporisq; ratione habita, iudici mouendo, nihil in Romana urbe non obtinuerit: cum Catonem, Seruium Sulpitium, aliosq; primarios in republica ciues, quum uoluit eluserit. Pernecessarium autem oratori esse risum, iudicis mouendi artem, qua Demosthenes non tam de industria quàm natura caruerit, author est idem Fabius, libro sexto ita scribens: Huic diuersa uirtus, quæ risum iudicis mouendo, & illos tristes soluit affectus, & animũ ab intentione rerum frequenter auertit, & aliquando etiam reficit, & à satietate uel à fatigatione renouat. Quanta sit autem in ea difficultas, uel duo maximi oratores, alter græcę, alter latinæ eloquentiæ principes docẽt. Nam pleriq; Demostheni facultatem huius rei defuisse credũt, Ciceroni modũ. Nec uideri potest noluisse Demosthenes, cuius pauca admodũ dicta, nec sanè cæteris eius uirtutibus respondentia palàm ostendũt, non displicuisse illi iocos, sed nõ contigisse. Noster uerò nõ solũ extra iudicia, sed in ipsis etiã orationibus habitus est nimius risus affectator. Mihi quidẽ, siuè id rectè iudico, siue amore immodico præcipui in eloquentia uiri laboro, mira quędam uidetur in eo fuisse urbanitas. Nã & in sermone quotidiano multa, & in altercationib. & interrogandis testib. plura quàm quisquã dixit facetè: & illa ipsa quæ sũt in Verrẽ dicta frigidius, alijs assignauit, & testimonij loco posuit, ut quo sũt magis uulgaria, eò sit credibilius illa ob oratore nõ ficta, sed passim esse iactata.

Vtinamq;

Vtinamq; libertus eius Tyro, aut alius quiſquis fuit, qui tres hac de re libros eius edidit, parcius dictorũ numero indulſiſſet, & plus iudicij in eligendis quàm in congerendis adhibuiſſet, minus obiectus calumniantibus foret: qui tamen nunc quoq;, ut in omni eius ingenio facilius quid reijci, quàm quid adijci poſſit, inuenient. Hactenus ille: poſt quem & Macrobius, tametſi indignus, qui ubi de Quintiliano loquimur, à nobis nominetur, non eodem animo, ſed cum Plutarcho & Græcis colludens, Ciceronem partim à iocis (ut in cæteris conſueuit) laudare, partim carpere uulpeculæ more uidetur. Iccircò illius uerba ſubiungam, & eò libentius, quòd Plautum eius laudis quodammodo reddit participem. Et iam primo, inquit, animaduerto duos, quos eloquentiſſimos antiqua ætas tulit, comicum Plautum, & oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum uenuſtatem cæteris prҿſtitiſſe. Plautus quidem ea re clarus fuit, ut poſt mortem eius comœdiæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen eſſe de iocorum copia noſcerentur. Cicero autem, quantum in ea reualuerit, quis ignorat, qui uel liberti eius libros, quos is de patroni iocis compoſuit, quos quidam ipſius putant eſſe, legere curauit? Quis item neſcit, conſularem eum ſcurram ab inimicis appellari ſolitum? quod in oratione etiam ſua Vatinius poſuit. Atq; ego, ni longum eſſet, referrem in quibus cauſis cum nocentiſſimos reos tueretur, uictoriam iocis adeptus ſit. Vt ecce pro L. Flacco, quem repetundarũ reum ioci opportunitate de manifeſtiſſimis criminibus exemit. Is iocus in oratione nõ extat, mihi ex libro Furij Bibaculi notus eſt, & inter alia eius dicteria celebratur. Et paulo pòſt, ne ſolos Plautum, Tulliumq;, iocis, quos tantopere in eorum altero Plutarchus reprehendit, oblectatos crederemus, ſubdit: M. etiam Cato, ille Cenſorius, argutè iocari ſolitus eſt. Quod ſi Cenſorius Cato omnium fermè qui unquam uixere ſeueriſſimus, idemq; innocentiſſimus, ſerijs quandoq; omiſſis riſum quæſiuit, nònne qui Ciceronem eiuſdem rei cauſa lacerat, omnibus ſe cõuicijs, omnibus exponit opprobrijs? Et ſequitur Plutarchus, Demoſthenem raro ac nõ niſi coactum ſuas laudes attigiſſe, M. uerò Tullium, ſuas immodeſte repetentem, quandam intemperantiam clamitare: quaſi niſi Demoſthenes ſeipſum, ac ſuam eloquentiam extulerit, ilico ſit in cruce ſuffigendus, qui ſuas res geſtas quũ opus ſit exponat: ac non potius in hoc Plutarchi in Ciceronem odiũ dignoſcamus, quòd non tam illum ſua facta, quàm orationes à ſe dictas, ſcriptasq; admirari ſolitum comminiſcatur, cum quandocunq; in ſuarum orationũ, aliorumq; operum mentionem incidit, moderatiſſimè rem tractet, diffuſius aliquando ſui conſulatus tempora commemorans, quòd non minus aduerſariorum ad id maledictis, quàm à ſuis æqualibus Demoſthenes pertrahebatur. Vtque hac quoq; in parte melius ſinceriusq; eundem Fabium, quàm Plutarchũ, cenſoris munus exhibuiſſe perſpiciamus, eius ex undecimo libro uerba proferenda ſunt, ut magni uiri authoritatem, maximi teſtimonio hiſce in calumnijs infringamus. Reprehenſus eſt, inquit, in hac parte non mediocriter Cicero, quanquam is quidem rerum à ſe geſtarum maior quàm eloquentiæ fuit in orationibus utiq; iactator. Ac plerumq; illud quoq; non ſine aliqua ratione fecit. Aut enim tuebatur eos, quibus erat uſus adiutoribus in opprimenda coniuratione: aut reſpondebat inuidiæ, cui tamen non fuit par, ſeruatæ patriæ pœnam paſſus exilium: ut illorum quæ egerat in conſulatu frequens commemoratio, poſſit uideri non gloriæ magis, quàm defenſioni data. Eloquentiam quidem cum pleniſſimã diuerſæ partis aduocatis concederet, ſibi nunquam in agendo immodice arrogauit. Illius ſunt enim: Si quid eſt in me ingenij, Iudices, quod

ſentio

sentio quàm sit exiguum: Et, Nam quo minus ingenio possum, subsidium mihi diligentia comparaui. Quinetiam contra Q. Cæcilium de accusatore in Verrem constituendo, quamuis multum esset in hoc quoq; momenti, uter ad agendum magis idoneus ueniret, dicendi tamē facultatem magis illi detraxit, quàm arrogauit sibi, seq; non consecutum, sed omnia fecisse, ut posset eam consequi dixit. In epistolis aliquando familiariter apud amicos, nonnunquam in Dialogis, aliena tamen persona, uerum de eloquentia sua dicit. Et apertè tamen gloriari, nescio an sit magis tolerabile, uel ipsa uitij huius simplicitate, quàm illa iactatione peruersa, si abundans opibus pauperem se, nobilis obscurū, & potens infirmum, & disertus imperitum planè & infantem uocet. Ambitiosissimum gloriandi genus est etiam, deridere. Ab alijs ergo laudemur, nam ipsos, ut Demosthenes ait, erubescere etiam, cum ab alijs laudemur, decet. Neq; hoc dico, non aliquando de rebus à se gestis oratori esse dicendū, sicut eidem Demostheni pro Ctesiphonte: quod tamen ita emendauit, ut necessitatem id faciendi ostenderet, inuidiamq; omnem in eum regereret, qui hoc se coëgisset. Et M. Tullius sæpe dicit de oppressa cōiuratione Catilinæ, sed modò id uirtuti Senatus, modò prouidentiæ deorū immortalium assignat. Plerumq; contra inimicos atq; obtrectatores plus uendicat sibi. erant enim tuenda, cum obijcerentur. In carminibus utinam pepercisset, quæ non desierunt carpere maligni,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Et,
O fortunatam natam me Consule Romam.

Et Iouem illum, à quo in conciliū deorum aduocatur: & Mineruam, quæ omnes eum artes edocuit, quæ sibi ille, secutus quædam Græcorum exempla, permiserat. Verum eloquentiæ, ut indecora iactatio, sic nonnunquam concedenda fiducia est. Nam quis reprehendat hæc, Quid putem? contemptum ne me? non uideo, nec in uita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenij, quid despicere possit Antonius. Et paulo pòst apertius: An decertare mecum uoluit cōtentione dicendi? Hoc quidem beneficium est. Quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi pro me & contra Antonium dicere? Non possum equidem quin diuinum omnibus in rebus Quintiliani iudiciū uehementissime admirer, cum ipsam semper præ se ferat integritatem, nec ullam unquam Græciæ, Latij'ue rationem habeat, quo minus ea quæ sentit liberrimè proferat: Plutarchus autem postquàm omnia, quæ de quoquā dici possunt, de Demosthene protulit, in Ciceronis uitijs (ut ipse putat) recensendis satis morosè immoretur. Idem quoq; Quintilianus libro octauo, ubi de orationis ornatu exactissimè docet, quanta fuerit M. Tullij in orando excellentia, his uerbis ostendit: Nec fortibus modò, ait, sed etiam fulgentibus armis præliatus in causa est Cicero Cornelij: qui non assecutus esset docendo iudicem tantū, & utiliter demum, ac latinè, perspicueq; dicendo, ut populus Romanus admirationem suam, nō acclamatione tantum, sed etiam plausu confiteretur. Sublimitas profectò, & magnificentia, & nitor expressit illum fragorem. Nec tam insolita laus esset prosecuta dicentem, si usitata, & cæteris similis fuisset oratio. Atq; ego illos credo, qui aderant, nec sensisse quid facerent, nec sponte iudicioq; plausisse: sed uelut mente captos, & quo essent loco ignaros, erupisse in hunc uoluntatis affectum. Hæc Fabius. quibus nihil esset stultius, nihil à uero remotius, nisi Plutarchus ea de Cicerone scripsisset, quæ neq; cœlum (quod aiunt) neq; terram attingunt. Caius item Plinius, neutiquam postponēdus Plutarcho author, septimo Naturalis historiæ libro, sic M. Tullium laudat, ut quicunq; de illo id

censerent, quod Plutarchi uerba sonant, pro asinis uideatur habuisse. Inquit enim: Sed quo te M. Tulli piaculo taceam? quo'ue maximè excellentem insigni prædicem? Quo potius, quàm uniuersi populi illius gentis amplissimi testimonio, & tota uita sua consulatus tantum operibus electis? Te dicente legem Agrariam, hoc est alimenta sua, abdicauerunt tribus: te suadente Roscio theatralis authori legis ignouerunt, notatasq; se discrimine sedis æquo animo tulerũt: te orante proscriptorũ liberos honores petere puduit: tuũ Catilina fugit ingeniũ: tu M. Antoniũ proscripsisti. Salue primus omniũ parens patriæ appellate, primus in toga triumphũ, linguæq; lauream merite, & facundię literarumq; Latinarum parens, atq; (ut dictator Cæsar hostis quondam tuus de te scripsit) omnium triumphorum laudem adepte maiorem: quando plus est ingenij Romani terminos in tantum promouisse, quàm imperij. Facessat ergo tam fatua Plutarchi de tanto uiro censura, atq; ipsum non minus uerè, quàm modestè, hęc de se in Oratore scripsisse minimè ambigamus: Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit. Nobis priuata in causa magna & graui cum cœpisset Curio pater respondere, subitò assedit, cum sibi ereptam uenenis memoriam diceret. Quid ego de miserationibus loquar? quib. eo sum usus pluribus, quòd etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant: in quo ut uiderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar. Infinita proferrem, honestissimaq; ueterum scriptorũ de Cicerone testimonia, ex quibus Plutarchi in illum cõuicia à solo liuore emanasse disceremus, si hæc quicquam tanti herois laudi possent officere, ac nõ eò processisset M. Tullij gloria, ut quamuis peruersis Græcorum ingenijs oppugnata, non magis procellas timeat, quàm annosa illa cum robore ualido quercus, quam cum

Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor, & altè
Consternunt terram concusso stipite frondes,
Ipsa hæret scopulis, & quantum uertice ad auras
Aetherias, tantum radice in tartara tendit.

Et hæc planè quæ hactenus de Cicerone diximus, ad diuinam eius eloquentiam spectant, cum in gerendis magistratibus, qui hominum uitia & animorum morbos patefaciunt, nõ minorem uitæ integritatem, ijs præcipuè temporibus, quibus rapinas palàm exercere ferè gloriosum habebatur, quàm dicendi copiam, philosophiæq; atq; aliarum scientiarum peritiam, tum in foro, tum in priuatis congressibus ostendit. Qua in re ipsum Plutarchum testem citabo, haud diffitentem, Demosthenem nullum tale unquam sui specimen dedisse, quippe qui nullo publico magistratu functus unquam, ne ijs quidem copijs, quas in Philippum concitauerat, præfuerit. ait enim: ὃ δὲ δοκεῖ μάλιστα, καὶ λέγεται πρόσωπον ἀνδρὸς ἐπιδεικνύναι, καὶ βασανίζειν, ἐξουσία καὶ ἀρχὴ πᾶν πάθος κινοῦσα, καὶ πᾶσαν ἀποκαλύπτουσα κακίαν, Δημοσθένει μὲν οὐχ ὑπῆρξεν, οὐδ' ἔδωκεν τοιαύτην διάπειραν ἑαυτοῦ, μηδεμίαν ἀρχὴν τῶν ἐπιφανῶν ἄρξας, οὐδὲ τῆς ὑφ' ἑαυτοῦ συντεταγμένης ἐπὶ φίλιππον ἐστρατήγησε δυνάμεως. κικέρων δὲ ταμίας εἰς σικελίαν, καὶ ἀνθύπατος εἰς κιλικίαν καὶ καππαδοκίαν ἀποσταλείς, ἐν ᾧ καιρῷ τῆς φιλοπλουτίας ἀκμαζούσης, καὶ τῶν πεμπομένων στρατηγῶν, καὶ ἡγεμόνων, ὡς τοῦ κλέπτειν ἀγεννοῦς ὄντος, ἐπὶ τὸ ἁρπάζειν τρεπομένων, οὐ τὸ λαμβάνειν ἐδόκει δεινόν, ἀλλ' ὁ μετρίως τοῦτο ποιῶν ἠγαπᾶτο, πολλὴν μὲν ἐπίδειξιν ὑπεροψίας χρημάτων ἐποιήσατο, πολλὴν δὲ φιλανθρωπίας καὶ χρηστότητος. ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ῥώμῃ, λόγῳ μὲν ἀποδειχθεὶς ὕπατος, ἐξουσίαν δὲ λαβὼν αὐτοκράτορος, καὶ δικτάτορος, ἐπὶ τοὺς κατιλίνας ἐμαρτύρησεν

φωνὴν ἅμα τῷ Πλάτωνι μαρτυρουμένην, παύλαν ἕξειν κακῶν τὰς πόλεις, ὅταν εἰς ταυτὸ δύναμίς τε μεγάλη, καὶ φρόνησις ἔκ τινος τύχης χρηστῆς ἀπαντήσῃ μετὰ δικαιοσύνης. His alia nõ pauca addit, quibus Demosthenem à quorundam morsib. defendit: quæ quòd nostra non intersunt, infelices quosdam Græculi multo impudentioris, nempè Iani Lascaris in eundem M. Tullium uersus producam, partim ne temerarius hoc negocij uidear suscepisse, partim ut ranarum in luto coaxationes apud literarum principes nullius momenti esse debere patefaciam: tantum abest, ut quicquam in sordibus natum summis proceribus sit timendum. Sic autem coaxat noster poëta, qui de superis sua terga solus uidet:

In Graios, Domiti, miraris scripta Maronis,
Qui memorem, cur non de Cicerone querar.
Qui gentem toties, mores, linguamq; lacessit
Graiugenum, uerbis nec modus ullus inest.
Nil mirum, liuor uatis nos aggrauat: alter
Nos premit, ut libuitq; euehit ad superos.
Ῥητορικὴν haud aliter diuûm donum infit, & artem
Damnat, quæ à Musis nobile nomen habet.
Hinc inde, hic illic sedet is, residetq;, uagatur:
Ardelio, Consul ridiculus, leuis est.

Suspendant iam nunc se Rhalli, & Marulli, qui cultum epigramma nulli satis multum debuisse cecinerunt, quando huic labentis anni origini, qui si non Manilio Rhallo, certè Marullo notus esse potuit, tantum debet, quantum propè Antonio Mancinello soluta oratio: ad cuius etiam carminum candorem, facilitatem, acumenq; (nam & poëtica eadem bestia, & oratoria arte, quod est inuentu rarum, maximè ualuit) mihi accedere uidetur illa parum exercitati uersificatoris structura, hic illic, hinc inde, & residetq;, uagatur. Proinde Chœrili, Bauij, Mœuij, Cœsij, Suffeni, Aquini, Caluini, Vmbri, Carmelitæ, Sulpitij, Alexandri, Cantalicij, Poëtæ, Archipoëtæ, & quicquid est aut fuit unquam eiusmodi portentorum adeste, Græculumq; hunc balbutientem, non ad Hippocrenem fontem, sed ad maleolentem aliquam lacunam deducite, eumq; nõ hedera, sed fœno, aut cicuta, aut helleboro coronatum, quasi uestrum Apollinem salutate. Deinde hæc carmina currum, quo ille uehetur, præeuntes canite:

Concurrite omnes augures, aruspices,
Portentum inusitatum factum est recens:
Nam uersus qui cacabat, uates factus est.

Quis enim non septem illi Anticyras decernat, quod leuissimis de causis nostræ eloquentiæ decus lacessere non erubuerit: quod ridiculum, leuemq; consulem, quod ardelionem uocauerit? Audisset saltem hac in parte suæ gentis scriptorem Plutarchum. Nam aliorum, & præsertim Græcorum quorundam de Ciceronis uiuentis in orando amplitudine, magnificentiaq;, iudicia adeò fuere præclara, ut nulli Latini scriptores diffusius eum laudare quiuerint. At ego (dicet hic Ianus, non bifrons, sed bilinguis) M. Tullij eloquentiam non uitupero, sed leuitatem insector, cum Græcos idem ita modò extollat, modò derideat, ut Roscium histrionem celebrat, & histrionicam miris modis subsannat. Sed enim ego Græcule, nullam illi leuitatis notam pudenter inuri ualere arbitror. Quòd si qua fortè eius scintilla in illius uel moribus, uel scriptis apparuisset, nõ tam ad Ciceronem ea, quàm ad Græcos, cum quib. diu uersatus est, eius causa esset referenda: nempe quòd nulla natio Romanis semper grauior, nulla Græcis leuior,

mendaciorq́ unquam reperta est. Ac si quandoq; Cicero Graecos ad superos euexit, nō eorum uitia, sed uirtutes, quæ in ijs cognitæ sunt, probauit. Rursus si aliqua in eosdem dixit, non erat scilicet ita Græcis deditus, ut eorū uitia pro uirtutibus duceret. Iam quòd Rosciū diuûm donum fuisse (ut superius nonā Iano tantum, sed à nobis quoque demonstratum est) affirmarit, eiusdemq́; artem damnarit, quid mirum, aut nouum? Vituperauit artem, quæ per se non est admodū nobilis. At qui mirificè eam tenebat, qui omnes æquales, ac forte qui antè & post se uixere ea superauit, cur nō excellentissimus histrio existimabitur? An non parasitos, qui suum uiuendi genus egregiè exercent, ut parasitos optimos laudabimus? Et tamen parasitica ars longè est histrionica uilior, longe deterior: nisi Lucianum fortè, qui hanc antiquissimam, & usq; ab Herocis ductam temporibus probare nititur, sequi malimus. Esset hoc loco pro suscepto munere exagitandus, & qui quartum iam (nisi fallor) abhinc annum ob eiusmodi nugas Ciceronem relegauit, moxq́; reuocauit. Nō tamen indoctissimum quemq; ac sordidissimum insectari decreui, ne ipse quoque cum ridiculis quibusdam Grammatistis ridiculus fiam. Alterum namq; Lascaris in eundem M. Tullium epigramma, quo nihil me iudice, neque Græcis, neque Romanis auribus confusius, abstrusius, uilioris q́; sententiæ ullo tempore accidisse reor, est proferendum. inquit autem,

Sumpta quæ ab Aegypto meliora ut reddita Graijs
Inquit Aristocles, Psitace & ipse refers.
Scilicet in Græcis Cicero fecisse: nec audis,
Quàm Iouis ales aui differat à corydo.

Multos profectò male compactos uersus à me lectos fuisse nō sum nescius, nullos tamen magis rudes, asperosq́; ac difficiles me legisse satis scio. Quandoquidem cum Aristoclem Psitacum, & Iouis alitem cum Corydo ab Aegypto sumpseris, hoc est prima cum postremis, postrema cum primis commiscueris, quid sibi hic Græculus uelit, nunquam conijcies: nisi fortè Ciceronem carpit, quòd Romanos aut sapientius per se quàm alios inuenisse, aut inuenta ab alijs meliora fecisse scripserit. Quod quidem, ut ego in omnibus uerum esse neq; nego, neque affirmo, ita rectè in multis existimo pronunciatum. Idq́; non meis, sed ipsius M. Tullij uerbis probabitur: quæ quicunque nulla adducta contra illum ratione, tanquam censor, uel expungere, uel traducere studet, ab omni ingenio iudicioq́; est quàm remotissimus, cum Cicero non simpliciter id scriptis mandarit, sed uerissimis exemplis commonstrauerit ita esse. Inquit enim Tusculanarum quæstionum libro primo: Sed meum iudicium semper fuit, omnia nostros aut inuenisse per se sapientius quàm Græcos, aut accepta ab illis fecisse meliora: quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent. Nam mores & instituta uitæ, resq́; domesticas ac familiares, nos profectò & melius tuemur, & lautius. Rem uero publicam nostri maiores certè melioribus temperarunt & institutis & legibus. Quid loquar de re militari? in qua cum uirtute nostri multum ualuerunt, tum plus etiā disciplina. Iam illa quæ natura, nō literis assecuti sunt, neq; cum Græcis, neq; ulla cū gente sunt conferenda. Quæ enim tanta grauitas, quæ tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere uirtus in ullis fuit, ut sint cum maioribus nostris comparanda? Doctrina Græcia nos, & omni literarum genere superabat, in quo erat facile uincere non repugnantes. Non hæc sibi ceu somnians confinxit M. Tullius, sed quòd ita se habuit res, in eam quam Græculi isti tantopere debacchantur opinionem,

se uenisse

ſe ueniſſe teſtatur, alijs non paucis idem argumentum tractans: quæ ipſe omnia in medium non adduco, quòd ſtudioſos apud ipſum authorem libentius ea, quàm in noſtris lucubrationibus lectitaturos, non me fugit. Sed tertium Iani epigramma audiamus:

Combibia ut Graij primum, conuiuia deinde
 Dixiſtis, Cicero, iudice te melius,
Ac ſi nulla uirûm uita, non ulla uoluptas
 Sit, niſi quando epulis, combibijsq́ue uacent.

Hæc ſunt poſtrema in M. Tullium inepti Græculi carmina, uel eam ob cauſam de fece hauſta, quòd qui omnem ſe dignam inuentiunculam duobus præmiſſis epigrammatibus concluſerat, ad friuolam, ut tertium eis adiungeret, conuiuij uocem, Muſam uel renitentem pertraxit: in qua non minus oſcitanter, quàm in reliquis omnibus deceptus eſt. Nam Cicero non tantum homines, quum conuiuarentur uiuere, ſed tum maximè, ſenſit, Papirio Pæto ita ſcribens: Nec id ad uoluptatem refero, ſed ad communitatem uitæ atque uictus, remiſſionemq́ue animorum, quæ maximè ſermone efficitur familiari, qui eſt in conuiuijs dulciſſimus: ut ſapientius noſtri, quàm Græci. illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id eſt compotationes, aut cœnationes: nos conuiuia, quòd tunc maximè ſimul uiuitur. Hæc Cicero: quibus nihil eſſe compertius, quiuis modò non ſtultus, facillimè dignoſcit. Nec uerò prodigium eſt, ut quidam opinantur, aliqua Latinè melius quàm Græcè dici poſſe: quamuis Græci non pauca habeant, quæ noſtris uocibus admodum feliciter non exprimantur. Nam alio loco cum idem Cicero Latinam linguam Græca copioſiorem eſſe pro tempore uellet oſtendere, nimirum uſus eſt in re, quam & ipſe quoque falſam eſſe intelligebat, euidentiſſimo probatiſſimoq́ue exemplo. Vt omnia Græcorum perquiras ait, quid ſit ineptus, non inuenies. In quo ſicut eum dormitaſſe opinatur Gulielmus Budæus, uir doctiſſimus, ita ipſe mihi ſingulariter cæcutijſſe uidetur, cum neque ἀνάρμοστος, neq́ue ἀπειρόκαλος, tam ſint apud illos ſignificantia, quàm apud nos ineptus. Reliqua enim quæ in eundem ſenſum adducit, uidelicet ἀπίθανος, σκαιὸς, μάταιος, ἀφυὴς, & ἀμουσικὸς, quandam Græcarum literarum oſtentationem ſapiunt, nec magis quæpiam earum uocum ineptum, quàm aſinum ſignificat. Quòd ſi forte Ciceronis manes ijs ſe eruditurum ſperat, cum eo autumet ſibi eſſe negocium, qui iſtæc alijs dare condidicit. Enimuero ſi ſingulæ eæ uoces idem eſſent apud Græcos, quòd apud Latinos ineptus, Marcum Tullium Iuſtiniano Cæſare indoctiorem fuiſſe nemo auderet negare, cum tamen Græcas ille, Latinas'que literas, aliquanto melius quàm Budæus calluiſſe credatur. Quoniam autem diuinus ille Orator poſt ſe futuros præſagijt, qui eiuſmodi uocem à ſe repetitam, malignè, ne dicam indoctè uellicarent, ſecundo de Oratore libro ſic apud eum Cæſar Craſſum alloquitur: Sin tibi id minus libebit, non te iubebo: neque committam, ut dum uerecare, ne tu ſis ineptus, me eſſe iudices. Tum ille: Ego mehercule, inquit Cæſar, ex omnibus Latinis uerbis, huius uerbi uim uel maximam ſemper putaui. quem enim nos ineptum uocamus, is mihi uidetur ab hoc nomen habere ductum, quod non ſit aptus: id'que in ſermonis noſtri conſuetudine planè patet. Nam qui aut tempus quid poſtulet non uidet, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum quibuſcum eſt, uel dignitatis, uel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus eſt. Hoc uitio cumulata eſt eruditiſſima illa Græcorum natio. Itaque

quòd uim huius mali Græci non uident, ne nomen quidem ei uitio imposuerunt. Vt enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent, non reperies. Omnium autem ineptiarum, quæ sunt innumerabiles, haud scio an ulla sit maior, quàm ut illi solent, quocunque in loco, quoscunque inter homines uisum est, de rebus aut difficillimis, aut non necessarijs argutissimè disputare. Ex his planè Marci Tullij uerbis non temerè illum inepti fecisse mentionem perspicimus, quum Latinam linguam Græca copiosiorem esse suis persuasum uolebat. Quòd si Græci ineptiarum uitium non dignouere, quomodo tot maximè significantia nomina ei imposuerint, Budæus cum reliqua κακεμφασίγων caterua consultet cuius princeps esse uolebat, cum eidem dicam impingeret, quòd innocentem Græcè nequaquàm dici posse crediderit: pro quo uocabulo cum ipse ἄκακον reponere uellet, nec Dionysij sacrarumque literarum, nec Demosthenis testimonia tanti esse uideret, ut innocenti tam significatu quàm uerbo responderet, irato animo in hæc uerba erupit, εὐγνώμων, ἁπλοϊκὸς, ὅσιος, καθαρόψυχον, innocentis significationem non implebunt? Atqui ego hæc plenius aliquid & exuperantius innocentia significare puto. Imò uerò quid tu putes, aut etiam occes, nihil ad nos. Nec pluris tuum iudicium hac in re facimus, quàm leuissimi cuiusuis calumniatoris maledicta: cum sola tua authoritate contra Ciceronem stes, nec latius rem explices, quàm si ita diceres: Ego Marcum Tullium hoc aut illo loco impudentissimè lapsum assero. An fortè talibus te seculum tenebris inuoluturum sperabas, ut magis te sine ratione loquentem, quàm Ciceronem studiosi essent audituri? Næ ædepol nimis leues creduli que nos sumus, qui tantæ, quantæ est Cicero, amplitudinis heroes uix tum in literis uacillasse, in animum inducere possumus: cum aut manifestissimè illud uidemus, aut ipsi pro suorum animorum candore quicquam simile profiteri non uerentur. Aut ergo cur à tam insigni scriptore dissentias, rationes ostende: aut scito eam esse tuæ inter doctos eruditionis famam, ut nihil tibi sint credituri, quod non ueterum testimonijs, uel nouis rationibus comprobes. Nos enim Marci Ciceronis iudicium, tum de inepto & innocente, tum de alijs quamplurimis ijs similibus rectissimum fuisse interim rebimur. Quanquàm ille de innocentia loquens, tertio Tusculanarum quæstionum libro modestius scripserit, quàm Budæus colligat. Non enim simpliciter eam uocem nullum apud Græcos habere nomen, sed nullum usitatum dixit, hoc præterea subdens: Sed habere potest ἀβλάβειαν. quo uocabulo relicto, Budæus alia sibi Thrasonico quodam fastu fingit, omnia reijciens, quæ à Marco Tullio probata uidemus. Quid quod idem Cicero alia quædam melius nostris, quàm Græcis uocibus notata esse perhibet? An in ijs quoque Budæus illum tam temerariè accusabit? Nos tamen eius generis aliqua, quæ quidem hoc tempore nobis succurrent, ut Budæo ilia rumpantur, ex Cicerone carptim colligemus: ad ea postmodum cursum directuri, quæ maioris ponderis merìtò sunt habenda. Ita fit, inquit ille eodem libro, ut sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas, quæ est insania, eademque dementia; multoque melius hæc notata sunt uerbis Latinis, quàm Græcis, quod alijs quoque multis locis reperitur. Et paulo pòst: Græci autem μανίαν unde appellent, non facilè dixerim: eam tamen ipsam distinguimus nos melius, quàm illi. Hanc enim insaniam, quæ iuncta stultitiæ patet latius, à furore disiungimus: Græci uolunt illi quidem, sed parum ualent uerbo, quem nos furorem, μελαγχολίαν ipsi uocant. Quasi uerò atra bile solum mens, ac non sæpe uel iracundia grauiore, uel

merito

re, uel timore, uel dolore moueatur. Hæc & alia non pauca de furore & insania Cicero. Sed & inferius: Itaque præclarè nostri, ut alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum ægrorum, ægritudinem nominauerunt. Hoc propemodum uerbo Græci omnem animi perturbationem appellant. uocant enim πάθος, id est morbum, quicunque est motus in animo turbidus: nos melius, ægris enim corporibus simillima est animi ægritudo. At non similis ægrotationis est libido, non moderata lætitia, quæ est uolupras animi elata, & gestiens. Ipse enim metus non est morbi admodum similis, quanquam ægritudini est finitimus: sed propriè, ut ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo nomen habet, non seiunctum à dolore. In primo itidem de Diuinatione sic ait: Vetus opinio est iam usque ab heroicis ducta temporibus, eaq́; & populi Romani, & omnium gentium firmata consensu, uersari quandam inter homines diuinationem, quam Græci μαντικὴν, id est præsensionem & scientiam rerum futurarum. Magnifica quædam res, & salutaris, si modò est ulla, quæq́; proximè ad deorum uim natura mortali possit accedere. Itaq; ut alia nos melius multa quàm Græci, sic huic præstantissimæ rei nomen nostri à diuis. Quid igitur? cum hæc, & si qua sunt præterea. nostri magis propriè, eleganter, appositeq́;, quàm Græci dixerint, num iccircò Latinam linguam Græca copiosiorem dicemus? Nihil minus. Neq; ipse Cicero unquam hoc ex animo protulit, qui illa proderet, ut Romanis Græca nimiũ suspicientibus, propriam linguam excolendi studium ardoremq́; iniiceret. Quòd autem uerborum inopia laboramus, sola nostrorum seueritate factum est, qui non modò omnia, quæ facillimè elegantissimeq́; poterant, aut proprijs, aut translatis uerbis, ut puriore, magisq́; casto idiomate uterentur, exprimere nõ ausi sunt, sed quæ præteritis seculis fuerant in usu, sequentib. expungebãt, cũ Græci & uetera paucis exceptis pro optimis semper habuerint, & noua quotiescunque, & quæcunq; uisum est, quasi priuato quodã iure deduxerint, finxerint, procuderint. De qua re ita scribit Fabius Quintilianus, libro primo: Sed res tota magis Græcos decet, nobis minus succedit. Nec id fieri natura puto, sed alienis magis fauemus: ideoq́; quũ κυρταύχενα mirati sumus, incuruiceruicũ uix à risu defendimus. Et octauo libro de eadẽ re diffusius agit. ait enim: Fingere, ut primo libro dixi, Græcis magis est cõcessum, qui sonis etiam quibusdã, & affectib. nõ dubitauerunt nomina aptare, nõ alia libertate, quàm qua illi primi homines rebus appellationes dederunt. Nostri aũt aut in iungendo, aut in deriuando paulum aliquid ausi, uix in hoc satis recipiuntur. Nam memini iuuenis admodum, inter Pomponium & Senecam etiam præfationibus esse tractatum, an gradus eliminat apud Accium in tragœdia dici oportuisset. At ueteres ne expectorat quidem timuerunt. Et sanè eiusdem notæ est exanimat. At in tractatu, & declinatione talia sunt, quali apud Ciceronẽ Beatitas & Beatitudo: quæ dura quidem sentit esse, uerumtamen usu putat posse molliri. Nec à uerbis modò, sed à nominib. quoq; deriuata sunt quędam, ut à Cicerone Sullaturit, & ab Asinio Fimbriatũ, & Fibulatum. Multa ex Græco formata noua, ac plurima à Sergio Flauio, quorũ dura quædã admodũ uidẽtur, ut ens & essentia: quæ cur tantopere aspernemur, nihil uideo, nisi quod iniqui iudices aduersus nos sumus, ideoq́; paupertate sermonis laboramus. Nã ea quæ uetera nũc sunt, fuerunt olim noua. Hactenus de paupertatis Latini sermonis causa Fabius. Quibus non absimilia sunt, quæ eodem libro, ubi de tropis disserit, nõ minus peritè tradit. ὀνοματοποιία quidem, ait, id est fictio nominis Gręcis inter maximas habita uirtutes, nobis uix permittitur. Et sunt plurima ita

posita ab ijs, qui sermonē primi fecerūt aptantes affectib. uocem. Nā Mugitus, & Sibilus, & Murmur inde uenerunt. Deinde tanquam cōsūmata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur. Vix illa quæ παραγόμενα uocāt, quæ ex uocibus in usum receptis quocunq; modo declinantur, nobis permittimus: qualia sunt Sullaturit, & Proscripturit: atq; Laureati postes, pro illo, lauro coronati, ex eadē fictione sunt. Ex his doctissimi scriptoris testimonijs præclarè & Latinam linguam Græca pauperiorem esse, & id à nimia tantum nostrorum diligentia fluxisse colligimus. Verum enimuerò quoniam in huiuscemodi sermonem incidimus, nostro'que seculo uehementer inter doctos ambigitur, liceat'ne his temporibus nouas uoces inducere, nō præter rem me facturum censeo, si & de ea re aliqua dixero: præsertim quòd non desunt, qui Ioannem Pontanum, Hermolaum Barbarum, Theodorum Gazam, reliquos'que id genus excellentes uiros, ut nimis in formandis nouis uocibus audaces reprehendunt, cum alij quidam eos, quòd Latinam linguam locupletare conati sint, magis laudandos clament. quam tamen rationem satis illi esse frigidam, & Ennium, Plautum, Næuium, aliósque ueteres, qui idem in animo habuerunt, eadem pulcherrimè excusari posse prædicant. Qui porrò æqua lance hanc quæstionem expendunt, rebus tantum recens emergentibus nomina indi posse, eos'que qui nostro seculo (sed & idem de alijs post Gothorum in Romanum imperium coniurationem intelligi uolunt) res aliter quàm antiqui fecerint, nominare audent, non esse usquequaque probandos, hac præcipuè ratione aiunt, quòd si M. Tullius Latinæ linguæ pater, cuius temporib us id fieri, uiuente adhuc Latina lingua licebat, uerba à se uel formata, uel inducta reformidauit, quo'nam pacto hoc seculo concedetur, quo tum demum aliquid esse latinum scimus, quum apud antiquos authores inuenitur? Nec enim hodie obseruabitur, quod Horatius in Arte poëtica docet,

Licuit, semperq; licebit,
Signatum præsente nota procudere nomen.

Siquidem de poëtis loquitur eo loco Flaccus, quorū longe maior est quàm oratorū licentia, quamuis nec præsens nota nostris temporib. dari possit, quæ uerbū signet: nec illa cōsuetudo, de qua idem Horatius ibidem agit, adhuc uigeat. Atqui eodē loco Horatius ipse, inuideor, passiuè in prima persona protulit: quo uerbo neminem post illū (de probatis authoribus loquor) usum esse, opinor. In tertia enim non semel apud Plautū legitur, cum in Bacchidibus ita scriptum sit,

Nullus est, qui non inuideat rem secundam obtingere;
Sibi ne inuideatur ipsi ignaui cauent rectè. Et in Truculento;
Mauelim mihi inimicos inuidere, quàm me inimicis meis.
Nam inuidere alij bene esse, tibi malè esse, miserrimum est.
Qui inuident, egent: illi quibus inuidetur, rem habent.

Tum quòd Horatius dixit, Semperq; licebit, ideò addidit noua uerba in futurum formandi licentiam, quòd Latinam linguam in eodem statu perpetuò duraturam existimabat. Nunc uerò immutata ratione, immutari etiam debet Horatij præceptum, cui simile est Virgilianum illud,

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori uos eximet æuo,
Dum domus Aeneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumq; pater Romanus habebit.

Iam nec domus Aeneæ Capitolinum saxum accolit, nec Romanus pater habet imperium.

imperium. Num igitur uigebit in Maronis carminibus Nisi Eurialiq́ memoria? Eodem modo de Virgilij operibus loquitur Ouidius, quum ait,

Tityrus, & segetes, Aeneiaq́ arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

An Tityrus, & segetes, & Aeneia arma non legentur, licet Roma non sit triumphati orbis caput? Imò maximè. Cur ergo talem operibus finem hi poëtæ præfixerunt? quia Romam scilicet orbis imperium semper habituram censebant. Sed & quis obsecro dicat nostris temporibus hos eiusdem Horatij uersus attendi debere?

Vt syluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita uerborum uetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modò nata, uigentq́. Et inferius,
Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentq́
Quæ nunc sunt in honore uocabula, quum uolet usus.

Siquis enim altius rem inspiciat, unicum tantum uerum, ac perfectum in lingua Latina usum fuisse intelliget, qui M. Tullij, Horatijq́, & similium seculo uiguit: multaq́ ex ijs, quibus Plautus, Næuius, Cæcilius, cæteriq́ antiquiores usi fuerant, tanquam obelo expunxit. Nullamq́ præterea ætatem comperiet, quæ uerba à perfectissimo eo usu approbata reiecerit. Quin & Fabius Quintilianus, & posteriores omnes, ad illius candorem assequendum summo cum studio festinarunt. Quàm autem fuerint ferrei, quàm planè infeliciter eis cesserit, qui seruata suorum temporum ratione postea scripserunt, exactè dignoscimus, si cum candidissimis, aureis'que Ciceroniani seculi scriptoribus conferantur. Quòd si ducentos, aut trecentos post M. Tullium annos, cum Latina lingua nondum esset extincta, posteriorum consuetudo non aliam loquendi rationem induxit, quid fiet hoc tempore post millesimum demum quingentesimum'que annum? post tantas orbis ruinas, regnorum'que mutationes? Sed quatenus Marcus Cicero uerborũ formationem abhorruerit, ex eius testimonijs uideamus. Et ille quidem de philosophicis dicturus, ac noua uerba propterea inducturus, primo Academicarum quæstionum libro sic ait: Dabitis enim profectò, ut in rebus inusitatis, quod Græci ipsi faciunt, à quibus hæc iamdiu tractantur, utamur uerbis interdum non auditis. Nos uerò, inquit Atticus, quinetiam Græcis licebit utare, quum uoles, si te Latina fortè deficient. Benè sanè facis. Sed enitar, ut Latinè loquar, nisi in huiusmodi uerbis, ut Philosophiam, aut Rhetoricam, aut Physicam, aut Dialecticam appellem: quibus, ut alijs multis, iam utimur pro Latinis. Qualitates igitur appellaui, quas ποιότητας Græci uocant, quod ipsum apud Græcos non est uulgi uerbum, sed philosophorũ, atq; id in multis. Dialecticorum uerò uerba nulla sunt publica: suis utuntur, & id quidem commune omnium ferè est artium. Aut enim noua sunt rerum nouarum facienda nomina, aut ex alijs transferenda. Quod si Græci faciunt, qui in ijs rebus tot iam secula uersantur, quanto id magis nobis concedendum est, qui hæc nunc primũ tractare conamur? Tu uerò, inquam, Varro, benè etiam meriturus mihi uideris de tuis ciuibus, si eos nõ modò copia rerũ auxeris, ut effecisti, sed uerborũ. Audebimus ergo, inquit, nouis uerbis uti, te authore, si necesse fuerit. Quot hîc præfationibus, quot argumentis, noua uerba inducendi uenia impetratur? His nõ sunt absimilia, quæ libro tertio de Finib. scribit: Stoicorũ aũt, nõ ignoras quàm sit subtile, uel spinosum potius disserendi genus. Idq́ tũ Græcis, tũ magis nobis, quib. etiam uerba parienda sunt, imponendaq́ noua

rebus

rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cuius usus uulgaris communisq́ non sit, multam nouitatem nominum esse, cum construantur earum uocabula, quæ in quaque arte uersentur. Et paulo pòst: Quòd si in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, cōcessum à Græcia est, ut doctissimi homines de rebus non peruulgatis inusitatis uerbis uterentur, quanto id uel magis nobis est concedendū, qui ea nunc primum audemus attingere? Etsi quod sæpe diximus, & quidem cum aliqua querela non Græcorum modò, sed eorum etiam, qui se Græcos magis quàm nostros haberi uolunt, nos non modò non uinci à Græcis uerborum copia, sed esse etiam superiores, elaborandū est, ut hoc nō in nostris solum artibus, sed etiam in illorū ipsorū cōsequamur. Quanquā ea uerba, quibus ex instituto ueterū utimur pro latinis, ut Rhetorica, Dialectica, Grāmatica, Geometria, Musica, quāquam ea latinè dici poterant, tamen quoniā usu percepta sunt, nostra ducamus. Hęc Cicero. qui si in rebus, de quib. nemo latinè scripserat, tam cautus in uerbis formandis fuit, quàm accuratè idem est à nobis faciendum? Et eodem libro inferius sic scribit: Experiamur igitur, inquit, & si habet hæc Stoicorū ratio difficilius quiddam, & obscurius. Nam cum in Græco sermone hæc ipsa quondam rerum nomina nouarum nō uidebantur, quid censes in Latino fore faciendū? Faciendū id quidem est, inquam. Si enim Zenoni licuit, cum rem aliquam inuenisset inusitatam, inauditum quoq́ ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? Et in primo de Natura Deorum, nouum uerbū inducens sic ait: At ista siue Beatitas, siue Beatitudo dicenda sit (utrunq́ omnino durum, sed usu molliendauerba sunt) uerum ea quæcunq́ est, cur aut in solem ullum, aut in hunc mundum, aut in aliquam mentem æternam, figura membris'que corporeis uacuam, cadere nō potest? In libro item de Vniuersitate: Id optimè assequitur, inquit, quæ Græce ἀναλογία, Latinè (audendum est enim, quoniam hæc primum à nobis nouantur) cōparatio proportio' ue dici potest. Et inferius: Vix enim audeo dicere medietates, quas Græci μεσότητας appellant: sed quasi ita dixerim, ita intelligatur, erit enim planius. Quin & in Topicis ita scribit: Multa enim ex notatione sumuntur. Ea est autem, cum ex ui nominis argumentum elicitur, quam Græci ἐτυμολογίαν uocant, id est uerbū ex uerbo, ueriloquium. Nos autem nouitatem uerbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt uerba rerum notæ. Præterea alia eiusdem loca, & ea præsertim, quæ scribit de philosophicis agens. Nam in reliquis nouas uoces uel usq́ ad superstitionem fugit. Et acerbè in M. Antonium stomachatur, quòd Lepidum pijssimum hominem appellasset. Tu porrò ne pios quidem, ait, sed pijssimos quæris. Et quod uerbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam diuinam pietatem nouum inducis. Quamobrem licet Plautus possibile latinum fecisset, in Sticho enim sic ait,

Possibile est tandem,
Stantem stanti sauium dare amicum amicæ?

Græca ipse uoce uti maluit, ad Varronem ita scribens: περὶ δυνατῶν me scito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Et pro impossibili itidem Græcam uocem usurpauit. Subdit enim: Quapropter si uēturus est, scito necesse esse te uenire: sin aūt τῶν ἀδυνάτων est te uenire. Et ad Atticū libro primo: Thermus cum Syllano contendere existimatur, qui sic inopes & ab amicis & existimatione sunt, ut mihi uideatur nō esse ἀδύνατον, Curium abducere. De possibili sanè Quintilianus tertio Oratoriarum institutionum libro sic inquit: Melius igitur qui tertiam partem dixerunt

runt δυνατὸν, quod nostri possibile nominant, quæ ut dura uideatur appellatio, tamen sola est: Hactenus Fabius. post cuius, ut dixi, posteriorumq́ seculum, quàm sit periculosum noua uerba inducere, uix dici potest. Id tamen qui faciũt, si quid periculosius finxisse uidebuntur, quibusdã remedijs inaudita uerba præmuniant, ut ita dicam, sic dixerim, si licet dicere, quodammodo, permittite mihi sic: quod in ijs etiã quæ licentius translata erunt, ut ait idem Quintilianus, proderit. Cesellius quippe Vindex Furium ueterem poëtam Latinam linguam dedecorasse aiebat, quòd terram in lutum uersam lutescere, & alia huiusmodi non pauca nouè dixisset, his uersibus:

Sanguine diluitur tellus, caua terra lutescit,
Omnia noctescunt tenebris caliginis atræ,
Increscunt animi, reuirescit uulnere uirtus.
Sicut fulica leuis, uolitat super æquora classis,
Spiritus Eurorum uirides cum purpurat undas.
Quo magis in patrijs possint opulescere campis.

Dissentit tamen Gellius à Cesellio, quòd neq; huiusmodi (ut ipse inquit) uocũ fictiones abhorreant à poëtica facultate, neq; dictu profatuq́ ipso tetræ sint, aut insuaues. Sed uter horum iustius arma induerit, mihi quidem non satis liquet, quanq̃ libentius cũ Cesellio sentirem. Siquidem ut maior sit poëtarũ, quàm oratorũ in fingendis nouis uocibus licentia, illud certè uidetur intolerabile, quòd singulis propè uersibus, singulas inauditas uoces addidit Furius, & data opera hoc unũ uidetur quæsisse: cuius uersibus non sunt absimiles, quos Cicero primo Tusculanarũ quæstionũ libro ex tragœdia (ut opinor) cuius etiam nomen supprimit, his uerbis citat: Hic aũt ubi habitamus, non intermittit suo tempore,

Cœlum nitescere, arbores frondescere,
Vites lætificas pampinis pubescere,
Ramos baccarum ubertate incuruescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere herbis, prata conuestirier.

Idem etiam Gellius cũ in agro Vaticano apud Iulij Pauli poëtæ mensam Næuij Alcestim audisset legi, in urbemq́ sole ferè occiduo rediret, has uoces ruminans, quibus nos quoq; possemus uti, memorię se mandasse tradit, ut obliteram gentem pro obliterata, fœdifragos pro fœderifragis, pudicolorem aurorã, nocticolorem Memnonem, Næuij authoritate dicere ualeamus, qui pro eo quod est fortè, dubitanter: & ab eo quod est sileo, silenta loca, & puluerulenta: & carendum tui est, pro te: & magno impete, pro impetu, non abhorruit, cuius ordinis sunt fortescere, quod est fortẽ fieri: dolentia, pro dolore: auens, pro libens: curæ intolerantes, pro intolerandis: manciolę pro manibus, accipitret pro laceret, & similia Næuiana uerba, quæ omnia (cum obesum magis propriè, quàm usitatè idem posuisset) Aulo uidentur toleranda, cũ essent nimis poëtica, explosæq; (ut ipse ait) orationis, quòd Nestorem trisecli senem, & dulcioriloquũ: tumidos magnosq́ fluctus, multigrumos: flumina gelu cõcreta, tegmine esse onychino dixisset. Verũ ista utcunq; accipientur, illud certum est, Pontano, Theodoro, Hermolaoq́, egregiè de Latina lingua meritis, hoc facile cõdonari posse, uel si maximum esset uitium. Atq; hæc de uerborum formationibus, deductionibusq́ obiter dicta sint. Ad Budæum enim redeo: qui sumpta Ciceronem ubique uellicandi prouincia, quid esset apud Aristotelem ἐντελέχεια, eum ignorasse uoluit, Argyropylum Græcum hominem secutus. Quo in negocio, uť

cio, ut nihil eorum quæ ab Angelo Politiano uiro eruditissimo pro M. Tullio aduersus Græcum calumniatorem scripta sunt, attingam, diuerso ipse instituto me nostrum Oratorem uerum Aristotelis de entelechia sensum attigisse ostensurum confido. Ideoq; Budæus, quia Iliensis cum sit, tragœdos conduxit, audiat, quàm pueriliter in ea re, qua omnes sui ingenij eruditionisq; neruos intendit, meras nugas protulerit. Sed prius ipsius M. Tullij de entelechia uerba sunt recitanda: Aristoteles, inquit primo Tusculanarum, longe omnibus (Platonem semper excipio) præstans & ingenio, & diligentia, cùm quatuor illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, è qua sit mens. Cogitare enim, & prouidere, & discere & docere, & inuenire aliquid, & tam multa meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari, hæc & similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat. quintum genus adhibet, uacans nomine: & sic ipsum animum entelechiam appellat nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem, & perennem. Quibus in uerbis dupliciter à Cicerone erratum coniectat Budæus. nam nec entelechiæ significatum eum rectè interpretatum somniat, & illa eundem animæ, quam Aristoteles entelechiam uocat, quæq; mortalis est, tribuisse credit, quæ idem Aristoteles immortali menti, tertio de Anima libro assignauit, quę ab eo non ἐντελέχεια, sed νοῦς dicatur. Cumq; postrema hæc Themistij, Iustini philosophi & martyris, Diogenisq; Laërtij testimonijs confirmet, in uocis interpretatione non alio utitur argumento, quàm quòd ἐντελέχεια per δ, nõ per τ scribatur. Sed nos de hac leuissima commentatiuncula postea uiderimus: nunc enim alterum huius rei caput expedire præstiterit. Inprimisq; sciendum est, Aristotelem non in ijs modò, quæ ad animam pertinent, sed in alijs compluribus, ita implicitè suam protulisse sententiam, ut eius interpretes, magnis plerumq; disputationum inuolucris omnia commiscentes, ad authoris sensum nequaquam perueniant: quin sæpenumero diuersa, penitusq; inuicem contraria ex eisdem uerbis à diuersis interpretibus colliguntur. Hinc factum est, ut cum ille de anima ita obscurè conciseq; disseruerit, ut uix satis liqueat, mortalem 'ne eam, an immortalem esse statuat, Alexander Aphrodisiæus, alijq; non pauci tam Gręci quàm Latini, barbariq;, animam ex Aristotelis sententia cum corpore extingui collegerint, licet de mente, quam diuinam esse itidem diuersa doceant: cum sint & præter hos Græci excellentissimi, qui animam ex eadem Aristotelis sententia immortalem esse concludant, mentem illam uel alteram animam, uel mortalis animæ partem esse affirmantes. Si itaq; M. Tullius animam ex Aristotelicis scriptis immortalem esse interpretatur, eum philosophum pro rei, quam tractandam susceperat ratione explicat, ipsum animum ἐντελέχειαν ab illo nouo nomine appellatum asseuerans: hoc est, eius animæ partem, mentem illam esse uolens, quę ab Aristotele dicitur entelechia, nimirum partem pro toto accipiens, & prudentissime quidem, cum anima sine animo (Varrone teste) debilis sit. Nec nobis obstat, quod Iustini philosophi testimonio, (quamuis ex Aristotelis potius uerbis id fuisset à Budæo eliciendum) comprobare nitatur, ἐντελέχειαν cum corpore interire, quando M. Tullio de hac re nõ admodum erat laborandum: quippe qui (ut iterum eius sensum exprimam) Aristotelicam entelechiam à præstantissima parte, hoc est à mente accipiens, & immortalem ex maximi philosophi sententia animum esse colligat, & ea tribuat eidem entelechiæ quæ quintæ illi naturæ conueniunt. Atqui si entelechiam nunquam morituram ex Aristotelis uerbis Budæus collegisset, num tamen rectè Cicero carperetur, quòd aliter fortè nescio cui esset uisumę.

Cur non

Cur non enim & Cicero tanquam interpres implicita obscuraq́ uerba ex sui animi sententia potuit declarare? nisi fortè quòd Iustinus Martyr eam esse mortalem scriptū reliquerit, aut quòd Diogenes Laërtius entelechiam uerbis à quinta natura seiungere uideatur, plus horum utriusuis, quàm M. Tullij authoritati sit tribuendū. Ego uerò eorum utrumq; uel in philosophia, uel in alijs scientijs Ciceroni comparatum, abiectissimum scriptorem puto. Quamuis nemo mihi, quantumuis excellens peripateticus, Aristotelem animam mortalem esse apertè pronunciasse persuaserit, cum ijs temporibus scripserit, quibus Græcia omnis Platonica philosophia imbuta, impium sacrilegumq́ ductura fuerit Aristotelem, si explicitè animā cū corpore extingui statuisset. Quid quòd pleriq;, quorum est Simplicius, eandem fuisse Platonis Aristotelisq́ in omnibus ferè philosophicis rebus sententiam, licet uerbis dissentire uideantur, existimarūt? Hæc si (ut sunt) uera esse fatemur, an Aristotelem in ea re, quæ ad homines maximè omnium pertinet, à Platone, qui animas esse immortales docuerat, protinus dissensisse dicemus? Durius est sanè, quàm quod à Iustino martyre ac philosopho colligi tam facile ualuerit: præsertim quòd de animo, & dijs quæstiones nō fuerunt tam apertè, uel hos esse negādo, uel adimendo animis immortalitatē, tractandæ, cum in ijs Græci Platonis dogmata sequerentur, qui & ipse à Pythagora, Pythagoricisq́ non pauca sumpserat. Quam ob causam Abderitem Protagoram, quòd ita in principio libri scripsisset: De dijs neq; ut sint, neq; ut non sint, habeo dicere: Atheniensium iussu, urbe atq; agro exterminatum, eiusq́ libros in concione combustos legimus. Nec aliam ob rem Epicurum deos tametsi ociosos, & qui mortalia non curarent, posuisse traditum est, cum tamen egregij scriptores omnes ad unum in hoc conuenerint, eum nomine deos esse dixisse, re autem funditus sustulisse. At Diagoras, qui ἄθεος dictus est, manifestè deos esse negauit, multiq́ non obscuri philosophi animos mortales esse docuerunt. Rectè quidem, sed ijdem omnes tanquam impij habiti sunt, paucissimosq́ admodum in suam sectam pertraxerunt, cùm omnes ferè Platoni, Platonicisq́ in illis assentirentur. Siue igitur Aristoteles animam esse immortalem, siue entelechiam mortalem quidem, sed mentem, quæ præstantissima sit eius pars, immortalem esse docuit, M. Tullium eius sententiam rectè expressisse asserimus. Si enim illud uero est congruum, res per se ipsa patet: sin hoc propius ad ueritatem accedit, animum iuxta Aristotelis pronūciata immortalem esse pulchrè docuit, ideoq́ eum entelechiam, ut dictū est appellauit, quòd sit pręcipua entelechiæ pars, ac quodammodo caput. Quòd autem eundem M. Tulliū entelechię uoce interpretanda non minus quàm in ea parte, de qua modò locuti sumus, memoria iudicioq́ destitutum fuisse Budæus cum aliquot Græculis pro comperto asseuerat, cum sit ἐντελέχεια non continuata motio, & perennis, sed perfectio & forma (ut ipse et alij quidam docent) sciat summum oratorem neq; in ui uerbi, neq; in rei definitione, siue (quòd non paucis placuit) descriptione, ab Aristotelis sententia recessisse. Nam entelechiæ uox non primum ab Aristotele inuenta, sed anima primum ab eo ἐντελέχεια appellata est, cum Græcè idem sonet uox illa, quod assiduitatem, quandamq́ cōtinuationem, quo in significatu posita est in illo carmine,

πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐντελεχείη. Hoc est,

Assiduo lapides undæ stilla excauat ictu.

quod à ueteri hocce prouerbio, ῥανὶς ἐντελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν, ac si dicas, assiduam stillam saxum cauare, deductum uidetur. Menander quoq;, πάντα ταῖς ἐντελεχείαις πράγματα confici posse putauit. Ac ne in re apertissima pluribus a-

 gam,

gam, Ciceronis sententiam, ne quis calumniatoribus illam accusandi locus relinquatur, hoc modo esse intelligendã autumo. Anima est assidua siue continuata & perennis motio, scilicet quãdiu anima corpori assidet, tamdiu mouet, hoc est uitam sensumq; affert. Quandiu enim anima in corpore est, tamdiu ipsum corpus alitur: & quamdiu alitur, tamdiu uiuit, ut Aristoteli uisum est. Ait enim, ὅσα καὶ τρέφεται, ὥστε ζῆν δεῖ πάλιν, ἕως ἂν δύνηται λαμβάνειν τροφήν. Ex quib. uerbis recentiores philosophi hanc ueluti certissimam regulam eliciunt: Tamdiu uiuimus, quamdiu nutrimur. Ad Aristotelisq; uerba allusisse uidetur idem Cicero, cum libro secundo de Natura deorum tribus rebus, cibo, potione, spiritu, animantium uitam teneri scriberet. Sed ego (dicet Budæus) perfacile hæc concederem, si ἐντελέχεια, quum assiduitatem, uel continuationem significat, δ, non τ literam in secunda syllaba haberet. Sic enim longo Græcæ linguæ usu didici, endelechiam assiduitatem quidem, entelechiam uerò perfectionem, & formam significare: ut sit ἐντελέχεια, quasi τὸ ἐντελὲς συνοχὴ, hoc est perfecti corporis comprehensio, cum Cicero alteram pro altera uocem inscitę acceperit. Nouum mehercule, atque inauditum commentum, dignum'que quòd ab eo emanarit, qui Angelum Politianum magis ut se ostentaret, quàm causæ fiducia fretum, Marci Tullij contra Argyropylum defensionem suscepisse non dubitet. Ego tamen huiusmodi literarum apices, inquit, exactè pensitare noui. Quin tu si Græcæ linguæ Cõmentarios huiusmodi obseruatiuncularum nugamentis refertos posteris relinques, antequam tua cum corpore ἐντελέχεια extinguatur, eos è doctorum manibus in Sabæorum insulas relegatos uidebis. Et per deos immortales, quid tam esse absurdum potest, quàm eum in quo omnes Græcorum spes nostris temporibus positæ sunt, idem esse ἐντελέχειαν atque ἐνδελέχειαν ignorasse: nec eam uocem, quæ δ prius recipiebat, usu postea eius literæ loco δ assumpsisse, præ liuore ac Latinæ linguæ ornamentum carpendi studio, animaduertisse: cum Lucianus non Græcus tantum, sed & Atticus scriptor (nam & Atticè scripsit Aristoteles, qui ἐνδελέχειαν ἐντελέχειαν, unica tantum immutata litera, animæ definitioni, si modò ea definitio est, accommodauit) in ea actione quam Aristarcho Phalereo imperante σῖγμα aduersus ταῦ instituit, hanc literam tum alijs multis fecisse iniuriam, tum δ ἐνδελέχειαν surripuisse, ac pro ea ἐντελέχειαν contra omnes leges scribi uoluisse testetur. Apud eum namque δέλτα sic inquit. ἀκούετε φωνήεντα δικασταὶ τοῦ μὲν δ λέγοντος ἀφαιρούμενον τὴν ἐνδελέχειαν, ἐντελέχειαν ἀξιοῦν λέγεσθαι, παρὰ πάντας τοὺς νόμους. Ac si Lucianum fortè iocantem hæc scripsisse responderet Budæus (quamuis in eo iudicio nihil sit scriptum, quod non sit oraculi responso certius, neq; qui in deos hominesq; plerunque inuehitur, in hisce uocibus quicquam mentiatur) accipiat præter hoc & Corinthi testimonium, qui de Attica dialectico agens, proprium fuisse Atticorum ait ἐνδελέχειαν ἐντελέχειαν uocare, his uerbis, τὰς μυῤῥίνας μυρσίνας λέγουσι (de Atticis loquitur) καὶ τὸ συρίζειν συρίττειν. καὶ τὴν ἐνδελέχειαν ἐντελέχειαν. Quæ si aut legisset, aut diligenter considerasset Budæus, nunquam in Græcæ linguæ rudimentis tam ineruditè impegisset, dum Argyropylo contra Marcum Ciceronem insolentissimè fauebat. Vtq; & ipse aliquid in communem Ciceronis calumniatorum usum ex sui ingenij infelicitate depromeret, postquam de entelechia, dicenda tacenda'que iactabundus effudit, sic ait: Addam & alium locum, admonendi gratia. Idem Cicero in secundo de Natura Deorum, fabricam humani corporis, non modò felici & perspicua, sed etiam accurata & artifici facundia describens: Ex intestinis autem,

tem, inquit, & aluo secretus à reliquo cibo succus is quo alimur, permeat ad iecur, per uenas quasdam à medio intestino usque ad portas iecoris. sic enim appellant ductas & directas uias, quæ pertinent ad iecur, ei'que adhærent. Medium intestinum appellat Cicero, quod Græci mesenterion appellauerunt, & in primis Aristoteles, quòd tamen intestinum non est, ut ex Aristotele apparet, qui de ea parte ita ait: ὑπὲρ δὲ τῶν ἐντέρων τὸ μεσεντέριον ἐστίν. ὑμενῶδες δ' ἐστὶ τοῦτο καὶ πλατὺ, καὶ πῖον γίνεται: Supra intestina autem Mesenterium est, membranaceum, latum'que, & pinguescens. Mesenterium ad uerbum Cicero medium intestinum transtulisse uidetur: cùm Græcè ex eo, ut puto, dicatur, quòd media intestina complectitur. O hominem acutum. Mesenterium uocant Græci, inquit, non quòd medium intestinum sit, sed quòd media intestina complectatur: cum Cicero inter intestina idem retulerit, quòd ex Aristotelis testimonio intestinum non est. A quo'nam accepisti Budæe, Ciceronem & ipsum non ideo mesenterion, membrum illud appellasse, quòd media intestina complectatur, sed quòd ipsum medium sit intestinum? An non eodem iure quo Græci eam humani corporis portionem, μεσεντέριον non propriè, atque ut eius uocis compositio uidetur sonare, sed impropriè quodammodo uocarint, Cicero medium intestinum uertere, hoc est ad uerbum Græcum uocabulum exprimere ualuit? Hæc Budæo in meritem, quum illa scriberet, uenisse non ambigo: sed tanta in Ciceronem iracundia percitus erat, ut & suæ quoque conscientiæ aduersari non erubuerit, dum dolium & ipse in cranio uersaret. Sed quàm est & illud intolerandum, quòd non tantum Ciceronem philosophiæ, Græcæ'que linguæ imperitum, sed malignum fuisse, atque à boni uiri officio longissimè abfuisse ait? Quare si uerum fateri uolumus, inquit, eloquentiæ Latinæ princeps, parens'que à Plinio iure ac merito dictus, diserti nonnunquam magis uiri, quàm oratoris officio functus esse iudicandus est: Siquidem eius ipsius authoritati credimus, oratorem eum esse non posse, qui non idem uir bonus sit. Viri autem boni esse persuadere mihi nequeo, non modò Græcos uiros, sed etiam Græcam ipsam linguam Latinæ eloquentiæ authorem, ut inopem & ieiunam conuiciose uocitare, & Latinæ linguæ ueluti exuberantem copiam, præ illius inopia admirari. Ostenderem equidem quantum his uerbis Græcæ leuitatis insit, nisi ipse mox eorum author, quasi suæ audaciæ pertæsus, palinodiam cecinisset, Marcum Tullium non tam ex animo Græcam linguam Latina pauperiorem esse dictitasse innuens, quàm ut populari Romanorum suorum auræ inseruiret, quod tamen à boni uiri officio falsò seiunctum putat, cum oratoribus multa, ut quod uolunt auditoribus persuadeant, dissimulare liceat. Scripserat quidem ille bonum uirum necessariò esse debere, qui perfectus orator esse uellet. Atqui boni eius uiri probitas non ex leuissimis eiusmodi rebus, & sine quibus causa perfacile stare posset, sed ex rei summa est æstimanda: uel quòd eloquentiam ad reipublicæ utilitatem, hoc est, defendendos bonos, malos uero impetendos sponte conuertet, qui ipse probus, seditiosorum'que osor sit: uel quòd, cum oratoris finis (ut idem Cicero scribit, quamuis id Quintiliano non probetur) sit bene dicere ad persuasionem, quomodo aliquid persuadebit, quem ciues aliud loqui, aliud in animo habere cognouerint? aut

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo,

Si fur displiceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?

Iam si huiusmodi nugas persequi libeat, nec Demosthenes quidem uir bonus fuit, sæpenumero à suis æqualibus, quamuis eloquentissimus, uictus, minimè ea dedecora subiturus, si (quod est magis proprium, quàm quòd Ciceronem præstitisse Budæus inficiatur, boni uiri officium) earum solum causarum patrocinium suscepisset, quas summa æquitas, uel sine ullo oratoris artificio esset commendatura. Verum ut de his bonorum uirorum officijs, quæ tam seuerè metitur Budæus, plura non dicam, mihi quidem non uidetur Marcus Tullius fuisse tam asperis maledictis lacerandus, uel si uerè, atque ex animi sententia Græcos quandoque salibus, scommatibus'que uexasset, cum illi omnes orbis terrarum nationes præ se floccipenderint, qui etiam Romanos barbaros appellare sint soliti. At Græci, dixerit Budæus, omnium bonarum artium fuere inuentores. Nos autem non tam Græcos odimus, ut proprias illis uirtutes adimere conemur. Si tamen in rem, ut se habet, intueamur, nónne philosophia ab ijs quos Græci barbaros uocarunt, sumpsit initium? Nónne apud Persas Magi, apud Babylonios & Assyrios Chaldæi, apud Indos Gymnosophistæ, apud Gallos Druidæ etiam Græcis id annuentibus authores extitere? Sed constanter id negat Diogenes Laërtius, hac præcipuè ratione, quòd philosophia cùm Græcum nomen sit, à Græcis uidetur, non à barbaris emanasse: quasi antè Pythagoram, qui primus conueniens philosophiæ nomen indidit, non fuerit philosophia: aut Pythagoræ præceptor Pherecydes, qui primus, ut Cicero in Tusculanis testatur, hominum animos immortales esse dixit, non fuerit re philosophus, licet philosophiæ nomine caruerit. Quoniam uero qui philosophiæ originem ad barbaros referebant, Orpheum antiquissimum philosophum Thracem fuisse asserebant, uix credi potest, qua iudicij sanitate à Laërtio eorum opinio reijciatur. Non enim habendos philosophos illos censet, qui ea Dijs uitia ascripserint, quæ in hominibus perrarò inueniuntur. Quin si ita differere pergit Laërtius, ipsum quoque Homerum, quo se tantopere iactat Græcia, philosophum nequaquam fuisse, quòd Deos hominibus mutabiliores, aliud'que stando, aliud sedendo sentientes, atque ut cum Luciano dicam, ridiculos finxerit, conuincemus. Ac si parum ad rem spectare, quis'nam primus philosophiam inuenerit, dum Græcos literis eam illustrasse condonemus, quispiam subdiderit: in hoc certè Græcorum perspicimus improbitatem, quòd quæ à barbaris, quos tantopere contemnebant, sumpsere, suppresso eorum nomine, sibi quasi primis eorum inuentoribus uendicauerunt. Cum'que compertissimum sit, primos hominum Aegyptios humanos animos sempiternos esse affirmauisse, Pythagoras Samius, Plato'que Atheniensis id tanquam proprium inuentum rationibus ab ijsdem fortè sumptis, docuerunt. Pherecydem namque barbarum uel ab illis ipsis Aegyptijs præcipuam philosophię partem deduxisse, uel (ne à Marco Tullio dissentiamus) animos quidem hominum immortales esse, sed non eodem pacto, eisdem'que quibus Aegyptij rationibus putasse dicendum est. Neque hoc Latini, sed Græci scriptoris, Herodoti nempe uetustissimi historici authoritate comprobabo, cuius hęc sunt uerba, ἐν τῇ εὐτέρπῃ. πρῶτοι δὲ καὶ τόνδε λόγον αἰγύπτιοι ἀπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι, τοῦ σώματος δὲ καταφθίνοντος ἐς ἄλλο ἀεὶ γινόμενον ἐσδύεται, ἐπεὰν δὲ περιέλθῃ πάντα τὰ χερσαῖα, καὶ τὰ θαλάσσια,

καὶ

ὁ τὰ πετεινά, αὖθις ἐς ἀνθρώπου σῶμα γινόμενον ἐσδύειν, τὴν περιήλυσιν δὲ αὐτῇ γίνεσθαι τριχιλίοισι ἔτεσι. τούτῳ τῷ λόγῳ εἰσὶ οἳ Ἑλλήνων ἐχρήσαντο, οἱ μὲν πρότερον, οἱ δὲ ὕστερον, ὡς ἰδίῳ ἑωυτῶν ἐόντι, τῶν ἐγὼ εἰδὼς τὰ οὐνόματα οὐ γράφω. Hoc est: Primi autem Aegyptij dixerunt, hominis animam esse immortalem, extincto autem corpore in aliud subinde genitũ ingredi. At uerò cum per omnia se circumtulerit, terrestria, marina, uolucria, rursus in aliquod genitũ uiri corpus introire. Hanc autem circuitionem trium millium annorum spacio fieri. Sunt uerò è Graecis, qui hac ratione tanquam sua ipsorum, alij prius, alij posterius usi sint. Horum ego sciens nomina non scribo. His uerbis Herodotum, Platonem atq; Pythagoram designare uoluisse credendum est, licet ipse eodem tempore uixerit, quo Plato, quamuis eo natu maior: cum Herodotus circa octuagesimae quartae Olympiadis tempora Athenis libros suos in maximo hominum conuentu recitarit, Plato autem octaua & octuagesima natus sit. Nã Pherecydae ea uerba meo iudicio nõ conueniunt: qui nunquam uel ut Plato, uel ut Pythagoras, qui eius fuit auditor, ob hunc de anima sermonem fuerit apud Graecos celebratus. Cuius rei haec praecipua ex epigrammate eius tumulo inscripto causa redditur, quòd primus Graecorum Pythagoras id apud suos docuerit, primusq; itidem tanquam eius inuenti auctor à Graecis sit honoratus. Epigramma ipsum hoc est,

Τῆς Σοφίης πάσης ἐν ἐμοὶ τέλος, ἢν δέ τι πλεῖον
Πυθαγόρῃ τὠμῷ λέγε ταῦθ', ὅτι πρῶτος ἁπάντων
Εἰμ' ἀν' Ἑλλάδα γῆν, οὐ ψεύδομαι ὧδ' ἀγορεύων.

Sed in hoc sua quisq; cõiectura utatur. Cicero quidem ultimo libro de Finibus, Platonẽ Aegyptũ peragrasse tradit, ut à barbaris sacerdotib. numeros & coelestia acciperet. Haec ergo sunt Graecorũ in philosophia inuenta. Quòd si multo plura his & similibus addidere, certè & multo etiã magis suorũ mentes inuoluerunt, singulis de rebus adeò olim inter se rixari soliti, adeò factiosi, ut magis gloriam nouis figmẽtis, quàm quod propositũ esse debebat scrutari uisi sint. Quapropter diuersas eorũ de principijs rerũ opiniones, ex 11 Academicarũ M. Tullij libro subijcere libet, ut quàm omnia apud Graecos philosophos fuerint confusa, perplexaq;, ex unico eius testimonio uideamus. Princeps Thales, ait ille, unus è septem, cui sex reliquos cõcessisse primos ferunt, ex aqua dixit constare omnia. At hoc Anaximandro, populari & sodali suo, non persuasit. Is enim infinitatem naturae dixit esse, è qua omnia gignerẽtur. Pòst eius auditor Anaximenes, infinitũ aëra, sed ea quę ex eo oriũtur, definita, gigni autem aquam, terram, & ignem, tũ ex his omnia. Anaxagoras materiã infinitã, sed ex ea particulas similes inter se minutas, eas primũ confusas, postea in ordinẽ adductas mente diuina. Xenophanes paulo etiã antiquior, unũ esse omnia, neq; id esse mutabile, & id esse uerũ Deũ, neq; natũ unquam quicquã, et sempiternũ conglobata figura. Parmenides ignem qui moueat terram, quae ab eo formetur. Leucippus plenum & inane. Democritus huic in hoc similis, uberior in caeteris. Empedocles haec peruulgata & nota quatuor. Heraclitus ignẽ. Melissus hoc quod esset infinitũ, & immutabile, & fuisse semper & fore. Plato ex materia in se omnia recipiẽte mundũ esse factũ censet à Deo sempiternũ. Pythagorei ex numeris & mathematicorũ initijs proficisci uolunt omnia. Quanta dij boni Graecorũ philosophorũ uarietas? aut quàm parũ ex ea fructus percipitur? At fortè qui in hoc nõ conuenerunt, in alijs uno omnes ore locuti uidentur. De dijs namq;, seu de Deo unam eorũ sententiã fuisse apparet. Imò nisi in ea quoq; philosophiae parte suo quisq; uento nauigauit, tam recta de Deo eos, quàm omniũ philosophorũ anti-

quissimũ Mosen tradidisse ingenuè fatebor. Nec singula omniũ de illo somnia persequar. Quis enim paucis uerbis tam multa explicet? cũ præter hos, de quib. modò locuti sumus philosophos mira sibi, & friuola de ijs finxerint Epicurus, Speusippus, Ponticus Heraclides, Zeno Stoicorũ princeps, Chrysippus, Strato, Aristo, Cleãthes, Perseus, Antisthenes, Xenophon, Protagoras Crotoniates Alcmæon, Theophrastus, cæteriq́ penè innumerabiles, quorũ dogmata non tã Latini barbariq́, quàm ipsi inter se Græci confutauerunt, præcipueq́ Aristoteles, quem nulla in re, quàm in antiquis philosophis carpendis copiosiorem diffusioremq́ue fuisse cernimus, cum tamen ipse tam breuiter, impliciteq́, ac uelut per transennã suam in quibusq́ opinionem illorũ placitis subdat, ut unica obscuritate illas apud posteros tutas reddere uoluisse, à plerisq́ credatur, quorum quidã sepiam eũ non temerè fortasse appellant. Neq́ hæc de præstantissimo philosopho scribo, quasi Vallæ in Aristotelem calũnias probem. Sed (ne ab eo de quo agimus longius digrediamur) cum Plato Aristotelesq́ inter philosophos aliorum omniũ iure excellentissimi existimentur, qualia reliqui de dijs cõmenti fuerint, ex hoc admonemur, quòd præstantissimorũ uterq́ in eo negotio nõ mediocriter peccarit. De Platone siquidem M. Tullius primo de Natura deorũ libro ex Vellij persona ita scribit: Iam de Platonis inconstantia longũ est dicere, qui in Timæo patrem huius mundi nominari negat posse. In legũ autem libris, quid sit omnino Deus inquiri oportere nõ censeat. Quòd uerò sine corpore ullo Deũ uult esse, ut Græci dicũt ἀσώματον, id quale esse possit intelligi nõ potest. Careat enim sensu necesse est, careat etiã prudentia, careat uoluptate, quæ omnia unà cum deorũ notione cõprehendimus. Idem & in Timæo dicit: & in Legibus, & mundũ Deũ esse, & cœlũ, et astra, et terrã, et animos, & eos quos maiorũ institutis accepimus, et quæ per se sunt falsa perspicuè, & inter se uehementer repugnãtia. Et paulo pòst de Aristotele inquit: Arist. quoq́ in III de Philosophia libro multa turbat, à magistro Platone uno dissentiẽs. modò enim menti tribuit omnem diuinitatẽ, modò mundũ ipsum Deũ dicit esse, modò aliũ quendã præficit mundo, eiq́ eas partes tribuit, ut replicatione quadam mundi motũ regat atq́ tueatur, tum cœli ardorem deũ dicit esse, nõ intelligens cœlũ mundi esse partem, quem alio loco ipse designauerit Deũ. Quomodo autẽ cœli diuinus ille sensus in celeritate tanta conseruari potest? Vbi deinde illi tot dij, si numeramus etiam cœlũ Deum? Quũ autem sine corpore idem uult esse Deũ, omni illum sensu priuat, & prudentia. Quo porrò modo mundus moueri potest, carens corpore? aut quomodo semper se mouens, esse quietus & beatus potest? Hactenus Cicero. Ex cuius uerbis cum duos summos philosophos non modò falsa de Deo scripsisse, sed utrumq́ etiam sibi ipsi esse aduersatũ perspicuum sit, quid cæteri minores philosophi de ijsdem secũ comminisci quiuerint, ipsa Græcia uiderit. Sed quispiã Græcos philosophos defendens, non mirũ esse dicet, si eorũ cognitionem non sunt assecuti, quæ nobis ipse Deus opt. max. aperuit, cum Græci ea tantum ingenio scrutati sint, quorum aliqua non obscura ratio reddi posset. Ego uerò sic ei respondeo, Græcos omnes philosophos ijs fuisse in hac parte inferiores, quos ipsi pro barbaris habuere. Nam Hermes Trimegistus Aegyptius ea de Deo tradidit, quæ propemodũ ijs sint consentanea, quæ nos de illo credimus. Et tamen Græci præter se omnes barbaros appellabãt. Quid quòd & hoc quoq́ ab Aegyptijs Græci accepere, cũ illi non minus Græcos, aliosq́ omnes, præter se ipsos barbaros appellarint, quàm Græci Aegyptios, & quoscunq́ Græcorum nomen non comprehendit? Et hæc à nobis de Græcis philo-

sophis

sophis tum uerissimè, tum iustissimè dicta esse, nemo nisi perfricatæ frontis inficiabitur. Nec uerò si hæc ita esse asseuero, philosophiam absolutè improbarim, quæ tamdiu ad bonos mores contulerit, quamdiu ob primi hominis perniciosum facinus orbem terrarum in tenebris uersari ei uisum est, qui se adeptos sapientiam profitentes stultos reddidit. Nobis enim, qui ueram philosophiam Dei beneficio tenemus, non tam usui est, quàm quidam etiam nostris temporibus uiuentes, nomine Christiani, re uerò ab ethnicis nihil differentes prædicant. Verum ad medicinam ueniamus. Num non & eius origo barbaris est assignanda? Cæterum quando non paucorum censura ad Græcos refertur, quod Homerus Troiano bello Podalirium Machaonemque interfuisse memoret his uersibus,

Τῶν αὖθ᾽ ἡγείσθην ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε,
ἰητῆρ᾽ ἀγαθὼ, ποδαλείριος, ἠδὲ μαχάων,

Quanquam ij uulnerum duntaxat remedijs clari fuerint, quin tamen multa ei fabulosa miscuerint, negare non possunt: Aesculapium etiam fulmine ictum, quòd Tyndaridem ad uitam reuocasset fabulati. Vtque in ea gentis non minorem, quàm in alijs scientijs leuitatem dignoscamus, cum Hippocrates Cous, diuinus quippe scriptor, sua in Medicina placita, quæ nunc quoque utplurimum à Galeno defensa, explicataque sunt in usu, scriptis mandasset, ut & posteris prodessent, inuentus est inter Græcos Chrysippus, qui Hippocratem multa (ut ait Plinius) garrulitate improbaret. Mox uerò eius Chrysippi auditor Erasistratus, in præceptore multa damnauit. Et hi quidē in ea medicinæ parte, quæ clinicè appellatur, floruere. Qui enim ab experimentis empiricem se profiteri dixerunt, cum & ipsi in uarias scholas discessissent, omnes postea ab Herophilo confutati sunt: cuius itidem secta, utpote literarum cognitione destituta, deserta est. Subijcerem & de Asclepiadis in Medicina inuentis, ab eius discipulo Themiso ne immutatis: & de Antonio Musa, qui contraria medicina Augustū graui periculo liberauit: si omnia Græcorum medicorum in ijs, in quibus uita hominum uersatur, digladiationes recensere constituissem. Ad hæc tamen tantum indicata M. Catonis Censorij de illis uerba addā, ne primus ipse de Græcis medicis malè sentire à calumniatoribus iudicer. Dicam, ait, de istis Græcis suo loco, M. fili, quid Athenis exquisitū habeam, & quod bonum sit earum literas inspicere, non perdiscere. Vincam nequissimum & indocile genus illorū, & hoc puta uatem dixisse. Quandocunque ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet: tum etiam magis, si medicos suos huc mittet. Iurarunt inter se, barbaros necare omnes medicina. Sed hoc ipsum mercede faciunt, ut fides ijs sit, & facile disperdant. Nos quoque dictitant barbaros, & spurcius nos quàm alios opicos appellatione fœdant. Porrò Deorum cultum, Astrologiam, Geometriam, alias'que non paucas scientias ab eisdem Aegyptijs Græci accepere: quo fit, ut illi hæc magis excoluerint, quàm inuenerint. De quibus si Budæus non admodum se dicat sollicitum, dum nostros poëticam, oratoriam artem, historiam'que ab ijs, & inuentoribus quidem, mutuo sumpsisse non diffitear: facit sanè, quod peruersum Græculum decet, quum nostris idem ius scientias ab alijs sumendi, quod Græcis fuisse, tam acriter stomachatur. Atque ut Græcos nostris in plurimis maximè profuisse constanter candide'que affirmem, non tamen protinus Sibyllæ responsum erit, quod Budæus pronunciat, Græcā linguam ad Latinā relatam poëtæ, id est, tragici autho ris aut comici rationem habere, Latinā uerò actoris tantū scenici, qui fabulā à poëta inuen-

tam,& emodulatè ſcriptam artifici(ut eius utar uerbis)ac emodulata pronũciatione in theatralem conſenſum profert. Illum enim quum hæc ſcriberet ſtultiſſimè hallucinatum eſſe Horatius, nequaquam contemnendus, uel cum Budæo in ſuo genere collatus ſcriptor, oſtendit in Arte poëtica ita ſcribens,

Nil intentatum noſtri liquere poëtæ,
Nec minimum meruere decus, ueſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta,
Vel qui prætextas, uel qui docuere togatas.

Vtq; Romanos ingenio nequaquam fuiſſe Græcis poſtponendos, ſed multo maiores eſſe potuiſſe, ſi eorum patientiam uoluiſſent imitari, Budæus intelligeret, hos illis uerſibus ſubdidit:

Nec uirtute foret, claris'ue potentius armis
Quàm lingua Latium, ſi non offenderet unum
Quemq; poëtarum limæ labor, & mora.

Et eſt qui ita ſcripſit Horatius, hoc eſt, Græcorum maximus laudator: de quibus in eodem opere ita cecinit,

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem nullius auaris.

Sed iam relicto Budæo, ad Laſcarem reuertamur, ut reliquũ eius in Latinos luſuum fabis lapillisq; duriorũ debitis laudibus proſequamur. Qui enim M. Tullium tribus epigrammatibus(ut oſtendimus)impetijt, in Virgilium Maronem antea duo panxerat. Nos uerò ut quæ ad Ciceronem pertinebant, omnia ſimul proferremus, mutato Græculi authoris ordine, illa prius recitauimus. Nũc reliqua ijs adijciemus, inquit autem,

In gentem inueheris, ſpernis præcepta magiſtri,
 Parthenia, nullum deprimit ille genus.
Ne inſontes lædat generis: tu crimine ab uno
 Diſcite, ais, Danaos, quod nihil ad Lybias.
Præterea à multis, qualis'nam inducimur unus
 Ex uno cunctos diſcere nos docet hic.
Tyrrhenos, Ligures perſtringit, parcere cuiquam
 Neſcit, me Harpocratem quilibet eſſe iubet.
Cum laruis certas, defuncto parce, reclamant:
 Reſpondere nequit, lex uetat eſſe reum.
Aio: ſed in ſcriptis nos eleuat, illa ſuperſunt,
 Ingrati indicium, degenerisq; animi.

Væ ætati tuæ dicerem, ſi inter uiuos ageres ſenex Acherontice, ſed quando in obſcurũ tartarũ proiectus es, uæ manibus tuis Græcorũ omniũ indoctiſſime, qui Latinorum poëtarum principem non decentius laceſſis, quàm regem regum Agamemnonem Homericus ille Therſites. Ne tamen & ipſe turpiſſimo huic Therſitæ inania ex uerbis uerba ducendo ſimilis efficiar, rem ipſam potius uideamus: quandoquidẽ hunc quoq; Græculũ uerborũ elegantiam ſpreuiſſe, ſolisq; ſtuduiſſe cõuicijs uidemus. Si igitur tam elegantis epigrãmatis argumentum ſatis proſperè colligo, nõ alia mihi de cauſa uidetur noſter ariolus P. Virgilio tam fuiſſe infenſus, quàm quòd unius Sinonis exẽplo omnes Græcos uanos mendaces'que habendos eſſe admonet. nequaquam ſecutus magiſtrum ſuum Homerum, qui nulli unquam nationi planè maledixerat. Verum ſi Maronem ex eius perſona illa de Græcis protuliſſe, cuius maximè intererat quibuſcunque rationibus uerbis'que eos fallaces ac doloſos fuiſſe Tyrijs perſuadere

dere animaduertisset hic poëta, quota Achææ fecis portio, tam petulanter in illum nequaquam esset inuectus. Quem si non tam ut Aeneæ à Tyrijs hospitio excepti, rationem haberet, quàm ut conuenientem Græcis notam inureret, ita scripsisse liqueret, nihil inique de ijs memoriæ mandasse arbitrarer. Inuenerint enim excoluerint'que bonas artes Græci, ea tamen, si non omnes, maxima certè eorum pars tradidere, quæ non sunt aliud quàm monstruosa mendacia: ut meritò Græcis mendaciorum origo, sicut Aegyptijs, alijs'que quibusdam nationibus philosophiæ, multarum'que artium initium assignetur. Nec sanè id uitij excellentissimis aliquot scriptoribus, quales fuere Plato, Aristoteles, Demosthenes, & his similes nonnulli, quos nec ipse Virgilius suis uerbis designasse iudicatur, ausim adscribere: sed cum Græcorum natio ad figmenta nata, eò temeritatis processerit, ut nec in historijs quidem (quibus nullum scriptionis genus magis integrum, ueritati'que magis addictum esse debet) à mendacijs temperauerit, id uidetur de ea memoriæ prodidisse Virgilius, quo nihil quicquam est manifestius. Neque uerò longa temporum serie (ut omnia post iusta excrementa solent,

In peius ruere, ac retro sublapsa referri)

quisquam Græcos historicos fabulas ueris rerum narrationibus aspersisse existimet, cum in ipsis statim nascentis apud eos historiæ initijs id factum sit ab Herodoto illo Halicarnasseo, qui primus Græco sermone illam ornatè scribere orsus est, ea'que de causa historiæ pater à plerisque est uocatus. Quem cum alijs pluribus Ctesias Cnidius, præcipuè in mentiendo secutus traditur. Quamobrem Lucianus cum in campis Elysijs diuersa nocentium genera grauissimis pœnis affici se uidisse referat, acerrimè eos qui in uita mentiti essent, apud illos puniri ait, quorum Herodotum Ctesiam'que principes ponit: facetissimè æquo se id animo spectasse subiungens, quippe qui nullius sibi mendacij esset conscius. Inquit autem' καὶ μεγίστας ἁπασῶν τιμωρίας ὑπεῖχον οἱ ψευσάμενοί τι παρὰ τὸν βίον, καὶ οἱ μὴ τἀληθῆ συγγεγραφότες, ἐν οἷς καὶ κτησίας ὁ κνίδιος ἦν, καὶ ἡρόδοτος, καὶ ἄλλοι πολλοί. τούτους οὖν ὁρῶν ἐγὼ, χρηστὰς εἶχον εἰς τοὐπιὸν τὰς ἐλπίδας, οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ ψεῦδος εἰπόντι συνηπιστάμην. Idem etiam in eo dialogo qui φιλοψευδὴς, ἢ ἀπιστῶν inscribitur, ueteres Græcos, præcipue'que Herodotum, Ctesiam'que Cnidium, atque his superiores, & Homerum denique, etiam scriptis mendacia conseruasse testatur, non modò ut ad eos, quibus sua ipsi recitabant, sed ad posteros quoque, quasi per manus tradita, pulcherrimis uerbis metrisque seruata peruenirent. Ait enim' ἐκείνους μὲν ἢ σὺ παλαιοὺς πρὸ ἐμοῦ σε χρὴ εἰδέναι, τὸν ἡρόδοτον, καὶ κτησίαν τὸν κνίδιον, καὶ πρὸ τούτων σὺ ποιητὰς, καὶ τὸν ὅμηρον αὐτὸν, ἀοιδίμους ἄνδρας, ἐγγράφῳ τῷ ψεύσματι κεχρημένους, ὡς μὴ μόνον ἐξαπατᾶν τοὺς τότε ἀκούοντας αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ μέχρις ἡμῶν διϊκνεῖσθαι τὸ ψεῦδος, ἐν καλλίστοις ἔπεσι καὶ μέτροις φυλαττόμενον. Hæc Lucianus: cuius de ijs scriptoribus iudicium non est improbandum, cum & alij Græci complures in eadem fuerint sententia, Straboque ac Diodorus Siculus non semel eum nugatum asserant. quorum authoritati innixus Iunius Iuuenalis, decima satyra ita de Græcis historicis scripsit,

Creditur olim
Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax
Audet in historia, constratum classibus ijsdem
Suppositumque rotis solidum mare: credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis,

Eodem

Eodem loquendi modo propter Sostratum quem nominat, & Herodotum quem procul dubio designat, Græciam simpliciter mendacem uocauit Satyricus, quo Virgilius ex uno Sinonis crimine Græcos omnes cognoscendos ait:non quoscunque (quod esset temerarium) sed bonam eorum partem notans. quamuis nec id quidem mihi Virgiliani animi candori satis conuenire persuaderi potest, cùm nemo magis Græcos, quàm idem, extulerit. Quin potius eum(ut frequentissimè solet)ad sua tempora, quibus nemo, modò non quouis esuriente Græculo mendacior, negarit tam corruptos fuisse Græcorum mores, quàm heroicis temporibus, uel si quando Græcia meliores uiros protulit, probatos, respexisse credendum est. Quam in sententiam plurima nostrorum, Græcorum'que testimonia citare possem, nisi ad alia quæ restant, (ne nimis diffuse singula peragam) noster sermo esset dirigendus. Quicunque tamen Græcorum, primis Romani imperij seculis, mores cupit perdiscere, Lucianum iustissima de causa conuicia in suos alia super alia aggerentem legat. Nos enim præter illa, quæ superius de Græcorum mendacijs attigimus, hoc quoque adijciemus, Cretenses antiquissimos Græciæ populos ob mentiendi studiũ à diuersis scriptoribus semper mendaces fuisse appellatos. idque non tam notissimo hoc Epimenidis carmine,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

quod ridiculè propemodum Iacobus Faber Stapulensis unico latino carmine reddere conatus est, cùm nihil succedat infelicius : quàm diui Pauli ad Titum scribentis, illud'que tanquam oraculum confirmantis præconio, adeò perspicuum fit, ut Callimachi eodem modo Cretenses semper mendaces dicentis, eadem in re authoritatem non magni æstimes. Quandoquidem uerò Virgilium melius de Græcis & sensisse & scripsisse, quàm ipsorum de se ac suis Græcorum quemuis dixi, ne impudenter id potius quàm ex animo affirmasse bicipitis huius Iani manes suspicentur, ipsius uersus ex sexto Aeneidos sunt hoc loco apponendi, ex quibus docti omnes pariter indocti'que nostrum poëtam tantum Græciæ detulisse intelligant, quantum planè non est re ipsa deferendum: cum ei de omnibus scientijs artibus'que palmam detulerit, quod absolutè uerum non esse superius à nobis demonstratum est. Sed fecit ille modestissimè, atque ut Italum decuit, eam ueram esse laudem existimans, non quam sibi quisque desumeret, sed qua communis uiuentium posterorumque consensus eum ornaret. At ipsum audiamus.

Excudent alij spirantia mollius æra,
Credo equidem, uiuos ducent de marmore uultus,
Orabunt causas melius, cœlique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent,
Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Quid potuit de Græcis magnificentius dici, quàm hæc sunt de eis Virgilij carmina? Romanis bellicam laudem, & imperandi artem tribuit, quas nec noster Ianus eis eripere auderet. At in reliquis sic Græcos effert, quasi omnes aliæ nationes cũ ijs collatæ pro nihilo sint habendæ. Si hercle Græcos tam uehementi odio fuisset prosecutus, quàm noster ὑλακόμωρος coniectat, nequaquam eos sic laudasset. Et quia Virgiliũ Græcos calumniantem magistri præcepta, qui nullũ unquam genus depresserit, hic Ianus spreuisse opinatur, in hoc quo

que

que eum insanisse ostendam. Siquidem cum Græci (ut diximus) omnes præter se barbaros appellarent, ita quoscunque barbaros Homerus contempsit, ita suos celebrauit, ut non possit quandoque nimium eius in suos amorem, nimium in barbaros odium non deridere. Cuius rei hoc unicum adducam exemplum, quòd cum Achillem fortissimum ducem sibi effingendum proposuisset, & eo præsertim argumento, quòd illo non pugnante, reliqui simul Græci Troianos numero longè inferiores, inprimis'que Hectorem Achillis aduersarium, uix à nauibus possent arcere, sæpissimè tamen nimio suorum studio, non modò Achillem illi, sed Aiacem quoque & Diomedem, neque id semel, anteposuit. Nam Diomedem ad Ilij usque muros Troianos omnes persequentem, Hectoremq́ ad uota et preculas muliebri penè more cõfugientem inducit. Singulare itidem Aiacis cum eodem Hectore certamen nimis est inæquale, nimis ex altera parte infrà puerile, suprà uirile ex altera. Quis enim credat Hectorem, cuius penè unius opera Troianum bellum in decimum annum dilatum est, tam fuisse mollem, tam'que eneruatum militem, ut qui Aiacem ad singularem pugnam prouocauerat, antequam cõminus res ageretur, tanto terrore fuisse perculsum, ut ideo ad suos non confugerit, quòd certamen prior poposcerat? Quis inquam æquo animo illos uersus legat?

τὸν δὲ καὶ ἀργεῖοι μέγ' ἐγήθεον εἰσορόωντες,
τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον,
ἕκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν.
ἀλλ' οὔπως ἔτι εἶχεν ὑποτρέσαι, οὐδ' ἀναδῦναι,
ἂψ λαῶν ἐς ὅμιλον, ἐπεὶ προκαλέσσατο χάρμῃ.

Iam lapis ab Hectore in Aiacem missus, ut certè non fuerit leuissimus, Aiacem ne tantillum quidem læsit. At quem Aiax in Hectorem coniecit, tum multo grauior fuit, tum illum resupinum fudit. Mitto huius generis quamplurima, cuiusmodi sunt, quòd idem Aiax Hectorem nauibus ignem inferentem saxo exanimauerit, quòd Diomedes Martem ac Venerem uulnerarit, idem aliquando secum Dijs pugnaturum negans, quòd ad eum fugandum multis Iouis fulminibus opus fuerit: quòd Patroclum tanquam Cumanum illum asinum leonis spolijs indutum, Troianis fugiendo in urbem regressis, Ilij muros euertere tentantem, uix tum Hector obtruncare quiuerit, quum Euphorbus eum iam percussisset, Apollo'que armorum parte nudasset, cum alijs innumeris. Ex quibus Homerum ita Græcorum rebus fauisse, barbaris'que fuisse inimicum perspicimus, ut in ea persona, quæ pro Achillis gloria in cœlo erat collocanda, decorum plerunque non prætermiserit, sed dissimulauerit. Vt enim Homerum Græcos etiam sine Achille Ilium expugnare ualuisse, hisce indicijs demonstrasse (quod nonnulli fortè somniabunt) quantumuis perspicuè colligamus, quis tamen nescit Hectorem ita re bellica excelluisse, ut eo illud uiuente capi nõ potuerit? Aut quis tantũ heroẽm tam frequenter ab ijs Græcorũ ducibus, qui secũdas tertiasq́ inter suos obtinebãt, in fugam datũ fuisse credat? Hæc tamen ego de Homero, quẽ nostri omnes maximũ poẽtam habendum esse uno ore prædicant, non scriberem, nisi P. Virgilium aliam uiam secutum uiderem, qui cum semper Turnũ, quamuis Italum (nec enim refert, si ueterem ab Inacho, Acrisioq́ ac medijs Mycenis originem duceret) audacissimum, excellentissimumq́ in omni militia Imperatorem finxisset, tum demum pauorem ei, mortisq́ metum iniecit, quũ aduersus Aeneam in campum ad singulare certamen descendisset: quo mihi (dicam audiente Græcia) uel co

pia, uel artificio longò interuallo Homerum uidetur superasse: nisi fortè (ut stulti quidam persuasum habent) Græcum poëtam in ijs, quibus aliquid absolutius desiderare licet, præcipuas nostri uirtutes superasse credamus. Quid ergo? An Virgilium uel suos contempsisse, qui eos exteris uirtute inferiores posuerit, uel plus æquo extulisse, qui semel tantum, hoc est, quum maximo celebratissimoq; imperatori esset oppositus, timuisse fingat, rectè dixerimus? Neutiquam existimo. Verum cum decorum sibi (quod est in poëmatibus seuerissimè custodiendum) proposuisset seruandũ, & Troianum Aeneam, & Italum Turnum omnibus numeris, quatenus operi conueniret, nullo habito neq; Italorum neq; barbarorum discrimine, absolutissimos statuit, qui Italiæ laudes elegantissimè hisce carminibus alio loco comprehenderat,

Sed neq; Medorum syluæ, ditissima terra,
Nec pulcher Ganges, atq; auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent, non Bractra, neq; Indi,
Totaq; turiferis Panchaia pinguis arenis.
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Inuertere, satis immanis dentibus hydri:
Nec galeis, densisq; uirûm seges horruit hastis:
Sed grauidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
Impleuere: tenent oleæq;, armentaq; læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert,
Hinc albi Clitumne greges, et maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deûm duxere triumphos.
Hic uer assiduum, atq; alienis mensibus æstas,
Bis grauidæ fruges, bis pomis utilis arbos.
At rabidæ tygres absunt, & sæua leonum
Semina, nec miseros fallunt aconita legentes:
Nec rapit immensos orbes per humum, neq; tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumq; labores,
Tot congesta manu præruptis oppida saxis,
Fluminaq; antiquos subterlabentia muros.
An mare quod suprà, memorem, quodq; alluit infrà?
An'ne lacus tantos? te Lari maxime, teq;
Fluctibus & fremitu assurgens Benace marino?
An memorem portus? Lucrinoq; addita claustra?
Atq; indignatum magnis stridoribus æquor?
Iulia qua ponto longè sonat unda refuso:
Tyrrhenisq; fretis immittitur æstus auernis?
Hæc eadem argenti riuos, ærisq; metalla
Ostendit uenis, atq; auro plurima fluxit.
Hæc genus acre uirûm, Marsos, pubemq; Sabellam,
Assuetumq; malo Ligurem, Volscosq; uerutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosq; Camillos,
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar,
Qui nunc extremis Asiæ iam uictor in oris
Imbellem auertis Romanis arcibus Indum.

Salue magna parens frugum Saturnia tellus,
Magna uirûm, tibi res antiquæ laudis & artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes,
Ascræumq; cano Romana per per oppida carmen.

Quibus maximè similia sunt quæ Plinius ultimo Naturalis historiæ libro de eadem regione uerissimè tradit: Et iam peractis omnibus naturæ operibus, inquit, discrimen quoddam rerum ipsarum facere conueniat. Ergo in toto orbe, & quacunque cœli conuexitas uergit, pulcherrima est omnium, rebusq; meritò principatum naturæ obtinens, Italia, rectrix, parensq; mundi altera, uiris, fœminis, ducibus, militibus, seruitijs, artium præstantia, ingeniorum claritatibus. iam situ ac salubritate cœli atq; temperie, accessu cunctarũ gentium facili, littorib. portuosis, benigno uentorũ afflatu. Etenim contingit recurrentis positio in partem utilissimã, & inter ortus occasusq; mediam, aquarũ copia, nemorũ salubritate, montiũ articulis, ferorum animaliũ innocentia, soli fertilitate, pabuli ubertate. Quicquid est, quo carere uita non debeat, nusquã est præstantius: fruges, uinũ, olea, uellera, lina, uestes, iuuenci. Ne equos quidem in trigarijs præferri ullos uernaculis animaduerto. Metallis auri, argenri, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nullis cessit. Et ijs nunc in se grauida, pro omni dote uarios succos, & frugum pomorumq; sapores fundit. Strabo quoque de eadem Italia ita scribit: τοσαύτη μὲν τοι καὶ τοιαύτη τίς ἐστιν ἡ ἰταλία. πολλὰ δ' εἰρηκότες, τὰ μέγιστα ἐπισημανούμεθα, ὑφ' ὧν νῦν εἰς τοσοῦτον ὕψος ἐξήρθησαν οἱ ῥωμαῖοι. ἓν μὲν, ὅτι νήσου δίκην ἀσφαλῶς φρουρεῖται τοῖς πελάγεσι κύκλῳ, πλὴν ὀλίγων μερῶν, καὶ ταῦτα τετείχισται τοῖς ὄρεσι δυσβάτοις οὖσι. δεύτερον δὲ, τὸ ἀλίμενον κατὰ τὸ πλεῖστον, καὶ τὸ τοὺς ὄντας λιμένας μεγάλους εἶναι, καὶ θαυμαστούς. ὧν τὸ μὲν πρὸς τὰς ἔξωθεν ἐπιχειρήσεις χρήσιμον, τὸ δὲ πρὸς τὰς ἀντεπιχειρήσεις, καὶ τὴν τῶν ἐμπορίων ἀφθονίαν συνεργόν. τρίτον δὲ, τὸ πολλαῖς ὑποπεπτωκέναι διαφοραῖς ἀέρων τε καὶ κράσεων, παρ' ἃς καὶ ζῷα, καὶ φυτὰ, καὶ πάνθ' ἁπλῶς τὰ πρὸς τὸν βίον χρήσιμα πλείστην ἐξαλλαξιν ἔχει, πρός τε τὸ βέλτιον, καὶ τὸ χεῖρον. ἐκτέταται δὲ τὸ μῆκος αὐτῆς ἐπὶ μεσημβρίαν ἀπὸ τῶν ἄρκτων τὸ πλέον· προσθήκη δ' ἐστὶν ἡ σικελία, τῷ μήκει τοσαύτη οὖσα, καὶ προσέτι καθάπερ μέρος. εὐκρασία δ' ἀέρων, καὶ δυσκρασία κρίνεται παρὰ τὰ ψύχη, καὶ τὰ θάλπη, καὶ τὰ μεταξὺ τούτων, ὥστε καὶ τούτων ἀνάγκη, τὴν νῦν ἰταλίαν ἐν μέσῳ τῶν ὑπερβολῶν ἀμφοτέρων κειμένην, τοσαύτην τῷ μήκει πλεῖστον τοῦ εὐκράτου μετέχειν, καὶ κατὰ πλείστας ἰδέας. τοῦτο δὲ καὶ ἄλλως συμβέβηκεν αὐτῇ· τῶν γὰρ ἀπεννίνων ὀρῶν δι' ὅλου τοῦ μήκους διατεταμένων, ἐφ' ἑκάτερον δὲ πλευρὸν πεδία, καὶ γεωλοφίας καλλικάρπους ἀπολιπόντων, οὐδὲν μέρος αὐτῆς ἐστιν, ὃ μὴ καὶ τῶν ὀρείων ἀγαθῶν, καὶ τῶν πεδίων ἀπολαῦον τυγχάνει. καὶ προσθετέον τὸ μέγεθος, καὶ πλῆθος, ποταμῶν τε καὶ λιμνῶν, πρὸς δὲ τούτοις θερμῶν τε καὶ ψυχρῶν ὑδάτων ἀναβολὰς πολλαχοῦ πρὸς ὑγείας φύσει παρεσκευασμένων· καὶ μὴν καὶ μετάλλων εὐπορίας παντοδαπῶν, ὕλης τε καὶ τροφῆς ἀνθρώποις τε καὶ βοσκήμασιν. οὐδ' ἀξίως εἰπεῖν ἐστι τὴν ἀφθονίαν, ὅσην παρέχεται, καὶ τὴν χρυσοκαρπίαν. ἐν μέσῳ δὲ καὶ τῶν ἐθνῶν τῶν μεγίστων οὖσα, καὶ τῆς ἑλλάδος, καὶ τῶν ἀρίστων τῆς ἀσίας μερῶν, τῷ μὲν κρατιστεύειν ἐν ἀρετῇ τε καὶ μεγέθει τὰ περιεστῶτα αὐτὴν, πρὸς ἡγεμονίαν εὐφυῶς ἔχει. τῷ δ' ἐγγὺς εἶναι, τὸ μετὰ ῥαστώνης ὑπουργεῖσθαι πάρεστι. Quæ sic uertimus. Tanta quidem, talis'que est Italia. Cumq; multa dixerimus, amplissima significabimus, per quæ hoc tempore ad tantum fastigium Romani euecti sunt. Vnum quidem, quòd in modum insulæ tuto eam circuitu maria custodiant, præter paucas partes, quæ tamen inaccessis montibus tanquam muris uallatæ sunt. Alterum uerò, quod portibus ut plurimum caret: ij autem, quos habet, magni atque mirabiles existunt, qui partim aduersus externorum incursiones, partim etiam ad excursiones, reddendam'que mercium abundantiam prosunt. Tertium, quòd multis aëris diuersitatibus,

 tempera-

temperamentis'que subiacet, sub quibus animalia, plantæ, cuncta denique usibus utilia plurimam habent uarietatem, siue bona sint, siue mala. Porrò ipsius longitudo in meridiemá septentrione plurimum extenditur, cui longitudini additamentum est Sicilia, talis tanta'que eius uti pars existens. Aëris autem temperamentum intemperies'que, pro frigoris caloris'que, & horum medij conditione iudicatur. Quas ob res necesse est eam, quæ nunc est, Italiam, inter utrumque excessum iacentem, in tanta longitudine plurimum temperamenti, plurimis'que modis habere. Id autem alio illi pacto contingit. Apenninis namque montibus perpetua per eam longitudine porrectis, ac in utrumque latus campos colles'que bonos fructus producentes relinquentibus, nulla est eius pars, cui non montanis campestribus'que bonis frui concessum sit. Adde fluuiorum lacuum'que magnitudinem, copiamq;, ad hæc calidarũ frigidarumq; aquarum scatebras, multis in locis ad hominum sanitatem à natura comparatarum. His adiunge omnis generis metallorum abundantiam, materiam præterea, cibosq; tum hominibus, tum pecoribus attributos. Iam nemo illius ubertatem, fructuum'que bonitatem satis dignè exprimeret. In medio uerò maximarum gentium, Græciæq;, atq; optimarum Asiæ partium sita, uirtute amplitudine neq;, in ea à quibus circundatur commode imperium habet, illarum subiugandarum ex uicinitate facultatem nacta. Nec mihi omniũ omnia de Italia testimonia producere libet, de qua plurimi ueteres diffusè scripserunt, plurimi etiam recentiores, inter quos meritò est referendus Leander Albertus Bononiensis Dominicanus, uir nõ minus uitæ integritate, quàm singulari eruditione commendandus. Sed ne à diuerso Homeri Virgilijq; in suis operibus more, instituto'ue longius discedamus, enixè aduersus nostram sententiam contendet Macrobius Aurelius, Maronem in ijs rebus, in quibus Homeri præscriptum uel latum (ut aiunt) culmum deseruerit, manifestissimè lapsum fuisse. Quod tamen eius consulatus pace dictum sit, crapulæ (nam id Saturnalibus laudi tribuebatur) magis quàm Musis erat mancipatus, quum tantum poëtam, tam atctè Homericis inuentis deuinciret. Ac nisi alij ante nos leuissimos huius rabulæ in illum latratus, prout æquum erat, compescuissent, copiosè hoc argumentum tractarem. Cæterum ut præcipua illius somnia non attingam, id quidem præterire non possum, nec debeo, & ipsum consularem nostrum à tanto Virgilium calumniandi pruritu fuisse detentum, ut cum Homerus nauium catalogum, Græcorumq; tum copias, tum imperatores, ijsdem fermè uocibus, locutionibus millies repetitis recensuerit; Virgiliusq; ea in parte Homericam phrasim, tanquam eodem semper mugitu constantem, nauseamq; quodammodo lectoribus iccirco parientẽ uitarit: quod in Homero antiquitas excusat, plus gratiæ ac uenustatis, quàm absolutissimam nostri poëtæ uariationem habere deieret. Has copias, inquit, fortassè putat aliquis diuinæ illi simplicitati præferendas. Sed nescio quo modo Homerum repetitio illa unicè decet, & est Genio antiqui poëtæ digna, enumerationiq; conueniens, quòd in loco mera nomina relaturus, non incuruauit se, neque minutè torsit deducendo stilum per singulorum uarietates, sed stat in consuetudine percensentiũ, tanquam per aciem dispositos enumerans, quod non alijs quàm numerorum fit uocabulis: & tamen egregiè, ubi oportet, de nominibus ducum uariat. Atqui si Macrobius inter pocula sobrius acerrimũ Virgilij iudicium improbasset, non in ijs leuiusculis solum, sed in totius operis summa illum meritò derideremus, cum nec in integro eius argumento Homerum sit imitatus, sed uni tribuerit, quod ille in duobus effinxerat. Qua in re si fortè

non

non magis quàm Homerus laudatus est, tantum certè gloriæ ex uno Aenea noster, quantũ ex duobus Achille atq; Vlysse sibi Græcus peperit. Sed contractior est noster, dicet Macrobius, minusq; in eo uerborũ inuenio, quàm ut meas aures impleat. At tibi, nisi fallor, nõ tã placet Homericus ille ferreæ uocis Stentor,

ὃς τόσον αὐδήσας, ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα,

quàm aut Mars, aut Neptunus: quorũ uterq; tam horrendũ altumq; clamaret,

ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον, ἢ δεκάχιλοι
ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα συνάγοντες ἄρηος.

His ergo te oblectato, nec semel iteratas, sed centies ijsdem uerbis repetitas integras narrationes summam Homeri uirtutem esse ducito. Nam qui eam illis rationem prætendunt, quòd oratores nuncijq; iniuncta sibi uerba non debent immutare, nihil minus mihi quàm Homeri poëmata uidentur legisse, cum sæpissimè id iterationis uitium (si modò in tanto poëta quicquam licet uitiũ uocare) ea ratione sæpissimè careat. Quòd si Virgilius in hoc quoq; Homero aliquando similis esse uoluit, nõ tam fecit, quòd id summopere laudaret, quàm ut sibi eius rei facultatẽ non defuturã fuisse ostenderet, si & ipse Homerico more eiusmodi uersibus, narrationibusq; toties inculcatis, sua opera referta posteris uoluisset relinquere. Hæc à me de Homero non iccirco dicta sunt, quòd quicquam in diuino poëta, poëtarumq; patre uituperandũ existimem: sed inuitus hæc protuli, consularis huius temeritate cõmotus, qui ut de lana caprina aliquid dissereret, non aliam ob causam Homerum à Bœotia catalogum inchoasse censet, quàm ut à notissimo promontorio exordium capiens, ordine quodammodo omnes Græciæ urbes regionesq; enumeraret. Ait enim: Vbi uerò enumerantur auxilia, quæ Græci catalogum uocant, eundem authorem suum conatus imitari, in nonnullis paulum à grauitate Homerica deuiauit. Primũ quòd Homerus prætermissis Athenis ac Lacedæmonijs, uel ipsis Mycenis, unde erat rector exercitus, Bœotiam in catalogi sui capite locauit, non ob loci aliquam dignitatem, sed notissimum promontorium ad exordium sibi enumerationis elegit: unde progrediens modò mediterranea, modò maritima iũcta describit. Inde rursus ad utrumque situm cohærentium locorum disciplina describentis, uelut iter agentis accedit. Et paulo pòst: Contrà Virgilius nullum in commemorandis regionibus ordinem seruat, sed locorum seriem saltibus lacerat. Adducit primum Clusio & Cosis Massicum. Abas hunc sequitur, manu Populoniæ Iluæq; comitatus. Post hos Asilam miseræ Pisæ. Quæ in quàm longinqua sint Ethruriæ parte, notius est quàm ut adnotandum sit. Inde mox redit Cærete, & Pyrgos, & Grauiscas, loca urbi proxima, quibus ducem Asturem dedit. Hinc rapit illum Cycnus Liguriam, Ocnus Mantuam. Sed nec in catalogo auxiliorum Turni, si uelis situm locorum mente percurrere, inuenies illum continentiam regionum secutum.

Hæc cum à Ioanne Pontano, ut indocti Grammaticuli deliria, sint reiecta: in hoc tamen ipse Macrobium insanisse reor, quòd exordij à Bœotijs in catalogo sumpti causam reddidit, quam nemo Græcus, quantumuis assiduè in Homerica lectione uersatus, comminisci ausus est, cum uariæ de ea re fuerint diuersorum sententiæ, nec ullius opinio uerior quàm Aristarchi appareat, qui κατ' ἀναφορὰν, hoc est per oblationem, Homerum Bœotijs in catalogo primum locum tribuisse existimauit, cum posteri à quacunque ille ratione esset auspicatus, de eiusmodi principij ratione fuerint quæsituri. Satis enim friuola erat illorum coniectura, qui poëtam Musis in Helicone Bœotiæ monte uersantibus, rem gratam facere cupientem, à Bœotijs exordium sumpsisse aiebant, cùm Heliconem

non Bœotiæ, sed Phocidis montem esse constet. Sed nec qui eius rei causam eò referebant, quòd soli Bœotij quinque duces in Græcorum exercitu habuerint, rectè senserunt, quādo unus Myceneus Agamemnon pluris erat faciēdus, quàm mille Bœotiorū duces. At fuerunt, qui ob urbiū quæ in Bœotia erant multitudinem, id putarint factū. Sed Creta centum olim urbibus insignis, primū sibi in catalogo locū erat uendicatura, si Homerus id spectasset: sicuti nihil ad negocium pertinebat, quòd in Aulide Bœotiæ ciuitate, in qua Græcorū ad Ilium nauigantium naues aliquandiu detentæ fuerant, portus essent Troiam spectātes. Quæ omnia Homeri interpres, siue Didymus ille, siue quis alius fuit, his uerbis refert. ἄρξασθαι δὲ φασί τινες ἀπὸ Βοιωτῶν τὸν Ὅμηρον τοῦ καταλόγου, χαριζόμενον ταῖς μούσαις, ἃς ἐπικαλέσατο. αὐτόθι γὰρ ἐν Βοιωτίᾳ, εἶναι τὸν ἑλικῶνα τὸ ὄρος, ὅπου συνήθεις αὐταῖς διατρίβειν. οἱ δὲ τῆς φωκίδος λέγουσιν εἶναι τὸν ἑλικῶνα, μὴ ἂν ἀπὸ Βοιωτῶν τὴν ἀρχὴν διὰ τοῦτο γεγονέναι. τινὲς δὲ, ἀπὸ τοῦ ὅτι οὗτοι μόνοι πέντε εἶχον ἡγεμόνας. ἄλλοι δὲ φασιν, οὐ διὰ τοῦτο, ἀλλ' ἐπεὶ πολλὰς πόλεις εἶχεν ἡ Βοιωτία, διὰ τοῦτο ἐντεῦθεν ἄρξασθαι αὐτὸν τοῦ καταλόγου. οὐκ ἔστι δὲ οὐδὲ τοῦτο ὑγιές. οὐ γὰρ κατὰ πλῆθος πόλεων ὁ κατάλογος διαμεμέτρηται. ἤρξατο γὰρ ἂν μᾶλλον ἀπὸ κρητῶν, ἑκατὸν ἐχόντων πόλεις. βέλτιον δὲ λέγειν, αὐτὸν ἀπὸ Βοιωτῶν ἄρξασθαι, ἐπειδήπερ ἐν αὐλίδι, πόλει τῆς Βοιωτίας, συνήχθη ἅπαν τὸ πλῆθος, τὸ ἐπὶ τὴν ἴλιον μέλλον στρατεύειν. ἔχει δὲ αὕτη ἡ πόλις λιμένας, τοὺς μὲν βλέποντας ἐπὶ τὴν ἴλιον, τοὺς δὲ καταγωγοὺς ἀπὸ τῆς ἑλλάδος πάσης. δι' ἣν αἰτίαν συνηθροίσθησαν αὐτόθι, καὶ ἐντεῦθεν ἀπέπλευσαν. ὁ δὲ ἀρίσταρχός φησι, πρὸς τὴν ἐπιφορὰν αὐτὸν ἀπὸ Βοιωτῶν τὴν ἀρχὴν πεποιῆσθαι. εἰ γὰρ ἀπ' ἄλλου ἔθνους ἤρξατο, ἐζητοῦμεν ἂν τὴν αἰτίαν τῆς ἀρχῆς. Hæc ille. Macrobius tamen Græcis ipsis, ac Aristarcho prudentior, doctiorque, hoc in negotio omne tulit punctum. Si tamen eius figmentum à somnio abest, Virgilium Maronem huic nostro Saturnalium scriptori postponendum esse non negabo. Cur enim nō ab alijs nobilissimis Græciæ locis Homerus catalogum exorsus est, si Macrobio per crapulam aliquid serium in Virgilium scribere licuit? Cur non ab Epiro Græciæ parte tum uetustissima, tum mari, ut Bœotia, adiacente? Cur non ab Achaia, quæ ante Aegialos propter urbes per ordinem in littore dispositas appellata est? Cur non à Peloponneso peninsula (ut Plinius ait) haud ulli terræ nobilitate postferenda? per quas omnes celeberrimas notissimasque Græciæ regiones idem potuit assequi, quod per Bœotiam? Sit igitur uerum Aristarchi responsum, aut si ab eo discedimus, aliam ipsi huius rei causam, & certissimam fortè reddamus: nobilissimum poëtam non aliam ob causam à Bœotijs enumerationis sumpsisse initium, quàm quòd eos de huiusmodi quæstiunculis dubitaturos diuinabat, qui in crasso Bœotûm aëre nati essent. quorum sine controuersia principem habendum fatemur hunc Theodosium, sed non Cæsarem, unicè dignum qui

Nutricem Anchisæ, nomen patriamque nouercæ
Archemori, dicat quot Acestes uixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus uini donauerit urnas.

Vtcunque Bœotiorum promontoriū tandem facessat è medio, cùm Homerū ordine omnia Græciæ loca recensuisse non sit dubium, idemque non obseruarit Virgilius, causa protinus cecidisse credendus est, dixerit Macrobius. Quin tu potius dic mihi Saturni sacerdos, censeas'ne eandem Virgilij uel Latinos, uel etiam Ethruscos ad arma ruentes, atque Homeri in Troiæ littore Græcorum naues recensentis conditionem fuisse? Ego porrò ut Homerum prudentissimè fecisse arbitror, qui oblata occasione omnium Græcarum nationum, ueluti per continuatam seriem fecerit mentionem, nimirū ducum, nauiumque ac hominū plerumque numerum, qui omnes unanimes, neque tumultuaria, sed maturè nauata opera ad

iustas

iustas pœnas à Troianis repetendas nauigarant, eleganter percurrens: ita Virgilium in diuerso instituto, diuersum consilium sapientissime sectatũ interpretor: nempe ut Latinos Ethruscosq; raptim, nulloq; seruato ordine in Troianos Mezentiumq; concitatos, concitate quodammodo ac contempta serie describeret. Nam quis credat Latinos à Iunone, eaq; furia excitos,

Cui tristia bella
Iræq;, insidiæq;, & crimina noxia cordi,
quamq; ipse pater Pluton, Tartareæq; sorores oderint,
Tot sese uertit in ora,
Tam sæuæ facies, tot pullulat atra colubris:

eo pacto debuisse à Virgilio enumerari, quo ab Homero Græcorum naues, populosq; multos iam annos hostili bello in hostium solo implicitos? Quod igitur Maro noster sic Latium permiscuerat, ut eodem tempore arma uellet, posceret, ac raperet iuuentus, cõmodissimè mistim atq; interruptè eos aduersus Troianos primũ absq; ordine profectos finxit: sicut & Ethruscos, non ut à longæuo aruspice detenti ad Agillinam urbem aliquandiu externum ducem expectantes in acie per multos dies erant commorati, neq; ut opem Troianis ferentes nauigabant, sed ut primo impetu crudelissimè Mezentij facinoribus permoti, ad suppliciũ eũ præsenti Marte poposcerant. Huc accedit, quòd cũ nec contra Troianos, nec contra Mezentiũ omnis Italia conspirasset, nulla fuit causa, cur Virgilius priuatæ alicuius in ea regionis situm ita describeret; ut Geographi solent, quippe qui poëta esset, nõ geographus: laudabiliorq; fortasse in hac operis parte, quàm ipse Homerus, latius in Græciæ descriptionem, quàm poëtæ conueniret, ut quidam putant, digressus. quod tamen non facile quisquã Macrobio persuaserit: cuius uel eruditioni, uel stilo parum tribuunt pleriq; non mediocris literaturæ scriptores. Iouianus quidem Pontanus eum sordidæ locutionis grammaticum appellat: quiq; cum se sub alio cœlo ortum fateatur, à Latinæ linguæ uena adiutus non fuerit. An tu, ait, apud Ciceronem, Sallustium, Cæsarem inuenisti indigeriem cõcoquere, in memoriam atq; in ingeniũ ire, in incrementũ succrescere, tale hoc præsens opus uolo, natiua Romani oris elegantia noscendorum congeriem polliceri, & mille his etiã absurdiora, magisq; barbara? Quæ omnes locutiones in procemio Saturnaliorũ leguntur. Sunt qui aliquam ei philosophiæ cognitionem non adimant, licet in ĳs quæ ad iudiciũ, scribendiq; elegantiam & puritatem spectant, illum abiectum prædicent, non semel in manifestissimis rebus lapsum. Cuius rei hoc inter cætera prætendunt exemplũ, quod cum seruorũ genus nequaquam aspernandũ esse cõtendat, quia summa persæpe in eis tum fides, tum eruditio sit reperta, præcipuũ apud nostros seruorũ decus Cæcilium Statium Romani socci non dubie principem omiserit, de quo in quarto Noctiũ libro Gellius sic inquit: Statius autẽ seruile nomen fuit. Pleriq; apud ueteres eo nomine fuerunt. Cæcilius quoq; ille comœdiarum poëta inclitus, seruus fuit, & propterea nomen habuit Statius. Sed postea uersum est quasi in cognomentũ, appellatusq; est Cæcilius Statius. Hactenus ille. Ego uerò non in his solum, sed et in eo Macrobiũ uehementer errasse puto, quòd multa Virgilĳ (ut uocat) furta nimis insulsè frigideq; collegerit, ipse tamen omniũ furum furacissimus. Enimuerò sic integra Gellĳ capita in sua Saturnalia transfert, ut uel pueri Gellianam phrasim inter Macrobĳ uerborũ sordes dignoscãt. Quòd si in ĳs quæ surripuit, aut uoces, aut uerborũ saltem contextũ immutasset, in plurimis ei ignosceres. Cum autem omnia prout sunt apud Gellium proferat, quo-

nam id cõsilio pudenter fieri potuisse cõiecerit, nõ intelligo. An forte Gellianas Noctes absumptũ, sua uerò Saturnalia seruatũ iri, persuasum habebat? Proinde quòd Virgilio ipsi nõ pepercit, aliqua & nos eius furta apponeremus, si Macrobio hoc in negotio cuperemus esse similes. Sed aliqua de Virgilio dicenda sunt, quē nemo iure reprehenderit, si multa ab Ennio, Lucretio, Næuio, Accio, Vario, Catullo, Furio, & simılib. accepit. Quis enim unquã eximius in aliquo genere scriptor inuentus est, qui non permulta ab alijs sumpserit? Si mediusfidius eorum poëtarũ scripta extarent, qui ante Homerum uixere, multa eius, nisi fallor, furta dispiceremus: cum Corinnũ Iliensem poëtam, Palamedisq; discipulũ, ante Homerũ arte poëtica clarũ fuisse, Iliademq; in Græcorũ castris lingua & literis Doricis à præceptore Palamede inuentis conscripsisse, atq; Homerũ omnia ex ea in suam Iliadem transtulisse ferant. Verũ sit sanè, ut est, Homerus omnium celebriorum poëtarum cum Hesiodo antiquissimus, an igitur ideo scripsisse credendus est, ut cõmunia, atq; in medio posita sibi uni assumeret, posterisq; scribẽdi iter intercluderet? Nihil minus opinor. Quin hoc sibi (quod nemo diffitet) uoluit, sua illis quasi exemplaria esse proposita. Hunc ergo imitatus est Virgilius. At latinè loqui uolebat. Vnde'nam obsecro Latinam linguam nisi ex ijs, qui tum omnium manibus terebantur authoribus debebat elicere? Quocircà ut eos omnes uicit, ita quicquid apud uictos optimum fuit, suis poëmatibus interferens, & multo plura quàm quisquam absolutissimè scripta nobis reliquit, & quæ ab alijs sumpsit, longè meliora proculdubio reddidit. Iam T. Lucretius Charus ita cecinerat,

Nec me animi fallit, quàm sint obscura: sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
Et simul incussit suauem mi in pectus amorem
Musarum, quo nunc instinctus mente uigenti
Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo. Virgilius uerò eadem de re ita egit,
Nec sum animi dubius, uerbis ea uincere magnum
Quàm sit, & angustis hunc addere rebus honorem.
Sed me Parnasi deserta per auia dulcis
Raptat amor: iuuat ire iugis, qua nulla priorum
Castaliam molli diuertitur orbita cliuo.

Idem sibi uoluerunt, licet in diuersa re, Virgilius, Lucretiusq;. Sed conferat huius carmina cum Virgilianis Macrobius, si potest, & Virgilium furem, Lucretium dominũ appellet. At prior hic fuit, dicet: quasi nõ decuerit Virgiliũ, quod eam sententiam præoccupasset Lucretius, in eadem laborare: aut sciuerit Macrobius, non fuisse hos uersus scripturũ Virgilium, nisi illos prius composuisset Lucretius. Equidem multo gloriosius, nobiliusq; semper sum ratus, alium quemuis modò egregiũ uincere, quàm id quomodocunq; excolere, quod quispiam primus in lucem edat. Nec obscura est eius rei ratio. Si quis enim in spacio solus currat, qua fronte præmium poscet? At qui contrà tendentes probeq; exercitatos æmulos superauit, qua laude fuerit indignus? Sed facilius tractata, quàm cõmunia intactaq; nitorem recipiunt, succinet quis; idq; Horatij in Arte poëtica præcepto confirmabit, quod ita se habet,

Difficile est propriè communia dicere, tuq;
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quàm si proferres ignota indictaq; solus.

Is tamen

Is tamen quicunq; est, non de simplicibus sententijs, sed de integro operis argu mento Horatiũ ea tradidisse sciat. Quando uel ut ursus, qui obiectos caueæ clathros fregerit, à doctis indoctisq; fugietur, qui unũ aut alterum locum perficiat, totius aũt poëmatis figuram uariam, multiplicem, prodigialiter distinctam, minimeq; cohærentẽ reddat. Itaq; uel illud idem quod Homerus alijq; excellentes peregerũt, nobis proponemus: uel Homerũ imitantes, quod Virgilius præstãtissime fecit, propria præcepta poëmati, quod ordimur, accõmodabimus. Demũ cũ nõ ob paulũ nescio quid, sed ob parasiti ac militis personas, ex Plauti Neuijq; Colace ablatas, P. Terentius ab obtrectatorib. obiurgaret, sic se tutatus est,

Quòd si personis ijsdem uti non licet,
Qui magis licet currentes seruos scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per seruum senem,
Amare, odisse, suspicari: Deniq;
Nullum est iam dictum, quod non sit dictum prius.

Neq; iccirco hic reiectus unquam fuit, quod ex Neuij, Ennij, Plauti, Cæcilijq; & si qui præterea ante illum non ignobiles comici floruerunt, fabulis suas conflarit comœdias, sed & ipse in arenã descendit, cumq; alijs uirtutibus nõ posset, arte tantum, quæ apud eum proprietate, ac uerborum nitore & mundicie constat, ueteres uicit, ab ijs abstinens, quæ à recenti usu iam erant damnata. Quòd si in ijs loquendi formulis, quas à Plauto decerpsit, illũ post se reliquisset, omni mihi gloria maior uideretur, quemadmodũ et hanc quoq; ob causam eminentissimum Virgilio inter nostros omnes poëtas locum tribuimus. Nec uerò possum quin malignum Macrobij ingenium persæpe improbem, cùm eiusmodi ab eo loca pro furtis colligi uideo, quæ nulla propè in parte sunt similia. Varius de morte ita scribit, inquit Macrobius:

Quem non ille sinit lentæ moderator habenæ,
Quà uelit ire, sed angusto prius ore coërcens,
Insultare docet campis, fingitq; morando.

Virgilius porrò, fur manifestarius, sic:

Frena Pelethronij Lapithæ, gyrosq; dedere,
Impositi dorso, atq; equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Non sum (ingenuè fateor) adeò perspicax, ut hos uersus ab illis ductos esse conspicari queã, cum diuersus sit Varij Virgilijq; sensus: nisi fortè, quòd ille insultare campis, hic solo dixerit, Virgilij locum è Varij uersibus formatum esse, quasi de speculo (ut ipsius Macrobij uerbis agam) cognoscere possim. Varius namq; de Hippodamis, cũ renitentibus equinis pullis, quos domandos suscepere certantibus: Virgilius autem de equis ad bellum instructis intellexit, quum gressus glomerare superbos, & sub armis addidit, quorum apud Varium mentio nulla. Et nimirum sua uterque carmina suis aptauit sententijs. Quis enim non uidet, Varium durè asperèq; indomiti equi morem effinxisse? Virgiliũ autem nitido, facili, heroico, diuinoq; contextu bellatoris equi motus æquasse, hoc est, cum natura, ut solet, contendisse? quod & alio loco melius est assecutus, quum ait,

Olli per dumos, qua proxima meta uiarum,
Armati tendunt: it clamor, & agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Nónne sic postremus uersus pedes glomerat, ut currentes equi gressus? Sed & hunc quoque ab Ennio sumpsit, addit Macrobius. In sexto enim Annalium ita scripsit,

Explorant Numidæ, totam quatit ungula terram. Et in VIII.
Cum sequitur, summo sonitu quatit ungula terram. Et in XVII.
It eques, & plausu caua concutit ungula terram.

Bene sanè, sed Ennij uersus scopæ dissolutæ sunt, si Virgilianis opponantur, cũ nec utriusq; contextus similis sit, & quos Ennium ob artis inopiam casu struxisse conijciunt, hunc industriè ingenioseq; composuisse omnes asserunt. cuius rei hoc est indicium, uel apertissimum, quod in singulis Ennij carminibus duo insunt spondæi: postremo autem Virgiliano, quod ex illis formatum est, unicus tantum, isq; necessarius. Nam quinque præcedentes continuati dactyli, militarium equorum cursum, neque tardissimum, neq; celerrimũ imitantur: quodq; in sexto loco spondæus erat ponendus, non terram, ut Ennius, leuem uocem, sed campum pro heroici carminis maiestate collocauit. Vt que maius in Virgiliano uersu dignoscamus artificium, ita illum extulit, ut nihil sit eius compositione magnificentius: ita nimirum eiusdem celeritatem cohibuit, ut totus stabilibus spondæis constructus uideatur: nempe quod nõ de ijs equis intelligebat, qui solo cursu commendantur, & de quibus in tertio Georgicorum ita inquit,

Nónne uides cum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntq; effusi carcere currus,
Cum spes arrectæ iuuenum, exultantiaq; haurit
Corda pauor pulsans, illi instant uerbere torto,
Et proni dant lora, uolat ui feruidus axis,
Iamq; humiles, iamq; elati sublimè uidentur
Aëra per uacuum ferri, atque assurgere in auras.
Nec mora, nec requies: at fuluæ nimbus arenæ
Tollitur: humescunt spumis, flatuq; sequentum.

Ad hos siquidem præcipuè referenda sunt & illa, quæ paulo inferius de equis quartum agentibus annum domandis præcipit;

At tribus exactis, ubi quarta accesserit ætas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusq; sonare
Compositis, sinuetq; alterna uolumina crurum,
Sitq; laboranti similis, tum cursibus auras
Prouocet, ac per aperta uolans ceu liber habenis
Aequora, uix summa uestigia ponat arena. Et,
Ille uolat, simul arua fuga, simul æquora uerrens. Subiungit enim,
Hic uel ad Elei metas, & maxima campi
Sudabit spacia, & spumas aget ore cruento:
Belgica uel molli melius feret esseda collo.

De quibus superius postquam de ijs dixerat, qui ad bella ferocesq; turmas erant seligendi, subdidit:

Aut Alphæa rotis prælabi flumina Pisæ,
Et Iouis in campo currus agitare sonantes.

Scimus autem diuersam & esse, & fuisse militariũ equorum rationem, eorumq; qui ut in spacijs solum currant, aluntur, cùm hi præscriptis quibusdam pabulis utantur, ut leuiores fiant: in illis armatũ hominem uecturis, magis robur quàm summã pernicitatem quæramus. Et hæc de Romanis dico, cùm Parthi,

Numidæq;

Numidæ'que, diuerso equorum generi insidentes, magis nostros eludere quàm fundere, aut fugare ualuerint. Hinc Virgilius non easdem (ut sic dixerim) alas ei de quo agimus carmini, quas in primo Georgicorum libro huic addidit,

Atq; leuem stipulam crepitantibus urere flammis.

Quod ut magis properat, quàm illud, ita ex leuioribus uocabulis est cõflatum; sicut & hoc hemistichion, quo ne uentus quidem est uelocior,

Cape saxa manu, cape robora pastor.

Huiuscemodi furta, & si qua sunt etiam magis inania, Macrobius Virgilio obijcere potest. Quid quòd illum ipsum in ius uocat, quòd campos liquentes dixerit, cum Lucretius campos natantes protulisset? An etiam epithetorum facultatem Virgilio adimes? Aut quid habent commune natantes cũ liquentibus campis? Quàm stolidè in nostri poëtæ furtis recenses, quòd Centauros bimembres nubigenas appellarit, cùm Centauros bimembres Cornificius in Glauco uocarit? quod caprigenum pecus in tertio Aeneidos usurparit, cum in Paulo Pacuuius, in Philoctete Accius idem adiectiuum pecori adiunxerint? & hic in Minotauro semen taurigenum non abhorruerit? Si Seruium, qui caprigenum pecus satis nouè & affectatè à Virgilio positum autumat, reprehendis, non aduersor: sin Virgilium manifesti furti conuincere studes, uide ne ipse non fur, sed trifur, dementiæ imperitiæq; accuseris. Atqui quasi Maro uiuisatorem se primum formasse iuret, quendam ex Accij Bacchis uersiculũ, in quo eadem sit uox, non felicius citat, quàm Næuij ex primo belli Punici libro testimonium, ut Virgilium syluicolas Faunos ab illo surripuisse palàm faceret. Quapropter Macrobium tanquam Latinæ linguæ columen libentissimè salutarem, nisi in eo negocio, in quo nõ nasutus, sed totus nasus haberi uoluit, tam oscitanter cæcutijsset, quàm qui minutissima inuestigans, immensas trabes ob oculos positas nõ conspicatur. Sueuios nescio quos, & Furios nominat, Varronem uerò præterit, cuius sunt hi uersus,

Tum liceat pelagi uolucres, tardasq; paludis
Cernere, inexpleto studio certare lauandi,
Et uelut insolitum pennis infundere rorem.
Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo,
Et bos suspiciens cœlum (mirabile uisu)
Naribus aërium patulis decerpsit odorem.
Nec tenuis formica cauis non euehit oua.

Ex quibus quantum præceptorum, locutionumq; sumpserit Virgilius, licet accepta melius (ut ubiq; solet) illustrarit, alij dispexerint. nam Macrobius

Transuolat in medio posita, & fugientia captat.

Cumq; hæc ex Virgilio, Catulloq; carmina recitet,

Talia secla suis dixerunt currite fusis. Et,
Currite ducentes subtegmina, currite fusi,

nihil propè simile inter se habentia: alia tamen ex Callimachi de coma Berenicis elegia, latinis uersibus à Catullo reddita, quæ sunt,

Inuita ô regina tuo de uertice cessi,
Inuita adiuro teq;, tuumq; caput,

negligentissimè prætermisit, quamuis ex eorum altero hoc in sextum Aeneidos sit desumptum,

Inuitus regina tuo de littore cessi: ex altero autem hoc, cum sequentis parte,

Testor chara deos, & te germana, tuumq;
Dulce caput. Et hæc, hisq; similia nõ pauca in Latinis authorib. præterijt: in

Græcis

Græcis quoque illorum oblitus, quæ ita ab Homero sumpsit Virgilius, ut ualidus, neque dubius eius æmulus, qualia sunt hæc:

Esto nunc sol testis, & hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores:
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno,
Iam melior, iam diua precor, tuq; inclyte Mauors,
Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques:
Fontesq;, fluuiosq; uoco, quæq; ætheris alti
Relligio, & quæ cæruleo sunt numina ponto.

Quæ ab his Homericis ex tertio Iliados sunt deriuata:

Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε μέγιστε,
Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις,
Καὶ ποταμοὶ, καὶ γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
Ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅ, τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ
Ὑμεῖς μάρτυροι ἔστε, φυλάσσετε δ' ὅρκια πιστά.

Sed & hos in XI Aeneidos,

Quem telo primum, quem postremum aspera uirgo
Deijcis?

ex Iliados quinto accepit, in quo hos legimus,

Ἔνθα τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξεν
Ἕκτωρ τε Πριάμοιο πάϊς, καὶ χάλκεος Ἄρης.

licet Homerus priori plerumq; alios uersus, eorum nomina, quorum bellica opera recenset, continentes adiungat, quippe qui eo non semel in suis scriptis usus sit. Ad hæc quum Virgilius illud carmen fingeret,

Dum memor ipse mei, dũ spiritus hos reget artus: Homericũ illud expressit,

—εἰσόκ' ἀϋτμὴ ἐν στήθεσσι μένῃ, καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.

Sed isthæc, & alia quotquot eiusdem ordinis sunt, nostro poëtæ condonare noluit longæ uitæ scriptor. Probo, si sic est, hominis ingenium: immortales'que ei gratias agendas censeo, quòd non inuidia Virgiliũ innumerabiliũ furtorum arguerit, sed quòd omnia sua Minerua scribere solitus, et à furandi uitio remotissimus, non potuit quin sua cuiq;, ut æquum erat, redderet: quiq; nunquam errasset, aliorũ errata nullo pacto tacere sciuit. At te ego Macrobi, Latinis omnibus præposuerim, si quis unquã tam impudenter, quàm tu ipse aliena surripuit, aut in rebus maximè claris teipso imperitius lapsus est. Cumq; illo nihil sit cõpertius, hoc ipse iamiam planum faciam. Post hæc ait Macrobius Saturnaliorum libro primo, de ciuilis diei principio ac diuisione agens, cum omnes paratos ad audiendum uidisset, ita exorsus est. M. Varro in rerum humanarũ libro, quem de diebus scripsit: Homines, inquit, qui ex media nocte ad proximam mediam noctem his horis XXIIII. nati sunt, uno die nati dicuntur. Quibus uerbis ita uidetur dierum obseruationem diuisisse, ut qui post solis occasum ante mediam noctem natus sit, illo quem nox cõsecuta est: contrà uerò, qui in sex horis posterioribus nascitur, eo die uideatur natus, qui post eam noctem diluxerit. Athenienses autem aliter obseruare, idem Varro in eodem libro scripsit, eosq; à solis occasu, ad solem iterum occidentem, omne id medium tempus unum diem esse dicere. Babylonios porrò aliter. A sole enim exorto, ad exortum eiusdem incipientem, id spacium unius diei nomine uocare. Vmbros uerò, unum & eundem diem esse dicere, à meridie ad sequentem meridiem. Quod quidem, inquit Varro, nimis absurdum est. Nam qui calendis hora sexta apud Vmbros natus est, dies eius natalis uideri debet, & calendarum dimidiatus, & qui post calendas erit, usq; ad horam diei sextam. Hæc ex Varrone Macrobius, & opti

mé

mē fanē. Sed quod populum Roman ū, ita ut Varro dixit, à media nocte diem diuisisse multis cōprobat argumentis, quàm reliqua uera sint, non differā. Vnicum tamen falsum esse nō ignoro, quod his uerbis profert: Preterea Tribuni plebis, quos nullū integrum diem abesse Roma licet, cum post mediā noctem proficiscuntur, & post primam facem ad mediam noctem sequentem reuertuntur, non uidentur abfuisse diem, quoniā ante horam noctis sextam regressi, partem aliquam illius in urbe consumūt. Quis enim cōcedat Macrobio, Tribunos plebis non potuisse integrum diem Roma abesse? Non legerat hercle Titum Liuium, qui illos non integros tantū dies, sed & menses etiam extra urbem cōmoratos fuisse scriptū reliquit. Nono etenim & uigesimo ab Vrbe condita libro sic ait: Sibi placere (de Q. Metello loquitur) M. Pomponium Prætorem, cui Sicilia prouincia sorte euenisset, triduo proximo in prouinciā proficisci, coss. decem legatos, quos ijs uideretur, ex senatu legere, quos cū Prætore mitterent, & duos Tribunos plebis, atq; Aedilem: cum eo consilio cognoscere Prætorē, si ea quæ Locrenses facta quererentur, iussu aut uolūtate P. Scipionis facta essent, ut eum de prouincia decedere iuberent. Si P. Scipio iam in Africam traiecisset, Tribuni plebis, atq; Aedilis cū duobus legatis, quos maximè prętor idoneos cēsuisset, in Africā proficiscerentur. Tribuni atq; Aedilis, qui reducerent inde Scipionē, legati, qui exercitui præessent, donec nouus Imperator ad exercitū uenisset. Et paulo pòst: Hoc facto s. c. cum Tribunis plebis actū est, ut compararent inter se, aut sorte legerent, qui duo cū Prætore ac legatis irent. Et mox: Tribuni plebis cū Prætore & decem legatis profecti, M. Claudius Marcellus, & M. Cincius Alimentius, ijsq; Aedilis plebis datus est, quē si aut in Sicilia Prætoris edicto audiens non esset Scipio, aut iam in Africā traiecisset, cōprehendere tribuni iuberent, ac iure sacrosanctæ potestatis reducere. An hæc omnia una die confici potuerint, Macrobius uiderit. Neq; tamen hæc cōtra instituta, aut leges facta fuisse tradit Liuius, tantā rem minimè pretermissurus, nisi Macrobius inaudita scripsisset. Et inferius de eisdem: De Scipione nusquam nisi in senatu actū. ubi omnes legatiq; & Tribuni classem eam, exercitū, ducemq; uerbis extollentes, effecerunt, ut Senatus censeret, primo quoq; tempore in Africam traijciendum. Et libro trigesimo octauo: Et tantū animorū indies nobis decrescit, ut ad quem antè annis XVII. exercitum et classem habentē, Tribunos plebis, Aedilemq; in Siciliam mittere ausi sumus, qui prehenderent eum, & Romam reducerent, ad eū priuatū ex uilla sua extrahendū, ad causam dicendā, mittere nō audemus. Hæc Liuius. quæ cū Macrobiū stuporis præclarè arguant, cū his uersib. cōpellabimus,

Qui ne tuberibus proprijs offendat amicum,
Postulat, ignoscat uerrucis illius: æquum est,
Peccatis ueniam poscentem, reddere rursus.

Sed illa hunc furem commodius obiurgant:

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum uitijs tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius? at tibi contrà
Euenit, inquirant uitia ut tua rursus & illi.

Et de Macrobio quidē hactenus. Quòd si qua de Horatij, Virgilijq; cōparatione (nam hoc genus non attigit Pacæus, cuius uerba amplā mihi diuagandi ansam præbuere) à nobis dici æquū est, nō recusabo, quid de tantis scriptoribus iudicem, prodere. Prius tamen non est dissimulandū, Latinos honorificentius de Græcis, quàm Græcos de nostris sensisse. Quoties enim Cicero Demosthenem, Homerum,

Homerum, Platonem, Aristotelem, Herodotum, Thucydidem, Sophoclem, reliquosq; præstanti eruditione Græcos, tanquam deos celebrat? At ipse à Plutarcho omni sincera puraq; eloquentia priuatus est. Ne'ue de singulis agam, nostri omnes Homerum tanquam numen quoddam suspexere, quod declarant Ouidiani illi uersus:

Aspice Mæonidem, à quo ceu fonte perenni,
Vatum Pierijs ora rigantur aquis.

Nam Horatius Flaccus eundem meliorem philosophū asseruit, quàm plerosq;, qui nihil aliud in uita quàm philosophiam sunt professi. Ait enim primo Epistolarum libro:

Troiani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi.
Qui quid sit rectum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.
Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.
Fabula qua Paridis propter narratur amorem
Græcia Barbariæ lento collisa duello,
Stultorum regum, & populorum continet æstus.
Antenor censet belli præcidere causam.
Quid Paris? ut saluus regnet, uiuatq; beatus:
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat, & inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumq;.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.
Seditione, dolis, scelere, atq; libidine, & ira
Iliacos intra muros peccatur, & extrà.
Rursus quid uirtus, & quid sapientia possit,
Vtile proposuit nobis exemplar Vlyssem:
Qui domitor Troiæ, multorum prouidus urbes
Et mores hominum inspexit: latumq; per æquor
Dum sibi, dum socijs reditum parat, aspera multa
Pertulit, aduersis rerum immersabilis undis.
Sirenum uoces, & Circes pocula nosti:
Quæ si cum socijs stultus, cupidusq; bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis & excors,
Vixisset canis immundus, uel amica luto sus. Et de eodem, in Arte:
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte?
Dic mihi Musa uirum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamq;, & cum Cyclope Charybdim.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo,
Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit: & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit,
Atq; ita mentitur, sic ueris falsa remiscet,

Primo principium, medio ne discrepet imum.

C. item Plinius libro Naturalis historiæ septimo, de Homero ita scribit: Ingeniorum gloriæ quis possit agere delectum, per tot disciplinarū genera, & tantam rerum operumq́ue uarietatem? Nisi fortè Homero uate Græco nullū feliciorem extitisse conuenit, siue operis fortuna, siue materia æstimetur. Itaq́ue Alexander Magnus (etenim insignibus iudicijs optimè, citraq́ue inuidiam tam superba censura peragetur) inter spolia Darij Persarum regis unguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisq́ue, ac margaritis preciosum, uarios eius usus amicis demonstrantibus (quando tædebat unguenti bellatorem, & militia sordidū) imò hercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur: ut preciosissimū humani animi opus, quàm maximè diuite opere seruaretur. Quid Fabius Quintilianus? nónne Homeri laudes sic explicat, ut Græcos omnes in eo efferendo uicerit? Igitur, inquit libro decimo, ut Aratus ab Ioue incipiendum putat, ita nos ritè cœpturi ab Homero uidemur. Hic enim (quemadmodum ex Oceano dicit ipse amnium uim, fontiumq́ue cursus initium capere) omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit. Hunc nemo in magnis sublimitate, in paruis proprietate superauerit. Idem lætus ac pressus, iucundus & grauis, tum copia, tum breuitate mirabilis: nec poëtica modò, sed oratoria uirtute eminentissimus. Nā ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam, nónne uel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio cōtinetur, uel in primo inter duces illa contentio, uel dictæ in secundo sententiæ, omnes litium ac consiliorū explicant artes? Affectus quidem, uel illos mites, uel hos concitatos, nemo erit tam indoctus qui non in sua potestate hunc autorem habuisse fateatur. Age uerò, nónne in utriusq́ue operis ingressu paucissimis uersibus legem prooemiorum non dico seruauit, sed constituit? Nam & beneuolum auditorem inuocatione dearū, quas præsidere uatibus creditum est, & intentum proposita rerum magnitudine, & docilem summa celeriter comprehensa facit. Narrare uerò quis breuius, quàm qui mortem nunciat Patrocli? quis significantius potest, quàm qui Curetū, Aetolorumq́ue prælium exponit? Iam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum & argumenta, cæteraq́ue probandi ac refutandi sunt ita multa, ut etiam qui de artibus scripserunt, plurima earum rerum testimonia ab hoc poëta petant. Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus æquari? Quid? in uerbis, sententijs, figuris, dispositione totius operis, nónne humani ingenij modum excedit? Vt magni sit uiri, uirtutes eius non æmulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi. Verū hic omnes sine dubio, & in omni genere eloquentiæ procul à se reliquit. Heroicos tamen præcipuè, uidelicet quia clarissima in materia simili comparatio est. Hæc Fabius. Cuius uerbis nihil quicquam addi potest, nisi fortè actum agere quis uelit, ut est in prouerbio. Quòd autem breuissimè ab eo Patrocli mortem nunciatam ait, hos duos uersus designat,

Κεῖται πάτροκλος, νέκυος δὲ δὴ ἀμφιμάχονται
γυμνοῦ, ἀτὰρ τάγε τεύχε' ἔχει κορυθαίολος ἕκτωρ. Id est,

Patroclus cecidit, procq́ue eius corpore pugnant
Nudati: insignis galea tenet arma sed Hector.

Neque sanè hæc posuit Quintilianus, quasi sola Homericam breuitatem indicent: sed è multis, si rectè colligo, diuini poëtæ locis, unum mirificæ breuitatis excerpsit. Post quem si alter proferendus sit, nullus est (ut mihi quidem uidetur) qui Anteiæ ad Prætum maritum epistolam superet, duobus, ut & Pa-

trocli mortem carminibus absolutam.

Τεθναίης ὦ προῖτ᾽, ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην,
ὅς μ᾽ ἔθελεν φιλότητι μιγήμεναι, οὐκ ἐθελούσῃ. Hoc est,
Aut morere ô Proete, aut interfice Bellerophontem,
Inuitam qui me corrumpere amore uolebat.

Aetolorum itidem Curetumq; bellum, de quo nono Iliados libro agitur, tum totum est significanter (ut Fabius uult) scriptum, tum duo illi uersus maximè quibus Meleagrum uxor affatur,

Ἄνδρας μὲν κτείνουσι, πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει,
Τέκνα δέ τ᾽ ἄλλοι ἄγουσι, βαθυζώνους τε γυναῖκας.
Interimunt homines, urbem ignis uastat, at illi
Abducunt pueros, muliebriaq; agmina passim.

Alcinoi quoq; hoc circumfertur de Homero epigramma,

De numero uatum si quis seponat Homerum,
Proximus à primo, tum Maro primus erit.
Et si post primum Maro seponatur Homerum,
Longe erit à primo, quisquis secundus erit.

Quid simile apud Graecos de nostris authoribus reperies? Suidas quippe qui multos post Virgilium annos uixit, cuiq; etiam de mediocribus aliquot Romanis ducibus non pauca scribendi ocium fuit, cum non Homeri (id enim satis erat ferendum) sed ignobilis cuiusq; Grammatici, Iustiniani deniq; ac Tribuniani multis uerbis mentionem faciat, Virgiliũ nomen tantum proprium esse scripsit, quasi non de excellentissimo poëta, sed de ignoto aliquo blaterone loqueretur: aut egregij illi laudatores defuerint. Extat, uel si Graecia disrumpatur, hoc de eo incerti authoris elegantissimum hexastichon,

Moeonium quisquis Romanus nescit Homerum,
Me legat, & lectum credat utrumq; sibi.
Illius immensos miratur Graecia campos:
At minor est nobis, sed bene cultus ager.
Hic tibi nec pastor, nec curuus deerit arator:
Haec Graecis constant singula, trina mihi.

Nec si Magni Alexandri de Homero iudicium inter eius laudes ponitur, sum mi principis, nempe D. Octauij aeque honestum de Virgilio desideramus. Testes sint eius rei hi doctissimi felicissimiq; Imperatoris uersus,

Ergo'ne supremis potuit uox improba uerbis,
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaq; doctiloqui morietur Musa Maronis?
Ah scelus indignum, soluetur litera diues?
Et poterunt spectare oculi? nec parcere honori
Flamma suo? dignumq; operis seruare decorem?
Noster Apollo ueta, Musae prohibete Latinae,
Liber, & alma Ceres succurrite, uester in armis
Miles erat: uester docilis per rura colonus.
Nam docuit quid uer ageret, quid cogeret aestas,
Quid daret autumnus, quid bruma nouissima ferret.
Arua reformauit, sociauit uitibus ulmos.
Curauit pecudes, apibus sua castra dicauit.
Haec dedit, ut pereant, ipsum si dicere fas est,

Sed

Sed legum seruanda fides: suprema uoluntas
Quod mandat, fieriq; iubet, parere necesse est,
Frangatur potius legum ueneranda potestas,
Quàm tot congestos noctesq; diesq; labores
Hauserit una dies: supremaq; iussa parentis
Amittant uigilasse suum: si fortè furenti
Errauit in morte dolor, si lingua locuta est
Nescio quid titubante animo, non sponte, sed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui:
Si mens cæca fuit, iterum sentire ruinas
Troia suas? iterum cogetur reddere uoces?
Ardebit miserè post funera uulnus Elisæ?
Hoc opus æternum ruet? & tot bella, tot enses,
In cineres dabit hora nocens, & perfidus error?
Huc huc Pierides nemorum per lustra loquaces
Tendite: & ardenteis ignes fluuialibus undis
Mergite, ne pereat tam clari Musa poëtæ,
Flammaq; uanescat, uiuat Maro clarus in orbe,
Ingratusq; sibi, sed quod male iusserat ipse
Sit uetuisse meum. sacer est post tempora uitæ,
Sicq; erit æternum tota resonante camœna
Carmen, & imperij diui sub nomine uiuat.
Laudetur, placeat, uigeat, relegatur, ametur.

Atque huc allusit C. Plinius septimo Naturalis historiæ libro, quum ita scriberet: D. Augustus carmina Virgilij cermari contra testamenti eius uerecundiam uetuit: maiusq; ita uati testimoniũ contigit, quàm si ipse sua carmina probauisset. Quanto uerò in honore Virgilius uiuus, uidensq; habitus sit (quod nescio an Homero contigerit) pulchrè testatur Cornelius Tacitus in Dialogo de Oratoribus, siue quisquis alius est auctor, his uerbis: Malo securũ et secretum Virgilij secessum, in quo tamen neq; apud D. Augustũ gratia caruit, neq; apud populum Romanũ lætitia. Testes Augusti epistolæ, testis ipse populus, qui auditis in theatro uersibus Virgilij, surrexit uniuersus. & fortè præsentem spectantemq; Virgiliũ ueneratus est, sic quasi Augustũ. Quintilianus porrò, sicut eum Homericæ naturæ cedere debere putat, ita cura ac diligẽtia Homerũ superasse censet. Ait enim libro decimo: Itaq; ut apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius auspicatissimũ dederit exordium omniũ eius generis poëtarum Græcorum, nostrorumq;, illi haud dubiè proximus. Vtar enim uerbis ijsdem, quæ ex Afro Domitio iuuenis accepi, qui mihi interroganti quem Homero crederet maximè accedere: secundus (inquit) est Virgilius, proprior tamen primo, quàm tertio. Et hercle ut illi naturæ cœlesti, atq; immmortali cesserimus, ita curæ & diligentiæ uel ideo in hoc plus est, quòd ei fuit magis laborandũ; & quantũ eminentiorib. uincimur, fortasse æqualitate pensamus. Hoc tamen Fabius Iunio Iuuenali persuadere non ualuit, cum dubiam ille Homeri Virgilijq; palmam faciat, sic undecima satyra scribens,

Conditor Iliados cantabitur, atq; Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.

Et nimirum in hoc Fabij iudiciũ Propertij censuræ postponere non est ueritus. Huius namq; de Virgilij præstantia hæc sunt ex II Elegiarum libro carmina:

Me iuuet æternis positum languere corollis,
  Quem tetigit iactu certus ad ossa deus.
Actia Virgilium custodis littora Phœbi,
  Cæsaris & fortes dicere posse rates.
Qui nunc Aeneæ Troiani suscitat arma,
  Iactaq; Lauinis mœnia littoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graij,
  Nescio quid maius nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
  Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus.
Vtq; decem possint corrumpere mala puellam,
  Missus & impressis hœdus ab uberibus.
Felix qui uiles pomis mercaris amores,
  Huic licet ingratæ Tityrus ipse canat,
Felix intactum Corydon, qui tentat Alexim
  Agricolæ domini carpere delicias.
Quamuis ille sua lassus requiescat auena,
  Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascræi ueteris præcepta poëtæ,
  Quo seges in campo, quo uiret uua iugo.
Tale facis carmen docta testudine, quale
  Cynthius impositis temperat articulis.

Quæ cum summi poëtæ ingeniũ nobis quodammodo ante oculos collocent, alterum hoc Iani Lascaris in eum epigramma, Pascua & arma, parum: multùm tribuere Maroni Arua, quod auspicijs tot colit illa deûm. salsamentis addicunt: quasi nisi Hesiodus tot deos deasq;, quot Virgilius in suo de Re rustica libro inuocarit, parricidium commiserit, qui Ascræi poëtæ in eo uestigia reliquerit: aut iccirco Hesiodus minus à Marone uictus, quòd tot deos, quot ille auspices nõ habuerit. Sed iã quod de Homero Virgilioq; me dicturũ pollicitus sum, hoc est, P. Virgiliũ in hoc esse Homero inferiorẽ, quòd antiquissimus hic uates posteris scribendorum poëmatum normam præfixit: eam'que ob causam melius de literis, quàm quiuis alius cuiuscunque ordinis scriptor meritus est. In reliquis Homerum inuentione, Virgilium cura iudicio'que uincerẽ, eruditionem, elocutionem, alias'que tam poëticas quàm oratorias uirtutes in utroque pares esse. Quod'que maius nostro, quàm Græco poëtæ iudicium fuisse aio, non id facio, quia Lucianus in Demosthenis encomio grauitatem quandoque in Homero desideret, quòd nimia libertate suos quandoque increpet, cum Achiuos Achàidas uocat, colloquia idem in medijs pugnis fingens, certamina'que lapidis iactu dirimens: sed quia rem ipsam ita se haberẽ fatentur, quorum iudicium nullo priuato affectu ab indagandæ ueritatis studio dimouetur. Id quoq; prætermissum nolim, antiquitatem non mediocriter fuisse in causa, cur Homerus tanto in honore ab omnibus semper habitus sit. Ea uerò tam altẽ repetitur, ut neq; cuias fuerit, neq; de eius parentibus inter Græcos conuenerit, & pleraq;, ut solent, de eo fabulosa confingantur. Ne'ue de eius parentibus plura dicam, de eius patria ita scribit Suidas, omniũ sententias complexus, οἱ μὲν γὰρ ἔφασαν γενέσθαι σμυρναῖον, οἱ δὲ χῖον, οἱ δὲ κολοφώνιον, οἱ δὲ κυμαῖον, οἱ δὲ ἐκ βοιὰς τῆς χώρας κιγχρίων, οἱ δὲ λυδὸν, οἱ δὲ ἀθηναῖον, οἱ δὲ ἰθακήσιον, οἱ δὲ κύπριον, οἱ δὲ σαλαμίνιον, οἱ δὲ κνώσιον, οἱ δὲ μυκηναῖον, οἱ δὲ αἰγύπτιον, οἱ δὲ θετταλὸν, οἱ δὲ ἰταλιώτην, οἱ δὲ λευκανόν

τὸν, οἱ δ' Αἰγύπτιον, οἱ δὲ Ῥωμαῖον, οἱ δὲ Ῥόδιον. Nō minor eſt fermè & eius operum dubitatio: ad quē præter duo notiſſima, Iliada, & Odyſſeam, relata ſunt ἀμαζονία, ἰλιὰς μικρὰ, νόστοι, ἐπικιχλίδες, ἠθιέπακτος, ἴαμβοι, βατραχομυομαχία, ἀραχνομαχία, γερανομαχία, κεραμὶς, ἀμφιαράου ἐξέλασις, παίγνια, οἰχαλίας ἅλωσις, ἐπιθαλάμια, κύκλος, ὕμνοι, κύπρια. Sed hæc cōfuſè recenſet Suidas, cum Herodotus Cypria Homeri eſſe neget, Ariſtoteles in Arte poëtica (ſi modò eſt Ariſtotelis illa, licet doctiſſimi uiri opus uideatur) Margitem quidē Homeri eſſe doceat, Cypria item & paruā Iliada neget, alijq́ non parū multa de ijſdem operibus ſcribāt. Vtq́ rationē etiā reddā, cur nam de Artis poëticæ, quæ Ariſtotelis credit, authore dubitē, Diog. Laërtius III libros Artis poëticæ ei aſſignat, quod et Plutarchus in uita Homeri cōfirmat: id aūt opus quod ad manus noſtras peruenit, unico libro, eoq́ omnem poëticā artem continente abſoluitur. Nacta ſunt Homeri opera interpretes grauiſſimos, quorū catalogū cū quidā ſuperiorib. annis ſcripſerit, neſcio quo prætextu Euſtathiū, Didymumq́ inter eos nō recenſuerit. Verū reliquæ Pacæi edicti partes tandē ſigillatim repetendæ, uentilādæq́ ſunt. Philoſophia, inquit ille, apud Latinos adeò manca eſt, ut nihil eruditis aurib. ſtultius eſſe poſſit, q̄ latinos Philoſophos cū Græcis cōparare: quo in genere nec Ciceronē ipſum excipio. Hic ſi Ciceronē produxero, deridebit̄ à Pacæo. Sed tamē multa in philoſophia ſcripſit, quæ ab Ariſtotele ac Platone ſumpſit, quod non diffitetur Fabius, hac quoq́ in parte Ciceronē Platonis æmulū fuiſſe aſſeuerās. At Plato plurima à Socrate acceperat, & Ariſtoteles qui multos annos Platonē audiuerat, in præceptorē recalcitrauit. Nec tamē dixerim Romanos philoſophos Platoni Ariſtotelíq́ æquales fuiſſe, licet Lactātius Varronē utriq́ parē eſſe teſtetur: ſed nō fuerunt aſpernādi, atq́ utinā eorū opera nō excidiſſent. Scripſit multa philoſophica M. Brutus, de quo Cicero I Academicarū quęſtionū libro, Varronē alloquēs ſic ait: Brutus quidē noſter excellēs omni genere laudis, ſic philoſophiā Latinis literis perſequitur, nihil ut ijſdē de rebus Gręcia deſideret, et eandē ſententiā ſequitur, quā tu. nā Ariſtū Athenis audiuit aliquādiu, cuius tu fratrē Antiochū. Et Fabius libro X, poſtquā Ciceronē in philoſophia cōmendauit: Egregius uerò, inquit, multoq́ quàm in orationibus præſtantior Brutus, ſuffecit ponderi rerū. Scias eū ſentire, quę dicit. Scripſit nō parū multa Cornelius Celſus, Sceptios ſecutus, non ſine cultu ac nitore. Sed de philoſophia hactenus. Illud mihi maximè mirū uideri ſolet, quur hic perpetuus Latinarū literarū oſor, eas inſulſo ſuo libello decorare uoluerit. Aequius fuit, qui Romanos authores nullo in honore habet, græcè ſcribere, ne Latinarū literarū fece tam pulchras ſententias detur paret. Sed quid poteſt hic Pacæus? aut inſulſus, fœtidusq́ eius libellus? quāuis tribus authoris epiſtolis, Bombaſij unica, et epigrāmate munitus? Primæ Pacæi epiſtolæ, hoc eſt principiū: Librū, ô doctiſſimi uiri, nō adeò breuē unius ſpacio menſis ſcriptū mirabimini. Alterius hoc: Vulgatū eſt apud nos prouerbiū, ô ſtudioſi adoleſcentes, cui nec euentus ullus, nec ulla ratio (quod in pleriſq́ omnib. fit) ſed hominū ignorātia et fatuitas originē dediſſe uidetur. Quales certè ſint in progreſſu epiſtolę, hinc ſatis intelligimus, ꝙ per quintū caſum, addito (quod ineptiſſimū eſt) uocādi aduerbio, tam infeliciter utrāq́ auſpicatus eſt, quàm apud nullū uel ſemilatinū ſcriptorē huiuſcemodi locutiones in epiſtolarū, aut quorūuis operū principijs reperiuntur. Et ſubdit: Porrò in hiſtoria ſunt Latini octo, uel ad ſummū nouem probati, quos omnes meo quidem iudicio, unus ſuperat Thucydides: cui cur tam parū tribuit Cicero, uiderit ipſe, longe diſſentiēs à Demoſthene, omnis eloquentiæ fonte, quē ſua ipſius manu Thucydidē octies ſcripſiſſe conſtat. Hic ſatis apertè oſtendit, niſi fallor, nihil eſſe cū fidibus graculo,

nihil cũ amaricino ſui: hoc eſt, nõ omniũ eſſe de literis iudiciũ. Porrò ait, in hiſtoria ſunt latini octo, uel ad ſummũ nouẽ ꝓbati. Vbi nã ſunt iſti octo, aut ad ſummũ nouẽ hiſtorici? Ego duos tantũ apud noſtros egregios fuiſſe ſemper credidi: Salluſtiũ uidelicet, & Liuiũ, nã C. Cæſaris de bello Gallico cõmentarijs, licet nihil ſit iucũdius, nitidiuſq́ꝫ, propriè tamẽ ille ſcribere cõtentus, nõ affectauit ornatũ orationis, eaſq́ꝫ uirtutes, quas in illis quos dixi eminere dignoſcimus. Quòd ut hi tres ſint excellẽtes, ubi reliquos expiſcaberis? Q. Curtiũ produces: elegantẽ hunc fuiſſe non negauerim, nihil tamẽ ad Salluſtiũ, aut Cæſarem, aut Liuium. Verum hic ſit quartus in ordine, num Suetoniũ, aut Tacitũ adijcies? Belli mehercule hiſtorici habẽtur: ſed immanè, quantũ à ſummo diſcrepãt. At deſunt adhuc tres, in quorũ ordinẽ cũ etiã Pliniũ adſcripſeris, ad Iuſtinos, Diaconos, aut Marcellinos cõfugere cogêris: niſi Oroſiũ fortè, aut Iſidorũ malueris. Melius Pacæe nomini tuo conſultũ uoluiſſes, ſi de Vincentij ſpeculis, Naturali, Hiſtoriali & Morali (ſic enim author illa ſua inſulſiſſima uolumina, tinearũ aſylum, appellat) pronũciaſſes. An uerebaris, ne qui Liuiũ aut Salluſtiũ uinceret, Volcatijs Gallicanis, aut Trebellijs Pollionibus poſtponeret? Sed hęc nihil ad me, inquit, octo ne an decẽ ſint probãdi, nihili facio: hoc mihi ſatis liquet, unũ Thucydidẽ Latinos omnes facile uincere. Grauis ſanè author, & cui libenter credas, cũ aliter ſentiat Quintilianus libro x Oratoriarũ inſtitutionũ, ita ſcribẽs: At hiſtoria non ceſſerit Græcis, nec opponere Thucydidi Salluſtiũ uerear, nec indignetur Herodotus æquari ſibi Titũ Liuiũ, cùm in narrando miræ iucũditatis, clariſſimiq́ꝫ candoris, tũ in cõcionibus, ſupra quàm credi poteſt, eloquentẽ: ita dicũtur omnia tũ rebus, tũ perſonis accõmodata. Sed affectus quidẽ præcipuè eos, qui ſunt dulciores, nemo hiſtoricorũ cõmendauit magis. Ideoq́ꝫ immortalẽ illã Salluſtij breuitatem diuerſis uirtutibus cõſecutus eſt. Sed neſcire ſe ait Pacæus, cur Cicero tam parũ Thucydidi tribuerit. Digna ſanè hypocauſto ſentẽtia, & locis ubi nulla ſit librorũ copia. Si enim Ciceronis ſcripta ſemel tantũ legiſſet, de tam friuola re nunquã dubitaſſet. Num negat Cicero Thucydidẽ ſummũ eſſe hiſtoricũ? Imò & de eo optimè ſentit, & Herodotũ mirificè laudat, I I de Oratore libro ita ſcribens: Minimè mirũ, inquit Antonius, ſi iſta res adhuc noſtra lingua illuſtrata nõ eſt. Nemo enim ſtudet eloquentiæ noſtrorũ hominũ, niſi ut in cauſis, atq; in foro eluceat. Apud Gręcos autẽ eloquẽtiſſimi homines remoti à cauſis forenſib. cũ ad cęteras res illuſtres, tũ ad ſcribendas hiſtorias maximè ſe applicauerũt. Nãq; & Herodotũ illũ, qui princeps genus hoc ornauit, in cauſis nihil omnino uerſatũ eſſe accepimus. Atqui tanta eſt eloquentia, ut me quidẽ (quantũ ego Græca ſcripta intelligere poſſum) magnopere delectet, et poſt illũ Thucydides omnes dicẽdi artificio mea ſentẽtia facile uincit, qui ita creber eſt rerũ frequentia, ut uerborũ propè numerum ſententiarũ numero cõſequatur. Ita porrò uerbis aptus, & preſſus, ut neſcias, utrũ res oratione, an uerba ſentẽtijs illuſtrentur. Atqui ne hunc quidem, quanquam eſt in repub. uerſatus, ex numero accepimus eorũ, qui cauſas dictitarunt. & hos libros tũ ſcripſiſſe dicitur, cũ à repub. remotus, atq; id quod optimo cuiq; Athenis accidere ſolitum eſt, in exiliũ pulſus eſſet. An his uerbis Cicero Thucydidẽ laudarit, Pacæus interpretef. Sed improbat eundẽ, inquit. Rectè quidem, cũ de oratoribus agit, non cũ de hiſtoricis. Vt enim breuitas in hiſtorico maximè laudetur, et in aliqua interdũ dicendi parte non reijciatur, in uniuerſa tamen eloquentia laudem non habet. Proinde Thucydidis, Philiſtiq́ꝫ Syracuſij conciſæ ſententiæ, interdũ etiam non ſatis apertæ, tum breuitate, tum nimio acumine, oratori ſunt fugiendæ. Sed ipſum Ciceronem in libro de Claris oratoribus de hac re loquentẽ audiamus: Atticorũ, ait,

ſimiles

ſimiles eſſe uolumus:optimè. Sunt'ne igitur ij Attici oratores? quis negare poteſt?hos imitamur:quo modo?qui ſunt & inter ſe diſſimiles, & aliorũ, Thucydidem inquit, imitamur:optimè, ſi hiſtoriã ſcribere, non ſi cauſas dicere cogitatis. Thucydides enim rerũ geſtarũ pronunciator ſincerus, & grandis etiã fuit: hoc forenſe concertatoriũ iudiciale nõ tractauit genus. Orationes aũt, quas interpoſuit(multæ enim ſunt)eas ego laudare ſoleo, imitari neq; poſſim ſi uelim, nec uelim fortaſſe ſi poſſim:ut ſi quis Phalerno uino delectetur, ſed eo nec ita nouo ut proximis conſulibus natũ uelit, nec rurſus ita uetere, ut Opimium aut Anitium conſulem quærat. Atqui eæ notæ ſunt optimæ. Credo:ſed nimia uetuſtas nec habet eam quam quærimus ſuauitatem, nec eſt iam ſanè tolerabilis. Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare uelit, de dolio ſibi hauriendum putet?Minimè: ſed quandam ſequatur ætatem. Sic ego iſtis cenſuerim, & nouam iſtam quaſi de muſto ac lacu feruidam orationem fugiendam, nec illam præclaram Thucydidis nimis ueterem tanquam Anitianam notam, perſequendam. Ipſe enim Thucydides, ſi poſterius fuiſſet, multo maturior fuiſſet, & mitior. Demoſthenẽ igitur imitemur. O dij boni, quid ergo nos aliud agimus, aut quid aliud optamus?at nõ aſſequimur. Iſti enim uidelicet Attici noſtri, quod uolunt, aſſequuntur, ne illud quidem intelligunt, non modò ita memoriæ proditum eſſe, ſed ita neceſſe fuiſſe, cũ Demoſthenes dicturus eſſet, ut concurſus audiendi cauſa ex tota Græcia fierent. At cum iſti Attici dicũt, non modò à corona(quod eſt ipſum miſerabile)ſed etiam ab aduocatis relinquũtur. Quare ſi anguſtè & exiliter dicere eſt Atticorũ, ſint ſanè Attici, ſed in comitiũ ueniant, ad ſtantem iudicẽ dicãt, ſubſellia grãdiorem & pleniorẽ uocem deſiderant. In Oratore quoq; de eodem ſic ait: Ecce autẽ aliqui ſe Thucydidios eſſe profitentur, nouũ quoddã imperitorum, & inauditũ genus. Nam qui Lyſiã ſequuntur, cauſidicũ quendã ſequuntur, nõ illum quidem amplũ atq; grandem, ſubtilem & elegãtem tamen, & qui in forenſibus cauſis poſſit præclarè conſiſtere. Thucydides autẽ res geſtas, et bella narrat, & prælia:grauiter ſanè, & probè, ſed nihil ab eo transferri poteſt ad forenſem uſum, & publicũ. Ipſæ illæ conciones, ita multas habent obſcuras abditasq; ſententias, uix ut intelligãtur:quod eſt in oratione ciuili uitiũ uel maximũ. Quę eſt aũt in hominibus tanta peruerſitas, ut inuentis frugibus glande ueſcantur?An uictus hominũ Athenienſiũ beneficio excoli potuit, oratio nõ potuit? Quis porrò unquã Gręcorũ rhetorũ à Thucydide quicquã duxit? At laudatus eſt ab omnibus. Fateor:ſed ita, ut rerũ explicator prudẽs, ſeuerus, grauis, non ut in iudicijs uerſaret cauſas, ſed ut in hiſtorijs bella narraret. Idẽ quoq; de Optimo genere oratorũ ſic ait:Sed exoriet Thucydides: eius enim quidã eloquentiã admirãtur, id quidẽ rectè:ſed nihil ad eũ oratorẽ, quẽ quærimus. Aliud eſt enim explicare res geſtas narrãdo, aliud argumentãdo criminari, crimen'ue diſſoluere, aliud narratione tenere auditorẽ, aliud cõcitare. At loquit pulchrè. Num melius q̃ Plato?Neceſſe eſt tamẽ oratori, quẽ quærimus, cõtrouerſias explicare forenſes, dicẽdi genere apto ad docendũ, ad delectandũ, ad ꝑmouendũ. Quare ſi quis erit qui Thucydidio genere cauſas in foro dicturũ eſſe ꝓfiteatur, is abhorret etiã à ſuſpicione eius, quæ uerſat in re ciuili et forẽſi, qui Thucydidẽ laudauit, aſcribat ſuæ noſtrã ſententiã. Quin ipſũ Iſocratẽ, quẽ diuinus author Plato ſuũ ferè æqualẽ admirabiliter in Phædro laudari fecit à Socrate, quẽq; omnes doctiſſimũ oratorẽ eſſe dixerũt, tamẽ hũc in numero nõ repono. Hæc oſtendũt, niſi fallor, qua'nã de cauſa parũ utilẽ oratori Thucydidẽ Cicero exiſtimarit. At mirificè probauit eũ Demoſth. cuius hiſtorias octies ſua manu ſcripſerit. Verũ:ſed et Cicero & alij omnes eũ ſummũ eſſe exiſtimarũt hiſtoricũ, nõ oratorẽ. Quòd ſi

Thucydidiũ dicendi genus probauit Demosthenes, cur non id secutus est? cur nouũ ipse inuenit? quo omnes Graecos qui et antè, & post se fuerunt, facile superauit? Hæc si cogitasset Pacæus, non tam impudenter M. Tullij improbasset iudicium. Sed missis profanis, ad sacra deuenio. Addit enim noster fanatico errore percitus Aristarchus: Præterea in Theologia omne Nouũ testamentum græcum est, atq; in id Græci præclarissimi uiri, cũ alij, tum sancti scripserunt. Mirũ est, quàm ualidis argumentis græcæ linguæ necessitatẽ ostendat Pacæus: Omne, inquit, Nouum testamentũ in theologia græcũ est. Iam hic impudentissimè mentitur, siquidẽ omne Nouũ testamentũ græcè ab ipsis authoribus scriptum esse putat. Aliter enim sentit diuus Hieronymus, qui in ecclesiasticorũ scriptorum catalogo sic ait: Matthæus, qui & Leui, ex publicano apostolus, primus in Iudæa propter eos qui ex circumcisione crediderant, Euangeliũ Christi hebraicis literis, uerbisq; cõposuit: quod quis postea in græcũ transtulerit, nõ satis certum est. Porrò ipsum Hebraicũ habetur usq; hodie in Cæsariensi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissimè confecit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Bœrea urbe Syriæ hoc uolumine utuntur, describendi facultas fuit. Quod si non hoc sibi uoluit Pacæus, sed parũ referre arbitratur, græce'ne ab ipsis authoribus scriptũ sit Nouum testamentũ, an ab alijs in eam linguam uersum, cur non eandem uim habebit Euangelium, uel græcè, uel latinè, uel hebraicè scriptum? Tũ si nullius momenti censendæ sunt sacræ literæ, nisi in ea lingua, qua Deus opt. max. eas promulgauit, quæ'nam Græcorum excellentia esse potuit, qui Hebraici sermonis imperiti fuerũt, cùm Vetus instrumentũ omne sit hebraicè scriptũ? An te cũ hæc scriberes Pacæ, sobriũ esse putabas? sed à Græcorũ hortis, inquit, qui sunt apud Latinos præcipui, ut Hieronymus & Augustinus, omnes scientiæ suæ flosculos decerpserunt. Num, obsecro te noster Apollo, Hieronymus Hebræorũ literas, quarũ præsidio & Vetus instrumentũ, & prophetas præcipuè, longè præstãtius quàm Græci & Latini omnes aperuit, à Græcis accepit? Aut Augustinus ab eisdẽ flosculos decerpsit, qui Græcarũ literarũ admodũ peritus nõ fuit? Quòd ut nostris eloquentiores illi fuerint, quamuis non uideã, quid nõ potuerit in hoc scribendi genere Hieronymus, Augustinus certè Græcos omnes uel scriptorũ frequentia, uel admirabilis doctrinæ præstantia facile uicit. Nã quid est eius ingenio altius, maius, diuinius? quis hæreses penitius extinxit? Vtq; prorsus dignoscamus, quid possit homo adprimè stultus, de Græcis etiã iudicans, in eodẽ libro de Plutarcho ita scribit: Ego, inquit, de uno tantũ Plutarcho monebo, ut nunquã dimittatur è manibus. Nã nunquam legi aliquem (legi aũt in utraq; lingua plurimos) qui tam multa in omni scientiæ genere tam bene & eruditè scripserit, adeò ut is solus mihi satis esse uideatur ad faciendũ hominem doctissimũ. Non me latet quosdã in illo desiderare facundiã, de quo disputare non est huius loci: sed nullũ (mihi crede) eloquentiæ ornamentum ei deest, quod non admirabilis doctrina suppleat. Nunquam depones Plutarchũ è manibus, inquit, si sapis. Si Plutarchũ tanquam Philosophũ admiraris, cur nõ potius Platonẽ ac Aristotelẽ in manib. q̃ Plutarchũ habeas? Si ut historicũ, cur non Thucydidẽ, Herodotũ, Xenophontẽ Socraticũ malimus? Sũt hi, quos dixi, in suo genere eloquẽtissimi: sed si orator esse uelis, cur nõ Demosthenẽ, Isocratẽq; Plutarcho preferas? At multa simul ab hoc præstant, fateor: sed singula longe melius à singulis petuntur. Nec sum tam amens, aut (ut uerè dicam) Pacæi similis, ut Plutarchũ egregiũ scriptorẽ fuisse negem. quid est enim copertius? sed neminẽ non cõmouere potest, frigida illa ac ieiuna Pacæi laudatio, Plutarchũ nobis tanquã enchiridion offerentis; quasi nesciremus quãtus ille fuisset, nisi

nisi tā uehementē assertorē esset sortitus. Verū hęc utcūq; alij acceperint, Pacatū ipsum priuato quodā iure Romanos omnes increpantē relinquā, ad eos festinās qui pro Græcis Latinisq; Musis uulgares ita diligenter industrieq; colunt, ut omissis diuinis utriusq; linguæ scriptoribus, omni doctrinæ eloquentiæq; genere conspicuis, in leuissimis rebus ætatem frustra cōterant. Quod malū apud Italos natū, ita indies inualescit, ita uires acquirit, ut iam qui ex Romanis authoribus cæteris præstantiores fuerint, nō quæramus: sed omnes passim tanquam superuacaneos insectemur, dū orbi persuadere contendimus, Latinam linguā tunc Italis fuisse necessariā, cùm lippis et tonsoribus erat promiscua: hoc uerò tempore nihili esse faciendam, alia (ut aiunt) exorta, quæ Latinæ non conferri modò, sed etiam anteponi ualeat: quamq; non minus excolere ac ornare debeamus, quàm Græci suam olim, & post hos Romani propriā illustrarint. Quæ si à Scythis, aut à Medis audirentur, cuius cordato stomachū mouere possent: cùm uerò ab Italis emanent, quis non uerè dicat hæc secula cæcitatis, caliginisq; plena esse? Cū Hispani, Galli, Germani, Britanni, aliæq; plurimæ nationes Latinam linguā summopere & colant, & admirētur: nos autem aliā diuersam admodum appetamus, quā qui uulgarem nominant, in luto condignè prouoluunt? Nam & (si dijs placet) aliquot in hac lingua dies uersati, à sordida plebecula uulgaris linguæ periti appellātur, et in plerisq; ciuitatibus Academias singulis diebus ab hoc hominum genere institui uidemus, si modò Academias rectè uocamus, in quibus nihil discas, ac ne id quidē, quod nihil scias. Proh dij immortales, quanta est quorundā uecordia. Annus iam agitur, cum Græcū iuuenem ab Italo interrogari audiui, si duarū ei linguarū optio daretur, Latinæ ac uulgaris, utram mallet? Sed nō tam stupidus Italus me cōmouit, quàm Græcus refecit, qui hominem ne tribus quidem uerbis dignatus est, sed ambiguū prorsus ac inconsultum tanquam Sibylla dimisit. Iam uerò & Latinos poëtis, historicis ac oratorib. prouocant, & Franciscū Petrarcham nō Tibullo ac Propertio solùm, sed Virgilio anteponunt: Ioannemq; Bocatiū M. Tullio cōparant, satis frigida illius uerba huius fulminibus impudentissimè opponentes. At quàm friuolis rationib. uulgaris huius idiomatis necessitatē utilitatemq; afferant, uideamus. Cū omnia fatiè quæ de hac re scripta sunt peruolueris, unicū eos argumentū prætendere cōperies, quod est, in ea se lingua unumquemq; exercere par esse, quam à matre doctus fuerit, quæq; pluribus usui esse ualeat: quod tamen futile est, nulliusq; momenti. Id enim neminē deberet mouere, uel si certissimū esset, maiorem eorū numerum inueniri, qui uulgi lingua, quàm qui latinè loqui sciant. Quòd si uulgaris & cerdonibus & pharmacopolis est promiscua, Latina porrò si decem tantū eruditis prodest, tanto uulgari est utilior, quanto unicus literatus multis inerudi torū millibus præstat, quamuis ipsa res aliter se habeat. Nec enim in tota Italia, si hac lingua utaris, intelligēre. Quid enim si in Apuliā, aut Calabriam cōcedas, & uernaculo hoc idiomate loquare? Næ omnes te Syrophœnicē, aut Arabem arbitrentur. At si Latinè ibi loquaris, plerosq; inuenies, quib. animi tui sensum explicare facile queas. Quid si in Siciliā, Corsicam, aut Sardiniā nauiges, & uulgarem hanc linguā crepes? nō magis mehercule sanus uideberis, quàm qui insanissimus. Nā si in Hispaniā, Germaniam, aut Galliā eas, & uulgari nostrorū idiomate utaris, omnes te pueri & puellæ exagitabūt, et quasi albū elephantum insectabuntur. At si latinè scias, omnes ferè nō secus quàm si materna illorum lingua loquereris, quæ dixeris percipient. Eòdem spectat, quod unūquemq; eo sermone, quē à nutricula didicerit, domestica facta celebrare debere autumant.

Enimuero

Enimuero ſi cæteris hoc nationibus perſuaderi poſſet, non tantum laboris in aliena acquirenda perferrent: ſed propria contenti, id ſcriberent, quod à ſuæ uiciniæ hominibus intelligeretur, cùm nulla hodie ſit prouincia, quæ non uaria ac diuerſa admodũ habet idiomata, ut etiam in ipſius Italiæ ſinu decimo quoq; lapide immutanda tibi ſit ſermonis ratio, niſi fortè quæ loqueris, percipi nolis: quo fit, ut & lingua hæc uulgaris, cui tantũ hodie tribuunt ſcioli quidam, quantum ipſa nunquam poſtulare auderet, ignoret ubi tandem conſiſtere queat, ubi certam habeat ſedem. Nonnulli enim ex intima Hethruria expetendã contendunt: aliqui eam ſolam probant, quæ in Romana aula frequentatur. Quid uerò, quòd in ipſa Hethruria non eodem pacto omnes loquuntur? cum diuerſa ſit Florentinorum, Senenſium, Aretinorum, Lucenſiũ lingua, & quælibet harum ciuitatum Hethruſcum ſermonem à ſe petendum eſſe aſſerat? Quare non dubito id omnino eſſe futurũ, ut cum Græci quinq; tantum linguas olim habuerint, uulgares iſti multo plures propemodum ſint producturi. Sed ſtrenua nos ignauia exercet, atq; ad perferendos labores parum ſumus conſtantes, quibus, dum in utramq; aurem obdormimus, dum in Latina lingua comparanda oſcitanter, deos omnia ſedentibus nobis cõfecturos arbitramur, & optimos quoſq; annos in meris nugamentis conterimus, plerumq; uſu uenire ſolet, ut irreparabilẽ errorem agnoſcamus, eumq; diſſimulantes, re deſperata in uulgares has delicias confugiamus: ac, ut apertius loquar, ij quibus in Græcis Latinis'que literis parum feliciter ceſſit, has potiſſimum appetant: ut antiquo prouerbio rectè notentur, illos uidelicet fieri aulœdos, qui citharœdi eſſe non poſſunt. Sed reclamabunt hîc aliqui. Quid tu? cenſes'ne Dantem, Franciſcum Petrarcham, & Ioannem Bocatium Latinæ linguæ fuiſſe imperitos? minimè quidem. Imò & plurimum laudis inter eos meruit Petrarcha, qui primus apud Italos (niſi fallor) Latinã linguam diu ſepultã ex ruderibus, & uetuſtate in lucem aſſerere adortus eſt: quod tamen cum parũ ei feliciter ſuccederet, uel quia bona optimorũ librorũ pars deſideraretur, uel quòd opus maius eſſet, quàm quod ab uno exactè perfici poſſet, ad Hethruſcam linguã ſe inuitus cõtulit, quod ipſe edito de hac re carmine confitetur: tantũ abeſt, ut quiſquã inficiari ualeat. Nec aliud ſanè clamant eius opera latinè ſcripta, quæ ut ſummũ ingenium, nec mediocrem eruditionem oſtendunt, Latini ſermonis caſtimoniã multis in locis ægrè tuentur. Quin Laurentius Valla Latinæ linguæ peritiſſimus, II Elegantiarum libro, negat eum operi ſuo titulũ indere ſciuiſſe, quem de ſui et aliorũ ignorantia inſcripſerit: cùm de ſua & aliorum debuiſſet. Floruit ante hunc Dantes, ſed quoad uulgaris linguæ elegantiam, aduerſa (ut aiunt) Minerua: uel quia illa nondũ erat ſatis expolita, uel quòd uernaculæ linguæ captus immenſo oneri parum ſit idoneus. Scripſit poſt hos Ioannes Bocatius, tertius antiquorum uulgariũ antiſtes: quod non minimum inter huius linguæ incommoda debet uideri, cum trecentorum, aut circiter annorũ ſpacio, tanquam ſeculo cuiq; unicũ ſcriptorem debeant. Quibus tamen in tanta antiquorũ raritate, uulgares omnes applaudere æquũ eſſet. Verùm nec tres iſti parũ probantur. Dantes, tanquam qui parum eleganter ſcripſerit, communi òmniũ conſenſu reijcitur. Ioannis Bocatij plurima in uſu eſſe deſiere: quo fit, ut unicus Petrarcha omnibus arridens ſit reliquus, qui & poëtis, et oratoribus, et hiſtoricis tanquã exemplar ſit propoſitus. Ac ne quis Petrarcham ipſum mediocri iudicio præditum fuiſſe credat, is mihi unicus uulgaris linguæ uires dignouiſſe uidetur, ſolos illi amores, alia'que ludicra imponens. Quòd ut ei proſperè ceſſit, ita non admodum feliciter grauius opus præſtare potuiſſet,

Dantis

Dantis exemplo, reuera experti, maiestatem ac robur huic idiomati deesse: cui etiam bellicas res nostris temporibus credere ausus est, nõ sine aliqua laude Ludouicus Ariostus Ferrariensis, scriptor nequaquã spernendus, utpotè Latinè doctus, in cæteris adq; Latinorum uel mediocriũ præstantiam nequaquam accedens: & idem tamen illud poëmatis genus ita ornauit, ut omnes eũ à natura ad canenda bella genitũ asseuerent. Scripsit is comoedias, nihil quidẽ comoediæ præter nomen habentes. Quòd si historiã, aut orationem hoc idiomate componas, omnibus risum excitabis. Ne quis tamen in ea parte, quã alij delicias, leuitatem nonnulli, pleriq; dulcedinem uocant, Latinã linguam uulgari postponendam censeat, sciat Propertiũ, Tibullũq;, nõ minus hac in re laudis adeptos esse, quàm Franciscũ Petrarcham, qui tum demũ nomini suo optimè consultũ iri credidit, cum dignus esset, quem horũ cuiuis opponeres. Iam quòd bona uulgaris linguæ studiosorũ pars (aliquot semper doctos uiros excipio) parũ sit in Latinis authoribus uersata, hinc apertè discimus, quòd Dantem, in quo maior est eruditio, maius ingeniũ, maior deniq; quàm in Petrarcha spiritus, tanquam Caphareum uitant: imò & hoc nomine lacerant, quòd ita obscurè scripserit, ut à nemine intelligi uoluerit: quasi philosophiæ theologiæq; intima eadem facilitate, eodem lepôre, qua uirginũ lusus, & amantiũ conuiuia scribi possint. Quocirca ut cum Latina incommodissimè ageretur, si unicum ea Tibullũ aut Propertiũ haberet, ita cum uulgari uno Petrarcha contenta non admodũ feliciter agi oportet. Sed multi scribunt quotidie. non eo inficias, uerùm nihil ad Petrarchã. Imò alicubi melius. sit sanè: sed qui ei absolutè comparari possit, nec esse hodie quenquam, nec fore affirmare ausim. At solutã Bocatij orationem ad coelũ ferunt, extollant etiam supra coelum, si fieri potest: per me quidem licebit, dum non optimos Latinos (nam singularem eis notam inurerem) sed abiectissimũ quenq; ex eorum ordine plus eruditionis elegantiæq;, quàm Bocatium habere fateantur. Nec aliquam hac in re Bocatio à nobis iniuriam fieri puto, qui ut eximius in soluta oratione habeatur, in ea tamen nemo post illũ ad hoc tempus inuentus est, quantumuis exigua laude dignus, cum Actij Synceri Arcadiã pleriq; reijciant, multis (ut prædicant) erroribus refertã. Quòd si quo´nam pacto uulgaris ad nos lingua fluxerit, repetamus, non uulgarem illam, sed immundã potius, non barbaram, sed ipsam barbariem esse cognoscemus. Vtq; eius assertores cõsulamus, à primo post Romani imperij excidium, Gothorum in Italiam aduentu originem duxisse, & quo plures barbaræ nationes in eandem immigrarint, eo locupletiorem copiosiorem´que factam esse intelligemus. qua re quid turpius aut dici, aut excogitari potest? Si porrò ad unam tantum nationum colluuiem referret originem, tolerari utcunque posset. Cum uerò multa in eam contulerint Gothi, pleraque Vandali, non pauca Heruli, & bonam partem Longobardi, non est cur huic linguæ tam impensè fauere debeant, in qua hoc est egregium, quod metrorum rationem non à Græcis Latinis´ue, sed à barbaris petierunt. Quanta autem est in eis obseruatio? quale artificium? quàm pulchra uarietas? Illorum qui frequentior est undecima syllaba clauditur: qui que elegantiæ causa intercalatur septima: quorum alterum à Latino hendecasyllabo, seu à Sapphico, alterum ab Aristophanio, uel data opera, uel (quod magis crediderim) casu deriuatos, eo deteriores reddiderunt, quòd nulla in eis aut pedum, aut syllabarum ratio adhibetur, impune´que in eos quicquid uelis ingerere liceat, dum tamen postremarum syllabarum non obliuiscaris, sed tertios, aut quartos quosque uersiculos inuicem sibi in calce respondentes constituas,

constituas. Est & aliud carminũ genus duodecim syllabis cõstans, apud Sannazarium frequens, non multam & ipsum habens elegantiam. Sed illud est in primis admirandum, quod uulgaris linguæ cultores, maxima adhuc uerborũ inopia laborant, ac tam diuersæ regnorum mutationes unam linguam per tot secula absoluere nondum potuerunt, ut alia Italiæ calamitate ad hoc idioma perficiendum opus sit. Hæc porrò tot tantaq́ incommoda, si Græcæ linguæ quispiam, aut Latinæ obijceret, insulsissimus uideri posset, præsertim quòd Græci suam à maioribus acceperant, & Latini item propriam; cui tamen si quicquam defuit, à Grçcis id omne acceperunt. Quid illud? quòd omnia ferè nomina, quæ uulgus habet, quibus'que eorum lingua constat, duarum sunt uocum, in singulari numero alterius, alterius in plurali? Nónne hoc meram Scythiam, ultimamq́ Africam sapit? Nam articuli, quos efferre solent, frigidi admodũ per se sunt, nisi uocum mutationibus adiungantur, prout Græcæ linguæ contigisse uidemus. Quàm uerò est absurdum, quòd aliqua Latinæ linguæ uestigia, quæ uulgari adiuncta erant, omnino ejcere nituntur, ne nihil non Gothis debeamus? Sic enim apud omnes hodie receptum est uulgariter & scribentes, & loquentes, ita demum laudabiles posse fieri, si ab omni Latinitate sint quàm remotissimi. Romani quidem in omnibus ferè quæ à Græcis olim acceperunt, ut aliqua sit inter characteres diuersitas, eosdem accentus, eandem'que quam Græci literarum proprietatem diligentissimè seruauerunt, nisi fortè metri licentia aliter nonnunquam poëtis suaserit. Hi autem nihil prorsus nec Græcis, nec Latinis debere uolunt, omnem authoritatem, præter puram barbariem, pro nihilo habentes. At dicet hoc loco quispiam: Missos faciamus antiquiores, atque ad hoc seculum properemus, in quo neminem ferè Latinè doctum comperies, quin uulgares Musas itidem colat. Si tam illæ contemnendæ forent, unusquisq́ Græca aut Latina lingua contentus, à plebeia tanquàm sordida, nullius'que elegantiæ abhorreret. Primum is sciat, eiusmodi hominũ laudem, non à uulgaris linguæ, sed à Græcæ Latinæq́ cognitione comparatam esse. cum tamen in Hethruscam, se postea cõtulerint, non ideo factũ esse, quòd illam probarent: sed uel ut receptũ errorem sequerentur, uel (quod est uerius) ut quàm facile hoc idioma comparetur nobis ostenderent, nimirũ, ut qui uix quarto aut quinto lustro in Græcis siue Latinis literis aliquatenus proficere potuerint, semestri spacio, quicquid ad populares attinet, absolutè discerent. Ridiculũ est præterea, quòd nõnulli ueterũ, ac recentiorũ fortè, in hac lingua scriptorũ paucitatem boni cõsulunt, nec cuiuis Corinthũ adire datũ esse prædicant. Bona enim ingenia, non in uulgaribus deliramentis ætatem consumere, ac optimos quosque annos impendere uoluerunt, sed Græcos Romanos'que authores euoluere, quorum numerus est propè infinitus, cùm Hethruscorum sit contractus admodum, & nisi alij interea prodeant, perexiguus. Quin re ipsa uidemus, cũ diu sepulta Romana lingua longè melius, quàm cum uiuente adhuc uernacula agi: quandoquidem multò plures ac eruditiores in Latina reparanda, quàm promouenda uulgari elaborasse scimus, præsertim quòd Actium Syncerũ Sannazarium, et Petrum Bembũ, cuius uiuentis maxima est hodie inter omnes authoritas, & à quo nihil nisi summũ hucusq́ accepimus, uel totos sibi Latini uendicant, uel æqualem certè in eis portionem non iniuria reposcunt. Siquidem licet in utraq́ lingua sint maximè excellentes, eo tamen alijs præstãtiora sunt, quæ Romanè scripserunt, quo Latinus sermo uulgari est nobilior, dulcior, atque absolutior. His duobus exceptis, uix octo præterea uel iuratus reperias: pro quibus myriadas

hic

hic reponere possum, si omnes qui ducentos, aut circiter ab hinc annos, ad ueterum Latinorum exemplar properarunt, recensere præsentis esset negotij. Ne tamen omnes silentio inuoluantur, aliquibus tantum cõtentus fuero, quos nec ordine, sed prout se nobis obtulerint nominabo. Eorum itaq; summum esse Ioannem Iouianum Pontanum, nemo indignatur: in quo cum omnia, tum duo præstantissima fuere, quòd talem in dicendo copiam, facilitatem, elegantiam, proprietatemq;, superioribus annis, extincta penè Latina lingua reddidit, ut florentissimo Augusti seculo natum censeas: quódque & carmine unus, & soluta oratione tantum ueræ gloriæ adeptus est, quantum uix in eorum unoquoque separatim nõ modò recentiores, sed antiquorum etiam pauci sint assecuti. Nam quid est eius dialogis iucundius, doctius, suauius? quos omnes ut hic effusius non laudem, unicus certè, quem Actium inscripsit, in quo de Virgilianis numeris, & historiæ uirtutibus proprietateq; agit, neminem millesimum ac trecentesimum abhinc annum extitisse, qui ueterum authorum uim, robur, artificiumq; exactius, quàm ille scrutatus fuerit, dilucidè ostendit. Quid est enim in heroici carminis maiestate, sono, candore, dulcedine, asperitate, grauitate, hilaritate, nitore, altitudine, alijsq; ornatibus, quod ille non in Virgilio ita propriè diligenterq; obseruarit, ut alium neges in eodem opere meliorem existere posse? Eiusdem uerò de Obedientia, Fortitudine, Principe, Liberalitate, Prudentia, Magnanimitate, Immanitate, ac Fortitudine libri, maximam omniũ rerum quæ in illo fuit cognitionem, singularemq; candorem cum summa facilitate legentibus adprime ostendunt. At historiam, quàm lepidè scripsit? Quantus extitit in poësi? Quis Latinorũ cœlestia cecinit melius? quis hendecasyllabo post Catullum Pontano anteponetur? Faciunt hæc omnia, ut ijs assentiar, qui eum quoddam reuiuiscentis naturæ miraculum fuisse arbitrantur. Nec quisquam huius scripta ad Ciceronianam phrasim examinet, quod ne ipsum quidem affectasse satis liquet, cum pluribus uerbis usus sit, quæ Ciceroni in mentem nunquam uenerunt. Sed non fugit tantus uir obtrectatores, quũ sint & ij non mediocriter docti, qui eruditionem Pontano tribuant, iudicium adimant. Miremur, si non & M. Cicero Romanæ eloquentiæ oceanus, exuccus, languidus, eneruis, aridus, ieiunus, ac dissolutus ab huiuscemodi calumniatoribus dictus est. Vixerunt ante hunc non pauci, quorum in Latina lingua, ab inferis (ut ita dicam) excitanda singularis industria enituit, licet in primis illis uix Romani sermonis puritatem inuenias. Nam Leonardus Aretinus, multis nominibus commendandus uir, in philosophicis rebus non infeliciter uersatus, in historicis pro temporũ ratione minimè aspernandus, & facilis cuiusdam naturæ scriptor, plurimis tamen rebus interim destituitur, & quandoq; eum parum latinè locutum contendas: quod sanè non est mirandum. Namq; ut nihil simul & repertum, & absolutum, ita unius opera Latinitas & restitui, & exacte excoli nõ potuit. Blondi Flauij Foroliuiensis hoc in negotio summum studiũ amplectimur, quamuis in scribendo nõ admodum elegans habeatur: nec desint, qui ab eo ueritatis fidem multis in locis requirant, alioqui non paucis etiam lutulentus fluere uisus est. Laurentio Vallensi, quem nam in hac arena præponamus non uideo: nemo melius constantius'que grassantem extinxit barbariem. Atque ut aliqui illum stili elegantia uicerint, qui tamen Latinam linguam æquè iuuerit, ad hæc tempora non extitit. Quantum ille posteris lumen dedit? Quot commodis Latini sermonis studiosos ornauit? Sed fuit idem aliquot summorum hominum calumniator acerrimus. Hoc si homini cõdones, (nulla est enim causa

cur tanti authores impeti debeant) quòd ab alijs, utpote Lactantio, Boëtio, ac similibus, etiam minutissima quęꝗ exegerit, iure excusari debet, cũ tam inueteratũ inter Italos malum radicitus extirpari nõ potuerit: nisi à uehementissimo, seuerissimoꝗ scriptore, omnia quantumuis leuia, etiã in antiquis authoribus perquirente. Neꝗ enim aliter putidas illas sentinas, & infanda seculi carcinomata, Eberardũ, Hugotionem, Catholicontem, Papiam, Isidorũ, Haimonem, & eius generis quisquilias quisquam è manib. deposuisset, nisi magnos quoꝗ uiros in ius uocari posse Valla ostendisset. In cæteris longè magis eruditioni, quàm eloquentię collaturus: quippe qui ad Quintiliani acumẽ proximè accedat, nimięꝗ diligentiæ potius quàm uel minimæ oscitantiæ reprehendi ualeat. Franciscus quidẽ Philelphus multa scripsit, ut orator & poëta: de cuius epistolis, dialogis, orationibus, alijsꝗ solutæ orationis monumentis diuersæ sunt doctorũ sententiæ. Plurimi enim iudiciũ ei defuisse uolunt, alij tumidũ eum plerumꝗ, alicubi exilem, persæpe aridũ ieiunumꝗ arbitrantur, licet sibi uel maximè placentem: doctus tamen fuit, & magna ausus. Longè hoc melior Alexander ab Alexandro, cuius sex Genialium dierum libri multiplicis doctrinæ referti in manibus habentur. Nam Pius Pontifex Maximus, Aeneas antea nominatus, non est in hoc ordine postremus. In historia non multis ex recentiorum ordine postponendus, orator argutus, uehemens, candidus, poëta itidem non uulgaris. Non paucos Græciæ debemus uiros excellentes, ac utriusꝗ literaturæ peritissimos, qui nos partim Græca uertendo, partim Latina tractando, supra modum iuuerunt: sed hos eximios, Bessarionem Nicenum præsulem, philosophum egregium, Argyropylum Byzantium, Georgium Trapezuntium, de Latina Rhetorica non sine magna laude post tot summos uiros scribere ausum, ac Theodorum Gazam, quo nullũ in Græcis Latio donandis meliorem fuisse docti omnes passim affirmant. Angelus uerò Politianus, immortalitate dignus, sua tempora non mediocriter illustrauit: cuius epistolis nihil quicquam est elegantius, ut quas pleriꝗ quàm Plinianas malint: quibus & ipse assentior. Eiusdem Miscellaneis quis non magnopere oblectetur? quis non alijs omnibus, quæ & carmine, & soluta oratione scripsit? Vixerunt eius seculo Marsilius Ficinus, in Platonica doctrina eminentissimus: ac Ioannes Picus, nullius doctrinæ non adprimè sciens, qui cum & sanguinis claritate, & moribus esset maximè conspiciendus, acerbissima morte præreptus, secundum ac trigesimum (ut aiunt) ætatis annum agens naturæ concessit. Non possum equidem tanti uiri desiderio cum M. Tullio non exclamare, O fallacem hominum spem, fragilemꝗ fortunam, & inanes nostras cogitationes, quæ in medio spacio sæpe franguntur, & corruunt, & antè in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt. Abstulit scilicet illi pro suo iure corpus immatura mors, ipse tamen uiuit, ex hominum memoria nunquam delendus, propter pulcherrima, quæ nobis reliquit, diuini ingenij monumenta, quę non à iuuene, sed à maturo sene scripta uideantur. Floruit hoc uiuente, licet senior, Hermolaus Barbarus: cui si nihil aliud deberemus, quàm quòd mendosissimos C. Plinij de Naturali historia libros, inuios antè, & in Plinio Plinium desiderantes, ita expurgarit, ut nunc habemus, inter summos uiros esset procul dubio recensendus. in quorum album ab eruditis omnibus refertur Rodulphus Agricola Phrysius, Græcè Latineꝗ doctissimus. Quam autem laudem non promeritus est in suo genere, Baptista Platina Cremonensis? Qui cum summorum Pontificum uitam pereleganter scripserit, immortalem sibi gloriam peperit. Neꝗ ego cætera eius, aut aliorum

opera re-

opera recensebo, ne alienorum scriptorum catalogum cōdere uidear: sed summatim eorum perstringam nomina, qui Romanam linguam excitare, ac pristino candori restituere laborarunt. Quod autem ordine illos non exequar, uel id est argumento, quòd Pontanum primum nominarim, ante quem certum est uixisse Pomponium Lætum, qui quamuis Græcas literas ignorasse dicatur, latinè tamen egregiè doctus fuit, in scribendo in fra neminem recentiorum purus candidusq́. Huius nisi fallor auditor fuit M. Antonius Sabellicus, dignus planè præceptore discipulus, fœcundæ cuiusdam uberisq́ eloquentiæ scriptor. De Petro Crinito, Marulloq́ Byzantio alij iudicabunt. Mihi enim uerendum est, ne si uerbum ijs quæ superius dixi addidero, in calumniatoris suspicionem incidam. Iis tantum cæteri deferant, quantum opus fuerit. Iam Nicolaus Leonicenus ita medicinam expurgauit, ut nihili hodie fiant Auicenna, Serapion, & omnis Arabia, quæ diu terrarum orbem infecit cum Gordonijs, Hugonibus, Guarnerijs, Cermisonibus, ac Bauerijs, infelicissimorum temporum monstris, nec Græcè quippiam, nec Latinè, nec adeò Arabicè scientibus. Exciderant uidelicet ex hominum manibus celeberrimi illi artis medicæ propagatores, Hippocrates, Galenus, Oribasius, Aegineta, Aëtius, nisi Leonicenus ab ipsis Græcorum manibus (si quid tamen possunt manes) ad hoc opus comparatus, ægrotanti orbi opportune succurrisset. Hunc secutus est cum multa laude Ioannes Manardus Ferrariensis, cuius epistolæ, quas mihi uidere contigit, tantum & uenustatis & elegantiæ habent, quantum à medico in bonis literis diu uersato exigas. Raphaëlem Volaterranum plurimæ lectionis hominem, & multorum uoluminum compilatorem, non præteriero: licet bona doctorum pars mediocrem ei deferat eruditionem, cum nihil quàm aliena hinc inde in sua immensa uolumina transtulerit, in Græcis uertendis uel pueriliter persæpe lapsus. Andreæ Naugerij aliquot mihi orationes uidere contigit: cuius esse in Plautum epistolā, quamuis alieno nomine inscriptam, plerīq omnes fatentur. Magnus tamen uir fuit, & nemine dissentiente maximè literatus. Actij Synceri Sannazarij tres libri de Partu uirginis inscripti circumferuntur, cum piscatorijs, ac aliquot elegijs: quibus, quantum quidem ego iudicare ualeo, ad antiquorū elegantiam acumenq́ proximè accessit. Quamobrem & inter præcipuos nostrorum temporum scriptores meritò collocatur: Sicut plurimū nos iuuit Cœlius Rhodoginus, libris Lectionum antiquarum Cesellium Vindicem, cuius opera interciderunt, imitatus. Nicolaus Perottus Sypontinus antistes, mihi non excidit: sed in eorum classe ponendus uidebatur, qui ueteres authores interpretati sunt. Nec scio an faciam excellenti uiro iniuriam, si eum huius ordinis scriptorum uel principem constituam. Alia etenim non pauca scripsit, quibus apud omnes clarus habetur: cuius Polybio nihil sit politius, epistolis nihil iucundius. Cornu tamen copiæ, quod Valerium Martialem interpretatus composuit, hominis excellentiam multo melius patefacit. Itaque siue sit ex commentatorum (sic enim ab aliquibus uocatur) numero, siue extra ordinem ponendus, eæ calumniæ, quę in recentiores interpretes iaciuntur, Perotto minimè obesse debēt. Sic enim aiunt, qui eiusmodi interpretes lacerant, studiosorum animos eorum opera segniores in rebus perquirendis redditos, magis commentarijs quàm ipsis authoribus esse intentos, ex eaq́ re multa incommoda uelut necessariò emanare. Siquidem cum uix unum, aut alterum ex recentibus interpretibus reperiamus, qui à barbaris impuris que uerbis abstinuerit, aliquo'ue in oratione structuræ artificio sit usus, ex illorum lectione incompositam phrasim contrahunt,

nondum iudicij satis firmi iuuenes. Nam paulò doctiores, impuros grammaticos nihil morantur. Quod si nudos haberemus authores ipsos, nihil non latinum candidumque ex uiuis fontibus haurire liceret: ut omittam ea, quæ maiori sudore comparantur, memoriæ firmius ualidiusque inhærere, quàm quæ eiusmodi interpretes nobis etiam nolentibus proponunt. Præterea cum ijdem optima ferè ac difficillima loca leui pede pertranseant, aut pessimo exemplo inuertant, tum plurima nihil ad rem facienda undique uelut in tetram congeriem aduolant, & inuisos pueris reddunt Latinos authores, & indigesta caliginosaque farragine, quantumlibet candida ingenia opprimunt. Nec quisquam huius farinæ homines tutari gestiens, Asconij Pediani, Donati, Seruij, Victorini, Acronis, Porphyrionis, ac similium antiquorum exemplum prætendat. Recentiores enim tam ab illis absunt, quàm illi ab authoribus quos interpretati sunt. In Asconio porrò, & cæteris eiusmodi, admirabilem quandam breuitatem eruditis dignam, & doctis auribus gratissimam dispicimus, ea tantum quæ obscuram historiam, aut latens habent artificium exequentem: in alijs uerò infinitam loquacitatem, & innatum chartas impunè oblinendi pruritum. Sicubi enim (exempli causa dixero) unico uerbo Virgilius in M. Marcelli, aut C. Marij mentionem, poëtico more inciderit, magna ilico aduolabit commentatorum manus, quæ integros propemodum T. Liuium, Plutarchum, Appianum Alexandrinum, ac reliquos ibi explicet: quasi Marcelli, aut Marij uitam eo loco scribere uoluerit Virgilius. Rursus si Corinthum ille, aut Carthaginem obiter nominarit, Strabonem, Plinium, Stephanum, ac Pomponium Melam protinus recitabunt, & urbium forte ipsarum initia, excidiaque repetentes, cur Corinthus à L. Mumio deleta fuerit, quotque exercitibus Romani cum Pœnis bella gesserint, edocebunt, quæ quanquam sint cognitu digna, non à Virgilio, sed ab historicis sunt petenda: & nunc (ut inquit Horatius) non erat his locus. Nec me latet, hos compilatores à Fabio Quintiliano designatos fuisse, cum primo Oratoriarum institutionum libro ita scriberet: His accedit enarratio historiarum, diligens quidem illa, non tamen usque ad superuacaneum laborem occupata. Nam receptas, aut certe claris authoribus memoratas exposuisse satis est. Persequi quidem quod quisquam usquam uel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiæ miseriæ, aut inanis iactantiæ est, & detinet atque obruit ingenia melius alijs uacatura. Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Atqui pleni sunt eiusmodi impedimentis grammaticorum commentarij, uix ipsis qui composuerunt satis noti. Alij tamen dijudicent, quantũ latinæ linguæ nostrorum temporum interpretes obfuerint. Id sanè uidemus, post Nicolaum Perottum, omnium interpretum munus subire uoluisse Ambrosium Calepinum, illius laborum ac uigiliarum furem manifestissimum: in omnibus tamen maximè absurdum, cum insulso suo dictionario, in quo ne gry quidem à se protulit, nisi si quas ab infimis scriptoribus sordes collegit, qui non minus fidei Apuleio, aut Martiano Capellæ, in uerborum proprietate, quàm M. Ciceroni, aut Cæsari tribuat. Nam & de Latinis uocibus agens, Anselmi, aut Tertulliani, aut Remigij testimonijs plerumque nititur: quasi ij primum in latinitate locum teneant, qui uitæ sanctitate fuerint insignes. Quid ergo? Nónne latinè locuti sunt Hieronymus, Augustinus, Tertullianus, Cyprianus & eiusmodi theologi? Imò, quantum ab eius ordinis scriptoribus postulare audeas. Sed alia est poëtarum, historicorum, ac oratorum, alia theologorum ratio. Multa in his patimur, quæ

in illis reprehenderemus. Deniq; omnes ſcientię propria quędã habent uocabula, quæ uulgi nõ ſunt. quod M. Tullius III. de Finib. libro teſtat̃, cum inquit: Itaq; & dialectici & phyſici uerbis utunt̃, quæ ipſi ſcientiæ nota ſunt. geometræ uerò, muſici, grãmatici etiã more quodã loquunt̃ ſuo. Item ipſæ Rhetorũ artes, quæ ſunt totæ forenſes atq; populares, uerbis tamen in dicendo quaſi priuatis utuntur, ac ſuis. Atq; ut omittã has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidẽ tueri ſua artificia poſſet, niſi uocabulis uterent̃ nobis incognitis, uſitatis ſibi. Quinetiã agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, tamẽ ea res in quib. uerſatur nominib. notauit ſuis. Quòd ſi & dialectici & grãmatici, & ipſi quidem agricolæ propria habent ſuarũ rerũ uocabula, quanto magis theologis idem erit concedendũ? Sunt ſanè illi in ſuo genere probandi: ſed impudentiſſimè fecit Ambroſi. Calepinus, cũ de latinis uocib. agens, eas theologorũ teſtimonijs cõprobauit. Itaq; Peroti nomẽ auxit nõ mediocriter, cui multa ab eruditis in reddenda uerborũ ratione deferunt̃, cũ Calepino uix credant, quod ueterũ teſtimonijs cõfirmet: & hunc ludibrij, illũ honoris cauſa nominare ſoleãt. Sed ad alios interpretes, ſeu illi cõmẽtatores, ſeu ſcholiaſtæ ſint appellandi, deuenio: ex quorũ claſſe primas pleriq; Domitio Calderino Veronenſi (Sypontinũ ſemper excipiũt) deferre uident̃, iuueni cumprimis acuto, ſed lõge melius nomini ſuo cõſulturo, ſi felix ingeniũ ad grauius aliquod negotiũ cõuertiſſet. qui cũ iuuenis admodũ Romæ publicè latinas literas uiuẽte adhuc Põpon. Lęto profiteretur, ita hominũ animos faſcinauit, ut eũ relicto Pomponio ſtudioſi ferè omnes uulgò ſequerentur: iure' ne an iniuria, utriuſq; ſcripta oſtendunt. Ego hoc tantũ dicã, Domitiũ nihil de ſe non ubiq; polliceri, in omnes linguã exercentem, ac de omnib. nõ malè, ſed peſſimè ſentientẽ. Et frontem igitur ſæpe perfricuit, & pleraq;, ut ſententiã cui ſemel adhæſerat, uel iure uel iniuria tueretur, cõfinxit, quæ nuſq̃ leguntur. Inter omnia eius arrogantiæ exempla, hoc unũ ſubijciam, quòd Ouidij librũ in Ibin enarrãs, in operis præfatione, poſtq̃ ſe omnia ex Apollodoro, Lycophrone, Pauſania, Strabone, Apollonio, eiuſq; interprete, & cęteris item Latinis tranſtuliſſe gloriatus eſt, in calce operis, talia forę ſua ſcripta (hæc ſunt ferè eius uerba) cõfidit, quæ duo quinquagenarij homines ab eo qui XXIX annũ nondũ compleuiſſet, diſcere, q̃ turpiter ignorare mallent. Deſignat aũt Nicolaum Perotum, ac Pomponiũ: quorũ utriq; tam cędere poteſt Domitius, quàm P. Virgilio Bapt. Mantuanus, aut M. Tullio Franciſc. Philelphus. Huius tamen intolerabile ſuperciliũ, creſcentemq; indies audaciã Georg. Merula Alexandrinus, uir doctiſſimus, & in ſcribẽdo maximè accuratus, primus editis in Martialẽ notis cõpeſcuit, planeq; oſtendit, quantũ ab eo quod ubiq; pollicebatur abeſſet. Suſcepit deinde Domitij patrociniũ Cornelius neſcio quis Vitellius, ſcriptis ad hoc ipſum in Merulã annotationibus: quo in negotio qualem ſe geſſerit pronunciare, nõ eſt huius loci. Hoc tamẽ pro cõperto habeo, Ang. Politianũ in Domitij ſcriptis nõ pauca ſomnia deprehendiſſe. Atq; ut humanũ ſit nõnunq̃ labi poſſe, Domitio tamen omnia pollicenti, & duos quinquagenarios docenti, nihil ignoſcas: nec Philippo quidẽ Beroaldo, qui ſũmus uir dũ inter uiuos ageret habitus, plurimũ poſtq̃ diem obijt nominis deperdidit: in obſeruãdis aliorũ erratis quauis aquila oculatior, propriarũ laudũ uocaliſſimus præco, & Seruio grãmatico, grauiſſ. Virgilianorũ operũ interpreti tam infenſus, ut acerbius eum ſibi in ſectandũ propoſuerit, q̃ Bubalũ olim Hipponax, aut infidũ Lycambẽ Archilochus. Multos hic ſcripſit annotationũ libros, qui omnes quales ſint, hoc loco nõ dixero. Cũctas tamẽ ingenij eloquẽtiæq; ſuæ uires in cõmentarijs, quib. Suetonij Cæſares, Apuleiumq; enarrauit, ſine controuerſia effudit, nullius in ſcribendo puritatis: ſed quiquid in buccã ueniret, eru-

ctare doctus. Interpretandi sanè munus ita deprauauit, ut ad loquacitatẽ nihil addas: quã ut ubiq; euomat, à proposito ad nænias deflectens, multorũ obitũ deflet, in hos inuehitur, illos usq; ad nauseã effert, uillarumq; ad quas comessatũ sæpè inuitabatũ situs describit. At Suetoniũ exposuit, & in eo Seruij æmulus esse affectauit. Esto sanè: sed Tranquillus nihil habet artificij, præter obscuras uoces, quarum aliquas ut aperuerit Beroaldus, nõ tamen erat, cur eo negotio tantopere sibi placeret, maximè garrulus, uerbosissimusq; interpres. Quæ ne quis à me confingi credat, ipsum sua, tanq̃ diuina scripta, ea epistola, quã lucubrationib. in Tranquillũ præmisit, celebrantẽ, & supra sidera etiã ineptissimè efferentẽ, audiamus: Ad hãc, inquit, tam frugiferam, tamq; uoluptariam Tranquilli cognitionẽ introducent te cõmentarij nostri, qui uelut duces ac prẹcursores claustra repandent, calles reserabunt, diuosa præmollient, spineta succident, aspreta leuigabunt, salebras edomabũt, & ita moramẽtis omnib. repurgatis, uiaq; molliore cõfecta, te decursis spacijs duodenis, omniq; difficultate superata, in uertice mollissimo sistent. Equidem elaboraui in his cõmentarijs exarandis, & pro uirili parte cõtendi, ut nodosa enodarẽ, implicita explicarẽ, obscura clararẽ, sinuosa corrigerem, maculosa emacularẽ, usus sum interdũ uerbis uulgatioribus, quo res fieret lucidior, & emendatior. Et paulo pòst: Et quia solent parerga, quæ uocãt, hoc est à proposito digressiones, quasi reficere, recreareq; lectorẽ iam lassescentẽ, dedi operã, & quidẽ ex industria, ut flosculis hinc & inde cõplusculis ex uirore pratorũ nondũ cõculcato decerptis insignirentur, ut loca q̃plurima ex innumeris scriptorib. subobscura impromiscuaq;, uelut in transcursu explicarentur, quo uberiores fructus ex eorũ lectione capi possent. In calce appendix est annotatiuncularũ super reb. ignorabilibus. Hæc Beroaldus: quibus plura nunquã promittere ualuisset Eleus Hippias, qui cũ Olympiã uenisset, in maxima illa quinquennali celebritate ludorũ (ut ait Cicero, cuius hæc etiã sũt uerba) gloriatus est, cũcta penè audiente Græcia, nihil esse ulla in arte rerũ omnium, quod ipse nesciret: nec solũ has artes, quib. liberales doctrinę, atq; ingenuæ cõtinerentur, geometriã, musicam, literarũ cognitionẽ & poëtarũ, atq; illa quæ de naturis rerũ, quæ de hominũ morib. quæ de republica dicerentur, sed annulũ quẽ haberet, palliũ quo amictus, soccos quib. indutus esset, se sua manu confecisse. Sed qualib. flosculis nõ cõmentarij, sed ipsæ epistolæ, in quibus mirificè rhetoricatur, sint refertæ, aliorũ sit iudiciũ: mihi certè risũ mouere solet caperata Stoicorũ seueritas, amœnare, edulcare, cũ fœtosa & nauseosa fœtura, nõ epistolæ, sed Sibyllæ quidem conuenientib. uocabulis. Eiusdẽ sunt hæc uerba nõ multo inferius addita: Subiunximus epistolæ breuiariũ rerũ aliquot memorabiliũ, quæ cuiq; cõmentario insunt explicatæ pensitatæq; subtilius, q̃ literatores agnoscant, ut ex his iam statim declaretur, quid de totis cõmentarijs curiosus lector cõiectare debeat, & sperare possit. Nihili fuisse dixeris, si hæc uerba diligenter expẽdas, Leontinũ Gorgiã, licet primus omniũ in cõuẽtu poscere ausus sit, qua de re quisq; uellet audire. cui tãtus à Gręcia honor habitus est, ut ei uni aurea statua Delphis erecta fuerit. Omniũ uerò quę Beroaldus restituit præcipuũ est Valerij Catulli de Caluo epigrãma, ad quod antequã aggrediatur, deos deasq; inuocat, doctos atq; indoctos testatur, magnũ facinus & inauditũ se incœptare: quasi nisi locus ille rectè castigatus legeretur, stare nõ posset Latina lingua, & nõ plurima in eodem poëta ita deprauata legãtur, ut nullo pacto corrigi possint, nisi ad nos ipse author ab orco reuertatũ. Itaq; sudat, pallet, sussultat, rei difficultatẽ ob oculos ponit, cũ in eo epigrãmate permulti antea pro salapusio, siue salaputio (sic enim ipse reposuit) salecippiũ, salepontiũ, aut scelophegiũ legerent. Hoc pacto locũ primus emẽdat, & (absit inuidia uerbo) à propria officina depromit.

promit, Demũ quasi fusis, fugatisq́ hostibus, aut prouincia bene administrata, receptui canit, ac ludibundus domũ redit, in tã obscuræ uocis explicatione nõ sine labore & anxietate detentus. Nec ulla hæc à me quisquã inuidiæ aut maleuolentiæ suspicione dici arbitret, qui eius scripta ne digna quidem iudicem, quæ à mediocriter docto iterũ percurrant: sed mouerunt mihi stomachũ tot maledicta, quę in Seruiũ immeritò cõgerit, cuius si in interpretãdi munere artificiũ potuisset percipere, & pauciora cõposuisset, & tot ronchis, sibilisq́ minimè esset obnoxius. Scripsit in hoc genere accuratè docteq́ Georgius Merula Alexandrinus, de quo superius diximus: nõ pauca Paulus Piscinensis, cognomento Marsus: multo plura eius cõterraneus Petrus Marsus Cesensis. Nullũ ferè authorẽ nõ pollutũ reliquit Antonius Mancinellus Veliternus. Nec pessimus inter eos futurus erat Christophorus Lãdinus, nisi in Virgilij operũ enarratione omnes poëtæ sensus ad futiles cõiecturas reducere uoluisset: quas dum undiq́ aucupat, ab interpretandi munere sępissime digredit, & eandẽ ubiq́ fabulã, uel tempestiuè, uel intempestiuè occinit. Vt aũt appareat, quàm bene diuino Maronis ingenio tales allegoriæ cõueniant, unicũ hic locũ ex primis eius in Virgilianam Aeneida cõmentarijs excerptũ subijciã. Prolixè, inquit, & constanti ordine ita exprimimus allegorias, siue morales sensus poëtæ, ut quod semel in una significatione positũ sit, in eadẽ deinceps semper ponat. Tendit igit Aeneas in Italiã, hoc est laude dignus uir tendit ad sũmũ bonũ, quod positũ est in cõtemplatione rerũ diuinarũ, teste Platone, quẽ ipse sequitur. Huic implacabilis inimica est Iuno, nã dea regnorũ fingit ab antiquis. Ergo erit cupiditas regendi, administrãdiq́ in uita ciuili rẽpublicã. Hæc enim uirũ excellentẽ ab Italia Carthaginẽ, à uita cõtemplatiua ad actiuã traducere conat. Sed cũ ille à proposito nõ flectatur, ipsa per Aeolũ tempestatẽ citat, scilicet per rationẽ inferiorẽ: quę cũ circa particularia uerset, facile fallit, quia perturbationib. cõmouet. Sed Neptunus, id est, ratio superior, & intellectus nõ corrũpit à Iunõe, sed sedat tẽpestatẽ. Quę omnia quęso te Lector, ut diligenter in illis libris nostris Camaldulẽsib. legas. puto enim fore, ut te minimè pœniteat. Hæc Landinus. Quæ cũ delirã anũ spirẽt, Virgilio certè in mẽtem uenire nunq̃ potuerũt, qui nec superiorẽ, aut inferiorẽ, aut infimã ibi rationẽ, nec actiuã uitã designare, sed elegantissimũ poëma ex ueris fictisq́ ad Homeri exẽplar scribere cõstituerat. Dignus igit fuit Landinus, cũ suis allegorijs, qui deorũ effigies, ac tẽpla tueret, & Virgilianũ opus ad Euãgelicã doctrinã in frequẽti ociosarũ mulierũ cõcione traheret: quib. ne deesset, quod ante focũ bene potæ garrirẽt, T. Liuiũ, maioremq́ Pliniũ grauissimos elegantissimosq́ authores, nõ sine manifesto scelere in uulgarẽ linguã cõuertit, ut inter lanas illæ ac stamina de antiquorũ gestis disserere, & orbis sitũ, solisq́ ac lunæ meatus fusis in cinere describere possent. Quicunq́ certè tã celebres authores uulgariter loquentes legit, nõ potest Landini manib. diras nõ imprecari. Sexcẽtos plus minus exoticæ linguæ interpretes prætereo, ne dũ eos ꝑquirimus, qui Romanã linguã restituere cõtenderũt, in eius deprauatorib. diutius immoremur. Hoc tamẽ nemini dubiũ est, Iodoc. Badiũ Ascensiũ, ac Guidonẽ Iuuenalẽ, plurimæ authoritatis in latinitate proceres, & in ꝑscrutandis altius ueterũ scriptorũ sensib. nõ postremos, sũmã enarrandi officio manũ imposuisse: ut qui primi, quãdo apud receptos authores que pro & accipi debeat, adnotarint. Sed utinã nõ essent ijs multo deteriores. Inuentus est enim nuper in tanta chartarũ uilitate, qui doctrinalem librũ, (hoc enim nomẽ indidit morboso poëmati suo Alexander Villæ dei alumnus, quẽ infra omnes homines fuisse opinor) quasi M. Tullij Philippicas, aut de Oratore libros cõmentarijs exponeret, ut pueri latinis authorib. posthabitis, eo in luto libentius uolutarentur. Ne'ue tam sordidi homi-

nis nomen excidat, dignū quod aureis characterib. ſignetur, Dementius quidam Babax, ac ſi ſtultè barbarum dicas, nō ſine plurimo labore peſtilentem illam ſegetem, maligno dementiæ fimo ſtercorauit. Cuius monſtri infelicitas, tanq̃ non teterrimū ſeculo pedorem inhalaſſet, ut putridū Alexandri opus, blattarū eſca, laridiq; penularū armariū, quàm caſtigatiſſimū in lucem exiret, Blæſus Bambalio neſcio quis cum Lentulo Segnitia pigro, (utrumq; digno nomine decoratū dicas) operi diligenter imprimendo adhibitus eſt, ut ſtupidi Bambalionis inſania, & lenta Segnitij pigrina, immundi, hircoſiq; Bambacis demenriam condirent. Verum his & ſimilibus in malū carcerem abire iuſſis, eos, quorū in bonis literis excolendis induſtria enituit, ſtrictim exequamur. Quis igitur neſcit, quantū illæ ſuperiorib. annis in Alberti Pij Carpēſis principis morte iacturę fecerint? Niſi hercle in eius familia Romæ bienniū, Lutetiæ uerò Pariſiorū, ubi etiam diem obijt, quadrienniū uixiſſem, quo nihil mihi gratius contingere potuit, pluribus uerbis tanti herois laudes celebrarē. Illud ſanè expertus ſcio, nec acerbo eum exilio, nec inueterata podagra, à qua miris modis uexabatur, à bonarū literarū ſtudijs diuelli unq̃ potuiſſe, quibus nulla die nō octo ſaltem horas, homo quintū & L. annū agens impendebat: quanquam & inter prandiū, cœnamq;, ſemper Ciceronianū aliquid audiebat. Et uelut pauca eſſent hæc quæ diximus incōmoda, illud etiam accedebat multo maximū, quod quàm diu in Gallia uixit, neminem eruditum domi habuit, cuius colloquio recreari, & laboribus interdū leuari poſſet, ut ea mihi omnia imponere cogeretur. Nam & anagnoſtæ ſolus, & amanuenſis officio tam commodè fungebar, quàm à XVII. annos nato pręſtari poterant. In ſeueriorib. aūt ſtudijs, quis illū (de noſtrorū temporū hominib. loquor) anteceſſit? quis melius in philoſophia, expeditiusq; uerſatus erat? quis in theologia? Nec remulo (ut aiunt) per hæc ſtudia, ſed plena uelificatione ferebatur: in ſacris literis ne à difficillimis quidem ſcriptorib. abſtinens. Quæ cum in principib. uiris perrarò inueniantē, in eo licet Regum, ſummorumq; Pontificū negotijs ſemper occupato, ita excelluerunt, ut merito dū inter uiuos ageret, tanq̃ unicū orbis ornamentū ab omnib. coleretur, mortuū docti ſūmopere laudent, admirētur etiam, qui nō ſunt quauis pecude ſtupidiores. Illud aūt quàm fuit literatis utile, quòd Aldum Manutiū, quem puer præceptorem habuit, Gręca, Latinaq; exēplaria purgare ac excudere parantem, pecunia, cæteriſq; rebus ad illud opus abſoluendū neceſſarijs iuuit? Cuius quanta poſtea fuerit in eo negotio induſtria, ſatis eſt per ſe cōſpicuū. Enimuerò ut multi & doctius & elegātius ſcripſerint, in librorum quidem caſtigatione, & ſuccincta eos imprimendi ratione, talem apud eruditos gloriam eſt adeptus, ut quadā cœli benignitate natū, qui bonas literas ſolertiſſimè ab ultima clade uindicaret, earumq; ſordes ac ſquallorem detergeret, omnes fateantur. Quid enim dū noſtro cōmodo inſeruire poſſet, intentatum reliquit? aut cui impendio pepercit unquàm, dum ex ultimis terrarum partib. caſtigatū aliquod exemplar afferendū curaret? Idcirco nec mirum fuit, ſi eius mors tam doctos omnes commouit, quàm uita iuuerat. Quæ quia breuior fuit, q̃ par erat, illud nos interim conſolari poteſt, quòd Germania, Galliaq; hoc opus diligentiſſimè exequuntur. Siquidem & græcos, & latinos authores pulchrè emendatos, maximeq; elegantibus characteribus conſpicuos nobis certatim ſuggerunt, & alios itidem diuerſis in locis latentes ſagaciſſimè odorantur. Non poſſem ſine crimine, ingratiq; animi nota, Decium Syllanum Spoletinum, præceprorem meum, uirum ſanè quàm doctiſſimum præterire, qui cum Romę publicè doceret, reuiuiſcentemq; eloquētiam conſtanter promoueret, acerba morte præreptus, maximū Romanę urbi ſui deſideriū reliquit. Floruerunt in urbe eadē ætate & alij doctiſſimi uiri, quo-

rū primæ

eum primæ Francisco Palmerio, ac Troilo Sabinis deferebant, cum ille philosophus esset præstantissimus, græcè ac latinè nō uulgariter doctus, hic uerò nulli in Rhetoricis quamdiu uixit secundus habitus sit: quamuis Baptista Casalius ciuis Romanus, quem senem admodū adolescens uidi, Troilo natu maior, egregius orator iure existimaretur, quod uel ex unica eius de lege agraria, quā paulò ante mortem edidit oratione, facile dignosci potest. Excessit superioribus annis D. Erasmus Roterodamus, uir singularis eruditionis, & in bonis literis tum græcis tum latinis tam admirandus, ut paucis quidē eorū quos nominauimus, sit postponendus. Fuit enim uaria in eo, infinitaq; omniū propè rerū cognitio, & ingeniū quoddam ad cuncta quę uellet apprimè propensum. Ioannes quoq; Ruellius Gallus, recens & ipse uita functus, nō mediocriter ornauit seculū nostrum: sicut qui ante eum naturę concessit Nicolaus Leonicenus, cū alijs quàm plurimis, quorū nomina nō percurro, ut ad eos deueniam, quorū uiuentiū in latina lingua restituenda egregiam nouimus industriam. Qua in re si qui prætermissi fuerint, nō est cur mihi succenseāt, nec enim omnes noui: & permulti sunt eruditissimi quidem, qui tamen nihil adhuc in lucem dedere. De quibus ferè, cum nō sint nobis familiarius noti, iudicare, nisi temerè non possumus, præsertim quod in plerisq; barbam & palliū uideas, philosophi autem præterea signū nullū. Primus se mihi excellentiū offert Gulielmus Budæus, aduersus quem licet nonnulla superius scripserim, nō tamen negarim eū omniū qui uiuunt meo iudicio esse eruditissimū, græcæq; linguæ peritissimū. Et sanè bonas literas idem adprimè iuuit plurima obscura loca nobis aperiens: sed durior plerisq; & asper quodāmodo in scribendo uisus, eruditionem summopere, ut opinor, sectatus, linguæ elegantiam non affectauit. Iacobus uerò Sadoletus Cardinalis, quibus unquam uerbis satis dignè à nobis ornari posset? Nescias utrum in eo scribendi elegantiam, an diuinarū humanarumq; rerum cognitionem, an uitæ sanctitatem magis laudes. Quanq; & Gaspar Contarenus ad summa quæq; natus, theologus idem, philosophusq; maximè eximius, latinæ, græceq; linguæ cognitione ac morum elegantia, probitateq; conspicuus, non minus mihi, quàm ille fecerit negocij, si hominis me excellentiā accōmodata oratione exprimere posse confidam. Nam Petrus Bembus, licet uulgarem linguā non mediocriter excoluerit, latinè tamen idem gręceq; doctissimus, tale sibi inter uiuos nomen cōparauit, ut inter præcipuos collocetur: tantùm apud posteros laudis est promeritus, ut tum maximè in honore sit futurus, cum mortem obierit. Rectè enim Propertius,

Omnia post obitum fingit maiora uetustas,
Maius ab exequijs nomen in astra uenit.

Quid dicam de Hieronymo Aleandro, trium linguarum infra neminem eorum qui hodie uiuunt perito? Quid de Benedicto Accolto? Quid de Reginaldo Polo Britanno, eximio ætatis nostræ ornamento? Quid de Ioanne Matthæo Gyberto episcopo Veronensi? Ioannem Sepuluedam, Hispaniæ, seculiq; nostri decus, philosophum, theologumq; egregiū, prout par esset celebrare, maius est opus quàm quod à nobis commode præstari possit, siquidem eius scripta exactam rerum cognitionem, mirum'que in latinitate candorem prę se ferunt, ut si fata illum diu nobis seruauerint, nulli secundus procul dubio sit futurus. Baptistam Egnatium, Lazarum Philagarum, Cœlium Calcagninum, Lazarum Bayfium, Philippū Melanchthonem, Ioachimum Vadianum, Simonem Grynæum, Lampridium, summos uiros, quis non nouit? quis non Antimachum? Sed nimis patentem campum ingredior, si singulos me ornatè recensere posse confidam.

confidam, Franciſcum tamen Molſam, M. Antonium Flaminium, Bloſium Palladium, Romulum Amaſæum, Alexandrum Manzolum, Sebaſtianū Delium, Achillem Bocchium, P. Curſium, Hieronymum Fundulum, Baſſianum Landum, Laurentium Palicium, Gallos autem Vatablum, Germanumq́ꝫ Brixium non præteriero: non Andream Alciatum, qui primus noſtro ſeculo eloquentiam cum Iure ciuili coniunxit: non Baptiſtam Pium, qui quanquam in commentatorum numerum eſt referendus, multa tamen eruditione commendari poterat, niſi orationis genus ſibi maximè uituperandum elegiſſet. Quum enim omnes, qui aliquid ſcribunt, ſermonis perſpicuitatem in primis quærere debent, ea certe alienorum operum enarratoribus eſt maximè neceſſaria, ne ipſis authoribus ſint obſcuriores. Quid tamen tenebroſius eſt, aut deridendum magis, quàm illa Pij in Plauti commentarios præfatio? Phiſiculanti mihi, inquit, & per horarum minutias acerrimè ueſtiganti, quid'nam ſit forte fortuna in hac labida, & morbili, ne dicam morbonia, & noſocomio mortalitatis, nobileq; regium, conſummatum, & abſolutum, ſubit id ſapientis apophthegma, & bracteatus adagio, illum eſſe nimirum hominem, qui rerum caducarum, & ſubciſiuarum principatum, ſceptrum'que retinet. Et inferius: Sed Plato in contrarium obſtrigilari uideri poteſt. Et mox: Denuo ſi dilogia, & oriſmo uelim catè & cordate ex materiali Chaldæi uerbis prolata ſtabilire. Et paulò pòſt: Igitur deus in id operatur actione ſua ſibi peculiari, qua fit ultramūdanus animus æuiternus, cœleſtis, & ad beatitatem illam perennem perennigaudā fruendam accinctus, mediatoribus literis literatis, dulci ocio, grato diuerſorio, ſaliari pabulo, amœno condimento, ſine quibus uita uitalis eſſe nequit. Non hæc Cincinnatos, Coruncanos'ue, aut cinctutos Cethegos, nō Auruncos, aut ueterrimos Sicanos, nō Euandri proauiam, aut tritauiam, ſed eorum quempiam loqui credas, quos è truncis, duriſſimisq́ꝫ roboribus natos poëtæ fabulantur. Quid eſt hoc, phiſiculanti mihi? aut quis ſic loquitur? Nam morbile, morbonium, noſocomium, ultramundanus, perennigauda, & literæ literatæ, nō uerba, ſed uerborum portenta in ultimas terrarum partes deportanda, uel ipſi credo Apollini negocium facerent: nec quodquam eius reſponſum æquè obſcurum, ac (ut Plautino utar uerbo) contortuplicatum fuiſſe reor. Prodeat nunc in medium Euphorion, prodeat Lycophron poëta obſcuriſſimus, & Heraclitus Epheſius cum Catacolimbite libro, aut ſi quis unquam abſtruſior extitit. Neque affirmare uerebor, omnia horum ſcripta maximè dilucida eſſe futura, ſi his ænigmatibus conferantur, quæ Polydæ, Melampodis, Mopſi, Amphiaraí, Heleni, Calchantis, reliquorumq́ꝫ uatum, augurum, aruſpicum, ariolorum, Chaldęorumq́ꝫ ingenium fugiſſent: quæ inquam ſi Sphyngi ueniſſent in mentem, nunquam uel ab Oedipo, uel à Delio natatore ſolui potuiſſent, imò nec ab ipſo quidem Protheo, licet omnia noſſet,

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur.

Porrò autem Baptiſtam Pium deſignauit Fabius Quintilianus octauo Oratoriarum inſtitutionum libro, ita ſcribens: Quid quòd nihil iam proprium placet, dum parum creditur diſertum, quod & alius dixiſſet. A corruptiſſimo quoque poëtarum figuras, ſeu translationes mutuamur, tunc demum ingenioſi ſcilicet, ſi ad intelligendos nos opus ſit ingenio. Atqui ſatis apertè Cicero præceperat, in dicendo uitium uel maximum eſſe, à uulgari genere, atq́ꝫ à conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Quibus licet ſolos, qui cauſas agerent, Fabius admonuiſſe uideatur, ad omne tamen ſcriptorum genus ea ſunt referenda. Et inferius

ferius

ſerius idem ſic ait: At obſcuritas fit etiam uerbis ab uſu remotis, ut ſi commentarios quis Pontificum, & uetuſtiſſima fœdera, & exoletos ſcrutatus authores idipſum petat, eaq; inde contraxerit, quæ non intelligantur. Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, ut quædam ſoli ſcire uideantur. Et hæc quidem de Pij ſtilo, quem operam non luſiſſe arbitror, quod Philippi Beroaldi auditor fuerit. Eius namq; ſcholam ſapit illud de Apuleio iudicium, quod ex Pij annotationibus excerptum ſubijciam, ne quis miretur tam barbaros in ſcribendo fuiſſe, qui ſordidos impuros'que ſcriptores candidiſſimis Latinitatis authoribus prætulerint. Lucium Apuleium Madaurenſem, inquit Pius, florentiſſimi ſtili, nitidiſſimiq; characteriſmi fuiſſe Sidonio credimus, atq; fulminei, quem Platonicorum eruditiſſimum Auguſtinus de Ciuitate dei libro octauo iudicat, cuius opinamina, & ſententias non pauca Platonicè protulit. At is aureus liber, & bracteatus, quem nō Genium, quam nō habet Charitē: multijugis tamen mendis ſcatet, & ob inſcitiam neſcias an incuriam æui noſtri repudiatus ab hiſce triuialiū feculis feculentis ſordeſcit apud uulgus indies, cuius patrocinium noſtrū erit, qui politioris eruditionis iam pridem profeſſores ſumus. Et alibi de eodem ſic: Apuleius Platonicorum eruditiſſimus, quem eloquentiſſimum cenſet Auguſtinus. Quidā meri Mydæ hunc eleuant, ſed hi doctos alba linea metiuntur, & magnis nominibus allatrant, indiget hic caſtigatione limatiore in quàm plurimis locis. Hactenus ille. Quæ ut pluribus uerbis non refellam, hoc tamen dixero, nouum portentū atq; inauditum eſſe, qui Apuleio patrocinetur, eundem politiorem eruditionem profiteri: niſi in hoc eum prædicet excellentem, quòd cum de Aſino ſcriberet, rudere, quàm latinè loqui maluerit. Sanctum Voconium Iureconſultum, conterraneū meum, in qua claſſe ponam neſcio. Quamuis enim in omni politiori literatura diu non ſine laude ſit uerſatus, uulgares tamen Muſas non eſt aſpernatus. Maximam de ſe expectationem ſuſtinet Arnoldus Arlenius Peraxylus, utriuſq; linguæ maximè peritus, & candidiſſimi iudicij iuuenis: maximam Richardus Sc̨eleius Britannus, Ioannesq; Baptiſta Goyneus, ac Sebaſtianus Corradus. Multos habet Bononia huius rei candidatos: ſed Baptiſtam Sigicellū, & Scipionem Blanchinū præcipuos, omnibus rebus, quas aut natura hominibus, aut fortuna elargiri poteſt, ornatiſſimos. Infinitos conſultò prætereo, qui quidem hos recenſuerim, ut maternæ linguæ cultores talium uirorum iudicio non uulgarem, ſed Græcam Latinamq; linguas arriſiſſe agnoſcant. Nec tamen aliquorū, qui uiuunt, in promiſcuo ſermone gloriam imminutam cupio: ſed illos rogarim, ut ſi uulgarem linguam, quàm Latinā malunt, noſtri eſſe arbitrij patiantur, quamcunq; libuerit ſectari. Tum ſi Dantem, Petrarcham, Bocacium, & ſi qui ſunt eiuſdem farinæ admirantur, condonent nobis, ut ijs poſthabitis, Virgilium, Ciceronem, Plautum, Terentium, Liuium, Salluſtiū, Cæſarem, Horatium, Catullum, Tibullum, Ouidium, Propertium, ac ſimiles non paucos lectitare ualeamus: minime ambigentes, niſi uulgaris huius ſermonis cultum ſeculo incommodè obtruſiſſent, breui fieri potuiſſe, ut Latinus in priſtinū ſtatum redigeretur, & omnibus etiam uel cauponibus ac ſtabularijs fieret communis.

FRANCISCI FLORIDI APOLOGIAE IN LINGVAE LATINAE CALVMNIATORES FINIS.

RODVLPHO PIO

CARDINALI CARPENSI TIT. S. PRISCAE Piceni Legato, Franciscus Floridus Sabinus S. D.

QVoniam nihil magis à uiri probitate recedere existimo, quàm ingrato in eũ animo esse, à quo plurimis beneficijs ornatus fueris, operam sem per dedi, quantũ quidem in meis uiribus fuit, ut me tui studiosissimum esse omnes intellige rent. Ea de causa et innumerabiles tuas laudes, (quamuis neq; mea illæ, neque ullius prædica tione augeri possint) tam frequenter ubiq; cele braui, quàm qui frequentissimè. Et cum duo opuscula nuper in lucem data, paucis diebus conscripsissem, hoc me præcipuè ex ijs consecutu rum censui, ut quàm diu à domo tua, omnium literatorum altrice, ab essem, in eadem sententia permanere agnoscerer, in qua debet, qui stu dia sua omnia tibi uni refert accepta. Cũ igitur de ijs quæ instituerãm, parcè admodum egissem, nec satis mihi constaret, postquam prius o pusculum recognoscere decreueram, itidem'ne in libro de Iuris ciuilis interpretibus essem facturus, ita me ad id negociũ impulerunt, relecti Andreæ Alciati de Verborum significatione libri, ut nullo iure ab eo desistere posse uiderer. Cuius rationem ut paucis accipias, in eum for tè locũ incidi, in quo ille omnia solis deferens Iureconsultis, quos nun quam errare potuisse persuasum habet, durissimam difficilimamq; pro eis aduersus Laurentium Vallensem prouinciam cepit: qui cùm de La tinæ linguæ elegantia exactissimè scriberet, ipsos quoq; iureconsultos reos peragere, ac in iudicium uocare non ueritus, ita ab Alciato ubiq; reijcitur, ut nullo nec bene, nec male scriptorũ habito discrimine, quasi mente captus aliquis id reprehendisse uideatur, quod nullo pacto reci pere ualuerit. Quamobrem cum in hoc opusculum pulchrè conueni re ea disputatio uideretur, Vallensis patrocinium suscepi: quod fecit ut libellum hunc non minus quàm alterum auxerim, quem tibi ut antea inscriptum, sic te lecturum confido, ut si nihil aliud, propensum tamen animum erga te nostrum in eo amplectaris. Rem omnem porrò ita tra ctaui, ut cum Alciato uiro doctissimo, plurimisq; nominibus suspicien do, non potuerit meo iudicio nec modestius, nec amicius disseri: quem reor nostrum hoc officium æquo animo laturũ, nisi fortè non tam no bis Vallæ partes tutari integrum esse existimat, quàm ei fuerit homi

nem Latinæ linguæ peritissimum oscitantiæ arguere. Quòd si nobiscum non senserit, melioribus rationibus Iureconsultos defendat. Nam quas hucusque produxit, quanti sint faciendæ, alij diiudicabunt, qui Vallæ prius in Iureconsultos capita, deinde Alciati pro eis defensionem, tum nostram sententiam defecato, atq; omnibus affectibus uacuo animo legerint. Addidi in calce aliqua de Vdalrico Zasio, & ipso iureconsulto: cum quo ita egi, ut inclementius uiuentem fuerim exagitaturus: defuncti manibus tam pepercerim, quàm ipse nullum conuiciorum genus in Vallam non contorsit. Verũ non ignoro minutos quosdam emissarios à nõnullis, qui se unicos in literis esse credunt, subornari, ut meos labores non prouocati subsannent, quisquiliæ, fecum sentinæ, ac ipsis sordibus sordidiores. Sed si quietum irritare non desinunt, non hæc putamina, (tunc enim pessimè, infelicissimeq; mecum agi censerem) sed ipsos impulsores ita impetam, ut eos uerissimis maledictorum notis inustos (si quid tale de se nostras lucubrationes polliceri fas est) tradam memoriæ hominum sempiternæ. Deligant proinde alios, si sapiunt, in quos iamdiu conceptum uirus euomant, ne malum consilium consultoribus pessimum esse discant. Neq; ego planè is sum, qui ullius, quantumuis excellentis aut amicitiam ambire, aut simultates deprecari sciam: sed has uulpes de ijs, quibus nõ facile quiduis persuaderi possit, occultè gannientes præclarè noui, ac in suis foueis fumo præfocari uelim, nisi quod iam diu parturiunt, ipsæ tandem uel pariãt, uel ut uiperæ in partu disrumpantur. Vale, Bononiæ Calendis Iulij. Anno à Christi natali millesimo quingentesimo trigesimo octauo.

FRANCISC

FRANCISCI FLORIDI SABINI

LIBER DE IVRIS CIVILIS INTERPRETIBUS, nunc primum ab authore auctus atq; recognitus, ad RODVLPHVM PIVM CARDINALEM Carpensem.

Quoties mihi in mentem uenit, quibus institutis pleræq; sem per ciuitates à paruis initijs ad summam immortalemq; rerum gloriam peruenire contenderint, non immeritò existimare soleo, alias omnes leuissimam tantum rerum umbram consectatas fuisse: Romanam uerò tanto alijs extitisse præstantiorem, quanto res casu gestæ ijs qui uera uirtute, perpetuaq; animi cōstantia administrantur, sunt inferiores. Cum enim duæ res ad promouendum conseruandumq; urbium statum sint maximè necessariæ, belli gerendi ratio, & legū quibus domi forisq; uti ualeant, obseruatio, quantum in utraq; populus Romanus per multa secula, sub regibus primò, libera deinde ciuitate, postremò sub Cæsaribus excelluerit, clarius est, quàm ut hoc loco longiore à nobis oratione explicari oporteat. Enimuerò militarem disciplinam, non à Romanis modò cultam, sed ab eis natam, cum eisdem pariter extinctam fuisse, ex multis rebus cōmodè, sed ex hac præcipuè dignoscere possumus, quòd nulla unquam ciuitas, nullus rex, nulla natio tamdiu, tam strenuè, tam multis eodem tempore exercitibus bella gessit. In quibus cum ducum præstantia, militum uirtus, & fortuna omnium consensu sint necessaria, ut fortunam, quæ Romanis modò mater, modò nouerca fuit prætereamus, alijs quidem rebus eò usq; Romanus populus ualuit, ut plures melioresq; duces una ætate solus habuerit, quàm aliarum urbium quælibet omni tempore, uel si Carthaginem, qua nulla ad Romanam uirtutem propius accessit unquam, nulla post urbem Romam latius feliciusq; res gessit, non excipias. Cui rei ut unicum dicam argumentum, habuit illa Annibalem, rei bellicæ ac artium, quæ à maximo duce exigūtur, ita peritum, ut multis maximisq; Italiam calamitatibus, per sexdecim ferè annos affecerit. At si Annibalem illi dempsisses, nullū ei similem procul dubio summittere potuisset, cùm eodem tempore pro Romana re, hoc est pro patria multi pugnarent, sed Q. Fabius Maximus, Fuluius Flaccus, M. Marcellus, Aemilius Paulus, Claudius Nero, & Scipio Africanus præcipui, qui omnes nulla in re Annibale fuissent inferiores, si perpetuū habuissent contra Pœnos imperium, si non optimo quoque anni tempore diuersis ex causis in patriam reuocati, bene gerendæ rei occasionem amittere non semel coacti fuissent. Tum si quibus militibus ab utraq; ciuitate bella gesta fuerint, animaduertamus, Carthaginem cum externis, Romam uerò cum suis, uel sociorum militibus rem gessisse, non obscurè intelligimus: cùm tamen multo plures hæc Romani nominis legiones habuerit, quàm illa alieni. & Romanis ad Ticinū, Trebiam, Thrasimenum, Cannasq; innumeris ueteranorum tyronumq; millibus amissis, non modò copiæ fuerint, quibus contra Annibalem tuerentur imperium, sed castrametato etiam apud Anienem, tertium porrò ab urbe lapidem Pœno, prouinciarum curam non abiecerint: cùm Carthaginenses uix uni stipendia, supplementaq; conductis hinc inde militibus suggererent, & fuso semel eo

L 2 rum

rum in Africa exercitu, de infami deditione protinus egerint. Rursus quàm diligenter, sanctéque leges Romani coluerint, ex illorũ rege Romulo, uiro alioqui bellicosissimo, & magis promouẽdis nouæ urbis limitibus, quàm paci & quieti nato, conijcere possumus: qui non modò talem belli disciplinam suis reliquit, qualem nulla præter eos gens habuit, nec quisquam ex ducibus, qui nostra patrumque memoria uixerunt, iactent licet bellica tormenta, terrificosque illorum boatus, restituere potuit: sed ut hominum multitudo, quæ ad eum undique confluxerat, in unius populi corpus facile posset coalescere, commodissimas leges, minimeque absurdas, prout illa secula, & regis mores ferebant, instituit, ac ita sanctas rudibus hominibus fore arbitratus est, si & habitu se, & duodecim lictoribus augustiorem fecisset. Quas deinde, Romulum subsecutus Numa Pompilius, alter urbis Romanæ conditor, eo meliores amplioresque reddidit, quo ad pacandam urbem, legibusque (ut Maronis utar uerbo) fundandam, quàm à finitimorum incursionibus protegendam aptior erat. Post quem et quatuor cæteros, cum septimus, idemque ultimus Tarquinius, nec dijs, nec hominibus amicus, cui ob morum peruersitatem superbi cognomen inditum fuit, Iunij Bruti opera eiectus, populusque ad libertatem uocatus fuisset, & aucta supra modum ciuitate leges à regibus latæ idoneo reipublicæ statui non sufficerent, communi omnium consensu triumuiros Athenas Lacedæmonemque mitti placuit, qui ab illis scriptum ius, ab his quod magis erat in consuetudine acciperent, quo'ue tam ipsi uterentur, quàm socijs etiam ac exteris communicare possent. Idque cum in decem primò, mox in duodecim tabulis conscriptũ fuisset, prætoresque ad id dicendum uarijs modis, diuersisque temporibus creati, promotis iam longius imperij limitibus, ob nouas res singulis diebus emergentes, prudentum interpretationem desiderare cœpit, quales plerique fuere, qui stante adhuc republica floruerunt. Qua deinde per Iulium Cæsarem occupata, cum penes principes omnium rerũ summa esset, ijque uario indies ingenio eligerentur, uel quòd literas nescirent, uel quòd bellis plerumque in diuersas orbis partes auocarentur, prudentes & ipsi uiros relinquebant, qui de iure publicè responderent. ij autem diuersis temporibus fuere quàm plurimi, cum uiri optimi, tum omnis Græcæ Latinæque literaturæ peritissimi: qui cùm multos quæstionum libros, multos digestorum, institutionũque, plurimos ad leges duodecim tabularũ, Iuliam, Corneliam, Fusiam, Papiam, Pompeiam, ad edicta, ad senatusconsulta conscripsissent, ius à Græcis acceptum eatenus auxerant, illustrarantque, ut quiuis huiusmodi iureconsultorum, Soloni, Draconi, ac Lycurgo iure optimo posset præponi, quique leges Romanis tribuerant, ab eisdem illas haud grauatè acciperent, quòd in tot tantisque uiris præclara sententiarum grauitas cum summa dictionis maiestate enituisset. Quod nemini mirum uideri debet, quum apud Grecos uilissimi homines ius ciuile discerent, apud Romanos uerò in summo semper honore fuerint iurisperiti. De qua re sic inquit in primo de Oratore M. Cicero: Itaque uti apud Græcos infimi homines mercedula adducti, ministros se præbent in iudicijs oratoribus, ij qui apud illos πραγματικοὶ uocantur: sic in nostra ciuitate contrà amplissimus quisque, & clarissimus uir, ut ille qui propter hanc Iuris ciuilis scientiam sic appellatus à summo poëta est,

Egregiè cordatus homo catus Aelius Sextus,

Multique præterea, qui cum ingenio sibi authore dignitatem peperissent, perfecerunt, ut in respondendo iure, authoritate plus etiam quàm ipso ingenio ualerent. Hæc ille. Et rectè quidem. Maximi enim ciues in hac scientia semper uer-

fati sunt, & in primis Appius Cæcus, nullo suæ ætatis in administranda republica inferior. Nam M. Portiũ Catonem ad summos honores iuris peritia prouexit: Q. autem Scæuola consularis, qui etiam iurisconsultorum eloquentissimus habitus est, quantum sibi ex iure ciuili laudis comparauit? Iam Seruius Sulpitius ob id unum inter primos reipublicæ referri facile meruit: quem uirum quantopere laudarit Cicero, ex eius in Bruto uerbis uideamus, ait enim: Quum ex tua oratione mihi uideor, inquit, benè Crassum & Scæuolam cognouisse, tum de te & de Seruio Sulpitio cogitans, esse quandam uobis cum illis similitudinem iudico, Quo'nam, inquam, isthuc modo? Quia mihi et tu uideris, inquit, tantũ Iuris ciuilis scire uoluisse, quantum satis esset oratori: & Seruius eloquentiæ tantum assumpsisse, ut Ius ciuile facile posset tueri, ætates'que uestræ, ut illorum, nihil, aut non ferè multum differunt. Et ego: De me, inquam, dicere nihil est necesse. De Seruio autem, & tu probè dicis, & ego dicam, quod sentio. Non enim facile quem dixerim plus studij, quàm illum, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Nam & in ijsdem exercitationibus, & ab ineunte ætate fuimus, & postea Rhodum unà ille etiam profectus est, quo melior esset & doctior: & inde ut redijt, uidetur mihi in secũda arte primus esse maluisse, quàm in prima secundus. Atq; haud scio, an par principibus esse potuisset: sed fortasse maluit id, quod est adeptus, longe omnium non eiusdem modò ætatis, sed eorum etiam qui fuissent, in Iure ciuili esse princeps. Hic Brutus: Ain' tu, inquit? etiam'ne Q. Scæuolæ Seruium nostrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute existimo, iuris ciuilis magnũ usum & apud Scæuolam, & apud multos fuisse, artem in hoc uno: quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem uniuersam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primum uidere, deinde distinguere, postremò habere regulam, qua uera & falsa iudicarentur, & quæ quibus propositis essent, quæq; non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem ad ea quæ confusè ab alijs aut respondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi uideris dicere, inquit. Rectè, inquam, intelligis: sed adiunxit & literarum scientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillimè perspici potest. Quumq; dicendi causa duobus peritissimis operam dedisset, L. Lucilio Balbo, & C. Aquilio Gallo, Galli hominis acuti & exercitati promptam & paratam in agendo & in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaq; superauit: Balbi docti & eruditi hominis in utraq; re consideratam tarditatem uicit, expediendis cõficiendisq; rebus, sic & habet, quod uterq; eorum habuit, & expleuit, quod utriq; defuit. Hactenus Cicero. Mitto P. Nasicam, Tiberium, Coruncanum, P. Attilium, Quintum Tuberonem, & id genus quàm plurimos, quorum penitus excidisset memoria, nisi aliorum scriptis eorum nomina quodammodo essent consecrata. Quos omnes cum uiros egregios, & omni doctrinæ genere illustres fuisse dubium non sit, alij tamen sub imperatoribus adeò excellentes fuere, ut illis de quibus mentionẽ fecimus, nulla in re, meo quidem iudicio, fuerint inferiores. Quamuis temerariũ ferè uideri possit, hos cum illis conferre, cum horum fragmenta in manibus habeamus, illorum autem nihil prorsus. Itaq; ut sit hoc in iudicatum, ij certè, quorum diuinæ lucubrationes in paucos libros conjectæ sunt, ius ciuile mirificè exornauerant: nisi quædam fati iniquitas, ut in cæteris rebus fieri uidemus, illius gloriæ inuidisset. Cum enim ad fecem Cæsarum uentum essent, nulliq; quantumuis sordido non pate-

ret ad imperium aditus, nescio qua'nam cœli intemperie factũ fuerit, ut rerum summa ad Iustinianum Iustini Thracis bubulci ex sorore nepotem redigeretur: quem non modò ἀναλφάβητον, qualem Suidas testatur, omnisque eruditionis expertem, sed in quibuscunque etiam rebus bardum, crassæque Mineruæ fuisse, ex eius in numismatibus, quæ adhuc circumferuntur, physiognomia uidere est, & quæ gessit perfacile ostendunt. Siquidem licet aliqua eo uiuente bella gesta fuerint, Italiaque ac Africa extincto Gothorum nomine, olim sint liberatæ, & bellicos sudores suos (si modò sudat, qui in socordia, uilique ocio ignauus, inglori-usque consenescit) in Institutionum procemio efferat, nihil tamen sine Theseo (ut aiunt) gestum est, nihil sine Bellisario, ac Narsete, maximis ducibus, quorum ductu, uirtute, consilioque bella omnia confecta fuerunt. Is inquam Iustinianus, ut nihil se unquam proprio consilio fecisse gloriari posset, nefario Tribuniani suasu infinita propè doctissimorũ hominum scripta in quinquaginta Digestorum libros, pessimo exemplo coarctans, & unum codicem ex tribus consarciens, summorum uirorum lucubrationes tam impiè iussit aboleri, ut nesciam an tam execrandum facinus recuperatis prouincijs compensari potuerit. Quandoquidem cum fieri soleat, ut multę semper sint in mortalium gestis uarietates, quamuis ea quæ perrarò accidunt, nõ attendant Iureconsulti, his tamen legibus, quæ Tribuniani opera (dicam scelere?) ad manus nostras peruenerunt, uix quota pars earum rerum, quæ non semel, sed sæpissimè accidunt, decidi potest: cùm infinita interim in Pandectarum, Codicisque corpore sint, quæ inuicem secum uelut ex diametro pugnent: ut nihil ibi reuera dicere ualeas, nisi ad hoc notum Satyrici carmen confugias,

Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Quoniam autem Iustinianum omnis literaturæ imperitum fuisse asseruimus, non defuerit fortè qui contra Suidæ testimonium, Procopium Cæsariensem Bellisarij scribam producat, qui inter uarias nugas & mendacia, quibus scatent eius historiæ (de his loquor, quæ ad Iustiniani Tribuniani'que mores pertinent) hunc principem Theologiæ operam dedisse memoriæ prodidit. Is tamen sic habeat, id minimè quod credatur dignũ esse, cum alij, qui de Iustiniano scripserunt, contrarium affirment: nisi ita fortè Theologiæ studuit, ut nihil profecerit, omni literatura & sanitate uacuus, quique se non esse mortem oppetiturum, sed in cœlum cum carne assumptum iri Tribuniano crediderit. Atque haud ambigo tam deliri principis inscitiam, aliaque stuporis exempla in eo libro ab eodem Procopio explicata fuisse, quem ἀνέκδοτα inscripsit, asperrimis conuicijs, comicisque in Iustinianum ac Bellisarium morsibus refertum. Qui cum exciderit, non ad hoc (quemadmodum titulus indicat) scriptus ut ederetur, Suidæ credamus, de Tribuniano etiam non mediocriter à Procopio dissidenti: cùm hic bonis moribus eum ornatum fuisse tradat, ille uerò fraudulentum ac assentatorem appellet: hic iusti lucri sectatorem Tribunianum, Suidas ius auro uenale semper habuisse memoriæ prodat, ut qui leges sordida nundinatione antiquare, idemque ut cuique esset commodum ferre instituisset. de quo hæc sunt illius uerba·

τριβωνιανὸς μακεδονιανοῦ, ἀπὸ δικηγόρων τῶν ὑπάρχων. οὗτος ὁ τριβωνιανὸς ἕλλην ὑπῆρχε, καὶ ἄθεος, ἀλλότριος δὲ κατὰ πάντα τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως. κόλαξ δὲ, καὶ ἀπατεὼν, καὶ πείθων ἰουστινιανὸν τὸν βασιλέα, ὡς οὐκ ἀποθανεῖται, ἀλλ' εἰς τοὺς οὐρανοὺς μετὰ σαρκὸς ἀναληφθήσεται. ἦν δὲ κοιαίστωρ ἰουστινιανοῦ. οὗτος φύσεως μὲν δυνάμει ἐχρῆτο, καὶ παιδείας ἐς ἄκρον τι ἀφίκετο τῶν κατ' αὐτὸν οὐδενὸς ἧσσον. ἦν δὲ φιλοχρηματίαν δαιμονίως ἐσπουδακὼς, οἷός τε ἦν κέρδους ἀεὶ τὸ δίκαιον ἀποδίδοσθαι, τῶν τε νόμων ἀμείβας οἱ ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον ἑκάστης οὓς μὲν ἀνῄρει, οὓς δὲ ἔγραφεν,

ἐγγράφων, ἅπερ πολλὴν τοῖς δεομένοις περὶ τῆς χρείας ἑκατέρου. ἔτι δὲ πολλὰ ἐπιβιοὺς τῇ τιμῇ ἐτελεύτησε νόσῳ, οὐδὲν ἄχαρι πρὸς οὐδενὸς παθών. ἦν γὰρ αἱμύλος τε καὶ τἆλλα ἡδύς, καὶ τῆς φιλοχρηματίας τὸ νόσημα ἐπισκιάσαι ἱκανώτατος τῇ τῆς παιδείας περιουσίᾳ. Sed & idem de Iustiniano sic ait: Ἰουστινιανὸς ὁ βασιλεὺς ῥωμαίων ὀρθοδοξότατος. ἦν δὲ ἀμαθέστατος γραμμάτων ἁπάντων, καὶ τὸ δὴ λεγόμενον ἀναλφάβητος. Quæ quis nõ ijs ueriora credat, quàm ea, quæ pro temporis ratione, principis, aliorumq; eius domesticorũ auribus data sunt? Et sanè de Procopio illud non est prætereundũ, quòd cum de Tribuniano loquens libro I de bello Persico, Imperatoris eum fuisse paredrum, hoc est assessorem testatur, falsò subiunxit, eum magistratũ à Romanis coœstorem, à Latinis autem iureconsultum appellari. Nec Romanis enim, nec Latinis unquam idem significauit quæstor, quod iureconsultus. Baptista tamen Platina Cremonensis, receptam apud indoctos opinionem de Iustiniano secutus, his uerbis Bonifacij II Pont. Max. uitam scribens, eum laudat: Bonifacius, inquit, secũdus patria Romanus, patre Sigismũdo, Iustiniano imperante fuit, quem quidem imperatorem tanti constat ingenij, tantæq; doctrinæ fuisse, ut mirum non sit, si leges Romanas sparsas & incompositas in ordinem ad utilitatem hominum redegerit, eaq; absciderit, quæ superuacanea & inutilia uidebantur. Hac tamen in re consilio & opera Ioannis Patritij Tribuniani, Theophili, & Dorothei usus est, qui tum doctrina & auctoritate insignes habebantur. Immensum namq; illud librorum pelagus (ad duo enim fermè milia librorum fuisse constat) coaceruatis simul ab urbe condita usque ad hæc tempora tot iudicijs, quinquaginta libros titulatim digessit, quos nunc Digesta, nunc Pandectas appellant, quòd omnem ciuilem doctrinam contineant. Idem quoq; legis epitomen fecit librorum quatuor. Has autem leges Institutiones uocat. Dicimus etiam Iustiniani Codicem & uolumen esse. Sunt præterea qui dicant, Iustinianũ ipsum libros de incarnatione Domini eleganter scripsisse. Cæterum qui tam facile his fidem adhibuit, non Dædalum olim modò, sed & asinos uolasse credere potuit. Hoc porrò de Iustiniano mirũ dixeris, cur nam ingratissimus princeps (nã hoc ei inter cæteras uirtutes peculiare fuit) qui Narsetem pro bene gestis rebus malè mulctare potuisset, non hunc Tribunianum post commissum in ius ciuile sacrilegium in crucem egerit. Sed est hoc stupidorum proprium, ut eos pessimè tractent, quorum egregia opera usi sunt: erga eos faciles existant, qui detestandum aliquod scelus perpetrarint. Non tamen ipse inultus abiuit. quod enim Tribunianus meritus fuerat, in Iustinianum redundauit, ut extinctarum legum conscientia insanus decesserit: dignus uel maximè, qui nunquam natus fuisset, qui tali calamitate Ius ciuile affecerit, cuius ne tantum quidem superfit, quantum unus planè Papinianus, aut Vlpianus scripserint: cùm et ipsæ quoq; duodecim tabularum leges, omnis iuris origo, eandem fortunam passæ sint. quæ cuiusmodi fuerint, ex M. Tullij in libro primo de Oratore uerbis rectè dignoscimus. Ita enim scribit: Accedit uerò, quo facilius percipi cognosciq; Ius ciuile possit, quod minimè pleriq; arbitrantur, mira quædam in cognoscendo suauitas, & delectatio. Nam si quem aliena studia delectant, plurima est in omni Iure ciuili, & in Pontificum libris, & in duodecim tabulis antiquitatis effigies, quod & uerborum prisca uetustas cognoscitur, & actionum genera quædam, maiorum consuetudinem, uiamq; declarant. Et paulo pòst: Fremant omnes licet, dicam quod sentio, bibliothecas mehercule omnium philosophorũ unus mihi uidetur duodecim tabularum libellus, si quis fortè legum fontes & capita uiderit, & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare. De iuris autem interpretibus, & ipso

ipso iure, eodem in loco sic ait: Percipietis etiam illam ex cognitione iuris lætitiam & uoluptatem, quòd quantum præstiterint nostri maiores prudentia cæteris gentibus, tum facillimè intelligetis, si cum Lycurgo, & Dracone, & Solone nostras leges conferre uolueritis. Incredibile est enim, quàm sit omne ius ciuile præter hoc nostrum inconditum, ac penè ridiculum: de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, quum hominum nostrorum prudentiam cæteris hominibus, & maximè Græcis antepono. Pro his igitur omnibus, & qui post M. Tullium uixerunt, cùm pauca nobis fragmenta Iustinianus legauerit, utinam nihil haberent (ut superius diximus) inter se contrariũ. Clamet enim quantumlibet compilatorum Achilles Tribunianus, Pandectarũ libros cum Codice ac Institutionibus (nam de Autenticorum authore, si dijs placet, inter eruditos uehementer ambigitur, licet in nostrum ius clanculum irrepserint) commodè humanis usibus sufficere, & nihil habere inuicem aduersans: res tamen ipsa, & quotidianus usus, nonnullos antiquiores, qui trecentos aut circiter abhinc annos uixerunt, glossemata (quæ uocant) in totum iuris corpus scribere coëgerunt, quibus tam dissidentes leges in concordiam (quoad eius fieri posset) redigerentur, quàm aliæ res dubiæ indies in medium prodeuntes, aliarum legum exemplo exprimerentur. Inter quos insignem laudem non immeritò adeptus est Accursius Florentinus, tum quòd præcedentium scripta optimè excussit, tum quòd plurima suo Marte conscripsit, ita ab omnibus probata, ut sola digna uisa fuerint, quæ tanquam appendices, Digestis, Codici, alijs'que uoluminibus adiungerentur: qui tamen, quàndo non omnia possumus omnes, cum & ipse non tam commodè sua scripta ordinasset, ut doctis ubiq; satisfaceret, & aliquibus etiam locis (quippe qui homo esset, nõ Deus) errauisset, Bartolũ, Baldum, & similes hoc negocij suscipere opus fuit. Post quos Paulus Castrensis, Alexander Forocorneliensis, Franciscus Aretinus, & alij plerique summopere laborarunt, ut rei ab Accursio inchoatæ, summam manum imponerent: donec ad nostram ætatem uentum est, in qua nec modus in scribendo, nec ratio adhibetur. ut cum ij, de quibus diximus, hoc in negocio nõ alia de causa insudarint, quàm ut abstrusiora posteris dilucidarent: recentiores contrà, eòusq; illa inuoluant, ut nihil sit obscurius, & ipsi leuissimi interpretes nesciant sæpenumero, quid sibi uelint, quorsum'nam tantum oblinant chartarum. Quocirca cum Latinæ literæ per multa secula obrutæ, iamdiu non sine doctissimorum hominum industria excitatæ fuerint, ut iuris etiam prudentiam cũ Romano candore coniungerent, leguleios quosdam prudenter insectari cœperunt, in quorum scriptis uel millies excussis, nihil nisi deliria, merasq; nugas comperias: uerborũ autem, clamorumq;, & rixarum, nihil ad rem facientium, quantum sexcentis improbis nebulonibus faceret negocium. Cumq; humana sors ita se habeat, ut nulla in re modum seruare norimus, nõ contenti ijs maledicere, quibus & possumus, & debemus: in illos etiam, sine quorum opera (ut proferam quod docti omnes fatentur) nihil hodie prorsus in legum scientia proficere ualemus, hoc solo prætextu inuehi cœpimus, quòd cum horridiori seculo uixerint, plurimis uocibus ab omni Latio remotissimis usi sint, & uerborum aliquot etymologiam ineptè reddere uoluerint: quo nomine non modò illorum errata deprimimus, sed omnia etiam quæ optimè scripserunt, malo exemplo laceramus: dum alius non se pluris facere Accursij Bartoliq; in iure, quàm salsamentarij authoritatem proclamat: hic ad repurgandas leges alios hortatur, cùm nihil ipse in medium conferat; qua re nihil indignius, nihil sano homini minus conueniens uideri debet.

Vt

enim Bartolum, Bartoliq; similes, pura Latinitate ob temporum iniuriam caruisse concedamus: nónne tamen, quæ ad explicandas aperiendasq; leges pertinent, exactè præstiterunt? Quid? obstrepet hic mihi aliquis ualide clamosus: Tun' solus barbariem in legum interpretibus pati potes? cur non omnia potius ad ueterum candorem elegantiamq;, si fieri potest, restituimus? & legũ prudentiam cum bonis literis coniungimus? Equidem non tam impense Accursio fauerim, ut Latini candoris illum expertem fuisse negem: sed accuratè dispiciendum censeo, an ex incultis Accursij uerbis plurima utilitas percipi possit. Cum itaq; multa ad legum cognitionem adprime facientia ex eius scriptis discamus, in ijs autem qui Accursium insectantur, nihil sit pręter al quot uoculas ex Martiano Capella fortè, aut Sidonio Apollinari excerptas, & inania uerba, quis cum eiusmodi rabulis, quàm cum Accursio uersari malit? cui si quid defuit, ætatis, non hominis uitio est ascribendum. Quid enim si quis in philosophorum, aut dialecticorũ scholas concedat? nónne mira ibi uel usq; ad nauseam uerborum portenta audiet? Quid si ad medicinæ professores superioribus annis diuertisset, nónne pro Hippocrate, Galeno Oribasio, Aegineta, Aëtio, Cornelio Celso, Auicennam, Serapionem, Auenzoar Rasim, Auerroem, Halirodoam, Isaac, Mesue, & horũ enarratores, Hugones, Herculanos, Mundinos, Conciliatores, Pandectarios, Aggregatores, et quicquid est huiusmodi barbariei putaminum, inter illos uidisset regnare? Nam pro Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Occam, Olchot, Capreolum, aliosq; re ac nomine barbaros, nõ pauci hodie Theologi amplectuntur: quod tamen nec mirum uideri debet, si bona eorum pars, qui Latinitatem profitentur, non in Virgilij, aut Ciceronis operibus, sed in Antonij Nebrissensis, aut Despauterij Niniuitæ grammatica, ætatem conterere solet. Tum si quis eorũ Tortelij, aut Catholicontis exemplar paulo castigatius expiscatus fuerit, uel Ouidij Aesopiq; fabulas allegoricè expositas inuenerit, quasi M. Tullij de Republica libros, aut integram Liuij historiam teneat, eiusmodi delicias in scrinijs diligentissimè seruat, nec omnibus ilico, sed amicis tantum impertit, idq; diebus festis. Quoniam autem in eorum qui barbarè scripserunt, mentionem incidimus, & recentiores legum interpretes hoc nomine insectamur, cur non eadem ratione ipsum Tribunianum iuris non compilatorem, sed euersorem potius in ius rapimus? cùm ijs quæ sua Minerua scripsit, nihil absurdius possit excogitari? Quamuis enim in Institutionum libris ea quæ ad leges attinent, hinc inde ex ueteribus iureconsultis surripuerit, ubicunque tamen tria à seipso uerba profert, uel Crasso agelasto, si uiueret, risum mouere posset, quale illud est: Imperatoriam maiestatem, non solum legibus armatam, sed armis etiam decoratam esse oportere. Quæ uerba cum præter omnem Latinam proprietatem sint prolata, multorum tamen ingenium ita torserunt, ita etiam hodie excarnificant, ut nemo conijcere adhuc potuerit, quid sit legibus armare, quid etiam armis decorare: tanquam ad rem faciat, quid sibi uoluerit eo in loco Tribunianus, & alienam imperitiam diuersis sensibus interpretari cuiquam ex usu esse possit. Nec me fugit, similes aliquando translationes à poëtis usurpari: sed non omnia quæ illis condonantur, in soluta oratione sunt probanda. De qua re sic ait octauo Institutionum oratoriarum libro Fabius Quintilianus: In illo uerò plurimum erroris, quòd ea quæ poëtis, qui & omnia ad uoluptatem referunt, et plurima uertere etiam ipsa metri necessitate coguntur, permissa sunt, conuenire quidam etiam prosæ putant. Hæc ille. Nos autem quæ sint propriè arma, quotq; modis armare, atque armis decorare dicatur, uideamus.

Nec

Nec Tribunianum ad oratoris normam redigere uelim: sed hoc ostendere, ab ijs uerbis illum suas Institutiones auspicatum esse, quæ aut rarò, aut nunquam apud bonos authores inueniuntur: hoc est, in portu impegisse. Arma igitur (ut ait Varro) ab arcendo dicta sunt, quòd his scilicet hostem arcemus. quæ deductio si uera erit, omnia instrumenta quibus arcere hostem possumus, rectè arma dicentur. Nec malè Caius in libro de Verborum significatione ita scripsit: Armorum appellatio, non utiq; tantum scuta, & gladios, & galeas significat, sed et fustes & lapides. Verum aliter apud scriptores obseruatur, arma à telis semper se rè disiūcta ponentes. Liuius enim libro sexto ab Vrbe condita ita scribit: L. Horatius, arma, tela, frumentū, quæq; belli alia tempora poscent, prouideat. Idem libro decimo: Arma, tela in muros congesta. Sallustius autem in Iugurthino: Telorum, armorumq; comportationibus, festinando, agitando, omnia plus terroris quàm periculi effecerant. Quamobrem arma propriè dici credendum est, ea tantum quæ ab humeris, hoc est armis dependent: uel quæ armis gerantur, ut sunt lorica, scutum, & similia. Ea autem quibus procul prœliamur, ut sagittæ, ut Romanorum pila, tela esse, de quibus idem Caius ita scribit: Telum uulgò quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: sed nunc omne significat, quod manu mittitur. ita sequitur, ut & lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur: dictum ab eo, quod in longinquum mittitur, ἀπὸ τοῦ τηλοῦ Græca uoce figuratum. nam & in hanc significationem inuenire possumus, & in Græco nomine. Nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant, eoq; nomine uulgò quidem id significatur, quod ab arcu mittitur: sed non minus omne significatur, quod mittitur manu, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι, & id quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine τόξευμα uocatur, apud nos autem communi nomine telum appellatur, sic et Xenophon, τὰ βέλη ὁμοῦ ἔχοντο λογχαὶ, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. Arma autem ab armis deduci, authores sunt Sextus Pompeius, & Seruius grammaticus. quorum ille libro primo de Veterum uerborum significatione sic inquit: Armillas ex auro, quas uiri militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quod antiqui humeros cum brachijs armos uocabant, unde arma ab his dependentia sunt uocata. Seruius uerò quarto in Aeneida Commentario, hos uersus enarrans,

Et arma uiri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exuuiasq; omnes, lectumq; iugalem,
Quo perij, super imponas.

Arma, ait, gladium dicit, abusiuè. nam & paulo pòst: Ensemq; relictū. propriè enim arma sunt, quæ armos tegunt. Quod & ego uerum esse, atq; huc allusisse Virgilium de Priamo censeo,

Arma diu senior desueta, trementibus æuo
Circundat nequicquam humeris.

Quanquam plerumq; apud scriptores hæc uox, & ab ea deducta translatè posita inueniantur: cuius rei exempla in medium adducemus, quū quomodo Caij uerba armorum appellatione fustes & lapides contineri affirmantis intelligi debeant, ex Ciceronis sententia declarauerimus. qui pro Aulo Cecinna, quo pacto interdictum de hominibus armatis sit capiendum, sic declarat: Armatos, inquit, si Latinè loqui uolumus, quos uerè appellare possumus? qui scutis telisq; parati armatiq; sunt. quid igitur? si glebis aut saxis, aut fustibus de fundo præcipitem egeris, iussusq; sis quem hominibus armatis deieceris restituere, restituisse te dices? uerba si ualent, si causæ non ratione, sed uocibus ponderantur, me authore

thore dicito, uinces profecto, non fuisse armatos eos qui saxa iacerent, quæ de terra ipsi tollerent: non esse arma cespites, neq; glebas: nõ fuisse armatos eos, qui prætereuntes ramum defringerent arboris, arma esse suis nominibus, alia ad tegendum, alia ad nocendum: quæ qui non habuerint, inermes fuisse uinces. Verum siquidem erit armorum iudicium, tum ista dicito: Iuris iudicium cùm erit, & æquitatis, caue in ista tam frigida, tam ieiuna calumnia delitescas. Non enim reperies quenquã iudicem, aut recuperatorem, qui tanquam si arma militis inspiciunda sint, ita probet armatum: sed perinde ualebit, quasi paratissimi fuerint, si reperientur ita parati fuisse, ut uim uitæ, aut corpori potuerint afferre. Atque ut magis intelligas, quàm uerba nihil ualeant, si tu solus, aut quiuis unus cum scuto, cum gladio impetum in me fecisset, atq; ego ita deiectus essem, auderes'ne dicere interdictum esse de armatis hominibus, hic autem hominem armatum unũ fuisse? non opinor tam impudens esses. Atqui uide ne multo nunc sis impudentior, nam tu quidem omnes mortales implorare posses, quòd homines in tuo negotio Latinè loqui obliuiscerẽtur, quòd inermes armati iudicarentur: quòd cum interdictũ esset de pluribus, commissa res esset ab uno, unus homo plures esse homines iudicarentur. Verum in his causis non uerba ueniunt in iudicium, sed ea res, cuius causa uerba hæc in interdictum coniecta sunt. Vim quæ ad caput, & ad uitã pertinet, restitui sine ulla exceptione uoluerunt: ea fit plerumq; per homines coactos, armatosq;, si alio consilio, eodem periculo facta sit, eodem iure esse uoluerunt. Non enim maior est iniuria, si tua familia, quàm si tuus uillicus: non si tui serui, quàm si alieni, ac mercenarij: non si tuus procurator, quàm si uicinus, aut libertus tuus: non si coactis hominibus, quàm si uolũtarijs, aut etiam assiduis ac domesticis: non si armatis, quàm si inermibus, qui uim haberent armatorum ad nocendum: nõ si pluribus, quàm si uno. Quibus enim rebus plerumq; uis fit, eiusmodi hæ res appellantur interdicto. Si per alias res eadem facta uis est, ea tametsi uerbis interdicti non concluditur, tamen sententia iuris atq; authoritate retinetur. Hæc Cicero. Ex quibus planè colligimus, non uera esse Iureconsulti uerba, si sermonis proprietas, non interdicentis siue edicentis uoluntas consideretur. Proinde & impropriè scripsit Liuius libro quarto ab Vrbe condita: Faces partim emissæ excipiuntur, partim ui eripiuntur, utraq; acies armatur igni. Et quod huic non est absimile libro sexto: Legum quoq; latores aduersus apparatum aduersariorum, & ipsi causam plebis ingentibus animis armant. Quomodo & saxis & propugnaculis armare non abhorruit, cùm libro nono ita scribat: Romanus contrà nunc tela, nunc saxa, quibus affatim locus ipse armabat, ingerere. Et libro trigesimo: Itaque & muri reficiebantur, propugnaculisq; armabantur. Nec mireris, si M. ipse Cicero pro Cluentio, omnibus rebus armare accusatorem: & pro Domo sua, perditos magistratus deorum immortalium religione armare: & contra Rullum, Vrbem muris armatam usurpauit. Eiusmodi est & illud eiusdem Liuij libro trigesimo, de Sophisba, nisi fallor, Syphacis uxore: Hanc non hostili modò odio, sed amoris etiam stimulis armatam, apud æmulum cernere se quum dixisset, non mediocri cura Scipionis animum perpulit. In quibus tamen omnibus, siue acyrologiam, siue duriusculã translationem esse fateri cogimur: nisi Varro, Sextus Pompeius, & Seruius mentiantur. Eiusmodi sanè locutiones apud poëtas tolerabiliores uidentur, qualis est Virgiliana illa libro octauo Aeneidos,

Quo non felicior alter
Vngere tela manu, ferrumq; armare ueneno. Et in decimo,

Te

Te quoq; magnanimæ uiderunt Ismare gentes
Vulnera dirigere, & calamos armare ueneno.

De qua ita scribit octauo Oratoriarum institutionum libro Fabius Quintilianus: Duplicatur, inquit, interim hæc uirtus apud Virgilium, Ferrumq; armare ueneno: nam & ueneno armare, & ferrum armare translatio est. Idem quoque noue dictum credit Macrobius, cuius ex quinto Saturnaliorum hæc sunt uerba: Quid illa excogitatio nouorum intellectuum? ut, Mentitaq; tela, & ferrum armare ueneno. Eiusdem licentiæ sunt & illa in duodecimo Aeneidos,

Non secus ac neruo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sæui Parthus quam felle ueneni,
Parthus siue Cydon telum immedicabile torsit. Et in quarto,
Armatam facibus matrem, & serpentibus atris
Cum fugit. Nam magis propria uidetur translatio illa in septimo:
Hic torre armatus obusto, Stipitis hic grauidi nodis.

Sicut & generalius hac armorum uoce in primo usus est,

Iamq; faces & saxa uolant, furor arma ministrat.

Scilicet armorum appellatione comprehendit, quæ irato ad manus uenire possunt. Horatius sane Archilochum in Arte poëtica iambo, Ouidius autem libro decimo Metamorphoseon ursos unguibus armauit. Quid quod hic carmen inerme, & eloquentiam fori arma appellauit? quæ leoni etiam tribuit Virgilius duodecimo Aeneidos libro,

Tunc demum mouet arma leo. Quem locum enarrans Seruius, sic ait: Mouet arma, uires suas experitur. nam arma sunt uniuscuiusq; rei possibilitas: unde est, Et quærere conscius arma: id est, dolos. Cumq; tela ea esse diximus, quibus procul pugnamus: nonnunquam tamen pro omnibus ijs ponuntur, quibus hostem aut arcere, aut lædere possumus. Virgilius libro secundo Aeneidos,

Dardanidæ contrà turres, ac tecta domorum
Culmina conuellunt, his se, quando ultima cernunt
Extrema iam in morte, parant defendere telis. Et libro septimo,
Quod cuiq; repertum Rimanti telum ira facit.

Ouidius libro undecimo Metamorphoseos, lapidem telum appellat,

Alterius telum lapis est. In quinto autem etiam securim,
Cui lata bipennis Telum erat

Et in secundo Fastorum, cultrum telum uocat,

Brutus adest, tandemq; animo sua nomina fallit,
Fixaq; semianimi corpore tela rapit:
Stillantemq; tenens generoso sanguine cultrum.

Nam sagittæ, ut superius quoq; diximus, maximè propriè tela dicuntur. Virgilius libro primo Aeneidos,

Constitit hic, arcumq; manu, celeresq; sagittas
Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates. Et in decimo,
Quis tela sagittæ,
Coritiq; leues humeris, & letifer arcus. Ouidius XIII Metamorphoseon,
Vt referat Tirynthia tela sagittas.

Poëtæ tela quandoq; etiam linguæ tribuunt. Ouidius,

Deniq; uindictæ si sit mihi nulla facultas,
Pierides uires, & sua tela dabunt. Et,
Hostibus eueniat, quàm sis uiolentus & armis

Sentire,

Sentire, & linguæ tela subire tuæ.

Quemadmodum & arma pro bellis usurpant, ut Virgilius libro octauo,

Pacem'ne huc fertis, an arma?

Quòd enim pro cuiusq; artis instrumento accipiantur, minus licenter translatum uidetur. quale est illud Virgilij libro primo Georgicorum, quum agricolarum arma uomerem & similia uocat:

Dicendum & quæ sint duris agrestibus arma:
Quis sine nec potuere seri, nec surgere messes,
Vomis, & inflexi primum graue robur aratri,
Tardaq; Eleusinæ matris uoluentia plaustra,
Tribulaq;, traheæq;, & iniquo pondere rastri,
Virgea prætetea Celei, uilisq; supellex.

Quibus simillima sunt, quæ decimo Metamorphoseos libro scribit Ouidius,

Agmine qui uiso fugiunt, operisq; relinquunt
Arma sui, uacuosq; iacent dispersa per agros,
Sarculaq;, rastriq; graues, longiq; ligones.

Dicuntur itidem arma coquinaria, & studiosorū arma. Verum quod Nicolaus Perotus à Varrone de uerborum etymo dissentit, non improbandum fortè fuerit. quòd autem Seruio ac Sexto Pompeio aduersatur, cùm hi arma inde dicta esse doceant, quòd armos tegunt: ipse autem sic dicta existimet, quòd armis oneri sint, est sanè absurdum, Nec enim ideo arma sunt inuenta, ut armis oneri essent, sed ut armos potius tegerent, ac tuerentur. Tum quòd eosdem in re tam manifesta errasse admiratur, nempe quia si arma essent tantū, quæ humeros defenderent, nec ocreæ, nec similia arma essent: non uidet semetipsum in eundem errorem labi. quandoquidem si uera esset eius deductio, galea certè & ocreæ, quæ capiti ac cruribus, non armis oneri sunt, ab armorum appellatione excluderentur, quod tamen nemo sanus dicere auderet. Quæ cum obiter ac raptim dixerimus, illa etiam addemus, quæ de uarijs telorum uocabulis decimo Noctium Atticarum libro, xxv capite scripsit Aulus Gellius: Telorum, inquit, iaculorum, gladiorumq; uocabula, quæ in historijs ueteribus scripta sunt, libitum fortè nobis est sedentibus in rheda conquirere, neq; itidem aliarum ineptiarum uacantem, stupentemq; animū occupare, quæ tū igitur suppetierunt, hæc sunt: Hasta, pila, phalarica, semiphalarica, soliferrea, gesa, lancea, spari, rumigestri, faces, tragulæ, frameæ, mesanculæ, cateiæ, rompheæ, scorpius, sciboņes, sicilices, ueruta, enses, sicæ, macheræ, spathæ, lingulæ, pugiones, climaculæ. Et subdit: De lingula, quoniam est minus frequens, admonendum existimo, lingulam ueteres dixisse gladiolum oblongum in speciem linguæ factum, cuius meminit Næuius in tragœdia Hesiona. Et paulo pòst: Item romphæa genus teli est Thracæ nationis, positumq; hoc uocabulum in Quinti Ennij annaliū decimo quarto. His non absurdum fuerit M. Terentij Varronis ex quarto de lingua Latina libro uerba subiungere, præsertim quòd multorum nominum etymologiam docet, & alia armorum genera nominat, quæ Gellius de telis ac iaculis, non de armis agens, minimè comprehendit. Sic ait igitur: Parma, quòd à medio in omnes partes par: conum, quod cogitur in acumē uersus: hasta, quòd astans solet ferri: iaculū, quod ut iacitur fiat: scutum à sectura, ut secutum, quòd è minutis confectum sit tabellis: umbones, aut à græco, uel quod ambones: gladius, c in g commutato, à clade, quòd fit ad hostium cladem: similiter ab homine pilum, quod per illum: lorica, quòd è loris de corio crudo pectoralia facie-

bant, postea succuderunt Galli è ferro, sub id uocabulū ex annulis ferream tunicam: balteum, quòd cingulum è corio habebant bullatum, balteum dictum: ocrea, quòd opponebatur ob crus: galea à galero, quo multi usi antiqui. Hactenus Varro. Quæ ne cui præter rem recensuisse uidear (quamuis multo plura adijcere possem) non alia de causa in mediū adduxi, quàm ut locutionem à Tribuniano in primis Institutionum uerbis usurpatam, ne per licentiam quidem poëticam apud Latinos authores inueniri ostenderem. Quòd si quis Latinæ linguæ aliquanto peritior ita locutus fuisset, utcunq; hoc ei cōdonari posset. Cùm uerò à Tribuniano, ne uerborum quidem Latinorum flexiones sciente, quippe qui præstauimus pro præstitimus scribere non fuerit ueritus, prolatum sit, imperitiæ tribuendum esse existimo. Tum quòd non Imperatorem ipsum, sed Imperatoriam maiestatem armis decorauit, nouum est: nisi fortè Iustinianus inuiolabile corpus habuerit, decoremq; tantum ab armis quæsierit, quales fuere Cœneus Lapitha, aut Messapus,

Quem neq; fas igni cuiquam, nec sternere ferro.

Aut Cygnus Neptuni filius, qui Achillem apud Ouidium libro duodecimo Metamorphoseos sic alloquitur,

Non hæc quam cernis equinis
Fulua iubis cassis, nec onus caua parma sinistræ
Auxilio mihi sunt, decor est quæsitus ab illis.

Tametsi neque Cygnus, neq; Messapus, neque adeò Cœneus tutiores ab armis fuerint, quàm Iustinianus: cùm illi in medijs prælijs uersarentur, hic autem non à bellis modò, sed à bellorū suspicione quàm remotissimus semper uixerit. Nec sum porrò adeò Latinitatis expers, quin armis ornatos aliquot legerim: nam & Ciceronis de armatis proximus locus id ostendit. Sed Iustinianū id fortè quasi rem elegantissimam protulisse, nō est quod dubitemus. Nec legerat opinor apud Liuium, Binisq; tantum centunculis relictis agasones partim captiuis, partim ęgrorum armis ornatos imposuit: nec si legisset agasones, non milites armis ornatos fuisse animaduersurus erat, sicut & Cæsareas naues omni genere ornatissimas fuisse scribit, quas ipse partim cepit, partim etiam fugauit, cuius libro tertio de bello Gallico hæc sunt uerba: Quæ ubi conuenit, ac primum ab hostibus uisa est, circiter ducentæ uiginti naues eorum paratissimæ, atq; omni genere armorum ornatissimæ è portu profectæ, nostris aduersæ constiterunt. Hoc pacto, quin armis ornatam (nam decoratam nusquam apud receptos authores me legisse memini) Iustiniani maiestatem fuisse concedamus, nihil moror, si nec legibus nec armis uti sciens, illorum ornatu contentus legum arma quæsierit. Insaniant interim aliquot interpretes, idq; non casu, sed artificiosissimè, aut mysticè potius scriptum existiment: quod utrumq; tempus bellorum pacisq; sine armis legibusq; rectè gubernari non possit: quanquam nec tempus à quo nam nisi sole & luna, & quinq; alijs errantibus stellis gubernetur, uideo. Quare huiusmodi siue translationibus, siue orationis figuris, ita est refertum id totum procœmium, ut nihil absurdius excogitari ualeat. Quandocunque uerò idem noster compilator ad Latinorum uerborum etymologiam reddendam descendit, dij boni quàm ridicula effundere solet, ut cum unde deriuetur stipulatio ariolatur. De uerborum enim obligatione in Institutionibus scribens, ita inquit: Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione & responsione, cùm quid dari fieri ue nobis stipulamur, ex qua duæ proficiscuntur actiones, tam condictio certi, si ex re certa sit stipulatio, quàm ex stipulatu, si incerta sit: quæ hoc nomine inde utitur,

utitur, quod stipulum apud ueteres firmum appellabatur, forte à stipite descendens. Nec stipulũ enim ueteres pro firmo unquam accepere: nec si accepissent maximè, à stipite deriuassent. Illud miror, tantũ uirum ad deriuationem se inanem(que) coniecturam, in ijs præsertim uocibus contulisse, quarum nulla ratio reddi potest, nisi sic ijs uisum esse, qui primi nomina rebus indiderunt. Ac ne singula persequar, siue Digestorum, siue Codicis, siue Institutionum procemium accipias, non minus illa ab exacta pura(que) ueterum iureconsultorum phrasi remota comperies, quàm à Ciceroniano candore Accursium: qui ut errarit aliquando, ab ijs tamen persæpe accusatur, qui illo oscitantiores in alienis erratis adnotandis fœdissimè lapsi sunt. Loca nec singula recensere, nec prorsus omittere decreui. Vnico tantum contentus fuero, ut de reliquis, quid sit sentiendum, alij dijudicent. Inter multas igitur Iustiniani uirtutes hæc quoq(ue) non postrema enituit, quòd titulorum cognominum(que) etiam ad fastigium fuerit studiosus: quamobrem dum ea undiq(ue) colligit, dum undique aucupatur, quippe Alemanicus, Gothicus, Francus, Germanicus, Atticus, Vuandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclitus, ac uictis hostibus triumphator magnificus, Flauium etiam se in Digestorum procemio appellat. Eius uocis rationem cum redderet Accursius, idcirco Flauium uocitari asserit Iustinianum, quòd Flauios populos deuicerit. Hunc errorem dum Ioannes Ferrarius Montanus deprehendit, alium ipse multo maiorem admisit. Cuius uerba ex commentarijs in Institutiones excerpta in medium adducam, ne quis hæc à me loci causa confingi arbitretur. Flauius, inquit, prænomen est more Romano, non à Flauijs deuictis, ceu Accursius in Pandectarum procemium hallucinatur, sed à Flauiorum familia, ex qua fuit oriundus deriuatum: quæ non solum Iustinianum, sed alios retro principes imperio dedit, quales fuere Vespasianus, Titus, & Domitianus: authore Tranquillo. Hic nisi Ferrarius Suetonium etiam citaret, nõ tam seuerè ipse reprehendi deberet. Cùm uerò eum se pro huius loci enarratione legisse fateatur, non possum non ridere, quum luscum à cæco reprehendi uideo. Vt enim Iustinianũ ex aliqua Flauiorum familia (quamuis hoc sit præter omnem historiæ fidem) ortũ fuisse condonemus, quis tam erit fatuus, qui eam fuisse Flauiorum familiam dicat, quæ alios retro principes imperio dederat, Vespasianum scilicet, Titum, ac Domitianum? cum eodem Tranquillo authore, Flauia gens in Domitiano extincta fuerit, prout & in Iulio Cæsare Iulia: licet hoc nomen per adoptionem in Octauiam primò, deinde in Claudiam, postremò in Domitiam transierit. Tum ut aliqui ex hac Flauiorum familia post quingentesimum ferè annum superfuissent, (hoc enim spacij inter Domitiani Iustiniani'que tempora intercessit) quod'nam unquam commertium inter Reatinos, (eius enim ciuitatis uicus fuit Phalacris, unde Flauia gens, quæ tres retro principes imperio dederat, originem duxit) ac Thraces esse potuerat? è quorum genere Iustinus Iustiniani auunculus utroq(ue) parente imaginibus carens, tam deploratæ etiam in pueritia fortunæ, ut sues custodierit, sibi imperium mercatus est? Errasse igitur Accursium non diffiteor, sed grauius Ferrarium lapsum esse intelligimus: & rectè Iuuenalis,

Loripedem rectus derideat, æthiopem albus.

Eiusdem ordinis est, quòd Pomponiũ lapsum de triumuiris ad leges à Græcis petendas missis, Liuij testimonio cõprobat: qua in re uehementer ab eo dissentio. Sed recitanda sunt prius utriusq(ue) uerba, quo facilius quatenus inter se dissentiant, uideamus. Liuius sanè libro tertio ab Vrbe condita, sic ait: Cũ de legibus conueniret, de latore tantum discreparet, missi legati Athenas, Sp. Posthu-

mius Albus, Aulus Manlius, Publius Sulpitius Camerinus, iussiq; inclytas leges Solonis describere, & aliarum Graeciae ciuitatum instituta, mores, iuraq; noscere. Et inferius: Decem uiri creati, Appius Claudius, Titus Genutius, Pub. Sextius, L. Veturius, C. Iulius, Aulus Manlius, P. Sulpitius, P. Curiatius, Titus Romulius, Spurius Posthumius: Claudio & Genutio, quia designati Consules in eum annum fuerant, pro honore honor redditus: & Sextio alteri Consulum prioris anni, quòd eam rem collega inuito ad patres retulerat, his proximi legati tres habiti, qui Athenas ierant, simul ut pro legatione tam longinqua praemio esset honos, simul peritos rerum peregrinarum ad condenda noua iura usui fore credebant: suppleuere caeteri numerum. Pomponius autem de iuris origine scribens: Postea, inquit, ne diutius hoc fieret, placuit publica authoritate decem constitui uiros, per quos peterentur leges à Graecis ciuitatibus, ut ciuitas fundaretur legibus, quas in tabulis eburneis perscriptas pro rostris composuerunt, ut possent leges apertius percipi: datumq; est eis ius eo anno in ciuitate summum, uti leges corrigerent, & si opus esset interpretarentur: neque prouocatio ab eis, sicut à reliquis magistratibus fieret. Quo loco ut Pomponium in re tam trita non errasse credamus, scire operaeprecium fuerit, Romanas historias non ab uno, sed à pluribus olim fuisse scriptas, quales accepimus Fabium Pictorem, Q. Ennium, Pisonem Frugi, M. Portium Catonem, Aulum Albinum, Valerium Antiatem, Polybium, Cassium Heminam, Fannium, Venoniũ, Coelium Antipatrum, & his omnibus exactiorem in scribendo Sisennam: quamuis essent praeter eos annales Pontificũ Maximorum, quibus (ut libro primo de Legibus testatur Cicero) nihil poterat esse iucũdius, & libri lintei in aede Monetae repositi. Inter quos non modò de militum numero, de praeliorum locis temporibusq;, uerum de ipsis consulum dictatorumq; nominibus permagnae ubiq; ferè dissensiones fuerunt. Cumq; ex antiquissimis facinoribus singulare Horatiorum, Curiatiorumq; certamen omnium citra controuersiam nobilissimum fuerit, tanta tamen fuit inter scriptores de hac re uarietas, ut minimè clarũ sit, Horatij'ne pro Romanis, an Curiatij pugnauerint. licet eam in partem inclinare animũ suum dicat Liuius, ut Horatios Romanos fuisse credat. Idq; ne quis in ijs quae antiquiora sunt, et ante captam incensamq; à Gallis urbem gesta, factum esse putet, duo eiusdem Liuij de recentioribus Romanorum rebus loca, diuersas scriptorum sententias perfacile ostendentia, subijciam. In secundo itaq; ab Vrbe condita ita scribit: Triennio deinde nec certa pax, nec bellum fuit. Consules Q. Cloelius, & Titus Lartius. Inde A. Sempronius, & M. Minutius. His consulibus aedes Saturno dedicatae, Saturnalia institutus festus dies. Aulus deinde Posthumius, & Titus Virginius consules facti. Hoc demum anno apud Regillum lacum pugnatum, apud quosdam inuenio: A. Posthumium, quia collega dubiae fidei fuerit, se consulatu abdicasse, consulem inde factum. Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui consules secundum quosdam, nec quid quoq; anno actum sit, in tanta uetustate non rerum modò, sed etiam authorum digerere possis. Et libro nono: Caeterum id minus miror obscurum esse, de hostium duce dedito, missoq; sub iugum. Id magis mirabile est, ambigi, Lucius'ne Cornelius dictator cum L. Papyrio Cursore magistro equitum, eas res ad Caudium, atq; inde Luceriam gesserit, ultorq; unicus Romanae ignominię, haud sciam an iustissimo triumpho ad eam aetatem, secundum Furium Camillum triumphauerit: an Consulis Papyrij praecipuũ id decus sit. Sequitur hunc errorem alius error, Cursor'ne Papyrius proximis comi-

tijs, cum Q. Aurelio Ceretano, iterum ob rem bene gestam Luceriæ continuato magistratu, consul tertium creatus sit: an L. Papyrius Mugilanus, & in cognomine erratum sit. Quamuis itaq; Liuius diuersas in plerisq; locis historicorum sententias nominatim exprimat, hoc tamen nõ passim, sed in grauioribus tantum rebus facere solet. Vbicunq; autem parui momenti se illi uarietas offert, non omnium exprimit diuersitates, sed eos tantum sequitur, quos animus tulerit: cui hoc in loco simile factum fuisse credendum est, ut Liuius eos sit secutus, qui triumuiros tantum missos fuisse scripserint: Pomponius uerò illos, qui decemuiros maluere. Quin fortè in hac parte Liuium etiam improbauit Pomponius, omnis antiquitatis, & earum rerum quæ ad iuris originem attinent peritissimus. Atque hoc loco plus fidei Pomponio, quàm Liuio tribuere non dubitarem, à quo dum alios habeas quos sequaris authores, dissentire fas esse, Plutarchus, Appianusq; Alexandrinus in plerisq; Liuio aduersantes ostendêre. Quid ergo? dixerit hic mihi quispiam: si omnes hodie scientiæ à barbarie uendicantur, solæ'ne leges expurgari non poterunt? Si pro uersiculis, quos differentiales non immeritò uocant (nimis enim ab omni Latinitate, ingenio, iudicioq; differunt) & Catonis de moribus opusculo (quod utinam uel Censorij, uel Vticensis micam haberet, ac non potius plagosum aliquem Orbilium redoleret) P. Virgilio ac M. Cicerone uti didicimus, quæ'nam erit inuidia, si exploso Bartolo, Bartoliq; similibus, ad ueterum Iureconsultorũ exemplar properemus? Huic ego sic responsum uelim, longè aliam in legibus, quàm in alijs scriptis esse rationem. Si quis enim aliquot fortè annos in miserandis grammaticorum ludis sine prouentu contriuerit, mox tamen ad meliores se scriptores conferre, & mediũ tam egregijs præceptoribus unguem ostendere poterit. In Latinitatis enim authoribus tantũ proficiet, quantũ planè ad eam rem quam parat, satis esse intelliget. Si porrò legem aliquã in Iuris corpore lectitaris, tum nõ unàm, sed plures illi in eodem quasi negotio aduersantes nanciscare, quid facies, nisi Accursij Bartoliq; opera adiuuêris? nõ hercle melius, quàm quę uiscatas alas habet auicula, nęc scies utrarum partiũ esse debeas. At si horũ authoritatem prętendas, si per hos quó nam pacto hæc, quo'nam illæ sint capiendæ didiceris, nihil erit quod tibi obstare ualeat: præsertim quòd nec Bartolus, nec similes, aliquid sibi credi postulant, quod non legibus comprobent: & ipsi de se fatentur scriptores, non esse necessariam Doctorũ (sic enim uocantur recentiores legum interpretes) authoritatem, ubicunq; expressam legem est comperire. At si qua noua res emergat, ueterum Iureconsultorũ fragmentis non comprehensa, quod melioribus interpretibus arriserit, pro lege habetur. Ex quorum ordine cum æquior ferè semper fuerit Accursij Bartoliq; in rebus omnibus sententia, non sine causa plurimam hi duo authoritatem sunt consecuti: à qua tamen si res postulat, recedere licet, cùm aut melius ipsi sentimus, aut recentiores, qui ijs rectè aduersati fuerint, producere possumus. Vtq; aliquando hi duo lapsi fuerint, mirũ non est, cùm eodem se pacto ueterum Iureconsultorum res habuerint, ut non pauca, qui posterius uixerunt, in uetustiorum scriptis errata deprehenderint, & asteriscis obelisq; notauerint. Nam & Seruius Sulpitius librum de notis Scæuolæ scripsit, de cuius laudibus melius est tacere, quàm pauca dicere: & Paulus, Vlpianusq; in Papiniani libros notas ediderunt, quo tamen eorum Iureconsultorum, quorum aliqua scripta Tribuniani censuram subterfugerint, ac ad manus nostras peruenerint, nemo doctior fuit, ut meritò Iuris asylum à plerisque sit uocatus, nempe ex cuius schola, tanquam ex equo Troiano, ipse Paulus, & Vlpianus, & præter hos

Domitius, Pomponius, Alphenus, Africanus, Florẽtinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Triphonius, Metianus, Celsus, Proculus, ac Modestinus prodierint. Iniquissimi proinde, parumq; in iure uersati uideri debent, qui Bartolũ Accursiumq;, & alios id genus lacerare pergũt, cùm nullos habeamus, quos pro illis legere possimus. Quod si quis ad hoc opus multo maximum difficillimũq; se accinxerit, et Accursij sententias melioribus uerbis expresserit, illius ego operam humano generi utilissimã fore nõ dubito. Sed uereor ne tam delicatæ mollesq; auriculæ, horum interpretũ barbariem ferre possint, & ex Ciceroniana lectione (quam unam pleriq; mirificè sibi placentes efferre solent) ad Bartoli Alexandriq; scripta, tanquam à sacris ad prophana, descendere. Quocirca nõ me latet, eisdem nos conditionibus perpetuo uicturos, pessimis scilicet ac iniquissimis, ut hos insectemur, calũniemurq;, cùm tamen inutilem ipsi uitam agamus, & si quid fortè in communem Iurisconsultorũ utilitatem conferre uolumus, nõ leges legibus concordes reddamus, nec ea quæ legibus expressa non sunt, similium decidamus exemplo: sed si fortè in Gellianis Noctibus, unde dicantur priuilegia inuenerimus, aut si in Boëtio obseruauerimus, quo pacto, quibus'ue conditionibus testamentum per æs & libram ab antiquis fieret, idem in legum cognitione quod canes in balneis facientia, Bartolum tanquam re bene gesta lacerare incipimus: ex cuius utilissima pagella (dicendum est enim quod sentio) plus ueræ utilitatis, quàm ex omnibus repurgatorũ scriptis colligi posse non ambigo. Nec tamen infinitam scribentium insaniam probarim, qui alienis pennis amicti in medium prouolant. A quibus, inquam, si alij sua reposcerent, omnibus risum nõ minus mouerent, quàm Aesopica cornicula, furtiuis (ut Horatij utar uerbis) nudata coloribus, aut gallus gallinaceus à Diogene olim in Platonis auditorium coniectus. Horum ego conatus reprimendos, publicoq; edicto abolendos opinor, tanquam qui rudes iuniorum animos omnem de studijs spem abijcere, ac leges posthabere cogant: qui tamen Latinæ linguæ non mediocriter periti ad hoc studiũ deberent accedere, cùm contrà hodie sit receptum, ut qui uix prima Latinitatis elementa summis labris degustarint, nec exactè Guarini enchiridion percurrerint, ad politissimas leges, tanquam ad rem sordidam accingantur. Quamobrem non est quod tantopere admiremur, si plurimos hoc seculo est reperire, qui non modò non ueterum Iurisconsultorum, sed ne Bartoli quidem, aut Baldi scripta intelligant. Quod si quis fortè hanc Charybdim uitare uolet, is à patre (hoc enim est inprimis necessarium) bene formatus, cùm in Latinis authoribus sine cortice nare poterit, cùm in Græcis literis non sine laude fuerit uersatus, tunc se ad Iuris ciuilis scientiam conferat, cui assiduam dies noctes'que impendat operam: cumq; Accursij Bartoliq; operam res postulabit, eos non ad Latinam elegantiam comparandam, quam nemo huius classis profitetur, sed ad interiores sententias, quasi sub uerborum sordibus latentes, dispiciendas legat. Deniq; si non defuerit, qui se horum munus Latinè peragere posse confidat, non immeritò inter maximos uiros collocabitur. Sed opus profectò maius est, quàm quod à multis excellentissimis uiris commodè præstari possit. Dum autem hi in mediũ prodeant, omnes rogatos uolo, ut Bartolum, Accursiumq; præter rem ne cauillari pergant, si non ipsi tantundem nobis cum sua elegantia conferre ualent. Verum enimuerò, quoniam summam esse ueterum Iurisconsultorum authoritatem superius diximus, illos tamen ex eorũ numero esse non reor, qui aliquando errare non potuerint, cùm Ciceronẽ, aliosq; excellentissimos uiros nonnunquam dormitasse sciam: quod tamen plurimis,

iisq;

iisq; adprimè doctis ita durum uidetur, ut illos aut inuicem dissensisse, aut scripsisse aliquid, cuius contrariū apud receptos authores inueniatur, alicui persuasum esse non licere existiment. Quod tamen an uerū sit, uideamus. Ac primum quidem neminem esse tam saxeum crediderim, qui ueteres legum interpretes ita scripsisse existimet, ut in omnibus eiusdem sententiæ, & quasi unanimes fuerint. Id enim cùm nulli adhuc hominum generi contigerit, Iureconsulti tamen uelut necessario ab ea laude sunt excludendi: cùm adeò implicitæ confusæq;, ac penè inextricabiles sint res humanæ, ut nemo unus ita ea distinguere sciat, quin alios in eodem negotio aduersarios sit habiturus. Imò ipsa hoc fermé natura fieri uidemus, ut cùm eius philosophiæ, quæ ad mores pertinet, pars habeatur, Ius ciuile profitentes non magis inter se conueniant, quàm ij olim, qui de rerū principijs differentes, quasi data opera inuicem dissentiebant. Atq; ut maximum altercandi studium inter philosophos fuisse credamus, in ea præsertim quæ à Socrate manauit philosophia, Academici, Peripateticiq;, in re consentientes, uocabulis tamen differebant. Cumq; summum bonum in uoluptate tam Cyrenaici quàm Epicurei ponerent, aliter tamen eam illi, hi aliter metiebantur. Quis igitur miretur dissensisse inter se Iureconsultos? Sed næ ego in re perspicua nimis moror, cùm ipsa etiam antiquorum fragmenta hoc indicent, & passim Iureconsultorum responsa horum probent, illorum sententiam reijciant. Quocirca mirari non desino, cur tam molestè aliqui ferant, non defuisse, qui plurimas leges in Digestorū Codicisq; corpore contrarias inueniri dicere ausi sint: præsertim quòd id non est Iureconsultorum, sed eorum qui leges compilarunt, erratum. Quo in negotio utinam semel aut iterum hallucinati essent. Eorum enim imperitiam ridere soleo, qui ea quæ nobis inuicem apparent aduersantia, reuera minimè contraria esse autumant, sed aliquod potius habere mysterium nobis obscurum: ijs uerò qui Ius perdiderunt, maximè conspicuum. quasi non homines fuerint Tribunianus, Menna, Theophilus, Dorotheus, Constantius, & quotquot eius ordinis Iustiniani seculum tulit. Tum quòd in locutionibus, uocumq; enarrationibus oscitantes nonnunquam potuerint. non dico Tribunianus ac Dorotheus, sed optimi etiam, ueteresq; Iureconsulti, minimè ijs nouum uidebitur, qui excellentissimos quandoq; authores lapsos esse sciunt: nisi si quorum tanta sit authoritas, ut quicquid uel prauè (ut ita dicam) scripserint, nō uitij, sed uirtutis loco sit ducendum. Itaq; ægrè ferant licet, qui in hoc Iureconsultorum se defensores appellari gaudent, eos summos uiros omniq; doctrinæ genere ornatissimos fuisse dicam, sed tamen qui alicubi dormitarint, non in ijs inquam quæ ad ius attinent (nam omnia uel nolentes pro oraculis admittere cogimur) sed in Latinæ linguæ proprietate. quod etiam, nisi fallor, planum faciam, si prius dixero, non potuisse eandem à Iustiniano Iurisperitorum uerbis locutionibusq; authoritatem tribui, quæ sententijs, seu de Iure responsis tradita est. Si enim in hoc negotio principum uoluntates spectarentur, pro stulto baceolū, pro pullo pulleiaceum, pro cærito uacerrosum, uapidè se habere pro malè, et betizare pro languere, item simus pro sumus, & domos pro secundo casu singularis numeri latinè diceremus. quòd hæc omnia Augusto Cæsari peculiaria fuisse tradit Suetonius Tranquillus. Quin etiam nec ullum ius ciuile fortè haberemus, cùm C. Caligula de eo abolendo cogitasse dicatur. Sed ut ad rem ueniamus, haud pessimè fecero, si hac in re Laurentium Vallensem mihi ducem proposuero: qui cùm de Latinæ linguæ elegantia acutissimè doctissimeq; scripserit, pro ea quam susceperat persona ita cum Iureconsultis egit, ut cum nullo scriptorum genere mo-

deſtius, uir alioqui ad maledicta pronus, ut ſi quiſquã alius. Prius autem quàm loca in medium adducam, eiuſdem de ueteribus Iureconſultis iudicium ſubiungam, ne quis eum hoc ſcriptorum genus odio habuiſſe, ac non ueritatis habendæ, ſed cauillandi ſtudio carpſiſſe exiſtimet. De quo in procemio tertij Elegantiarum libri ita ſcribit: Relegi proximè quinquaginta Digeſtorum libros, ex pleriſq; Iuriſconſultorum uoluminibus excerptos: & relegi cùm libenter, tum uerò quadam cum admiratione: primũ quod neſcias, utrum diligentia'ne an grauitas, prudentia an æquitas, ſcientia rerum an orationis dignitas præſtet, & maiori laudi danda eſſe uideatur: deinde quòd hæc ipſa ita in unoquoq; illorum omnia ſunt egregia, & perfecta, ut uehementer dubites, quem cui præferendum putes. Cui ſimile quiddam, ut de ultima tantum parte, quæ ad nos pertinet, dicam, in epiſtolis Ciceronis admirari ſolebam: quæ cum à plurimis ſcribantur, omnes tamen ab uno eodemq; (audacius dixerim) ſi perſonas ſuſtuleris, Cicerone ſcriptæ uideantur: ita uerba ac ſententiæ, characterq; ipſe dicendi, ubiq; ſui eſt ſimilis. Quod eo magis in Iuriſconſultis eſt admirandum, quòd illi eadem ætate cuncti extiterunt, in eodem quaſi ludo ac ſchola inſtituti: hi uerò inter ſe etiam ſeculis diſtant: licet omnes poſt Ciceronem, ideoq; quibuſdam in uerbis ab eo differentes, quales omnes uſq; à Virgilio, atq; à Liuio fuerunt. Nam Seruij Sulpitij, ac Mutij Scæuolæ nihil extat, ſed alterius Scęuolæ recentioris. Et priſci illi quidem Iuriſconſulti quales, quantiq; in eloquendo fuerint, iudicare non poſſumus, quippe quorum nihil legimus. His autem qui inter manus uerſantur, nihil eſt mea ſententia, quod uel addi, uel adimi poſſe uideatur, non tam eloquentiæ, (quam quidem materia illa non magnopere patitur) quàm Latinitatis atq; elegantiæ, ſine qua omnis cæca doctrina eſt, & illiberalis, præſerim in iure ciuili. Vt enim Quintilianus inquit, omne ius aut in uerborum interpretatione poſitum eſt, aut in æqui praui'que diſcrimine. Et quantum momenti in uerborum interpretatione ſit, ipſi Iuriſconſultorũ libri maximè teſtantur, in hoc præcipuè laborantes. Vtinamq; integri forent, aut certè iſti nõ forent, qui in locum illum etiam Iuſtiniano uetante ſucceſſerunt. Hæc Valla. Quòd ſi eoſdem alicubi carpſit, non eis ſcilicet ita ſe addixerat, ut ne tranſuerſum quidem digitum ab illis pro ſuo arbitratu diſcedere poſſet. Sed hæc quorſum ſpectant? Ipſum etiam Vallam audiamus, ut rectè ne ab eius morſibus illos Alciatus defenderit, diſcutiamus. Et Laurentij uerba ante omnia recitabimus, tum Alciati ad ſingula reſponſum ſubijcientes, noſtram ſententiam non ſine ueterum teſtimonijs proferemus. Ac primo quidem Iuſtinianum, ſiue Tribunianum, quid ſit noxa non bene definiuiſſe, Valla his uerbis teſtatur: Noxæ dedere, Iuſtiniani pace, ſiue Tribuniani, & ſociorum, (nam Iuſtinianus nec iura, nec forſitan literas nouit) eſt pœnæ dare, ſiue tradere ob noxam, qua ſignificatur culpa. Ille autem dicit: Noxa eſt corpus, quod punitur. & in eodem loco: Corpus deditur noxæ. Si noxa corpus eſt, quomodo corpus deditur noxæ? nunquid corpus deditur corpori, aut corpus ſibi? quanquam quid hæc oratio ad ſignificandam pœnam faceret? Eſt autem hæc pœna ſeruorum, quos domini malunt ad pœnam tradere, quàm præſtare maleficium, quod illi admiſerunt. Et paulo pòſt: Nam noxà etiam damnum ſignificat. Ouidius decimoquinto Metamorphoſeos,

Nocte nocent potæ, ſine noxa luce bibuntur.

Et Suetonius de uita Cæſaris: Spurinam'que irridens, & ut inſulſum arguens, quòd ſine ulla ſua noxa idus Martię adeſſent. Seruius ſuper illud Virgilianum, Vnius ob noxam: ait noxam, pro noxiam. et hoc intereſt inter noxam & noxi-

am,

am, quòd noxia culpa eſt, id eſt peccatum, noxa autem pœna: quaſi noxa per ſe non ſignificet culpam, quam familiaris (ut opinor) ſuus Macrobius leuem culpam accipi uult, atq; ut ſibi crederemus, quam dictionem nunquam non repe-rimus, noxam non culpam eſſe, ſed pœnam, ait culpam noxiam dici, quaſi noxiam quàm noxam ſæpius in hac ſignificatione reperiamus. Hæc Valla. Quæ refellens Alciatus: Ego, inquit, apud ueteres noxã à nocendo dictam inuenio, unde præter pœnam etiam nocumentum ſignificare. Ouidius,

Sine noxa luce bibuntur.

Meritò ergo ſeruus, qui nocuit, noxa dici poteſt, ſicut & ἄτη illa Homerica noxa appellatur. Noxia uerò ipſa eſt culpa, ſeu maleficium. Plautus in Bacchidibus: Sat ſic ſuſpectus ſum, cùm careo noxia. M. Manilius,

Quin etiam infelix uirtus, & noxia felix.

Vnde meritò Seruius Virgilium noxam pro noxia dixiſſe ſcripſit:

Vnius ob noxam. Quo exemplo & alij ueteres utũtur, quod & alibi attingam. Atq; hæc in quarto libro de Verborum ſignificatione. Alibi autem Caij Iuriſconſulti, noxæ appellatione omne delictum comprehendi affirmantis, uerba enarrans, ita ſcribit: Noxã dixere antiqui id quod nocet, quapropter culpa, pœna, detrimentum noxa eſt, unde libro trigeſimo tertio Liuius, noxa exſoluere, id eſt à pœna capitalis fraudis liberare accepit. Seruius quoque: Qui contra legem Aquiliam alicui damnum dedit, noxa eſt. At noxia ſolummodo de maleficio ipſo dicitur, nec tam generali ſignificatione accipitur, ſicut noxa. Cicero libro tertio de Legibus: Noxiæ pœna par eſto, ut in ſuo uitio quiſq; plectatur, uis capite, auaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia. M. Manilius,

Quin etiam infelix uirtus, & noxia felix.

Plautus in Bacchidibus: Sat ſic ſuſpectus ſum, cùm careo noxia. quo ſenſu & in Moſtellaria, & in Pſeudolo uſus eſt. Terentius quoque in Phormione, In re incipienda ad defendendã noxiam. Sed & in Eunucho, & Hecyra ad eundem modũ. Nec noxam eos aſcripſiſſe quiſquam dixerit, cùm ratio carminis nõ conſentiret. Quæ adducere uolui, ut palàm fieret quàm iniquo iure Iuſtinianum in Elegantijs ſuis inſectetur Valla, & Seruium Beroaldus, dum adiectiuè tantum dici noxiam opinatur contra ueterũ authoritatem. Sanè de noxa à nobis ſuprà quoque diſputatum eſt. Hactenus Alciatus. Quæ omnia tam proſunt Iuſtiniani ſententiæ, quàm uita functis næniæ. Nec ijs reſpondent, quibus Vallæ ſupra uires ſuas audacis arrogantiã, aut certè φιλαυτίαν ſe repreſſurũ pollicitus eſt, ut literatores non temerè à Iureconſultis eſſe recedendum cognoſcerent, & ueriora ab illis etiam in alienis profeſſionibus tradi, quàm ipſemet Valla alioquin Grammaticorum præſtantiſſimus commentari potuerit. Scire enim ab Alciato uelim, ecquis ſemilatinus ſcriptor noxam unquam pro eo qui nocet acceperit, prout à Tribuniano ea uox definita fuit? Scio noxam in frequentiſſimo uſu contra Seruij Macrobijq; ſententiam pro culpa accipi. Plautus enim in Caſina ita ſcribit: Manifeſtè teneo in noxa inimicos meos. & Terentius in Eunucho: Noxam hanc unam omitte. ſi aliam admiſero unquam, occidito. Item in Heautontimorumeno: Magnum hoc quoq; ſignum eſt, dominam eſſe extra noxam, cum eius tam negligenter ueſtiantur internuncij. Item Liuius libro tertio ab urbe condita: Alia omnis penes milites noxa erat. Et in quinto: Reum haud dubium eius noxæ approbantibus cunctis, de ſaxo deiecit. Et in trigeſimoprimo: Indignè paſſus ſenatus non ceſſari ab ſacrilegijs, et ne Pleminium quidem tam clarum recensq; noxæ ſimul ac pœnę exemplum homines deterrere. Quo in ſigni

ficatu

ficatu etiam Ouidius non semel hac uoce usus est, qui in II de Ponto sic ait,

Est tamen his grauior noxa fatenda mihi.

Et in primo Metamorphoseos,

Longa mora est, quantum noxæ sit ubiq; repertum.

Vnde & noxam nocere, erat in Fœcialium uerbis. Liuius libro nono: Tum ubi in cœtum Samnitium, & ad tribunal Pontij uentum est, A. Cornelius Aruina fœcialis ita uerba fecit: Quandoquidem hisce homines iniussu populi Romani Quiritium fœdus ictum iri spoponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt, ob eam rem, quo populus Romanus scelere impio sit solutus, hosce homines uobis dedo. Noxam præterea, ut inquit Valla, damnū, seu nocumentum significare, Plautus confirmat in Milite ita scribens: Malo ne interueneris quæso, dū resipiscat, noxam hinc habet. Cornelius quoq; Celsus de pomis loquens: Ex quibus, ait, in nullo tamen minus quàm in his noxæ est. Et Liuius libro secundo ab Vrbe condita: Victus tandem (quandoquidem nihil præter tempus noxæ lucraretur) remissa concione iter in insequentem diem pronunciari cum iussisset, prima luce classico signum profectionis dedit. Hinc noxæ dedere, hoc est damno, uel (ut alij aiunt) pœnæ dare: quod apud Iureconsultos est frequentissimum. & noxales actiones, quas (ut Paulus inquit) appellamus, quæ non ex contractu, sed ex noxa, atq; maleficio seruorum aduersus nos instituuntur: quarum actionum uis & potestas est, ut si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquerit, euitare litis æstimationem, dando scilicet corpus uiuū. Cum ergo noxam pro culpa frequenter apud optimos authores inueniri, & pro damno itidem, seu nocumento poni solere intelligamus, noxam tamen corpus quod nocet significare, nusquam nisi apud Iustinianū legimus. Quamobrem & summopere demiror, quur idem absq; alio authore asserat Alciatus: præsertim quòd quum de uerborum significatione, uel proprietate loquimur, minimè absq; ueterum testimonijs loqui æquum est, nisi aliam ipsi Latinam linguam comminiscamur. Namq; hoc simpliciter proferre, Noxam à nocendo dictam inuenio, meritò igitur seruus qui nocuit, noxa dici potest: non est aliud, quàm Tribuniani sententiam nullius testimonio, sed propria tantum authoritate confirmare. A quo non multum abest, quòd Seruium noxam à Virgilio pro noxia positam affirmantem, eadem probat ratione. Si enim noxa, ut uidimus, culpam significat, cur noxa pro noxia poni debuerit, uiderit Alciatus. Iam uerò quòd Philippus Beroaldus postquam Seruium de eadem re manifestè errasse ostendit, noxiam sæpius adiectiuè quàm substantiuè poni subiungit, & nocentem significare, cuius rei plena sunt omnia, cum noxij sontes nuncupentur, fallitur sanè. Sexcenta enim hîc testimonia adducere possem, in quibus noxia culpam significari uidemus. Nec omnia tamen omisero, & pauca recensebo. Plautus in Mostellaria: Tranioni remitte quæso hanc noxiam causa mea. Et in Mercatore: Vacuum esse isthac ætate his te decebat noxijs. Et in Pœnulo: Sine te uerberem item ut tu mihi fecisti ob nullam noxiam. Et inferius: Verum etiam tibi hanc admittam noxiam unam Agorastocles. In Trinummo quoque: Ne amicū castigare ob meritam malam noxiam est facinus. Terentius in Phormione: Hic in noxia est, ille ad defendendam causam adest. Et in Hecyra: Nam ita me dij bene ament, quòd me accusat nunc uir, sum extra noxiam. Cæsar libro quinto de bello Gallico: Supplicia eorum, qui in furto, aut latrocinio, aut aliqua noxia sint cōprehensi, gratiora dijs immortalibus esse arbitrantur. Non tamen inficias iuerim, noxiam adiectiuè plerumq; inueniri, sed frequentissimè

etiam noxiā apud Latinos authores pro culpa accipi, contra Beroaldi sententiam contendo, qui (ut est ubiq; iactabundus, ac suorum operū unicus admirator) non indiligenter à se de noxa contra Seruium scriptū esse testatur. Demum ut ad Alciatum reuertamur, qua ratione ἄτην, cuius multis in locis, sed decimo nono Iliados diffusè Homerus facit mentionem, noxam magis quàm noxiam aut nocumentum appellet, non explicat. Sed ἄτη, inquit, Homerica noxa appellatur: quasi nobis eandem ἄτην noxiam, seu nocumentum uocare interdictum sit. Verum ad reliqua pergamus. Testamentum, inquit Valla, si Iustiniano credimus, ex eo appellatur, quod testatio mentis sit, quæ diffinitio quorundam Iurisconsultorum fuit. Quos si iustè Aulus Gellius coarguit, quanto ego iustius hunc arguere possum, qui explosam atq; derisam etymologiam inculcat? Nam cur à mente potius dicatur, quàm à menta, uel à mento? quia nihil ad hanc significationem mentum, menta' ue facit, inquies, quid ergo mens ad armentū, ad salsamentum, ad condimentum, ad ornamentum, ad armamentum, ad pauimentum, ad tormentum, ad calciamentum, ad uestimentum, & ad huiusmodi infinita? Et paulo pòst: Non est ergo uera etymologia hæc, neq; à mente, neque à mento, neq; à menta, sed potius hæc nomina assumunt tum syllabam, cùm exirent antea in men, ut uestimen, calciamen, sicut munimē, lenimen, nutrimen, spiramen, medicamen, uelamen: quibus adiecta tum, fit nutrimentū, lenimentum, spiramentum, medicamentum, uelamentum, uestimentū, calciamentum: ita testamen, addita syllaba tum, facit testamentum. Quod si à mente descenderet testamentum, testamentia diceretur, quemadmodum dementia, & amentia. Nihil habet magis ridiculum hæc de qua loquimur scientia, quàm etymologiam: in qua ipse quoq; Varro & lusit, & lusus est. Quibus uerbis cum optimè reprehenderit Iustinianum Laurentius Valla, non tamen ab eius defensione Alciatum deterruit. Sic enim respondet: Non etymologiam ibi ab Imperatore, sed allusionem adduci, qualem Grammatici paronomasiam, Rhetores parison habent, in qua nominis solum conformitas spectatur, quod & Fabium Quintilianum non latuit, cùm non ad originem uocis, sed soni similitudinem referatur: ut hoc casu melior fuerit allusio, quòd ueritatem etiam respicit: quandoquidem in testamentis mens potissimum dominatur. Hæc sanè, quàm facile cordato lectori persuasura sint, Iustinianum non etymologiam, sed allusionem spectasse, ij dijudicent, qui rhetoricos colores uel Imperatori, uel Tribuniano in mentem uenire potuisse crederituri sunt. Mihi quidem uidetur, qui stipulationem à stipite (quod Latinis auribus est prorsus inauditum) deduxerit, non hic oratoriū ornatum quæsisse, sed ipsam originem, seu etymologiam spectasse: præsertim quòd Iustinianus, abdomini uerius quàm administrando imperio natus, huiusmodi paronomasias ne per somnium quidem nouit unquàm: Tribunianus autem lucri quàm uerborum proprietatis studiosior fuit, cui suprà quàm credi potest intentus, ut summus poëta testatur, fixit leges precio atq; refixit, non patriam, sed seipsum auro, si emptorem inuenisset, uenditurus. Fuerunt & qui Iustinianum post Alciatum tutari conati sint: sed eòdem redeunt, ac testamentum ita deducunt, ut Vallæ uerbis nihil addant. Porrò autem quòd Varronem in etymologia & lusisse, & lusum fuisse Valla subdidit, ad illa referendum est, quæ de eo primo Noctium Atticarum libro scribit Gellius, cuius hæc sunt uerba: In decimoquarto rerum diuinarum libro M. Varro doctissimum tunc ciuitatis hominem L. Lælium errasse ostendit, quòd uocabulum Græcum uetus traductum in linguam Romanam pro meraco, & quasi à se primitus latinè fictum esset, resoluit

in

in uoces Latinas, ratione etymologica falsa. Verba ipsa super ea re Varronis posuimus: In quo Lælius noster literis ornatissimus memoria nostra, errauit aliquoties. nam aliquot uerborum antiquorū Græcorum, perinde atq; essent propria nostra, reddidit causas falsas. Non enim leporem dicimus (ut ait) quòd est leuipes, sed quòd est uocabulum antiquum græcum. multa enim uetera illorum ignorantur, quòd pro ijs, alijs nunc uocabulis utuntur: & illorum esse plerique ignorent græcum, quod nunc nominant ἕλληνα: puteum esse, quod uocant φρέαρ: leporem, quod λαγωὸν dicunt. In quo non modò Lælij ingeniū non reprehendo, sed industriam laudo. successum enim fortuna, experientiam laus sequitur. Hæc Varro in priore libro scripsit, de ratione uocabulorum scitissimè, de usu utriusq; linguæ peritissimè, de ipso Lælio clementissimè. Sed in posteriore eiusdem libri parte dicit furem ex eo dictum, quòd ueteres Romani furuum atrum appellauerint, & fures per noctem, quæ atra sit, facilius furentur. Nónne sic uidetur Varro de fure errasse, tanquā Lælius de lepore? Nam quod Græcis nunc κλέπτης dicitur, antiquiore Græca lingua φῶρ est dictum: hinc per affinitatem literarum, quæ φῶρ græcè est, latinè fur. Sed ea res fugerit'ne tunc Varronis memoriam, an contrà aptius & cohærentius putarit furem à furuo, id est nigro appellari, in hac re de uiro tam excellentis doctrinæ non meum iudicium est. Hæc Gellius. Tametsi non desint, qui furem à ferendo dictum affirmarint, ut Paulus Iureconsultus existimat. Sed de his satis multa: de mulieris namque significatione differendum est. Mulieris appellatione, Caius inquit, etiam uirgo uiripotens continetur. Vlpianus autem quodam loco ita ait: Quòd si ego me uirginem emere putarem, cùm esset mulier, emptio non ualebit. Hic mulierem appellat, quæ uirgo non est. & Vlpiani quidem locutio recta est, Ciceronis testimonio: qui obiurgātibus, quod sexagenarius Popiliam uirginem duxisset, Cras mulier erit, inquit. Sed Caij quoq; definitio locum habet aliquando, ut si quis uidens decem fœminas, quarū aliqua uirgo sit, ætate tamen, qua possit mulier esse, dicat, uidi decem mulieres: quomodo etiam in Euangelio dicitur, Quid mihi et tibi mulier? sed è Greco sumptū est γυνὴ uel θῆλυς, quo significatur uel fœmina, uel mulier. Idem quoq; Vlpianus inquit, mulierem ita arctam, ut mulier fieri non possit, sanam non uideri constat. Eandem dixit mulierem, & non mulierem: primū pro ea quæ est fœmina, secundū pro corrupta. Hæc Vallæ uerba si uera sunt, Caij sententia improbanda erit: Alciatus tamen absq; aliquo authore, idem ait: Cum ad sexū hæc uox referatur, quandoquidem nec etymologia repugnat, & Lactantio teste à mollitie mulier dicitur. Et alibi eiusdem Caij uerba declarans, mulieris appellatione ita uirginem uiripotentem contineri censet, si uerba propriè accipiantur: alioquin ex lata interpretatione, etiam non uiripotentem mulierem esse, nimirum quia muliebris est sexus, nec refragatur etymologia. Et paulo pòst: Sanè, inquit, si fœminam empturo uenditor dixerit non esse mulierem, de corrupta intelligimus: nec enim de sexu uerisimile est tunc esse dubitatum. Et M. Cicero, cum obiurgaretur, quòd uirginem senex uxorem duxisset, Cras, inquit, mulierem reddam. Quibus in locis cum nullam adducat pro Iureconsulto rationem, nisi quod à mollitie mulier dicatur, Vallam nihilominus insectatur, quem ego ex Ciceronis Plauti'que uerbis rectè sensisse ostendam, quum ille in tertia Verrina sic scribat: Atq; ut eum suæ libidines flagiosè facere admonuerant, statim negotium dat illis suis comitibus nequissimis, turpissimisq; hominibus, ut uideant, & inuestigent, ecquæ uirgo sit, aut mulier digna, quamobrem iste Lampsaci diutius commoraretur. Quis nescit, Aut con-

iunctionem

iunctionem inter diuerſa ſemper poni ſolere? quod ſi mulier uirginem comprehendit, quid opus erat, aut uirginem à M. Tullio dici? nónne ſatis erat, Ec'quæ mulier ſit digna, quamobrem iſte Lampſaci diutius commoraretur? Et inferius idem Cicero: Imitatus eſſes, ait, illum ipſum C. Voconiũ, qui lege ſua hæreditatem ademit nulli neq; uirgini neq; mulieri. Sanxit in poſterum, qui poſt eos cenſores cenſus eſſet, ne quis hęredem uirginem, ne'ue mulierem faceret. Quorſum illa uerba, Ne quis hæredem uirginem, cum mulierem eſſet ſubiuncturus, ſi mulieris appellatione uirgo etiam continetur? Plautus uerò in Perſa ſic,

Virgo atq; mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ præter ſapiet, quàm placet parentibus.
Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ reticet, ſi quid fieri peruerſe uidet.

Cui igitur magis ſit credendum, Ciceroni'ne ac Plauto, an uni Caio, cui etiã aduerſatur Vlpianus, cãdidi iudices interpretabũtur. Nos de munere uideamus. Munus, inquit Paulus, tribus modis dicitur: uno donũ, & inde munera dici dari, mitti'ue: altero onus, quod cũ remittitur, uacationem militiæ, munerisq; pręſtat, inde immunitatẽ appellari: tertio officiũ, unde munera militaria, & quoſdam milites munificos uocari. Igitur municipes dici, quod munera ciuilia capiant. Idẽ alibi: Municipes intelligendi ſunt, et hi qui in eodẽ municipio nati ſunt. Vlpianus: Municipes quidẽ propriè appellantur muneris participes, recepti in ciuitatẽ ut munera nobiſcũ facerent: ſed nunc abuſiue municipes dicimus, ſuæ cuiuſq; ciuitatis ciues, utputa Campanos, Puteolanos. Pomponius ita ait: Munus publicũ eſt officium priuati hominis, ex quo commodũ ad ſingulos uniuerſosq; ciues, remq; eorũ, imperio magiſtratus extra ordinẽ peruenit. Martianus autẽ ſic: Munus propriè eſt, quod neceſſaria ſubimus lege, more, imperio'ue eius qui iubendi habeat poteſtatẽ: Dona aũt propriè ſunt, quæ nulla neceſſitate, aut iuris officio, ſed ſponte præſtãtur. quæ ſi non præſtentur, nulla reprehenſio eſt: & ſi præſtentur, plerũq; laus eſt. Sed in hoc uentũ eſt, ut nõ quodcunq; munus, idemq; donũ accipiatur: at quod donũ fuerit, id munus rectè dicatur. Quo modo hi inter ſe Iuriſconſulti cõueniant, & an aliquid deſit alicui horũ, Accurſius cũ Bartolo Baldoq; conſultet, tumq; mihi (ut more ipſorũ loquamur) ambo tres reſpõdeant affirmãti, quod Martianus ait donũ eſſe ſpeciẽ, munus uerò genus: Ideq; contrariũ eſſe uerbis Vlpiani, dicẽtis, inter donũ et munus hoc intereſt, quod inter genus & ſpeciẽ: nã genus eſſe donũ Labeo ait, à donando dictũ, munus ſpeciẽ: nam munus eſſe donũ cum cauſa, utpura nataliriũ, nuptiarũ. Hic meã non interpono ſententiã, ne illos triũuiros doceam contra me reſpondere. Quòd ſi me utiq; ſequi uolent, reſpondeant neutrũ uerũ dicere. Nã neq; genus, nec ſpecies in hęc duo nomina cadit, & nullũ mihi uidetur donũ ſine cauſa eſſe. Horũ minimè quidem difficillimã reſolutionem (nam difficilẽ propemodũ fatetur) cenſet Alciatus, cũ munus generaliter acceptũ etiam officia & onera comprehendat, et quãcunq; largitionẽ, ſiue cũ cauſa, ſiue abſq; cauſa ſignificet. Nec enim eſt mirũ, eandẽ uocem et ſpecialiter accipi, ut in iuriſdictione, adoptioneq; dicimus. Et alio loco Vlpiani uerba interpretãs, ſic ait: Quid inter munus & donũ intereſſet, nõ Iureconſulti ſolũ, ſed & Grãmatici plerũq; dubitauere: alijs opinantibus dona ad deos pertinere, ut Seruio & Donato: alijs ad homines etiã, quibus à potentiore donatur, ut cùm pauperib. diuites, Imperator militibus donat, quod Cornelio Frontoni placuit. ſed uerior eſt Iureconſultorũ interpretatio, ut donũ latiore ſignificatione accipiatur, quàm munus. Eſſe enim munus,

quod ex necessitate officij, iusta'ue aliqua causa præstetur: ut cũ patrono donaẽ, qui nuptias cõtraxerit, uel qui filiũ sustulerit. Terẽtius in Phormione: Nã herilẽ filiũ eius duxisse audio uxorẽ, ei credo munus hoc corraditur. Et rursus: Porrò autẽ ferietur alio munere, ubi hera pepererit: porrò autem alio, ubi erit puero natalis dies. Et inferius: Laurentius tamẽ Valla etiã cum causa donũ dici existimauit, Iurisconsultosq; insectatur, quòd pugnantia simul scripsisse uideantur: sed hanc ego litẽ infrà dirimã. Quòd autẽ hic dicitur interesse inter hæc uerba hoc, quod inter genus & speciẽ, non aliud significat, quã sicut latior est generis quàm speciei significatio, ita esse latiorẽ doni notationem quã muneris. nec enim propriè donũ genus est. Similiter & alibi scriptũ est: Plebs à populo differt, quod species à genere: quòd uidelicet latius populi nomẽ pertineat. Alibi quoq; Marciani definitionẽ enarrãs, ita inquit: Illud in præsentia omittendũ nõ est, existimasse Vallã, Martianũ hic Vlpiano aduersari, quòd ille tradit doni significationem latius quàm muneris patere: at hic aliter distinguatur, nimirũ munus ad necessitatem pertinere, donũ sponte dari. rursus in hoc uentũ esse, ut omne donũ munus dici possit. Sed has obiectiones ipse sic extrico, ut munus, si generaliter accipiatur, cùm ad onera officia'ue pertinet, uerũ sit, nõ quodcunq; munus donũ esse, sed si pro largitione accipiaẽ, tũc id significare, quod ex necessitate alicuius officij uel ex causa datur: nisi quòd in hoc ex cõmuni loquendi usu uentũ est, ut qualiscunq; largitio, uel donũ, munus dici possit. Vlpianus igitur rationem sermonis, Martianus usum cõsiderat. Hic ego omnia Alciati loca de reducẽdis in cõcordiam Iurisconsultorũ scriptis, nisi me aliqua fugerunt, recensui. Quæ tamen quod ad rem faciat, nihil habent meo iudicio. Cùm enim donũ speciẽ esse, munus uerò genus scripserit Martianus, Vlpianus autẽ genus donũ appellet, munus speciẽ, quomodo utraq; definitio uera esse ualeat, nõ intelligo. Nã friuola est illa ratio, eandem uocem & generaliter & specialiter posse capi, ut in iurisdictione, adoptioneq; dicimus. Enimuero ut adoptio & genus & species esse ualeat, cũ adoptionis species sit arrogatio, quis'nã sanus arrogationẽ ut genus cõsiderari posse affirmet, cuius sit species ipsa adoptio? Atqui nõ eã fuisse Iuriscõsultorũ sententiã præclarè apparet, cũ eorũ uterq; ita uel munus, uel donũ esse dixerit, ut generalius hoc uel illud habeaẽ, & uel muneris species donũ, uel doni munus dicamus: quorũ utrumq; nec simul esse uerũ potest, nec aliquã habet adoptionis arrogationisq; similitudinẽ: cũ prauè sensurus esset, qui uel arrogationem adoptionis genus assereret, ut adoptionis speciem arrogationẽ esse scimus. Sed quid uerbis opus est, cũ & ipse fateatur Alciatus, donũ propriè genus non esse, contra Labeonẽ, & ei subscribentẽ Vlpianũ. Similiter alibi scriptũ esse idem Alciatus subiũgit plebẽ differre à populo, quòd à genere speciẽ, quod latius populi nomen pertineat. Illud hic quæsiuero, cùm uerè sit pronũciaturus, qui populũ ut genus, plebẽ ut speciẽ cõsiderari doceat: non'ne impudẽter aberraturus est, qui plebẽ ut genus, populũ ut speciẽ capi posse cõtendat? nõ ita ista conuertuntur, quemadmodũ diuersas Iureconsultorũ sententias cõuerti necesse est, si munus nunc donũ sub se quasi speciẽ, nunc donũ munus cõtinere rectè dicamus. Neq; illud Alciati commentũ ullo pacto mihi probatur, hoc significare scilicet interesse inter munus & donum, quod inter genus & speciem: quòd sicut latior est generis quàm speciei significatio, ita latior sit doni quàm muneris notatio. Simpliciter enim loquũtur Iurecõsulti, & maximè propriè. Quod & sentire Alciatũ nõ ambigo, quamuis pro suscepto munere nihil in legib. esse contrariũ ijs ostendere laboret, qui omnes Iureconsultorũ sententias, uel inter se contrarias,

uel

uel etiã non admodũ ueras, pro Sibyllæ folio sunt habituri. Cũq; Vlpianus munus donũ cum causa esse subdiderit: quãuis nullũ esse donũ, cui nõ aliqua subsit causa, uerè censeat Valla, aliqua tamen hîc exempla subijciã, in quibus donũ non occultã, sed apertissimã habet causam. Terentius in Eunucho: Hoc si effeceris, quoduis donũ à me præmiũ optato, id optatũ feres. Liuius lib. uigesimoprimo ab Vrbe cõdita, de Annibale loquens: Hoc uisu lætus, inquit, tripartito Hiberũ copias traiecit, præmissis qui Gallorũ animos, qua traducendus exercitus erat, donis cõciliarent, Alpiumq; transitus specularentur. Virgilius quoq; duodecimo Aeneidos,

Seruati ex undis, ubi figere dona solebant
Laurenti Diuo.

Horatius in epistolis, de Luculli militibus loquens,

Clarus ob id factũ, donis ornatur honestis.

Propertius libro II Elegiarum:

Non potuit saxo uitam posuisse Cerauno?
Ah Neptune tibi qualia dona darem.

Tibullus libro primo,

At te qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis uxor inulta dolis.

Et in secundo:

At mihi per cædem & facinus sunt dona paranda:
Nec iaceã clausam flebilis ante domũ.

Cæsar libro VII de bello Gallico: Nec minus q; est pollicitus Vercingetorix, animo laborabat, ut sibi reliquas ciuitates adiũgeret, atq; earũ principes donis pollicitationibusq; alliciebat. Virgilius quippe in I Aeneidos, idẽ munus, donumq; promiscuè appellat, ait enim:

Munera præterea Iliacis erepta ruinis,
Ferre iubet.

de quibus inferius,

Iamq; ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyrijs, duce lætus Achate.

Et,

Dona ferens pelago, & flammis restantia Troiæ.

Et,

Mirantur dona Aeneæ, mirantur Iulũ.

In sexto autem, de ramo aureo ait:

Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit.

de quo inferius:

Ille admirans uenerabile donum,
Fatalis uirgæ, longo pòst tempore uisum,
Cœruleam aduertit puppim.

In octauo quoque, Aeneæ arma, nunc munus, nunc donum uocat:

At Venus ætherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat.

Et paulo pòst:

En perfecta mei promissa coniugis arte
Munera.

Ouidius libro undecimo Metamorphoseos, de Myda:

Tum uerò siue ille sua Cerealia dextra
Munera contigerat, Cerealia dona rigebant.

Quinetiã donare cũ causa apud optimos authores est frequentissimũ. Catullus:

Cui dono lepidum nouum libellum,
Arido modò pumice expolitum,
Corneli? Tibi. namq; tu solebas,
Meas esse aliquid putare nugas.

Sallustius in Iugurthino: Meritos in primis more militiæ donat. Liuius libro V ab Vrbe cõdita: L. Minutius boue aurato extra portam est donatus, ne plebe quidem inuita: quia frumentũ Melianum assibus in modios æstimatũ plebi diuisit. Et in eodem: Luce orta, uocatis classico ad concilium militibus ad tribunos, cũ & rectè & perperam facto præmiũ deberetur, Manlius primũ ob uirtutem laudatus, donatusq; nõ ab tribunis solum militũ, sed consensu etiã militari. Et in septimo: Milites qui in præsidio simul fuerant, duplici frumẽto in perpetuum, in præsentia singulis bobus, binisq; tunicis donati. Et in decimo: In conspe

ctu duorum exercituum, & Carbilius suos pro cuiusq; merito laudauit, donauitq;: & Papyrius, apud quem multiplex in acie, circa castra, circa urbem fuerat certamen, Sp. Nautium, Sp. Papyriũ fratris filium, & quatuor centuriones, manipulumq; hastatorum armillis, aureisq; coronis donauit: Nautium propter expeditionem, qua magni agminis modo terruerat hostem: iuuenem Papyrium propter nauatam cum equitatu, & in prælio operam, & nocte qua fugam infestam Samnitib. ab Aquilonia clàm egressis fecit: centuriones militesq;, quia primi portam murumq; Aquiloniæ ceperant, equites omnes ob insignem multis locis operam, corniculis, armillisq; argenteis donat. Hinc & donare munere Virgilius libro quinto Aeneidos:

Hoc iuuenem egregium præstanti munere donat. Horatius quarto Carminum; Carmina possumus

Donare, & precium dicere muneri.

Donum itaq; cum causa dici, ex his optimorum authorũ testimonijs, in quibus nõ aperta tantũ, sed apertissima est causa, uidemus. Verũ de munere hactenus. Alia enim non pauca restant: quorum hoc est primum. Peculium, Pomponius inquit, est non id cuius seruus seorsum à domino rationem habuit, sed quod dominus ipse separauit, suam à serui ratione discernens. Peculiũ Celso referente, Labeo sic definiuit: est, quod seruus domini permissu separatim à rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur. Idem alio loco: Paterfamilias peculiũ habere nõ potest, quemadmodũ nec seruus bona. Ex his uerbis apparet, nec dominũ habere peculium posse, et solùm seruũ habere. At idem Pomponius, & Celsus alibi aiunt, unde colligi possit etiam non seruũ ac dominũ habere peculiũ. Pomponius enim ita scribit: Castrense peculiũ est, quod à parentibus & cognatis in militia degenti donatur, uel quod ipse filius in militia acquisiuit, quod nisi militaret, acquisiturus nõ fuisset. nã quod erat sine militia acquisiturus, id peculiũ eius castrense nõ est. Celsus autem sic: Et audisse se rusticos senes ita dicẽtes, pecuniã sine peculio fragilẽ esse: peculiũ appellantes, quod præsidij causa reponeret. A quo nõ dissentit Vlpianus dicens, Peculiũ dictũ est quasi pusilla pecunia, siue patrimoniũ pusillũ. Quid ergo inter has definitiones sequamur, multiplices, & inter se propemodũ cõtrarias? cum præsertim Festus ita scribat: Peculiũ seruorũ est à pecore dictũ, sicut & pecunia nobiliũ. Et Seruius grãmaticus, peculiũ patrimoniũ: ita enim maiores dicebant, à pecoribus, in quibus eorũ cõstabat uniuersa substãtia. unde etiã pecunia dicta est à peculio, quod propriè tantũ est seruorũ: & peculiũ dicimus, licet abusiuè, pro patrimonio. Ipse uerò tanquã arbiter onerarius hanc rem iudicabo, & quidẽ breuiter. Peculiũ est, quicquid labore nostro paratũ est, in quacũq; persona: licet in seruis iura uelint, dominorũ accedere cõsensum. Et ita sensisse Virgilium sentio in ea parte, quam exponit Seruius, Nec spes libertatis erat, nec cura peculi. Et Horatium,

Rem poteris seruare tuam, redit uncia, quid fit?

Semis, ad hæc animos erugo, & cura peculi.

Et Ciceronem in Paradoxis: An eorũ seruitus dubia est, qui cupiditate peculij nullã conditionẽ recusant durissimæ seruitutis? Et illos quoq; rusticos senes, de quibus Celsus meminit, pecuniã sine peculio fragilẽ esse: id est, sine lucro industria parto. Nã cur habenti pecuniã maior spes præsidij collocet in pusillo, quod reposuit, quàm in ipsa pecunia? cũ præsertim peculiũ sit pars pecuniæ? aut quomodo pstare possit reposita illa pecunia, ne cætera dilabat? uel peculiũ est, quicquid propriè alicuius est. In his omnib. ita Vallã reprehẽdit Alciatus, ut rei difficultatem

tatem ne attigerit quidem: de Vlpiani definitione, quæ obiter ab illo carpitur, aliquot uerba ſcripſerit. Inquit enim: Vlpiani ſententiam confutat Valla, peculium puſillam pecuniam appellantis, confingitq́; abſq; aliquo authore, peculium id eſſe, quod quis induſtria ſua lucratur. At aliter ex authoribus dicendum eſt, qui peculium patrimoniū teſtatoris appellant: quia olim cenſus Romanorum in pecore erat, unde & pecunia dicta. Cæterum quoniam diminutiua forma peculium profertur, pro parte cenſus accipi cœptū eſt: qualem ſeruis domini concedunt, qualemq́; filij familias à patre ſeparatim habent. Addit & Celſus ex conſuetudine ruſticorum ſenum, ſic eam partem patrimonij dici, quam quis in numerato, & ad caſus repentinos repoſitam habet. Græci theſaurum dicunt, quòd repoſita ſit ἐς ἄυριον, id eſt in craſtinum, ſeu futurum tempus fruenda. unde θησαυρίζῃν, reponere eſt. Porrò quòd Valla ex primis Pomponij Celſiq́; definitionibus colligi ait, nec dominum habere peculium poſſe, & ſolum ſeruum habere: rurſus ex poſterioribus, poſſe etiam qui non ſerui ſint, peculium habere: cum Pomponius caſtrenſe peculium id eſſe dicat, quod à parentibus & cognatis in militia degenti donatur, uel quod ipſe filius in militia acquiſiuit: quaſi leue ac ludicrum omitit Alciatus. Atqui hoc primum erat extricandum. Si enim peculium ſolis ſeruis eſt conceſſum, quomodo caſtrenſe peculium id eſt, quod parentes, cognatiq́; in militia degenti donant? num ſerui fortè apud Romanos militabant? an potius hoc in republica portentum nunquam niſi in maximis calamitatibus, extremoq́; propè rerum diſcrimine uiſum eſt? Aut ſi rectè dixit Celſus patrem familias peculium habere non poſſe, quomodo idem ſenes ruſticos dicentes audiuit, pecuniam ſine peculio fragilem eſſe? An de ſenibus ſeruis hic intellexit? nihil opinor minus, nec enim pecuniam ſeruorum rectè dicimus. Hæc erant in concordiam redigenda, ſi nihil contrarium à Iureconſultis ſcriptū eſſe nobis perſuadere ſtudebat Alciatus. Neque hic defuturos exiſtimo, qui ea uel iure, uel iniuria non eſſe inuicem aduerſantia oſtendere conentur: quin tamen ipſi inter ſe diſſenſerint Iureconſulti, nullo pacto dici poteſt. Nec ſi Bartoli, aut Baldi ſuper his rebus iudicium ſequemur, minus erunt contraria. ſed hoc eis utcunq; condonabimus, ut ne quid in iure, quo uel nolentes uti cogimur, diſſonum eſſe credamus. Quòd autem idem Valla Vlpiano ita dicenti aduerſatur, peculium dictum eſſe quaſi puſillam pecuniam, ſiue patrimonium puſillum, ac ipſe aliter illud definit, ut Vallæ nomen inuidia careat, minimè dubium erit, ueriorem eius eſſe quàm Vlpiani definitionem. Illius namq; uerba, omne ac qualecunq; peculium complectuntur, huius autem negant eſſe peculiū, quod non ſit puſillū, quod apud neminem legi autumo. Quinimò M. Plautus peculium pro ingenti pecunia ponit: quippe qui in Aſinaria ex ſerui perſona ita ſcribit: Quanquam enim ego ſum ſordidatus, frugi tamen ſum, nec poteſt peculiū enumerari: nullū uidelicet peculio limitem præſcripſit Plautus. Idem in Trinummo de ſene Philtone ditiſſimo ita loquitur: Aedepol næ ego iſtum uelim meum fieri ſeruum cum ſuo peculio. Horatij quoque locus idem oſtendit, & Labeonis uerba pecuniam ſine peculio fragilem eſſe dicentis: ubi peculium pro lucro induſtria parto eſt capiendum. Proinde Vallæ definitio uera erit, quam immeritò abſq; aliquo illum authore ſibi confixiſſe cenſet Alciatus, cū ex optimorum authorum teſtimonijs ea commodiſſimè deducatur, magisq́; ueritati quàm Vlpiani ſententia congruat. Quòd ſi fortè Vallæ definitio Alciato falſa uidebatur, rationibus eam, non ſimplici edicto impugnare debebat. Peculium à poëtis etiam mulieribus tribuitur. Plautus in Caſina: Nam peculi probam nihil habe-

re addecet clàm uiro: & quæ habet partum, ei haud commodum est, quin uiro aut subtrahat, aut stupro inuenerit. A peculio, subdit Valla, fit adiectiuum peculiaris, pro re ad peculium pertinente, siue peculij propria: sed in usum iam receptum est pro proprio, siue speciali. Quintilianus libro octauo: Quod commune est alijs nomen, intellectu alicui peculiariter tribuitur, ut urbem Romam, & uenales nouitios, & Corinthia æra: cum sint urbes aliæ quoq;, et uenalia multa, & tam aurum & argentum quàm æs Corinthium. Idem in undecimo: Ambulantem loqui ita demum oportet, si in causis publicis, in quibus multi sunt iudices, quod dicimus, quasi singulis inculcare peculiariter uelimus. Et in sexto: Pabulū impendamus huic quoq; peculiarius operæ. Peculatus est furtū rerum ad ipsam rempublicam, uel ad prouentus principis spectantium, sicut sacrilegium rerum sacrarum. Inde depeculor, quod quidam ad sacrilegiū etiam transferunt. Quamuis autem nullum hic testimonium adducat Valla, peculatus tamen crimen publicum dicitur. Cicero in tertia Verrina: Erunt fortasse iudices, qui illum eius peculatum uel acerrimè iudicandum putent. Et paulo pòst: Emerserit ex peculatus etiam iudicio. Et in duodecima Philippica: Sextertium septies millies auertisse Antonium pecuniæ publicæ iudicauistis, num fraude poterit care re peculatus? Depeculari autem etiam priuatos homines dicimus. Cicero in sexta Verrina: Non tibi obijco, quod hominem dignissimum tuis moribus Apollonium Niconis filium Drepanitanum, qui nunc Aulus Clodius uocatur, omni argento optimè facto spoliasti, ac depeculatus es. Laudem etiam quis & honorem depeculari per translationem dicitur. M. Cicero in eadem oratione: Quur pro isto, qui laudem & honorem familiæ uestræ depeculatus est, pugnas? Peculatum Paulus & Labeo pecuniæ publicæ, aut sacræ furtum esse definiuit, non ab eo factum, cuius periculo fuit: & ideo æditiū in ijs quæ sibi tradita sunt, peculatum non admittere. Iidem etiam scribunt, non pecuniam publicam solum, sed etiam priuatam crimen peculatus facere: ut si quis quod fisco debetur, simulans se fisci creditorem acceperit, quamuis priuatam abstulerit pecuniam. Is autem qui pecuniam traijciendam accepit, uel quilibet alius, ad cuius periculum pecunia pertinet, non dicitur peculatū admittere. quo omisso, ad fundum, agrumq; festino. Fundus: Vlpianus ita finit. Locus est non fundus, sed portio aliqua fundi: Fundus autem aliquid integrū est. Plerunq; fundum sine uilla accipimus. Idem alibi: Ager locus est, qui sine uilla est. Modestinus uerò sic: Quæstio est, fundus à possessione, uel agro, uel prędio quid distet. Fundus est omne, quicquid solo continetur. Ager est species fundi, quæ ad usum hominis paratur. Possessio ab agro iuris proprietate distat. Quicquid enim apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc possessionem appellamus. Possessio ergo usus, ager proprietas loci est, nam et ager, & possessio, huius appellationis species sunt. Florentinus: Fundi appellatione omne ædificium, et omnis ager continetur, sed in usu urbana ædificia, ędes rusticæ, uilla dicuntur. Locus uerò sine ędificio in urbe area, in rure autem ager appellatur, idemq; ager cum ædificio fundus dicitur. Ecce diuersæ Iurisconsultorū sententiæ, cum in alijs, tum in hoc: quod Vlpianus ait, plerumq; fundum esse sine uilla, id est sine ædificio: Florentinus autem, agrum cum ædificio esse fundum. Modestinus obscurè exponit, agrumq; definiens, cum neutro illorum concordat, sed ridiculè à possessione distinguit, ne dicam imperitè, loquens de possessio ne quando significat qualitatem, non quando substantiam. perinde ac si quis dicat de uitijs ac uirtutibus loquens: Prauum & malum sic differunt, quòd prauum

uum eſt, quod non recta ratione et uia fit (praua enim appellantur, quæ nõ ſunt recta, ut lignum prauum) malũ uerò pomi genus eſt. Quid hoc foret dictu ineptius? ubi de qualitatibus, de actionibus agitur, digredi ad ſubſtantiam, quæ ad rem non pertineat? Ita hic cum de fundo, cum de agro, de prædio, de poſſeſſione diſputat, non de ea ſignificatione poſſeſſionis loquitur, qua proprietas intelligitur, ſed qua actio poſſidendi, ſiue qualitas. Quod ſi ita eſt, quid affinius habet poſſeſſio ad fundum, agrum, prædium, quàm ad nauem, equum, ueſtem? harum namq; rerum ita poſſeſſio eſt, ut illarum: ſed non de huiuſmodi poſſeſſione loquendum erat, quæ præſertim nõ eſt (ut ipſe ait) ſpecies prædij, uel fundi. Prædium enim, fundus ue, proprietas eſt: quorũ utrumlibet ſi nomen generale eſt, ad poſſeſſionem profectò non uſus, ſed proprietas dicenda Modeſtino poſſeſſio fuit. Sed quid facias? Ipſe aliter poſſeſſionem non definit. Quod ſi quis dubitet, an poſſeſſio proprietas ſit, accipiat præter ipſorum Iuriſconſultorum etiam Ciceronis & Quintiliani teſtimonia: quorum alter in Paradoxis ita ſcribit: Etenim ſi iſti callidi æſtimatores prata & areas magni æſtimant, quod ei generi poſſeſſionum minimè noceri poteſt, non de uſu uidelicet locutus eſt Cicero, cui certè noceri poteſt, ſed de proprietate. Alter in ſexto de Oratoria inſtitutione: Patris eius dialogos dedit legendos, quorũ cum in Priuernati unus, alter in Albano, tertius in Tiburte ſermonem habitũ complecteretur, requirebat, ubi eſſent eæ poſſeſſiones? Omnes autem illas Brutus uendiderat. nemo interrogat ubi eſt uſus prædiorum, ſed ubi proprietas: nemoq; uſum uendit, ſed proprietatem, aut uſumfructũ. Hæc Laurentius. quibus ita reſpondet Alciatus. Quod alijs Valla obijcis uitium, id tibi eſt, qui neſcis ueteres poſſeſſionem appellaſſe fundum per uſucapionem acquiſitum: quo caſu non iure dominij in eius uſu defendimur, ſed authoritate legis. Atq; ita in lege duodecim tabularum accipi, Sextus quoq; Pompeius author eſt. Vnde apparet, non qualitatem, ſed ſubſtantiam à Modeſtino definiri: quod in eius reſponſi declaratione latius oſtendetur. Ipſum quoque Modeſtini reſponſum enarrans: Poſſeſſio, inquit, id eſt fundus, qui non iure, ſeu mancipatione nobis comparatus eſt, ſed uſu & præſcriptione quæſitus, ut etiam Feſtus. & ideo eius proprietas ad nos non pertinet: ſed & ſi pertinere non poſſit, ut quia res ſacra, poſſideri tamen poteſt, poſſeſſioq; dicitur. Et paulo pòſt: Tradidit autem Modeſtinus hanc differentiam, legem duodecim tabularum interpretans, quo iure tantummodo alienationis ſpecies erat, quę per nexum, & quæ per ceſſionem fiebat, ut M. Cicero in Topicis declarat. per uſucapionem uerò proprietas nõ acquirebatur, licet iuris authoritate poſſeſſor defenderetur. Hinc eodem in opere Tullius uſucapionem authoritatem appellat: Authoritas, inquit, uſus fundi bienniũ eſt, ſit ergo & ædium. Idem Officiorum libro primo: Aduerſus hoſtem æterna authoritas. In lege quoque Attinia, cuius Aulus Gellius libro decimoſeptimo meminit, dicebatur, Quod ſubreptũ erit, eius rei æterna authoritas eſto: id eſt, æternum tempus antequam uſucapiatur. Venuleius authoritatem ius eſſe interpretatur, quo author, id eſt dominus rem ſuam uendicare poteſt: unde amitti, inquit, authoritatem, id eſt actionem pro euictione placet. & ita accipiendum hoc reſponſum ipſe arbitror: quo ſenſu ridiculus ipſe Valla erit, qui cum uulgari interpretationi, uir alioqui non uulgaris adhæſiſſet, Iureconſultum noſtrum increpat, muſca planè (quod dicitur) elephantum. Illud nõ negauerim, in poſteriore Iuris diſciplina hanc differentiam non fuiſſe obſeruatam: cuius rei nos etiam Accurſius admonet, & ſubdit: Colligi hinc poteſt diffinitio poſſeſſionis, ut ſit uſus rei à proprietate, uel iure ſeparatus;

ratus: hinc uſucapio, id eſt acquiſitio, quæ per uſum, hoc eſt per poſſeſſionem fit. Non poſſum nõ ſummopere laudare Alciati conſilium, quòd ex omnibus, quę in mediũ adducit Valla, unicum tantũ caput defendat. Nam quod diſſenſerint inter ſe Vlpianus ac Florentinus, cum ille fundum plerunq; ſine uilla, hic uerò agrum cum ædificio fundum eſſe ſcripſerit, nihili fecit: tum quod cum neutro eorũ concordet Modeſtinus, atq; aliter quàm ille agrũ definierit, quaſi nugæ ſint, breuitatis (ut opinor) ſtudio prętermittit. Verũ quo pacto non qualitatem, ſed ſubſtantiam à Modeſtino definiri oſtendat, nõ uideo. Vt enim ueteres fundum per uſucapionem acquiſitum poſſeſſionem appellarint, quo caſu non iure dominij in eius uſu, ſed legis authoritate defendamur, per poſſeſſionis tamen uocabulũ non ſubſtantiam, ſed qualitatem deſignabant, cum poſſeſſionis uox tam agro, fundo, prædioq́; quàm equo, ueſti, & naui (ut rectè ſenſit Valla) conuenire poſſit. Poſſeſſionem autem ſubſtantiam ſignificare præter loca, quæ à Valla in medium adducta ſunt, oſtendit in Paradoxis Cicero. Inquit enim: Ergo hoc propoſito nũquam eris diues, antequam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum reficiatur, ut ex eo tueri ſex legiones, & magna equitum ac peditum auxilia poſſis. Ridiculum eſſet, ſi non ij hic agri comprehenderentur, quorũ ad nos pertinet proprietas: ſed illi tantum, quos uſu cepérimus. Paulus quoq; Iureconſultus in libro de Verborum ſignificatione ſic ait: Interdum propietatem uerbum poſſeſſionis ſignificat, ſicut in eo qui poſſeſſiones legaſſet, reſponſum eſt. Illud quoq; addit Alciatus, ridiculum fuiſſe Vallam, qui Iureconſultum increpet, muſca planè (quod dicitur) elephantum. Nõ negarim ſummũ uirum fuiſſe Modeſtinum, ſed Latinæ linguæ peritiam in illo non minorem, quàm in hoc fuiſſe, pro certo habeo. Nec aſſerere dubitabo, plus profuiſſe Latinæ linguę Vallam, quàm Iuris ciuilis ſcientiæ Modeſtinum. Proinde non muſca elephantum maximã beſtiam prouocauit, ſed ſummus à maximo uiro diſſentit: alioqui cum muſcam ubi in faciem inuolat, facile abigamus, ita muſca eſt Valla, ut cum eo non admodum libenter congrediatur Alciatus, illius quandocunq; rei difficultatem attingit, rationibus, nihil aliud quàm Iureconſultorum maieſtatem opponens. Et ſequitur Valla: De prædio Vlpianus ita ſcribit: Prædia urbana omnia ædificia accipimus, non ſolum ea quæ ſunt in oppidis, ſed etiam ſi fortè ſtabula, aut alia meritoria in uillis & in uicis, uel ſi Prætoris uoluptati tantum deſeruientia: quia urbanum prædium non locus facit, ſed materia. Proinde hortos quoq; ſi qui ſunt in ædificijs conſtituti, dicendum eſt in urbanorum appellatione contineri. Planè ſi plurium horti in reditu ſunt, uinearij, uel holitorij magis, hęc non ſunt urbana. Etiam de prædio, ſicut de fundo, Iuriſconſultorũ controuerſia eſt. Nec mirum, cum nemo non habeat ſuam de rebus quibuſq́; uerbisq́; ſententiam. Sed de poſterioribus, qui ex operibus illorum excerpſerunt, miror cur hæc indiſcuſſa reliquerint. Id (ut ego quod ad me attinet faciam) ita ſentio: Agrum continere fundum, non contineri à fundo, nihilq́; prohibet eum cum uilla eſſe. Erant in agris ſenatores, & uixerunt multi nobiliſſimi philoſophi in agris, non ſine uilla & habitatione, differtq́; ager ab aruo, quod aruum ſementi datur: Salluſtius, Quia Numidę pabulo pecoris magis quàm aruo ſtudent: Quintilianus, Pauper & diues in agro uicini erant, iunctis hortulis: Et mox, Sed ex omni parte circumiectus diuitis ager, uix tenuem ad greſſus meos ſemitam dabat. Quid agimus inquam? undiq; uallo diuitiarum clauſi ſumus, hinc hortuli locupletis, hinc arua, inde uineta, hinc ſaltus. Fundus, ut dixi, minus quiddam eſt, ſingula enim prata, ſingulæ uineæ, ſinguli horti, ſingula oliueta, pomaria, ſalicta, arbuſta,

sta, pascua, nemora, loca aucupatoria, uenatoria, piscatoria, siue uillam atq; ędificiũ, siue piscinam, siue aluearia, siue uiuaria habeant, siue non habeant, singuli fundi sunt. Et hoc quidem in agro. In urbe autem, siue oppido, siue uico, siue castello, tantummodo prædium est, quicquid tale est, qualia hæc quæ enumeraui: namq; eadem in agro etiam prædia sunt. Fundus enim species prædij est. Itaque fundus est possessio rustica: prædium, & rustica & urbana duntaxat possessio, qualem descripsi. Nam uidetur possessio significare etiã tabernas, hospitia, horrea in urbe. Cicero in Philippicis possessiones uocabat & urbanas & rusticas, puto non tantũ prædia, sed cætera quæ uulgò immobilia appellant. Rectè hæc omnia Valla. Nec enim agri appellatione & domum, & alia habitationi necessaria contineri dubitandum est. Terentius in Eunucho:

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi,
Neq; agri, neq; urbis odium me unquam percipit:
Vbi satietas cœpit fieri, commuto locum.

Quod autem ager fundum iuxta Vallæ sententiam contineat, idem Terentius ostendit in Heautontimorumeno, cum ait:

Agrum in his regionibus
Meliorem, neq; precij maioris nemo habet. Et mox:
Nunquam tam mane egredior, neq; tam uesperi
Domum reuertor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre.

Neq; tamen si ager plerumq; plus quàm fundus continet, iccirco singula prata, singulæ uineæ, singuli horti, singulaq; pomaria, singula salicta, singuli semper erunt fundi: cum fundus non unicum tantum, sed & multa prata aliquando contineat. Hinc Varro libro primo de re Rustica ita scribit: Si prata sunt in fundo, neq; pecus dominus habeat danda opera ut pabulo uendito, alienũ pecus in suo fundo pascat, & stabulet. Et paulo pòst, quasi fundi modũ uelit definire, sic ait: Quę nasci in fundo ac fieri à domesticis poterunt, eorũ nequid ematur. ista ferè sunt, quæ ex uiminibus, & materia rustica fiũt: ut corbes, fiscinæ, tribula, mallei, & rastelli. sic quæ fiunt de cannabi, lino, iunco, palma, scirpo: ut funes, restes, tegetes. Significat etiam ager alicuius urbis territoriũ, & omnia quæ in eo sunt, cōplectitur: ut cum agrum Campanum, aut Larinatem dicimus. Cicero pro Aulo Cecinna: Huic Cesenniæ fundum in agro Tarquiniensi uendidit temporibus illis difficillimis solutionis. Capitur & quandoq; pro eo in quo aliquid agere possis, ut à Varrone deducitur, licet ei refragetur Quintilianus. Cicero libro duodecimo Epistolarum ad Atticum: Villula sordida, & ualde pusilla, nihil agri ad ullam rem, loci satis, nihil ad eam rem quam quæro. Aruum porrò quamuis id proprie significet, quod sementi datur, à poëtis tamẽ in latissima significatione ponitur. Virgilius libro tertio Aeneidos,

Arua neq; Ausoniæ semper cedentia retro
Quærenda. Idem in Georgicis,
Aruaq; Riphæis nunquam uiduata pruinis.

Addamus, subdit Valla, ad hæc aliquid ad hoc fundum: quod an à fundo fundas, an potius fundo à fundũ, siue à fundus ueniat, ambigi potest. Quidam fundus à funda dici uolunt. Cicero in quodam ioculari libello,

Fundum Varro uocat, quò possim mittere funda,
Ni lapis exciderit, qua caua funda patet.

Nisi hæc sententia sit, tam paruum illum fuisse fundum, ut funda prehendi, & in morem

in morem lapidis iaci poſſet. Fundum igitur eſt ima pars rei propriè aliquid locorum intra ſe continentis, aut ad continendum factæ: ut dolium, ut nauis, ut alueus uel fluminis, uel lacus, uel ſtagni, uel maris. Nam fundũ turris, ut quidam ſcripſerunt, ipſe non dicerem. Fundamentũ (ut omnibus liquet) aliud eſt quàm fundum: & tamen fundare magis ad fundamentum, quàm ad fundum pertinet. Fundamus enim domum, non nauem. Virgilius,

Ille urbem Agrippam, patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani fundabat Iapygis agris.

Nam fundamentare non reperitur: nec fundare quidem eſt ſanè frequens, niſi per tranſlationem. Quintilianus in Gladiatore: Hanc fundatam paternis, auitisq́ domũ exhaurit. Eſt enim frequentius iacere fundamenta, etiam per tranſlationem, ut idem libro primo: Nam inde & contemptus operis naſcitur, & fundamenta iaciuntur impudentiæ, & quod eſt ubiq́ pernicioſiſſimum, præuenit uires fiducia. Et Cicero: In quo templo, quantũ in me fuit, ieci fundamenta pacis. Suetonius de uita Caij: In area Capitolina nouæ domus fundamenta iecit. Cæterũ hoc differt fundare, & fundamenta iacere, quod fundare eſt ualidis fundamentis quid fulcire: fundamenta uerò iacere, quaſi qualiacunq́ fundamenta facere, & quodammodo dare rei principium. Sciendum eſt porrò fundare per tranſlationem non eſſe (ut inquit Valla) frequentiſſimum, ſed apud poëtas tamen & oratores nonnunquam inueniri. Cicero in Paradoxis: Quæro enim à uobis, num ullam cogitationem habuiſſe uideantur ij, qui hanc rempublicam tam præclarè fundatam nobis reliquerunt. Pro domo uerò ſua ad Pontifices, ne fundatiſſimã quidem familiam abhorruit: Defleui, inquit, cõiugis miſeræ diſſidium, liberorum chariſſimorum ſolitudinem, fratris abſentis amantiſſimi atq́ optimi caſum, ſubitas fundatiſſimæ familiæ ruinas. Ouidius libro quarto de Ponto, remotiori tranſlatione uſus eſt, quum ait,

Dum mea puppis erat ualida fundata carina.

Idem & opes bene fundatas, Ciceronem credo imitatus, appellat libro quarto Metamorphoſeos,

Cum bene fundatis opibus creſcentis Iuli,
Tempeſtiuus erat cœlo Tirynthius heros.

Virgilius urbem legibus fundare uſurpauit. De Numa enim in ſexto Aeneidos ita canit,

Noſco crines, incanaq́ menta
Regis Romani, primam qui legibus urbem
Fundabit.

Fundare etiam propriè poſitum apud Maronem ſæpe inuenitur: licet in uerſibus, quos ex undecimo Aeneidos citauit Valla, non fundabat, ſed condebat legatur. quo in loco nec Vallam reprehendo, quippe in deprauata incidit exemplaria. Virgilius libro quarto Aeneidos,

Aeneam fundantem arces, & tecta nouantem
Conſpicit.

Et in quinto,

Tunc uicina aſtris Erycino in uertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Et in ſeptimo,

Quam dicitur urbem
Acriſioneis Danaë fundaſſe colonis.

Et in eodem,

Nec Præneſtinæ fundator defuit urbis
Cæculus.

In octauo quoq́,

Haud procul hinc ſaxo colitur fundata uetuſto

Vrbis

Vrbis Agillinæ sedes.

Idem fundamenta locare in eodem significatu usus est, ait enim:

Hic alta theatris, Fundamenta locant alij. Et in quarto,
Tu nunc Carthaginis altæ Fundamenta locas.

Atqui & fundamenta facere apud Catonem est frequentissimũ, cuius de Re rustica hæc sunt uerba: Si sesquipedalem parietem dominus uoluerit, fundamenta faciat. Et paulo inferius: Inter parietes arbores ubi statues, fundamenta bona facito. Fundamẽ quoq; apud poëtas plerũq; legit. Virgilius in IIII Georgicorũ,

Prima fauis ponunt fundamina. Ouidius in quinto Metamorphoseos,
Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.

Fundamentare, quod sciam, apud bonos authores non est in usu: Fundare autem nauem (quamuis aliter censeat Valla) aliquando apud Poëtas obseruatur. Plautus in Milite,

Nam mi patrone hæc cogitato, ubi probus est architectus,
Bene liniatam si semel carinam collocarit,
Facile esse nauem facere, ubi fundata, & constituta est,
Nam hic carina satis & fundata, & constituta est.

Alio modo in sexto scripsit Virgilius:

Tum dente tenaci Anchora fundabat naues.

Quid mirum est, si nauem fundare dicimus, quam etiam ædificare per translationẽ apud optimos authores sit in usu? Cicero in Bruto: At uerò ut contrà Crassus ab adolescente delicato, qui in littore ambulans scalmũ reperisset, ob eamq; rem ædificare nauem concupiuisset, exorsus est, & quæ sequuntur. Cæsar tertio commentario de bello Gallico: Quibus de rebus Cæsar à Crasso certior factus, quòd ille aberat lõgius, naues interim longas ædificari in flumine Ligeri, quod influit in Oceanum, remiges ex prouincia institui, nautas gubernatoresq; comparari iubet. Et in v. Legatis imperat, quos legionibus præfecerat, uti quàm plurimas possent hyeme naues ædificandas, ueteresq; reficiendas curarent. De nouali nihil dicam. Quum enim Paulus noualem, terram proscissam, quę anno cesset, esse definiuisset: Valla autem, noualem esse aruum nũc primũ ad sementem proscissum, addiderit: quod & Seruius sensit, & Virgilius in illo carmine,

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?

Vt fortè reprehendi non possit Iureconsultus, laudari tamen debet Valla, quòd aliud eius uocis significatum ostenderit, nisi fortè ille Pauli uerbis nihil debebat addere. Nunc quid differant à libris uolumina, expendamus. Si cui, inquit Vlpianus, centum libri sint legati, centum uolumina ei dabimus, non ut centum, quæ quis ingenio suo metitus sit, quæ ad libri scripturã sufficerent, utputà cum haberet Homerum totum in uno uolumine, non quadraginta octo libros computabimus, sed hoc unum Homeri uolumen pro libro accipiendum est. Vlpianus Homeri opus nunc unum librum, nunc octo & quadraginta libros nominat: nec tamen ait librum duo significare, ipsum opus, & certam operis partem. Præterea opus, siue opera Homeri, librum appellat, & uolumen: quorũ utrumque inauditum est. Virgilij Aeneis non liber est, sed duodecim libri: Georgica non sunt item liber, sed libri quatuor: Bucolica unus liber est, idemq; unum uolumen: Georgica quatuor uolumina, Aeneis duodecim. Ouidius,

Sunt quoq; mutatæ ter quinq; uolumina formæ.

Sed quid exemplis agimus, cum nusquam plura afferri possint? At Vlpianus putat etiam, si omnia opera Didymi, quo nemo plura scripsit, in unũ codicem conglu

conglutinarentur, unũ tamen debere uolumen appellari, quod nemo nec posset euoluere, nec ferre uellet. Est enim uolumen uel à uolo, quòd in libris uoluntas apparet: uel quod magis sequerer, à uoluo, quod uoluitur, quales libros hodie Hebræi quosdam habẽt, qualesq́ in Veteri & Nouo testamento lectitamus fuisse. Et Romani, qui in libris arborum, id est, corticibus scribebant, quod libellos illos, quo ferrent cõmodius complicabant, uolumina fortè appellauerunt. Itaq; uolumina libellis similiora fuerũt, quàm libris. quod ex eo quoq; loco apparet, ubi Plinius de libris Auũculi loquens ait: Libri tres in sex uolumina propter amplitudinẽ diuisi: quasi dicat, in sex minores libros. ut sint uolumina aliquanto minora quàm libri: quod etymologia quoque nonnihil probat, ut ostendi. unde adhuc durat uerbum, euoluere libros, pro eo quod est aperire libros lectitandi gratia, quasi rem cõplicatam explicare: quemadmodũ euelare, est rem uelatam detegere. nisi dicamus euolui libros, propter numerum paginarũ. Accipitur autem nũc euoluere libros, siue authores, pro eo quod est lectitare. Nec inficias eo, libros accipi pro codicibus: & in singulari librum, pro quolibet magno codice, etiam si is contineat Iliada et Odysseam, ut tenet rex manu librum, & is sit Homerus. Non tamen rectè dicas, tenet librum Homeri. Hæc de libro & uolumine scribit Valla, Iureconsultũ arguens. Quibus ita respondet in quarto de Verborum significatione Alciatus: Sciendum est, inquit, nõ de significatione uerbi agere Vlpianum, sed de mente defuncti, quam nemo est tam à naturali ratione abhorrens, qui probaturus non sit talem esse, qualem Vlpianus credidit: quod si in modo loquendi eum Valla reprobat, rectè Iureconsultum locutum assero, & quid sibi uellet nesciuisse Vallam. Siquidem solebant ueteres in pugillaribus scribere, quos inuolutos, & duobus inclusos umbilicis manu gestabant: unde & enchiridia Græcis dicũtur. nobis à pugno pugillares, & ab inuolutione uolumina. Fiebant autem non secundum librorum distinctionem, sed secundũ gestantis commoditatem, quod satis Plinius ipse ostendit. Cum igitur Vlpianus non de diuisione librorum ab authore facta, legatũ illud ex mente testatoris intelligeret, sed ex diuisione, quam testator in cõcinnando, unicoq; corpori conglutinando fecerat, dixit octo & quadraginta libros, id est unũ Homeri uolumen pro libro accipiendos, nimirum uoluminis uoce metaphoricôs usus, ut sicut unum corpus in pugillaribus etiam non obseruata authoris in libros diuisione, uolumen dicitur: ita in codicibus cum asserculis tabellis'ue concinnatis, unum corpus etiam uolumen dicatur, cum nec etymologia repugnet: unica enim inuolutione constat. Quòd si probatur Virgilij, Valerijq; Maximi locutio, qui uolumen in cauda serpentis dixerunt, quanto magis probandus est Iurisconsulti sermo, propter maiorem rei difficultatem longè clarior? Cũ etiam Cicero librum pro corpore accepisse uideatur, Epistolarũ ad Q. fratrem libro secũdo: Sed utros eius habueris libros (duo enim sunt corpora) an utrosq; nescio. Primum quidem quòd non de uerbi significatione, sed de mente testatoris egisse Vlpianum comminiscitur Alciatus, nõ fuerit fortasse usquequaq; improbandum. Quòd autem eum rectè locutum esse, & quid sibi uellet nesciuisse Vallam asserit, longè (tanti uiri pace dixero) ipse fallitur. Vt enim à uoluendo uolumen dicatur, (quod quum Vallam docet, poma Alcinoo, Triptolemo autem fruges donat) nónne hac uoce in eo significatu uti debemus, in quo à bonis authoribus semper posita inuenitur? Erat hic locus, si rectè Vlpianum loqui censet Alciatus, ubi scriptorum magis testimonijs, quàm uel propria, uel Iureconsulti maiestate inniteretur. Atqui uolumina, inquit, non secundum librorum distinctionem,

ctionem, ſed ſecundum geſtantis commoditatem fieri ſolebant. Quin potius, ſi hoc modo conſiderentur uolumina, non commoditas, ſed incommoditas inde maxima proueniet: utputa cum Homeri poëmata in duas partes ſint diuiſa, ſi quis uolumen, quod geſtanti ſit commodum, ex ijs facere uelit, non unicum, ſed ex ſingulis ferè libris ſingula faciet uolumina, uel potius ex quouis libro, quũ pro parte operis ſumitur, uel duo, uel tria, ſi uidebitur. Hoc tamen de Moſi Pentateucho non dicerem, quo etiam Hebræi hodie uno in uolumine ſcripto quamuis quinque conſtet libris, ita utuntur, ut ſeparatim illi publicè non habeantur, nimirum ex antiquo Dei optimi maximi præcepto. Quid quod magna uolumina non fermè uacant confuſione? Dicendũ eſt ergo uolumen non eius magnitudinis, ut duo Homeri opera comprehendat: ſed exiguum, ſicut à Latinis obſeruatum uidemus. Nam M. Cicero ad Atticum ſcribens, uolumen orationis appellat: Quumque ex eo, inquit, de me percõctaretur, eum ſibi ita dixiſſe narrabat, ſe mihi eſſe inimiciſſimum, uolumenque ſibi oſtendiſſe orationis, quam apud Cæſarem contra me eſſet habiturus. Eadem ratione & Ouidius Metamorphoſim ter quinque uolumina uocauit. Cæterum quod ſubdit Alciatus, Virgilij, Valerijque Maximi, qui uolumen in cauda ſerpentis dixerunt exemplo, Vlpianũ eſſe latinè locutum: nõ eſt aliud, quàm tranſlationum quantumuis remotarum facultatem poëtis adimere, à quorum licentia Valerium Maximum non excludo. Nec tamen horum quiſpiam uolumen in eo ſignificatu poſuit, in quo Vlpianus, cum libri uox non totũ opus, ſed partem comprehendat: quemadmodum & Homeri Iliada quatuor & uiginti libros, non Homeri librum appellamus. Cicero libro primo Familiariũ: Scripſi, inquit, etiam Ariſtotelico more, quemadmodũ quidem uolui, tres libros in diſputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles, quos iampridem ad te miſiſſem, ſi eſſe edendos putaſſem. Non librum de Oratore, ſed tres libros uocat Cicero. Idem ad Quintum Fratrem: Sermo autem in nouem & dies & libros diſtributus, de optimo ſtatu ciuitatis, & de optimo ciue. Alij itidẽ authores ſua ſcripta in libros diuiſerunt. Propertius,

Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris.

Denique quòd M. Tullij ad Q. fratrẽ ſcribentis teſtimonio librum pro toto opere aliquando capi Alciatus oſtendere laborat, decipitur ſanè. Ciceronis enim locus contra Iureconſultũ commodiſſimè retorquetur. ait enim, Calliſthenis quidem uulgatũ & notum negociũ, quemadmodũ Græci aliquot locuti ſunt. Secutus ille capitalis, creber, acutus, breuis, penè puſillus Thucydides. Sed utros eius habueris libros (duo enim ſunt corpora) an utroſque neſcio. Non librum uocauit Thucydidis opera M. Tullius, ſed libros. quandoquidem ſi librum ea appellaſſet, ita ſcripſiſſet: Sed utrum eius habueris librum, an utrumque, neſcio: quod nemo uel prima grammaticorum rudimenta tenens ignorat. Ita Ciceronis, aut Liuij libros rectè dicemus: Liuij aut Ciceronis librũ, niſi unicus ille eſſet, nõ item. Abſolutè certè librum (prout ultimo loco ſentit Valla) pro quolibet magno codice, etiam ſi Iliada, Odyſſeamque contineat, ſic latinè dicemus, ut authoris nomen ſupprimamus. Librum namque Homeri, ſi uel Odyſſeam, uel Iliada, uel utrumque opus contineat, prauè dicturi, non tamen errabimus, ſi regem aut alium quempiam librum manu tenere dixerimus, iſque ſit aut Ouidij Metamorphoſis, aut Virgilij Aeneis. Sicque in quarta Verrina ſcripſit Cicero: Erat Steſichori poëtæ ſtatua ſenilis incurua cum libro, ſummo (ut putant) artificio facta. Et Horatius libro primo Epiſtolarum,

Et ni Poſces ante diem librum cum lumine. Et Iuuenalis Satyra tertia:
Librum, ſi malus eſt, nequeo laudare.

Varro libro primo de Re ruſtica, Magonis Carthaginenſis de eadẽ re opus duodetriginta libros appellat: Hos, inquit, nobilitate Mago Carthaginenſis prætería Pœnica lingua, quòd res diſperſas cõprehendit libris duodetriginta. At Plinius libro Naturalis hiſtoriæ decimo octauo, idem opus duodetriginta uolumina uocat. Eos enim recenſens, qui de agricultura ſcripſerunt, ſic ait: Duces Xenophon, & Pœnus etiam Mago, cui quidem tantum honorem Senatus noſter habuit Carthagine capta, ut cum Regulis Africæ bibliothecas donaret, unius eius duodetriginta uolumina cenſeret in Latinam linguam transferenda. Quid mirum? cum Varro eodem loco abſq; aliquo diſcrimine libros & uolumina appellet: Quos Caſſius Dionyſius Vticenſis, ait, uertit libris uiginti Græca lingua, & Sextilio prætori miſit, in quæ uolumina de Græcis libris eorũ quos dixi adiecit non pauca. Flauius tamen Vopiſcus ſatis indoctè Cornelij Taciti hiſtoriam Auguſtam librum appellat, in Taciti Imperatoris uita hæc ſcribens: Cornelium Tacitum ſcriptorem hiſtoriæ Auguſtæ, quod parentem ſuum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iuſſit: & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi publicitus in eius Archiuijs iuſſit, & in bibliothecis poni. Sed idem in Probi uita magis ſe de rerum geſtarum ueritate, quàm Latinæ linguæ proprietate ſollicitum fuiſſe affirmat. An igitur ſciuerit quid ſibi uellet Laurentius Valla, alijs iudicandum relinquo. Iureconſultũ certè parum Latinè locutum, pro certo habeo, niſi alijs mecum uel rationibus, uel ueterum teſtimonijs agatur. Et de libris uoluminibusq; hactenus. Probrum et opprobriũ, Vlpianus inquit, idem eſt: probra quædam natura turpia ſunt, quædam ciuiliter, & quaſi more ciuitatis improba, utputa furtum, adulterium, natura turpe. Enimuerò tutelę damnari, hoc non natura probrum eſt, ſed more ciuitatis. nec enim natura probrum eſt, quod poteſt etiam in hominem idoneum incurrere. Vlpianus probrum accipit pro infamia tantum, qualis eſt ex furto, uel ex malè geſta tutela: non pro flagitio, quod principale ſignificatũ eſt. nam probrum idem eſt, quod dedecus, quod duo ſignificat: unum, quod eſt crimen, ut Quintilianus ſtatim in principio declamationis pro milite Mariano inquit, Satis dedecoris atq; flagitij caſtra cœperunt: alterum, quod eſt ignominia atq; infamia, quod notum eſt. Similiter accipitur probrũ pro crimine, ut idem libro primo: Iam ſi minor in eligendis cuſtodum & præceptorum moribus fuit cura, pudet dicere in quæ probra infandi homines iſto dicendi iure abutãtur. Pro ignominia, Liuius libro quinto: His freti occurſant portis, ingerunt probra, ęgre abſtinent, quin caſtra oppugnent. quę duo nomina tanquã ſimillima eodem loco Cicero coniunxit in Catone maiore: Mihi uerò & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitioſa, & tam perdita libido, quæ cum probro priuato cõiungeret imperij dedecus. Præterea ne ſimile quidem eſt probrum opprobrio. non enim Latinè dixiſſet Cicero, quæ cum opprobrio priuato coniungeret imperij dedecus. quemadmodum in Salluſtium dixit: Itaq; times ne facinora eius clàm nobis eſſent, cum omnibus matribuſfamiliãs ueſtris opprobrio eſſet, confeſſus eſt nobis audientibus adulterium. Eſt autem opprobrium aliquando facto, ſed frequentius uerbo. Nam Salluſtius (ut uult Cicero) uel ex eo quod fœminis, quibus cum habuiſſe uſum ſe erat notum, uel quod ipſe illis uulgò impudicitiam obijciebat, opprobrio erat. Horatius:

Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe

Abſterrent

Absterrent uitijs. Quintilianus: Modò maledictis opprobrijsq́ uulgi, modò crebra riualium cõtentione pulsatus, abigi tamen, compesciq́ nõ posset. opprobrijs dixit, quasi exprobrationibus atq; cõuicijs. & alibi: Solebat indignatio uestra cõuicia nostra ferre nõ posse: & matronalis indignatio dicere uidebatur: non parcis erga me marite uerbis, nullam habet nostri tuus sermo reuerentiam, facile prorũpis in opprobria, facile quidlibet obijcis. Pro eodem ferè posuit opprobria, & cõuicia. Nec inficias eo, nonnunquam hoc modo accipi probrum, ut Liuij proximum exemplum, & Ciceronis ad Atticũ: Epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. Sed de hoc significato Vlpianus non intellexit. Hic Alciatus, quod Valla non negat, & apud Ciceronem, & apud Liuium, probrũ pro ipsa dedecoris exprobratione poni, satis arbitratur defendi Vlpianum, qui non generalem horum uerborum definitionem posuerit, sed in edicto idẽ significare declarauerit. Alibi uerò eadẽ Iureconsulti uerba exponens, sic ait: Probrum pro crimine ipso quandoq; accipitur, sed quia ex huiusmodi delictis ignominia oritur, solentq́ ea à conuiciantibus obijci, frequentior usus obtinuit, ut pro ignominia conuicijsq́ accipiatur: sicut opprobrium, quod nihil aliud est, quàm obiectũ probrum. hocq́ modo à Vallæ morsibus defenditur Vlpianus. Quæ omnia quàm sint inania, uideamus. Illud in primis est falsum, frequentiorẽ usum obtinuisse, ut probrũ tam pro ignominia cõuicijsq́, quàm pro crimine accipiatur. Aequum erat, si hoc nobis persuasum esse uolebat, loca id indicantia ex receptis authorib. citare. hoc nãq; asserere, & alio in loco, quod probrum apud Liuium & Ciceronem bis pro dedecoris exprobratione inueniatur satis defensum putare Vlpianũ, maximè sunt contraria: & eorum alterum à ueritate est remotissimum, alterum autem uel maximè miserum. Ego sanè qui Vallam hac in re magis quàm Vlpianũ sequor, etiã si duo illa testimonia nusquam essent, alijs tamen per probrum dedecoris exprobationem significari docerem. M. enim Cicero pro L. Flacco sic ait: Hermippum uerò ipsum, prudentissimum atq; optimum uirum, ueterem amicum atq; hospitem meum, splendidissimum atq; ornatissimum ciuitatis suæ probris omnibus, maledictisq́ uexat. Et Liuius libro uigesimo tertio ab Vrbe cõdita: Cum hæc exprobrando hosti Marcellus suorum militum animos erigeret, Annibal multò grauioribus probris increpabat. Et trigesimo primo: Laceratusq́ probris in senatu tribunus plebis. Sed tamen de hoc significatu (ut Valla inquit) non intellexit Vlpianus, qui pro infamia tantũ accepit, qualis ex furto, uel malè gesta tutela cõtrahi solet: quod cũ ex eius uerbis manifestè colligatur, nõ modò nõ frequentior hic usus iuxta Alciati sententiã erit, sed ne in usu frequens quidem. Illud tamen uideri potest ridiculũ, quòd præcipuum probri significatum omiserit Iureconsultus, quum scilicet flagitium denotat, quod apud Latinos in frequentissimo usu est. Plautus in Amphitryone: Nę ædepol faciam, neq; me patiar probri falsò insimulatam. Idem in Truculento: Lucri causa auara probrum sum executa. Cicero in tertia Verrina: Quum apud exteras nationes Imperij nominisq́ nostri famam tuis probris flagitijsq́ uiolaris. Et in quinta: Quapropter nulla res est, quamobrẽ ego istum nolim ex paternis probris ac uitijs emergere. Liuius libro septimo: Criminiq́ ei tribunus inter cætera dabat, quòd filium iuuenem nullius probri cõpertum, extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium prohibitum, in opus seruile, propè in carcerem, atq; in ergastulum dederit. Catullus,

Quod te cognossem benè, constanterq́ putarem,
Haud posse à turpi mentem inhibere probro.

Dicamus ergo, Vlpianum neque de flagitio, neque de dedecore, quod per illud uerbum significatur, mentionem fecisse: neq; cum pro dedecoris exprobratione capitur, eo pacto quo Latini solent, illa uoce usum fuisse. Opprobrium autem exprobrationem, & conuicia quandoq; designat. Horatius,

Sic ego maioris fugiens opprobria culpæ
Frontis ad urbanæ descendi præmia. Idem in Epistolis,
Fescennina per hunc inducta licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica fudit. Et in primo Carminum,
Dum mihi Fias recantatis amica
Opprobrijs, animumq; reddas.

Significat & dedecus. Idem in secundo Carminum,

Ille & nefasto te posuit die,
Quicunq; primus, & sacrilega manu,
Produxit arbos in nepotum
Perniciem, opprobriumq; pagi. Et in tertio,
Magnum pauperies opprobrium, iubet
Quiduis & facere & pati. In quarto quoq;,
Infelix auis, & Cecropiæ domus Aeternum opprobrium. Catullus,
At nobis mala multa dei, deæq;,
Dent opprobria Romuli Remiq;. Propertius,
Non fuit opprobrio, facta sine arte casa. Ouidius in secundo Tristium,
Non fuit opprobrio celebrasse Licorida Gallo.

Quibus in locis opprobrium in facto consistere crediderim: in uerbis autem,
quum conuicium atq; exprobrationem denotat, quanquam non multum inter
se differant hæc duo significata. Et subdit Valla: A probro unum uerbum com
ponitur, quod est exprobro, quod significat tum qualemcunq; culpam impro-
pero, ut apud Ouidium libro decimo tertio Metamorphoseos,

Scit bene Tydides, qui nomine sæpe uocatum
Corripuit, trepidoq; fugam exprobrauit amico:

Tū ingrati tu dinis. ut Terentius in Andria: Nā isthæc cōmemoratio, Quasi ex-
probratio est immemoris benefici. Sed pro hoc significato frequenter non uitij
alieni nomē apponimus, frequēter etiā nostri meriti. Cicero de Amicitia: Quo-
rū pleriq; aut querūtur semper aliquid, aut etiam exprobrāt, eoq; magis, si habe-
re se putant, quod officiosè et amicè, et cū labore aliquo suo factū queant dicere.
odiosum sane genus hominū, officia exprobrantium. Exprobrare ergo benefa
cta sua est, immemorem beneficij accepti culpare. De ijs nimirū intellexit Val-
la, quæ hodie in usu sunt. Nā apud antiquos etiā opprobrare legimus. Plautus
in Trinūmo, Ne opprobra: tametsi eodē uerbo in 1 Noct. Atticarū utatur Gel-
lius. Atq; hæc de opprobrio. Inter stuprū & adulteriū, Modestinus inquit, hoc
interesse quidā putāt, quod adulteriū in nuptam, stuprū in uiduam cōmittitur.
Sed lex Iulia de adulterijs hoc uerbo indifferenter utitur. Et hoc quidem conti-
netur in libro de Verborum significatione. Alibi autem idem ait: Stuprū com-
mittit, qui liberam mulierē cupidinis causa, non matrimonij continet, accepta
uidelicet cōcubina. Adulteriū in nupta: stuprū in uirgine, uel uidua, uel puero
cōmittitur. Quid mirū, si plures Iurisconsulti in definiendo inuicem dissentiāt,
cū unus atq; idem secū dissentit: hic nō uidetur sentire cū lege Iulia, ibi uidetur.
Sed culpa illorū est, qui definitiones huius descripserūt. quæ si aptè fuissent con
glutinatæ, probari possent, ut illa Papiniani dicentis: Lex Iulia stuprum & adul

terium

terium promiſcuè græcè appellat μοιχείαν, ſed propriè adulterium in nupta committitur propter partum ex altero conceptum, compoſito nomine: ſtuprum uerò in uirgine, uidua'ue cōmittitur, quod Græci διακόρευσιν appellant. Cuius definitionem approbo: illud tamen addens, legem Iuliā rectè hæc duo promiſcuè appellaſſe, non quòd omne ſtuprum ſit adulterium, ſed quòd adulterium omne ſit ſtuprum. Neque ritè Iureconſulti excipiunt ſtuprum à nupta, cum etiam in quotidiano ſermone ſic loquamur, quale eſt apud Quintilianum: Vxor marito dixit appellatam ſe de ſtupro à priuigno, & ſibi conſtitutum tempus & locum. Et alibi: Furtiua ſtupra, raptosq; concubitus obijciat, uel falsò maritus obijciat fas eſt, fieri ſolet, parcius tamen ſi iam ſit & mater, ſi in fidem caſtitatis uxoria fœcunditate profecerit. Quare ego ita ſentio, ſtuprum eſſe coitum lege uetitū, qui duplex eſt: unus cum nupta, aut cum puero, aut cum ſanguine coniunctis, aut cum ſanctimonialibus, quanquam hæc duo poſteriora potius appellamus inceſtum: alter, cum uim afferimus cuilibet perſonæ, etiā ancillæ, unde ſtuprare dupliciter accipitur: cuius poſterioris ſenſus teſtimonio eſt lex, quæ ſtupratoribus maſculorum pœnam ſtatuit decem millium, cum pædiconibus nulla eſſet pœna conſtituta. His Valla & Modeſtinum, & alios Iureconſultos carpit. Alciatus uerò, ut ſtupri nomen generalius eſſe non negat, ita Modeſtini uerba nō rectè intellecta affirmat. cum enim concubitus cum nupta ſpeciale adulterij nomen habeat, non fuiſſet ſatis generali uoce ſtupri uti. Id enim propriè dicitur, quod peculiari, & ſibi tantum conuenienti uoce appellatur. unde & proprium pro peculari doctiores accipiunt. Virgilius,

Hunc mihi da proprium uirgo ſata nocte laborem.

Quintilianus quoq; optimè id proprium interpretatur, quo nihil inueniri poteſt ſignificantius. Hęc neſcio, fungis'ne an hominibus ſcribere ſe arbitretur Alciatus. Quis enim illud ferat, nō eſſe intellecta à Valla Modeſtini uerba, quibus nihil poteſt eſſe clarius? Dicatur ſanè, & maximè propriè in nupta adulterium, quis tamen non ſtuprum in eadem rectè dici aſſerat, & propriè? At ſolis nuptis conuenit adulterium. Eſto: ſed ſtuprum etiam in eiſdem fieri, cuius contrarium ſentit Modeſtinus, affirmo: tum quòd lex Iulia, quā Alciatus modò probat, modò improbat, promiſcuè ſtupro ac adulterio utitur: tum quòd apud omnes ferè Latinos authores hoc obſeruatur, quorum aliquot ſubijciam teſtimonia, in quibus improprietatē oſtendere fuerit Alciati. Cicero in ſexta Verrina ſic ait: Alterum, quòd cum paludatus exiſſet, uotaq; pro imperio ſuo communiq; populi Romani nuncupaſſet, noctu ſtupri cauſa lectica in urbem ferri ſolitus eſt, ad mulierem nuptam uni, propoſitam omnibus. Idem in ſecunda Philippica: Frequentiſſimo ſenatu calendis Ianuarijs ſedente patruo, hanc tibi eſſe cum Dolabella odij cauſam auſus es dicere, quòd ab eo ſorori & uxori tuæ ſtuprum oblatum eſſe comperiſſes. Et in ſecundo de Finibus: Stuprata per uim Lucretia à regis filio, teſtata ciues ſeipſam interemit. Et in quinto de eadem: Noſtra in republica Lucretia, quæ per uim oblatum ſtuprum morte lueret, inuenta eſt: & qui interficeret filiam, ne ſtupraretur. In tertio quoq; de Natura deorū: Nec tamen ille ipſe eſt prætereundus, qui non ſat habuit coniugem illexiſſe in ſtuprum, de quo rectè & ueriſſimè loquitur Atreus. Et in tertio Officiorū, de Gyge loquens: Itaq; hac opportunitate annuli uſus, reginæ ſtuprū intulit, eaq; adiutrice regem dominum interemit. Liuius libro octauo ab Vrbe condita: Erant qui per ſpeciem honorandæ parentis meritam mercedem populo ſolutam interpretarentur, quod cū die dicta ab Aedilibus crimine ſtupratæ matrisfamiliâs abſoluiſſet. Et

Sæpe Dieſpiter Neglectus, inceſto addidit integrum.

Propertius reginam inceſti Canopi Cleopatram (niſi fallor) appellat. Et inceſtare, polluere eſt. Virgilius in ſexto,

Totamq́; inceſtat funere claſſem.

Quem locum exponens Seruius, inceſtum interpretatur quamcunq́; pollutionem. Inſtratum prætereo: & an rectè ſenſerit Vlpianus, non dubiū eſſe quin ſtragula ueſtis ſit omne palliū. In deprauatos enim codices incidiſſe Vallã cenſet Alciatus, cum Vlpianus non omne pallium, ſed omne περίστρωμα ſcripſerit, certiſſimumq́; ſit, græcè ſic dici omne quod inſternitur, & circumadijcitur: licet nõ deſint, qui Alciatū hoc in loco Lesbia regula uſum fuiſſe credant, nempe ut locū pro ſuo arbitratu reſtituerit, quemadmodū ipſe Vallæ ſequaces feciſſe credit, qui ueterem Iuſtini, Quintiq́; Curtij ſcripturã interpolauerint, proq́; pellicum uoce pallacarū in eorum codicibus repoſuerint. Sed de Vlpiano omnia in bonã partem interpretari libet, tantū abeſt, ut eū in tam perſpicua re hallucinatum fuiſſe credã: quanquam nõ minus eſt eiuſdem de pulſatione & uerberatione erratū. Sic enim inquit Valla: Inter pulſationẽ & uerberationem Vlpianus ait hoc intereſſe, ut Offilius ſcribit. Verberare eſt, cū dolore cædere: pulſare, ſine dolore. Sed cū utriuſq́; uenia, nõ eſt huiuſmodi inter hæc uerba differentia. An cū uerberamus frumenta, cum dolore uerberamus? aut pulſamus potius quàm uerberamus? Et iumentū cum ſentit ex flagellis dolorem, uerberatur? cum non ſentit, pulſatur? An Entellus ille Virgilianus, ſine dolore pulſabat Dareta? Sed ne multis: quis nõ uidet uerberare eſſe, uerbere cædere, quod eſt inſtrumentum longū & exile, qualis eſt uirga, baculus, fuſtis, lora, flagellū, ferula, harundo, et ſi quid eſt ſimile? Nec aliter dictū eſt uerberare à uerbere, quàm flagellare à flagello, fuſtigare à fuſte. Nã uerbera, licet pro uerberatione accipiãtur, tamẽ rem corpoream propriè ſignificant, ut flagella, quę ſunt propriè ſummitates ſarmentorū. Quintilianus: Ignes ex proximo raptos, uerbera quæ caſus obtulerat. Pulſare uerò eſt, graui ac uehemẽti ictu cædere: nec tã inſtrumento longo & exili, q́; breui ac rotūdo, ut pugnis & calcibus, ut malleis, ut ſaxis, quæ manu teneantur, cum aliū percutimus, in ſimilitudinem tympanorū, quæ manu pulſantur, nec ſemel, ſed multis ictib. percutere. Nãq́; nõ propriè pulſatū aliquẽ dixeris, qui ſemel pugno percuſſus eſt: adeò nõ minor iniuria fit ex pulſatione, q́; ex uerberatione. Præter eã cauſam quã modo dixi, quòd pulſatio eſt multa percuſſio, quippe cū pulſatio plerūq́; fiat in facie. & ob pulſatos eorū legatos, Laurentes Tatiū regẽ occiderūt, qui non puniſſet propinquos ſuos, qui Laurentibus hanc iniuriã fecerãt. & ipſa incuſſio calciū contumelioſa eſt: ſæpe etiã mortifera, utiq́; ſi fiat in ęgrū, in ſenem, in puerū, in prægnantẽ. Taceo ſi alia re quis alterū pulſauit, q́; manu aut pede: cū uicinus meus uxorẽ ſolitus ſit nõ modò piſtillo, uerū etiam mortario æreo pulſare, ut non crebrius pulſet ipſum mortariū. Dictū eſt autem à pello, quod eſt percutio, et ferio, ut apud M. Tulliū libro primo de Diuinatione: Vt pelluntur animi uehementius, ſæpe etiam cura & timore. Et in ſecundo: Num igitur cum aut muros Babylonis, aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit? Hactenus Valla. Alciatus autem non latuiſſe Iureconſultum dicit, uerberare à uerbere, flagello, ſeu ferula dici: ut qui alibi teſtatus ſit, uerberaſſe abuſiuè dici & eum qui pugnis cæciderit. Sed in lege Cornelia, quam tum Vlpianus, uel Offilius interpretabatur, quæq́; actionem ei dabat, qui ſe pulſatum uerberatumque eſſe diceret, aliam expoſitionem negat capi potuiſſe. Si enim, inquit, Vallam ſequeremur, qui ſine graui impetu ſaxo

alij legunt circumamicitur.

percuteret, uerbis legis non contineretur, quia ſaxo non diceretur uerberaſſe, quòd ſine impetu pulſaſſet. quæ ſententia oppidò quàm futilis eſt. Meritò igitur Iuriſconſultus maluit uerberare cum dolore in ea lege accipere, uerbo illo lata ſignificatione accepto, & pulſare ſine dolore, cum frequentatiuũ ſit. à uerbo pello, unde fit pulto, pulſo. Impellitur autem quis etiam ſine dolore. Hęc Alciatus. At ego Offilij ſeu Vlpiani ſententiam deridendam arbitror, cum tradita ab eo inter pulſationem uerberationemq́; differentia nuſquam apud Latinos authores inueniatur: quin potius frequentius ferè uerberare, quàm pulſare ſine dolore ſignificat, niſi fortè aut ſolum, aut oſtium, aut quid ſimile pulſemus, quòd nec ex uerberibus, nec ex pulſatione utiq; dolorem ſentire poſſit. Et quidẽ ita ea diſtinguit Alciatus, ut etiam ſi calcibus, aut pugnis, aut ſaxis aliquem, uel uſq; ad mortem cædamus, eum non pulſare, ſed uerberare dicamur: rurſus, ſi quem uel flagello, uel fuſte, modò ſine dolore percutiamus, hunc nõ uerberemus, ſed pulſemus: quorum tamen utrumq; eſt maximè abſurdum. Atqui ſi Vallam ſequeremur, inquit Alciatus, qui ſine graui impetu ſaxo percuteret, uerbis legis non contineretur. Bona me hercle ratio. Imò hoc ab Alciato doceri uelim, ſi quis uerbere, flagello'ue aliquem ſine dolore cæderet, num eiuſdem legis uerbis cõprehenderetur? Minimè quidem. uerberamus enim cum dolore. An eum pulſari dicemus? Et certè, inquit: nam pulſare ſine dolore eſt. Verum dum hæc tecum commentaris, non uides quàm parum Latinè loquaris. Quid uerbis opus eſt? Veterum authorum teſtimonijs potius agamus. Ad eundem enim modum ſcripſit Cicero, cuius uerbis ſi Offilij ſententiã aptemus, erimus oppidò quàm ineptiſſimi. Ageret, inquit ille in quinta Verrina, uidelicet cauſam arator, nihil ſibi frumenti ab Apronio relictũ, bona ſua etiam direpta, ſe pulſatũ uerberatumq́; diceret. Et in eadem: Videtis pendere alios ex arbore, pulſari autem alios, & uerberari. Et in ſexta: Hæc cum maximè loqueretur, ſex lictores circumſiſtunt, ad pulſandos, uerberandosq́; homines exercitatiſſimi, cædunt acerrimè uirgis. Dicamus & à lictoribus, & prætore Verre homines ſine dolore pulſatos. Pulſare itidem ſimpliciter poſitũ, cum dolore eſt capiendum, ſi modò dolorem pati poteſt, qui pulſatur. Cicero in quarta Verrina: Quodq́; iudicium ſecundum Heraclium do, cõpromiſſis factum erat, quod ciuis Centuripines inter duos ciues iudicauiſſet, id irritum eſſe iuſſit, eumq́; iudicem falſum iudicauit, in ſenatu ne eſſet, locis commodisq́; publicis uti uetuit. Si quis eum pulſaſſet, edixit ſeſe iudicium iniuriarum non daturum. Et paulo pòſt: Quæ iſtius authoritas tantum ualuit, ut neq; illum pulſaret quiſquam, quum prætor in prouincia ſua uerbo permitteret, re hortaretur, neq; quiſquam ab eo quicquam peteret. Mirum eſſet, ſi hunc Verres prætor perditiſſimus ſine dolore cædi uellet. Et in quinta actione in Verrem: Statim tanquam coniuratio aliqua Agyrij contra rempublicam facta, aut legatus prætoris pulſatus eſſet, ita Agyrio magiſtratus, & quinq; primi accitu iſtius euocantur. Liuius libro tertio ab Vrbe cõdita: Aſſentiebantur multi, pulſatos ſe querentes. Idem libro trigeſimo octauo: Eo anno L. Minutius Myrtilus, & L. Manlius, quòd legatos Carthaginenſes pulſaſſe dicebantur, iuſſu Q. Terentij Prætoris urbis per fœciales traditi ſunt legatis, & Carthaginem aduecti. Et quadrageſimo: Ad has excipiendas uoces ſpeculator ex cõuiuis Perſei miſſus, cũ incautior obuerſaretur, exceptus à iuuenibus fortè triclinio egreſſis, male mulctatur. Huius rei ignarus Demetrius: Quin cõmeſſatum, inquit, ad fratrẽ imus? & iram eius, ſi qua ex certamine reſidet, ſimplicitate & hilaritate noſtra lenimus? omnes ſe ire conclamant, præter eos qui ſpeculatoris ab ſe pul-

ſati

fati præsentem ultionem metuebant. Et paulo pôst: Et si causa apparebat, (nam ab ijs pulsatum conuiuam suum audierat) tamen infamandæ rei causa ianuam obserari iubet. Et mox: Si apertè, cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo præter eos qui speculatorem tuum pulsarunt? Virgilius libro sexto Aeneidos,

Hic, quibus inuisi fratres, dum uita manebat,
Pulsatus'ue parens, aut fraus innexa clienti. Tibullus libro primo,
Non ego te pulsare uelim, sed uenerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus. Iuuenalis satyra decima sexta,
Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat, imò & si pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis liuoribus offam,
Atque oculos medico nil promittente relictos.

Fit etiam pulsatio sine dolore, utputa si clypeis aut thoracibus tecti pulsemur. Liuius libro trigesimo primo: Itaque ut id uanũ teli genus senserunt esse, saxis passim tota ualle iacentibus incessebant hostem. Ea maiore cum sonitu, quàm uulnere ullo, pulsatio scutorum parumper succedentes Romanos tenuit. Dicimur etiam pulsare deos, quum ruptis fœderibus illos lædimus, aut alio modo, quantum in nobis est uiolamus. Virgilius libro duodecimo Aeneidos,

Pulsatos referens infecto fœdere diuos.

Et pulsare muros bellicis tormentis. Idem,

Quique imos pulsabant ariete muros.

Et fluctus, scopulos, aut saxa pulsant. Ouidius in primo Metamorphoseos,

Pulsabantque noui montana cacumina fluctus. Virgilius,
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa,
Audimus longè.

Et nerui sagittas pulsant, quum eas emittunt. Idem in quarto Georgicorum,

Aut ut neruo pulsante sagittæ,
Prima leues ineunt si quando prælia Parthi.

Pulsamus tympana, aut citharas. Propertius libro tertio,

Mollia Dirceæ pulsabunt tympana Thebæ. Virgilius,
Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.

Pulsamus terram, quum saltamus. Horatius primo libro Carminum:

Nunc est bibendum, nunc pede libero, Pulsanda tellus.

Ventus quoque, montes imbre & grandine pulsat. Virgilius,

Atlantis, cinctum assiduè cui nubibus atris
Piniferum caput, & uento pulsatur, & imbri.

Boreas apud Ouidium in sexto Metamorphoseos,

Et terras grandine pulso.

Verber autem à Valla rectè definitur, ut sit instrumentum longum & exile, cuiusmodi sunt, uirga, baculus, fustis, lora, flagellum, ferula, harundo, & quicquid est simile: licet uerbera pro ipsa uerberatione plerunque capiantur. In frequentissimo tamen significatu cum singularis est numeri, pro loro ponitur. Virgilius in tertio Georgicorum,

Illi instant uerbere torto. Et in septimo Aeneidos,
Ceu quondam torto uolitans sub uerbere turbo. Tibullus libro primo,
Namque agor, ut per plana citus sola uerbere turbo. Et alibi,
Hæc ubi Bellonæ motu est agitata, nec acrem

Flammam

Flammã, nõ etamens uerbera torta timet. Verbera ad alas retulit Virgilius:

Alarum uerbera nosco. Et alis uerberare. Plinius libro decimo de aquilis loquens: Multum puluerem uolutatu collectum insidens cornibus excutit in oculos, pennis ora uerberans. Horatius etiam linguæ uerbera tribuit:

Aut exanimari metuentes patruæ uerbera linguæ.

Ouidius ad remos transtulit:

Illi admirantes remorum in uerbere perstant.

Hinc uerberare propriè flagello, seu uerbere: quamuis ad alia referatur. Plautus in Aulularia: Quæ te mala crux agitat? quid tibi mecum est commerci senex? quid me afflictas? quid me raptas? qua me causa uerberas? Verberant propriè ora mulieres. Propertius,

Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem,
Candida uesana uerberat ora manu.

Atqui & ferrea uirga quem uerberari scimus. Plinius libro decimo de Psittaco: Hæc cum loqui discit, ferreo uerberatur radio, non sentit aliter ictus. Quid mirum si & bellica tormenta muros uerberant. Cicero in octaua Philippica: Ante consules, oculosq; legatorum tormentis Mutinam uerberauit. Et fretum litus uerberat. Ouidius in tertio Fastorum,

Fertilis est Melite, sterili uicina Cosiræ,
Insula quam Lybici uerberat unda freti.

Et aues aërem alis uerberant. Virgilius in undecimo Aeneidos:

Simul æthera uerberat alis. Et equus aërem calcibus. Idem,
Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat. Hasta quoq; emissa aërem uerberat. Virgilius libro nono:

Hasta uolans noctis diuerberat umbras. Et imber terram. Virgilius:

Quantus ab occasu ueniens pluuialibus austris
Verberat imber humum. Et uineæ à grandine uerberantur. Horatius:
Nec uerberatæ grandine uineæ. Et fluuium retibus uerberamus. Idem:
Atq; alius latum funda iam uerberat amnem.

Sol, luna, imber, uenti uerberant. Plinius libro decimo quarto: Campaniæ nobilissima, exposita sub diuo, in cadis uerberari sole, luna, imbre, uentis aptissimũ uidetur. Flagella uerò, licet pro loris capiantur, summæ etiam arborum partes Seruio teste dicuntur, eo quòd crebros uentorum flatus sustineant. Virgilius in Georgicis, Ne'ue flagella

Summa pete, aut summas destringe ex arbore plantas.

Pro loro. Idem libro quinto Aeneidos,

Signum clamore paratis
Epitides longè dedit, insonuitq; flagello.

Sed de his alij copiosius, meliusq; agent. Nos paucis contenti hoc ostendimus, non esse apud Latinos authores inter uerberationẽ & pulsationem eã differentiam, quæ ab Offilio & Vlpiano, & utriusq; defensore Alciato traditur. Pellicem apud antiquos Massurius Paulo teste scribit libro Memorabilium eam habitam, quæ cum uxor non esset, cum aliquo tamen uiuebat, quam nunc uero nomine amicam, paulò honestiore concubinam appellari. Caius Flaccus in libro de iure Papiniano, scribit pellicem nũc uulgò uocari, quæ cum eo cui uxor sit corpus misceat: secundum quosdam eam, quę uxoris loco sine nuptijs in domo sit, quam Græci παλλακὴν uocant. Horum utrumq; uerè & sensisse & dixisse arbitror: sed tamen pro suscepti oneris officio admonere debeo, pellicem a-

pud oratores & poëtas eam demum haberi, quæ cum eo cui uxor est corpus misceat. Ideoq; Iuno semper persequitur pellices suas, quæ sibi uxori Iouem præriperent. Vnde Plinius libro trigesimo quinto, uerbo Græco maluit uti, cum de Alexandro loqueretur, quem constat ex eo tempore cœlibem fuisse, cum Apellem scorto donauit, quàm ueteri, si uerũ est, Latino: id est, pallace potius quàm pellice. Ita autem ait: Namq; cum dilectam sibi ex pallacis suis præcipuè, nomine Capsacem, nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle iussisset. Quo fit, ut Curtium, ubi de eodem Alexandro & alijs loquitur, cæterosq; scriptores opiner pallacem potius quàm pellicem, pro concubina cœlibis hominis dixisse, culpaq; librariorum in editionibus etiam uitiatum. Suetonius de Vespasiano loquens, pallacarum dixit, nõ pellicum. Et alibi quoq; Titus Liuius, multiq; alij nomine Græco utuntur. Sin aliter inuenitur (ut dixi) uitio dandum est. Alciatus porrò cum Vallæ sententia maximè uera sit, Sabinum tamen hoc in loco magis probat. Siue enim à Græco παλλακὴ ueniat, siue Latina sit uox à pelliciendo, quod Plauti in Pœnulo testimonio magis probat, qui Allexuiri ab alliciendo dixerit, utraq; etymologia Sabini interpretationi conueniet: cui & Quinti Curtij & Iustini authoritas accedit, cum eos ex antiquis codicibus pellicũ, non pallacarum scripsisse constet: quæ uox ante Plinium & Tranquillum in sermone Latino nulla erat. in Græco uerò non aliud quàm pellicem significat, ut appareat Vallam, quiq; ei consentanea tradiderunt, pellicis significationem non ex authoribus accepisse, sed Lesbia regula usos, ipsos planè authores inuertisse, ut quod sentiebant attestarentur. & hæc libro quarto de Verborum significatione. Alibi autem eiusdem Massurij uerba enarrans: Explicat (inquit) Iuriscõsultus pellicis significationẽ, ostenditq; ex Massurij Sabini sententia eo nomine accipi, quæ citra matrimonium cum aliquo consuescat, domiq; retineatur. subijcitq;, uulgò sic accipi, quę cum eo se misceat, cui sit uxor. Sed priorem interpretationem nobilissimi grammaticorum Valla & Perotus nõ recipiunt, quoniam latinè à uiris dici non arbitrantur, hæc est pellex mea, sed ab uxoribus potius. Hinc Philomela apud Ouidiũ in Metamorphosi, se pellicem sororis dicit: & apud Senecam Tragicum, Iuno se cedere pellicibus ait. ut manifestè appareat, pellicem nõ dici, nisi uxoris respectu: forteq; à pellendo, quod maritos ad expellendas uxores compellat. Quòd si apud aliquos authores aliter legatur, ut apud Plinium, Curtium, Tranquillum, corruptos codices uitio librariorum contendunt: & non pellices, sed pallacas, quæ Gręca uox est, legendum autumant. Verũ penes me antiquior est Massurij authoritas, quem & in satyra Persius celebrat, & apud Græcos Athenæus. nã & Nonius Marcellus pellicẽ esse, quam Græci παλλακὴν uocant, cum Iurisconsulto opinatur, ut meritò eiusdem significationis utraq; uox sit. Sed & Martialis Ponticũ deludit, pellice læua utentem. quem locum ne corruptum credamus, ratio carminis manifesto argumento est: qui si Vallę sententia probaretur, nimis dura & barbara translatione esset usus. Satius est ergo Iurisconsulti expositionem sequi, & utramq; interpretationẽ defendere: Hæc Alciatus. A quo tam apertè dissentio, ut & ipsum & Massuriũ errasse liberè profitear: tantum abest, ut Vallam non ex authoribus pellicis significationem accepisse, sed Lesbia regula usum authores inuertisse credam. Siquidem quòd pellicem eam ab antiquis habitam scribit Massurius, quæ cum uxor non esset, cũ aliquo tamen uiuebat, quæq; nunc uero nomine amica, paulo honestiore cõcubina appelletur: si Latinis authoribus credimus, est singulare erratum, quin potius eam esse pellicem, quæ cum uxorem habente corpus misceat,

non

non ueteres solum, sed & alij omnes testant ur. Nam & Sextus Pompeius de ueterum uerborum significatione scribens, ita inquit: Atqui eam propriè pellicem nominabant, quæ uxorẽ habenti nubebat. Quid est his uerbis clarius? aut quid magis Massurij sententiæ contrarium? Aulus item Gellius Noctium Atticarum libro quarto sic ait: Pellicem autem appellatã, probrosamq; habitam, quæ iuncta consuetaq; esset cum eo, in cuius manu mancipioq; alia matrimonij caussa foret, hac antiquissima lege ostenditur, quã regis Numæ fuisse credimus: Pellex ædẽ Iunonis ne tangito: si tanget, Iunoni crinibus dimissis agnũ fœminã cædito. Non de antiquis, sed de antiquissimis scilicet loquitur Gellius. Quid quòd ueteres scriptores eam quæ cũ illo, cui uxor esset, se misceret, pellicem tantũ appellauerunt? Plautum sanè nemo antiquum esse negabit. At apud eum in Mercatore ita alloquitur matremfamiliâs ancilla: I hac mecum, ut uideas simul tuam Alcumenam pellicem Iuno mea. Et inferius ipsa materfamiliâs: Bellulam istam pellicem mei nõ patiuntur oculi. Idem in Rudente: Cupio ædepol quanquam uobis quæ uultis mulieres, metuo propter uos, ne uxor mea me extrudat ædibus, quę me pellices adduxisse dicet ante oculos suos. Cæciliũ quoq; antiquum scriptorem, licet omnes eius comœdiæ exciderint, in eodẽ tamen significatu pellicem posuisse ex quibusdam uersibus, qui apud Gellium leguntur, planè intelligimus: eos hic apponam. Loquitur autem senex de uxore,

Ea me clàm se cum mea ancilla ait
Consuetum, id me arguit, ita plorando, orando,
Instando atq; obiurgando me obtudit, uti eam
Venundarem: nunc credo inter suas æquales
Et cognatas sermonem serit: quæ nostrarum fuit integra ætatula:
Quæ hoc itidem à uiro impetrauit suo, quod ego anus modò
Effeci pellice ut meum priuarem uirum?

Iam hi duo non antiqui, sed propè antiquissimi poëtę, non ita pellicis uocabulo usi sunt, ut inquit Massurius. Eosdem etiam secuti sunt Latini omnes. Cicero pro Aulo Cluentio: Atq; etiam nomina necessitudinum, non solum naturæ nomen & iura immutauit, uxor generi, nouerca filij, filiæ pellex. Idem in secundo Officiorũ, de Alexandro Pheræo loquens: Nec eũ fefellit opinio, ab ea est enim ipse (Theben eius uxorem intelligit) propter pellicatus suspicionẽ interfectus. Sallustius in Ciceronem: Filia matri pellex. Propertius libro tertio Elegiarum,

Cornua nec ualuit mutare in pellice Iuno.

Horatius in Epodis, de Medea loquens:

Hoc delibutis ultra donis pellicem
Serpente fugit alite. Et paulo pòst:
Quibus superba fugit, ulta pellicem,
Magni Creontis filiam.

Liuius libro trigesimo primo, de Demetrio Philippi filio: Nam & si minor ætate quàm Perseus esset, hunc tamen iusta matrefamiliâs, illum pellice ortum esse. Ouidius libro primo Metamorphoseos, de Iunone:

Pellice donata, non protinus exuit omnem Diua metum. Et in secundo:
Intumuit Iuno, postquam inter sidera pellex Fulsit. Idem in VI Fastorum:
Intumuit Iuno, rapta quòd pellice natum
Educet, at sanguis ille sororis erat. Et in secundo Tristium:
Proxima adoranti Iunonis templa subibit,
Pellicibus multis indoluisse deam.

Deniq;

Denique quis unquã Latinus aliter pellicem accepit? Hinc Plinius, Suetoniusque de ijs mulieribus loquentes, quæ cum uxorem non habentibus corpus miscebant, Græca uoce uti maluerunt, quod etiam in Q. Curtio credendum est: nam Iustinum nihil moror. Quin si Q. Curtium, & Iustinum, Alexandri, aliorumque cum cœlibes essent, concubinas pellices appellasse pro comperto haberemus, eos parum latinè locutos fuisse asserere non dubitarem: nempe quòd Romanis omnibus authoribus aduersati essent. Ac si ijs illud quomodocunque concederetur, non protinus rectè sensisset Massurius, qui de antiquis locutus est, cum multos post eum annos uixerint duo illi historiæ authores. Quòd autem nimis barbaram ac duram Martialis translationem, si probanda esset Vallæ sententia, uideri posse subdit Alciatus, quid mirum est, si duro poëtæ duræ translationes arriserint? aut quis unquam poëtis aliquem in translationibus modum præfixit? Nónne durior est illa in Eunucho Terentiana, quum ait? Illum'ne obsecro inhonestum hominem, quem mercatus est here, senem, mulierem? Tum quòd cũ Iureconsulto Nonium Marcellũ, qui pellicem esse dixit, quã Græci παλλακὴν uocant, sentire addit, nemini cordato persuaderi potest. Licet enim à Græco fortè deduceretur, non tamen ea uoce Latini, ut Græci usi sunt. Nostri enim uxorem habentibus pellices tribuerunt, illi uerò omnibus absque discrimine. Sed ego, inquit Alciatus, Massurio magis credo, quem apud Latinos Persius in Satyra, apud Græcos Athenæus celebrauit. Quid? Obsecro te, an non aliquando dormitare potuit, qui à Persio, Athenæoque celebratur? Quis Ciceronem laudat magis, quàm Fabius Quintilianus? An tamen ab eo minus liberè dissentit? Ego sanè Massurium doctissimũ uirum, & iuris eundem consultissimum fuisse scirem, si nec à Persio, nec ab Athenæo utique unquam fuisset laudatus. Iam quòd pellicem Alciatus, non à Græca uoce παλλακὶς, sed à pelliciendo deduci autumat, quod & Plauti in Pœnulo testimonio probat, qui Allex uiri, ab alliciendo dixerit, fallitur quidem, & Plauti locum (præfatus ueniã dixero) nõ intelligit: quodque est ridiculum, idem ait negatque. Enimuero si cum Massurio Nonium Marcellum sentire scribit, qui à Græca uoce pellicem dici asserat, cur eundem improbat, & à pelliciendo pellicẽ deducit? Atqui confirmat Nonij sententiam Aulus Gellius, qui IIII Noctiũ libro ita scribit: Pellex autem quasi πάλλαξ, id est, quasi παλλακὶς, ut pleraque alia, ita hoc quoque uocabulum de Græco flexum est. Allex uerò, ab alliciendo, in Plauto nunquã legitur: quamuis illex, ab illicio, nõ semel usurparit. In Asinaria namque: Esca, inquit, est meretrix, lectus illix est. Et in Persa: Eho tu sterquilinium publicum, impure, inhoneste, iniure, illex, labes populi. Et in Pœnulo: Quando illi malæ rei ante fuimus illices. Allex porrò in omnibus Plauti fabulis, si Pœnulum excipias, nunquam legitur: in eoque semel tantũ, quum ait, Ligula i hinc in malam crucem. Tu'ne etiam amator audes esse allex uiri? aut contrectare, quod mares homines amant? Deglupta, mena, serapis, senicinctium, manstruga, halagoras. Aman' tu autem, plenior allij ulpici, quàm sint Romani remiges? Quo in loco ut alex uiri ab alliciendo nõ deducatur, sciendum est ea uerba à milite Anthemonide in Hannonem Pœnũ dici, qui Anterastilem Adelphasiumque fratris filias casu repertas osculabatur. Cum igitur uir esset, & senex quidem, cui hæc à milite occinerentur, quomodo uir uirũ allicere potest? Proinde alia est eius uocis significatio, ut alex uiri, pro fex uiri ibi sit positum: quasi dicat, Tu'ne etiam amator audes esse, non uir, sed fex uiri? Est autem alex muriæ uitium, seu fex. Plinius trigesimo primo Naturalis historiæ libro, de alece ita scribit: Laudantur & Clazomenæ garo, Pompeijque, & Leptis,

ſicut muria Antipolis, ac Thurij, iam uerò & Dalmatia. Vitium huius eſt alex, imperfecta, nec colata fex. Cœpit tamen & priuatim ex inutili piſciculo, minimoq; confici, apuam noſtri, aphyen Græci uocant, quoniã is piſciculus ex pluuia naſcitur: Foroiulienſes piſcem, ex quo faciunt, lupum appellant. Et paulo pòſt: Sic alex peruenit ad oſtreas, echinos, urticas, camaros, mullorum iocinora. Et ſubdit, Hæc obiter indicata ſint deſiderijs uitæ, & ipſa tamen nonnulli uſus in medendo. namq; & alece ſcabies pectoris ſanatur, infuſa ſuper cutem inciſam, & contra canis morſus, draconiſq; marini prodeſt. Et libro trigeſimo ſecundo: Alex deferuefacta unguium ſcabriciem, ciniſq; è capite menarum extenuat. Plautus itaq; ab alliciendo allicem nunquam deduxit. Nec pellex à pelliciendo deſcendit, licet aliter ſentiat Alciatus: cui ut plurimum defero, ita ſuam quemq; omnibus in rebus ſentenriam proferre æquum cenſeo, ut amicus ſit Plato, amicus & Socrates, ſed magis amica ueritas. Nos ad reliqua. Natura cauillationis, quam Græci σκῶμμα appellauerunt, hæc eſt, ut ab euidenter ueris per breuiſſimas mutationes diſputatio ad ea quæ euidenter falſa ſunt perducatur. Hæc duobus in locis Vlpianus. Caius autem inquit, ſi calũnietur, & moretur, & fruſtretur: inde & calumniatores appellati ſunt, qui per fraudem, & fruſtrationem, & uexationem alios uexarunt litibus: inde & cauillatio dicta eſt. Caius nullam facit menrionem de euidenter ueris, aut de euidenter falſis, nec de breuitate. nec puto faciendam fuiſſe: cũ plerumq; cauillatio ſit tecta & inſidioſa, multiſq; ac longis frequenter ambagibus utens, & quæ uix ab acutis deprchendatur. Quare cauillatio eſt ſubdola ratio, quam nos conſcij nobis mendacij, uincendi tamen cauſa proferimus. In hunc ſenſum ſemper Iuriſconſulti uſi ſunt, & Quintiliani ferè ſeculum. Cicero autem prò genere quodam facetiarũ, & hunc imitatus Aulus Gellius. Titus Liuius utroq; modo. Ipſe quoq; Cicero definit libro ſecundo de Oratore, dicens: Etenim cum duo ſint genera facetiarum, alterum æqualiter in omni ſermone falſum, alterum peracutum & breue: ſuperior cauillatio, altera dicacitas nominata eſt. Cæterum Caius ſentire uidetur, idem eſſe calumniari & cauillari, quod non ſentit Martianus, tantum accuſatori tribuens calumniari, cum ait: Calumniari eſt falſa crimina intendere, quod per legem illam declaratur duodecim tabularum: Calumniator idem patiatur, quod reus, ſi conuictus eſſet. Hæc Valla. ſed quomodo idem eſſe cauillari & calumniari is collegerit, non uidet Alciatus. Cum enim Caluiri uerbum, apud ueteres fruſtrari eſſet, metaphora à caluis militibus ducta, quamuis & cauillatio, & calumnia inde deducatur, non tamen alterum cum altero idem eſſe conſequens erit. Sicut cum dicimus, à uerto fit uerſus, & uerſura: non ſequitur, uerſuram idem quod uerſum eſſe. Rurſum (inquit) impetit Vlpianum Valla, quoniam cauillatio dicitur, etiam ſi ab euidenter ueris ad falſa nõ fiat tranſitus. Reſpondeo, Vlpianum loqui, quando cauillatio pro argumento ſophiſtico accipitur, quod Græcè nõ σκῶμμα, ut ipſe credidit, ſed σόφισμα eſt. Nõ minus hic exultat Alciatus, quàm ſi Vallã in manifeſtiſſimo crimine teneret. Sed nõ uidet hoc ſibi præcipuè illũ uoluiſſe, ut quomodo cauillatio apud Iureconſultos, quomodo item apud oratores capiatur declararet, atq; obiter ſcommatis definitionem non exactè ab Vlpiano traditam fuiſſe oſtenderet. Ita quidem ſi rectè in libro de Verbõrum ſignificatione ex Vlpiani ſententia legeretur, naturam cauillationis, quam Græci σκῶμμα appellauerunt, hanc eſſe, ut ab euidenter ueris per breuiſſimas mutationes, diſputatio ad ea quæ falſa ſint producatur. Quòd ſi ipſe pro ſcommate σόφισμα legit, eaq; uera ſit Vlpiani uerborum ſententia, non per-

uenit

uenit ad Iureconsultum Vallæ reprehensio. quanquam nec ipse Alciatus à multis ἀμφιβολὴν eo in loco repositam fuisse negat: nam & in multis antiquis codicibus, pro sophismate γοητεία legitur, quod uerbum pro quacunque fraude accipi potest. Non igitur Vlpiani locum restituit Valla, sed exemplaris, quod ei in manibus erat, fidem secutus est, in quo si σκῶμμα legatur, meritò carpetur Vlpianus, cum in eo nec de euidenter ueris, aut euidenter falsis, nec de breuitate utique facienda sit mentio, & sit plerumque cauillatio (ut ipse ait) tecta, & insidiosa, multisque ac longis frequenter ambagibus utens, quæque uix ab acutis deprehenditur: quod etiam in ipsis sophismatibus nōnunquam fieri solet. Cauillari autem plura significare, non negat Alciatus, Vlpiani uerba enarrans. ait enim: Cauillatur, qui calumniosè agit: cauillatur, qui breuiter & falsè aduersariū sermone captat, aut irridet: cauillatur, qui sciens, ut suam sententiam tueatur, falsa prodit. Specialius uerò, & (ut ita dicam) ἐμφατικωτέρως cauillari dicitur, qui eo assumpto quod euidenter uerum est, dissimiliter acceptis terminis, quod falsum est infert. Vtrum autem idem esset calumniari & cauillari, quamuis id affirmare uideantur Caij uerba simpliciter prolata, haud in magno discrimine posuit Valla: subiunxit tamen Martiani de calumniatione sententiam, ut hæc duo uerba non idem significare appareat, siquidem hoc censuit Caius. sin minus, ut ex Martiani sententia quo nam pacto Caij uerba sint intelligenda, dignoscamus. De scommate uerò meo iudicio ita scripsit Saturnaliorum libro septimo Macrobius, ut nihil quicquam eius uerbis addi ualeat. Integrum Vallæ caput, in quo quis sit præuaricator, quis calumniator, quis tergiuersator, contra Iureconsultos exquisitissimè docet, omittam: quum ad Vallæ obiecta nihil aliud respondeat Alciatus, quàm non simpliciter eorum uerborum proprietatem docuisse Iureconsultos, sed quomodo specialiter in Iureconsulto Turpilliano accipi debeant, ut eius pœnæ sit locus, quæ quàm sint leuia, alij expendant. Ferri propriè dicimus, Caius inquit, quæ quis suo corpore baiulat: portari ea, quæ quis iumento secum ducit: agi ea, quæ animalia sunt. In hoc ipse Caio assentior, nisi quod portare est etiam suo corpore: interdum etiam magis quàm ferre. Quis enim neget iumenta portare? quæ cum homines imitantur, & ipsi portare dicuntur. Terentius in Andria: Mi homo quid isthuc? obsecro quò puerum portas? Horatius,

Ne fortè sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,

Et ab hoc composita: Deportauit Verres amicū de prouincia: Deportauit Pompeius beneficio Ciceronis tertium triumphū: multi imperatores uictorem exercitum reportarunt, quasi reduxerunt. Agere autem non uno modo dicitur, sed de uno tamen non tacebo. Martialis libro primo Epigrammatum:

Semper agis causas, & res agis Attale semper,
Est, non est quod agas, Attale semper agis.
Si res & causæ desunt, agis Attale mulas:
Attale ne quid agas desit, agas animam.

Cœlius apud Ciceronem: Hortensius, quū has literas scripsi, animam agebat: id est, expirabat. Quæ cum ita sint, Alciatus Iureconsultū ex origine uerbi adiuuari arbitratur. Siquidem πορθμεύειν grçcè traijcere est, unde portus, in quem naui res deportantur. Sic & exercitum nauibus deportari, Liuius plerumque dixit. Quapropter etiam si quis iumento ducat, hac similitudine portare dicitur: quod si ipse ferat, non propriè, sed μεταφορικῶς Alciatus dici putat. Hæc tamen nō ex animo scribit Alciatus, sed ut nulla in re nihil diceret, ad hanc cōiecturam

ſe contulit: quod ex eiuſdem uerbis colligimus. Caij namq; uerba exponens, ſic ait: Nimis propria & ſubtilis eſt hæc Iuriſconſulti noſtri interpretatio. quandoquidem & portari dicitur, quod quis ſuis humeris fert, ut rectè Valla adnotauit, ex Terentij Horatijq; carminibus: quorum alter, Mi (inquit) homo, quid iſtuc? obſecro quò puerum portas? alter uerò, Ne fortè ſub ala Faſciculũ portes librorum, ut ruſticus agnum. Illud cõijcere neſcio, cur nam duo tantum à Laurentio Valla deſumpta loca hoc probantia contra Iureconſultos citauerit. An alia deerant? aut niſi hæc duo in Latinis authoribus eſſent, minus reprehendi poſſet Iureconſultus? Ego certè, hanc uocem in eo ſignificatu frequentiſſimè apud Romanos ſcriptores inueniri ſcio. Quumq; infinita eorum teſtimonia adducere poſſem, paucis cõtentus ero, ut appareat Latinè proprieq; portare dici, quod ſuo corpore quis baiulat. Plautus in Mercatore: Nequeo mecaſtor, tantum hoc oneris eſt quod fero. Quid oneris? Annos octoginta & quatuor: Et eôdem accedit ſeruitus, ſudor, ſitis, ſimul hæc etiam quæ mecũ porto deprimunt. Idem in Pœnulo: Imò ut ipſe nobis dixit, quo accures magis trecentos nũmos, Philippeos portat præ ſibi. Terentius in Heutontimorumeno: Perij, unde illi ſunt ancillæ? Men' rogas? non oportuit relictas: portant quid rerum, Aurum, ueſtem, & ueſperaſcit, & non nouerunt uiam. Criſpus quoq; Salluſtius proprietatis obſeruantiſſimus, hoc uerbo in eodem ſignificatu non ſemel uſus eſt, in Catilina enim ſic ait: Sed ex omn. copia circiter quarta pars erat militaribus armis inſtructa: cæteri, ut quemq; caſus armauerat, ſparos, aut lanceas, alij præacutas ſudes portabant. Et paulo pòſt, Catilina milites alloquens: Et cum prælium, inquit, inibitis, memineritis uos diuitias, decus, gloriam, præterea libertatem atq; patriam in dextris ueſtris portare. Idem in Iugurthino, de Metello conſule loquens: Item in agmine in primis modò, modò in poſtremis, ſæpe in medio adeſſe, ne quiſpiam ordine egrederetur, ut cum ſignis frequentes incederent, miles cibum & arma portaret. Liuius libro uigeſimo quarto ab Vrbe condita: Signum deinde colligendi uaſa dedit, militesq; prædam portantes, agentesq;, per laſciuiam ac iocum ita ludibundi Beneuentum rediere, ut ab epulis percelebrem feſtumq; diem actis, non ex acie reuerti uiderentur. Et uigeſimo octauo: Leuium corporum homines, & multa exercitatione pernicium clauos ſecũ ferreos portantes, quæ inæqualiter eminentia rupis poterant, ſcandunt. Et libro trigeſimo, de turbato Pœnorum exercitu loquens: Igitur, ait, pro ſe quiſq; inermes, ut quibus nihil hoſtile ſuſpectum eſſet, ea modò quæ reſtinguendo igni forent portantes, in agmen Romanum ruebant. Item libro trigeſimo quarto: Alij ſcalas, alij ignem, alij alia, quibus nõ oppugnarent modò, ſed etiam terrerent, portabant. Columella libro nono, de apibus loquens: Quòd ſi nõ contingit, ac neceſſe habuerimus longinquis itineribus aduehere, curabimus ne ſalebris ſollicitentur, optimeq; noctibus collo portabuntur. Et undecimo: Quippe aliqua ſunt opera tantummodo uiriũ, tanquam promouendi opera, portandiq;: aliqua ſociata uiribus, & arti, ut fodiendi, arandiq; ſegetes, & prata deſecandi. Plinius libro ſeptimo, de Aſtomis Indiæ populis: Tantum radicum florumq; uarios odores & ſylueſtrium malorum, quæ ſecum portant longiore itinere, ne deſit olfactus. Idem libro decimo, de aquilis: Paucis antè annis ſola in aciem portari cœpta erat, reliqua in caſtris relinquebantur. Et libro decimo octauo, de Trebio: Ipſe ſupremo die populi humeris portatus in rogum eſt. Eodem quoq;: Vidimus iam tantæ tenuitatis, ut annulum hominis cum epidromis tranſirent, uno portante multitudinem, qua ſaltus cingerentur. Item uigeſimo primo: Polium contra ſer-

pentes

pentes substernitur, uel portatur. Et trigesimo tertio: Iam uerò etiam Harpocratem, statuasq; Aegyptiorum numinum in digitis uiri quoq; portare incipiunt. Suetonius in Augusto: Sequenti satis constat non modò ducis, sed etiam militis functum munere, atq; in media dimicatione aquilifero legionis suæ grauiter saucio, aquilam humeris subijsse, diuq; portasse. Virgilius libro VI Aeneidos,

Corripit Aeneas extemplò, auidusq; refringit
Cunctantem, & uatis portat sub tecta Sibyllæ.

Loquitur autem de ramo aureo. Et in undecimo de Metabo Camillæ patre,

Ipse sinu præ se portans iuga longa petebat
Solorum nemorum. Horatius in primo Sermonum,
Sed panis longè pulcherrimus, ultro
Callidus ut soleat humeris portare uiator. Et in eodem,
Vt si Reticulum panis uenales inter honusto
Fortè uehas humero, nihilo plus accipias, quàm
Qui nil portarit. Et alibi,
Quid caput abscissum demens cum portat Agaue,
Gnati infelicis, sibi tum furiosa uidetur? Tibullus secundo Elegiarum,
Læna uetat miseram Phyrne, furtimq; tabellas
Occulto portans itq; reditq; sinu. Ouidius libro secundo Tristium:
Et latro, & cautus præcingitur ense uiator,
Ille sed insidias, hic sibi portat opem. Et in tertio de Ponto,
Fœmina pro lana cerealia munera frangit,
Suppositoq; grauem uertice portat aquam.

In II quoq; Metamorphoseos de uirginibus Atticis, quæ Canephoræ dicuntur,

Pura coronatis portabant sacra canistris. Et in VI eiusdē operis de Latona:
Hinc quoq; Iunonem fugisse puerpera fertur,
Inq; sinu portasse suo duo numina natos. Et in decimo, de Myrrha:
Vixq; uteri portabat onus. In duodecimo præterea,
Famuli, populusq; per omnes
Discurrunt syluas, atq; obuia lumina portant. Et in eodem,
Sæpe manu stimulos rigida portabat. Item in tertio Fastorum,
Sæpe potens uoti frontem redimita coronis
Fœmina, lucentes portat ab urbe faces.

Martialis libro primo Epigrammatum,

Iam defecisset portantes calda ministros. Item undecimo,
Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
Alecem. Iisdem in locis promiscuè tam ferre, quàm portare usi sunt Liuius ac Virgilius, ut hæc uerba nihil planè inter se differre intelligamus. Ille enim libro trigesimo octauo ita scribit: Ibi statiua habentibus legati ab Epessognato uenerūt, nunciantes profectum eum ad regulos Gallorū, nihil æqui impetrasse, ex campestribus uicis agrisq; frequentes demigrare, & cum coniugibus ac liberis quæ ferre atq; agere possent, præ se agentes portantesq;, Olympum montem petere, ut inde armis locorumq; situ se tuerentur. Hic libro primo Aeneidos,

Munera præterea Iliacis erepta ruinis Ferre iubet.

Et de iisdem inferius, Et dona Cupido

Regia portabat Tyrijs duce lætus Achate.

Ex quibus omnibus deridendā esse Caij definitionem discimus, cum apud optimos quosq; authores idem sit ferre quod portare; quod quidē ad equos, aliaq; iumenta

iumenta refertur, ut non tantum illis aliquid portemus, sed ipsa etiam portare dicantur. Horatius,

Equus ut me portet, alat rex. Virgilius in quinto,

Quem Thracius albis Portat equus bicolor maculis.

Et naues aliquid portant. Liuius libro trigesimo septimo: Cum pararent traijcere, literis certior fit Prętor, frumenti uim magnam Chiũ ex Italia uenisse, uinum portantes naues tempestatibus retentas esse. Cæsar in sexto commentario de bello Gallico: Ac sic accidit, ut ex tanto nauiũ numero, tot nauigationibus, neque hoc neq; superiore anno ulla omnino nauis, quæ milites portaret, desideraretur. Et fluuij: Virgilius in Georgicis,

Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus Volueret.

Et currus: Tibullus,

At te uictrices lauros Messala gerentem,

Portabat niueis currus eburnus equis.

Portatur & nauibus aliquid. Virgilius in primo Aeneidos,

Portantur auari Pigmalionis opes pelago.

Sallustius in Iugurthino: Deinde exercitus qui in Africã portaretur, scribitur. A porto autem componuntur asportare, deportare, transportare, reportare, & similia. Virgilius,

Nec te hinc comitem asportare Creusam Fas.

Liuius libro trigesimo quarto: Ablegarent ergo procul ab Syracusis, Siciliaq;, & asportari Alexandriam iuberent, ad uirum uxorem, ad patrem filias. Idem libro uigesimo sexto: Asdrubal ne in arcto res esset, caduceatorem misit, qui promitteret, si inde missus foret, se omnem exercitum ex Hispania deportaturum. Idem in eodem: Eum exercitum Puteolis in naues impositum, Nero in Hispaniam transportauit. Et uigesimo quinto: Cannensis reliquiæ cladis hic exercitus erat relegatus in Siciliã, sicut antea dictum est, ne ante Punici belli finem in Italiam reportaretur. Nec solos tamen hos esse eorum uerborum significatus assero, neq; hæc sola uerba à porto componi. Illorum hoc erit munus, qui de his rebus data opera scribunt. nos hæc obiter dixisse satis fuerit. Quæ uerò ariolatur Alciatus, nihil ad rem faciunt. Si enim portare à Gręco πορθμεύειν, quod traijcere est, deduceretur, tam translatè seu μεταφορικῶς poneretur, quum aliquid iumentis quis secum ducit, quàm quũ suo corpore baiulat. Quòd autem ab eodem Græco uerbo portũ deduci censet, ut in quem naui res deportentur, nõ mediocriter ab Vlpiano dissentit, qui in libro de Verborũ significatione ita scribit: Portus est appellatus conclusus locus, quò importantur merces, & inde exportantur. Eaq; nihilominus statio est, conclusa atq; munita, unde angiportum dictum est. Quæ uerba explicans Alciatus: Portum, ait, antiqui plerumq; pro insula, aut domo, ut Festus inquit, dicebant. cuius rei rationem Iurisconsultus hic assignat, quòd scilicet merces in eam portarẽtur. Hinc à similitudine portus appellari cœpta est nauium statio, qua inclusæ naues à uentis tutæ essent: isq; frequentissimus est huius uocis significatus. Vbi utrum à semetipso dissenserit Alciatus, & an melior sit Festi Iurisconsultiq;, quàm illius deductio, non interpretor. Ego ad aliud caput pergo. Conuicium apud Vlpianum iniuriam esse Labeo ait, quasi maledictum iniuria non sit. Addit etiam Labeo: Conuicium autem dicitur, uel à concitatione, uel à cõuentu, hoc est collatione uocum. Cum enim in unum complures uoces cõferuntur, quasi conuocium est. Sed quod additur à Prætore, aduersus bonos mores, non omnem in unum collatam uociferationem,

rationem, prætorẽ notare, ſed eã quæ bonis moribus improbatur, quæq; ad infamiam & inuidiã alicuius ſpectat. Et iterũ: Conuicium autem non tantũ præſenti, uerum abſenti quoq; fieri poſſe Labeo ſcribit. Proinde ſi quis ad domũ tuam uenerit te abſente, conuicium eſſe factum dicitur. Item ſi ad ſtationem, uel tabernam uentum ſit, probari oportere feciſſe conuicium non tantum is uidetur qui uociferatus eſt, uerum is quoq; qui concitauit ad uociferationem alios, uel ſubmiſit qui uociferarentur. Et paulo pòſt: Ex his apparet, non omne maledictum conuicium eſſe, ſed id ſolum, quod cum uociferatione dictũ eſt: & ſiue unus, ſiue plures dixerint, conuiciũ eſt, quod in cœtu dictum eſt. Quod autem in cœtu, nec in uociferatione dicitur, conuiciũ non propriè dicitur, ſed infamandi gratia dicitur. Ex ipſa nominis etymologia argumentũ ſignificationis Labeo ſumpſit. Sed cum falſa ſit etymologia, falſa erit & definitio: cumq; falſa ſit definitio, falſa erit & etymologia. Quis enim Labeoni tribuat, conuicium à concitatione, aut à conuentu, aut à collatione uocis, quaſi conuocium? cum ſit alia propria magis ſiue etymologia, ſiue expoſitio per cõpoſitionem, à con & uitium, uel à conuito, quaſi uitandum, & uituperationis cauſa factum? Habet autem conuicium ui non breue, ut uitium, ſed longum ut uito: & licet conuito aliud ſignificet, quàm conuicium, ſi modò ſignificat idem quod inuito, nõ obſtat, cũ à ſuo quoque ſimplici, quod eſt uito, in ſignificatione magis diſtet, quàm cõuicium à ſuo, ſiue illud ſit uito ſiue uitium. Ipſa quoq; con præpoſitio in bonam & malam partem accipi ſolet, ut conficio pro perficio, & pro eo quod eſt conſauciando trucido, inde confectores ferarum. Conuicium igitur à uicium, uel potius à uito deſcendit, ut uitupero: tametſi nõ omnino repugnarem ſcribi per c, ut quibuſdam placet, nõ per t, & hoc quidem de etymologia. Quę ſi pro Labeone, Vlpianoq;, non pro me faceret, tamen definitioni repugnare auderem, nuſquam reperiens apud ſummos uiros hanc differentiam cuſtoditam inter conuicium & maledictum. Inter quæ ſi qua eſt, hæc erit, quod conuicium eſt maledictum contumelioſum. Quintilianus in ſeptimo: Sic autem præparabit actione prima iudicum animos, ut noluiſſe potius obijcere, quàm non potuiſſe credatur. Eoq; ſatius eſt omni ſe anteactæ uitæ abſtinere conuicio, quàm leuibus, aut friuolis, aut manifeſtò falſis reum inceſſere, quia fides cæteris detrahitur: & qui nihil obijcit, omiſiſſe credi poteſt maledicta, tanquam ſuperuacua: qui uana congerit, confitetur uanum in anteactis argumentum. Ex his uerbis planè datur intelligi, nec uociferatione utiq; fieri conuicium, nec aliud eſſe quàm maledictum. Cicero pro Cœlio: Maledictũ autem nihil habet propoſiti præter contumeliam: quæ ſi petulantius iactetur, cõuicium: ſin facetius, urbanitas nominatur. Hactenus Valla. Quem egregiè falli cenſet Alciatus. Quid enim, inquit, tunc coniunctiua illa particula operaretur? cur item ſi à uitio deducitur, ſecundam ſyllabam producit conuicium, cum conſtet uitium corripi? Nam & Cicero, quem ipſe adducit, petulantiorem iactationem in conuicio requirens, pro Labeone eſt: ut mirer eum tam leuibus argumentis à recepta ubiq; Labeonis ſententia deſciuiſſe, quæ & orthographiæ ratione defenditur, cum per c conuicium, non per t ſcribatur. Hic mehercule Alciatus nullius momenti rationibus tam acerbè Vallam inſectatur, quàm ſi eum inextricabilibus erroribus inuolutũ teneret. Inquit enim: Quid coniunctiua illa particula operaretur? quaſi nõ infinita inueniantur conſücta idem ſignificantia, quod ſimplices uoces erant per ſe ſonaturæ. Et ſubdit: Cur item ſi à uitio deducitur, ſecundam ſyllabam producit conuicium? cũ conſtet uitium corripi? Imò ſi hoc tibi mirum ac nouum uidetur Alciate, hoc po-

tius expedi, cur dicax, quæ uox à dico deducitur, primam habet breuem, cum dico semper producat? quanquam non magis conuicium à uitio, quàm à uito descendere contendat Valla, quasi simul uitandũ dicatur: quod si est, meritò secundam producit. Nec tamen uidet hanc præcipuè fuisse Laurentij sententiã, ut à Iureconsulto, nõ tam de eius uocis deductione, quàm de significatu dissentiret. subiunxit enim, non dubitaturum se eius definitionem improbare, uel si maximè etymologia pro Iureconsulto faceret, cum bonis authoribus id tantum esse conuicium, quod uociferatione & in cœtu fiat, sit prorsus inauditũ. Et sine uociferatione enim conuicium fieri, Quintiliani locus ostendit, & alia multa, quæ apud receptos authores obseruantur: & licet in cœtu non simus, cõuicium nihilominus facere dicimur. Plautus in Mercatore: Malè mihi precatur, & facit conuicium. Propertius libro quarto:

Vt mihi deducta faciat conuicia puppe,
Cynthia, & insanis ora notet manibus. Et alibi,
Quæ mulier grauida iactat conuicia lingua.

Ouidius libro octauo Metamorphoseos,

Et ingrato facio conuicia demens
Vana Ioui.

Nõ tamen negarim etiam in cœtu, et cũ uociferatione fieri conuicium. Cicero libro ultimo Epistolarum ad Atticum, de legionibus loquens, ita inquit: Congiarium ab Antonio accipere noluerunt, ut hic quidem narrat, et ei conuicium grande fecerunt. Plautus in Bacchidibus: Vis tibi ducentos nummos iam promittier, ut ne clamorem hic facias, nec cõuicium? Vt igitur hoc est concedendum, ita prauè dicimus non esse conuicium, quod neq; in cœtu fiat, nec cum uociferatione. Quod uerò subiungit Alciatus, Ciceronis locũ à Valla adductum pro Labeone esse, nõ uideo qua ratione id colligat. Licet enim petulantiorem in conuicio iactationem requirat nihil tamen iactatio illa ad clamorem, nec petulantior quidem. Nam & aliquid sine uociferatione petulanter iactare possumus, uel si in cœtu non simus, & hæc de conuicio. Versicoloria apud Iureconsultos uocantur, quæ natiuum colorem mutarunt, ut uestes si albæ sint aut nigræ, subnigræ'ue, quales ex lana non tincta solent esse, coloriæ: si in colorem alium tinctæ sint, uersicoloriæ nominantur. Cæterum uix in hunc sensum reperimus, nam Cicero collum columbi, pauonisq;, & eius caudam uersicolorem uocat: & nõnulli aquam maris, uel quod uersat & mutat colorem subinde, uel potius quod sit discolor, ut apud Pliniũ libro trigesimo sexto: Quo in tractatu subit mentem, nõ fuisse tum authoritatem maculoso marmori, fecere è Thasio Cycladarum insularũ, æquè & è Lesbio, liuidius hoc paulo, uersicolores quidem maculas, & in totũ marmorum apparatũ Menander etiam diligentissimus luxuriæ interpres primus & rarò attigit. Et in eodem: Primum (ut arbitror) uersicolores istas maculas Chiorum lapidicinæ ostenderunt, cũ extruerent muros. Et in trigesimo septimo: Veluti cum calculi fiunt, quos quidem abaculos appellant, aliquos etiam pluribus modis uersicolores. Et in decimo quinto: Ingens postea turba prunorum uersicolorum, nigra, candida, hordeacea, appellata à comitatu frugis eius eodem colore. Et in uigesimo quinto, de uersicoloribus uiperarum maculis. Et in uigesimo octauo: Nullum animal pauidius existimatur, & ideo uersicoloris esse demutationis. Per quod apparet, collum columbi pauonisq;, & caudam aquamq; non ideo uersicolorem dici, quod uerset colorem, sed quod diuersum colorem habeat. Alioquin satis habuisset Plinius dicere, & ideo uersicolor est: nec adiungeret, demutationis. Neq; uerò uestes ab hac signifi-

ſignificatione communi excipiendæ ſunt, putandæq; uerſicolores ita demum dici, ſi lana tincta confectæ fuerint. & apud Quintilianum: Dum in his de quibus erit queſtio meminerimus, non athletarum toros, ſed militum lacertos eſſe, nec uerſicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, bene ad forenſem puluerem facere. Apud Titum uerò Liuium eſt, ſecundo Punico bello interdictum fuiſſe matronis, ne uerſicoloribus ueſtirentur: quod qualiter accipiendum ſit, Valerius Maximus libro nono ſignificat dicens: Quam fœminæ tollere cupiebant, quia in ijs nec ueſte uarij coloris uti, nec auri plus ſemuncia habere, nec iuncto uehiculo propius urbem mille paſſus, niſi ſacrificij gratia, uehi permittebatur. Idem Liuius alibi ait: Corpus alteri magnitudine eximium uerſicolore ueſte, pictiſq;, & auro cælatis refulgens armis. Profectò de uarij coloris ueſte locutus eſt. Et iterum: Tunicæ auratis militibus uerſicolores, argentatis linteæ candidæ. Nam illud Virgilij, Verſicoloribus armis, exponit Seruius depictis, per quod bellicoſus oſtenditur. Hæc Valla. Sed Vlpiani locū ab eo nō intellectum arbitratur Alciatus. Alioqui quæ ipſe dicit, ſatis agnouiſſet Valla, Vlpiani ſententiæ nihil aduerſari. Igitur ſciendum eſt, inquit, ex origine uocabuli eam rem eſſe uerſicolorem, cuius color in aliū ſit uerſus: ſicut & uerſipellis, non cui uaria pellis, ſed qui in aliam pellem uerſus eſt, unde homines in lupum mutati, uerſipelles appellantur. Eadem ratione lanæ uerſicolores dicuntur, quę per tincturam in alium colorem ſunt uerſæ. Dubitat igitur Iureconſultus, lanis uerſicoloribus legatis quid contineatur. Et primò reſpondet, legatis ſimpliciter lanis, uerſicoloria apud ueteres nō comprehenſa. Legato uerò lanarum uerſicolorium, eas intelligi quæ tinctæ ſunt. & (quod dubitabilius erat) etiā netæ, dummodò neq; detextæ, neq; contextæ adhuc ſint: tunc enim nō lanæ, ſed ueſtimentorum appellatione continentur. Et paulo pòſt: Ex his apparet, uerſicolores ueſtes uarij coloris idcirco dici, quia ex uerſicoloribus lanis natiuis conficerentur: à qua ſimilitudine, & uerſicoloria arma Virgilius, & uerſicolorem plumā Propertius, & uerſicolorem caudā dixit Cicero. Quæ omnia quantopere Iureconſultorum ſententiam cōfirment, uideamus. Atq; illi quidem uerſicolorias ueſtes appellant, quæ in alium colorem tinctæ ſint. Hoc ſi apud Latinū aliquem ſcriptorem inueniatur, Vallam erraſſe non inficiabor. Cum autem contrà hac uoce præter Iureconſultos pro uariorum colorum ſignificatu uſi fuerint, aut Ciceronem, Liuium, Virgilium, Ouidium, Propertium, Plinium, & reliquos, aut Iureconſultos erraſſe, uel nolentes fateri cogimur. Nam à ueſtibus ad lanas tranſire, non eſt ſanè aliud, quàm ubi manifeſtò tenearis, aliam rem agere, ac id diſſimulare, quod primum diſcutiendum erat. Nec interim quomodo lanæ uerſicolores, pro ijs quæ colorem uerterīt ſint accipiendæ, ſatis explicat Alciatus. Verum ut ad uerſicolorium ſignificationem ueniamus, ſi M. Tullius collum pauonis, columbiq;, & caudam uerſicolorem appellat: ſi Plinius maculas, quæ omnia pro uarijs ſunt accipienda, cur dicemus uerſicolores ueſtes inde dici, quod ex lanis uerſicoloribus, hoc eſt quæ colorē mutarint, fieri ſoleant? quis unquam aliquā rem uerſicolorem appellauit, quę colorem mutaſſet? Nónne hoc merum eſt Alciati figmentū? At caudam & plumā uerſicolorem dicimus, non eam quidem quæ colorem mutarit, ſed quæ uariorum ſit colorum. Eodem pacto & ueſtis dicetur uerſicolor, quæ uariorum ſit colorum. Locus porrò M. Tullij, quem Valla adduxit, eſt in tertio, ni fallor, de Finibus, ubi ita ſcribit: Alia autem nullam ob utilitatem, quaſi ad quendam ornatum, ut cauda pauoni, plumę uerſicolores columbis, uiris mammæ atq; barba. Propertius uerò III Elegiarū, de mor-

te Peti ob auaritiā loquens, plumam itidem uerſicolorem appellauit, ait enim,

Et fultum pluma uerſicolore caput.

Qui locus quomodo ſit intelligendus, idem author de puellarum auaritia querens oſtendit, cum inquit,

Et uariam plumæ uerſicoloris auem.

Itidem & in ueſtibus dicitur, quod ſatis indicat Ouidius in quinto Faſtorum, de ſacerdotibus Floræ loquens, quæ cum meretrices eſſent, uerſicoloribus ueſtibus indutæ, ut uarios florum colores deæ conuenientes exprimerent, ſacra peragebant. Ouidij uerſus hi ſunt,

Cur tamen ut dantur ueſtes Cerealibus albæ,
Sic eſt hæc cultu uerſicolore decens?
An quia maturis albeſcit meſſis ariſtis?
Et decor & ſpecies floribus omnis ineſt?

Columella libro decimo de Re ruſtica,

Iam uer purpureum, iam uerſicoloribus anni
Fœtibus alma parens cingi ſua tempora gaudet.

Plinius libro nono: Mullum expirantem uerſicolori quadam uarietate ſpectari, proceres gulæ narrant. Idē libro decimo ſexto: Nam neque ilex, picea, larix, pinus ullo flore exhilarantur, natales'ue pomorū recurſus uerſicolori nuncio pro mittunt. quod quomodo ſit intelligendum, paulo antè declarauerat, de arboribus loquens, his uerbis: Arborum flos eſt pleni ueris indicium, & anni renaſcentis flos gaudium arborum. Tunc ſe nouas aliasq́; quàm ſunt, oſtendūt, tunc uarijs colorum picturis in certamen uſq; luxuriant. Et inferius eodem libro, de helicis generibus loquens: Herbacea ac uirens quæ plurima eſt, altera candido folio, tertia uerſicolor, quæ Thracia uocatur. Quę uerba quo pacto capienda ſint, paulo pòſt oſtendit: Maiora quoq;, inquit, ac minora ſunt folia, macularumq́; habitu diſtant. Vigeſimo quoq;, ubi qui primi flores in coronis miſcere cœperint docet: Poſtea uariari cœptum eſt, ait, mixtura uerſicolori, florumq́; inuicem odores coloresq́; accendere Sicyonij, ex ingenio Pauſiæ pictoris, atq; Glyceræ coronariæ. An ergo his in locis ita ſit capienda uerſicolorium uox, quemadmodum ſecum cōminiſcitur Alciatus, ut Iureconſultos protegat, diffuſius non explico, cum nemo ſit (ut opinor) tam imperitus, quin Alciati pro Iurecōſultis defenſionem meras nugas eſſe uideat. Neq; porrò ſi ea dicimus uerſicoloria, quæ diuerſorum ſunt colorum, aliqua negamus eadem uoce comprehendi, quæ colorem uerſent, hoc eſt quodammodo uariū atq; inſtabilem reddant, prout ſunt pauonis caudæ, & columborum circuli uerſicolores. Id enim fieri tradit Lucretius, & eius rei rationem reddit libro ſecundo hiſce elegantiſſimis uerſibus:

Qualis enim cæcis poterit color eſſe tenebris?
Lumine qui mutatur in ipſo, propterea quod
Recta aut obliqua percuſſus luce refulget,
Pluma columbarum quo pacto in ſole uidetur,
Quæ ſita ceruices inter collumq́; coronat.
Namq; aliàs fit uti claro ſit rubra pyropo,
Interdum quodam ſenſu fit uti uideatur
Inter cœruleum uirides miſcere ſmaragdos,
Caudaq́; pauonis larga cum luce repleta eſt,
Conſimili mutat ratione obuerſa colores.

Cæterum hæc per aërem colorū mutatio, ſiue uarietas, in ijs tantū fit, quæ uarijs

itidem

itidem coloribus natura constant. In pauonis enim cauda non unum, sed multos colores uidemus, sicut & in columbi collo, quod Plinius libro decimo testatur, ita scribens: Verum columbis inest quidam & gloriæ intellectus: nosse credas suos colores, uarietatem'que dispositam. Perperam proinde Iureconsulti eas lanas uersicolores appellant, quæ colorem mutarunt, siue uerterunt: cum ea uox diuersos semper colores denotet, ac si quando colores uerset, ea tamen mutatio lanis quouis colore tinctis non cōueniat, quòd uel aboblíqua, uel à recta luce percussæ, eundem colorem seruent. Componuntur à colore & alia non pauca, qualia sunt discolor, quod est diuersorum colorum. Virgilius in sexto Aeneidos,

Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

Cicero in secunda Verrina: Iam uerò quomodo illam labem, ignominiam, calamitatemq́ totius ordinis conquerar, hoc factum esse in hac ciuitate cum senatorius ordo iudicaret, ut discoloribus signis iuratorum hominum sententiæ notarentur? Decolor, quod est uitiato colore. Ouidius in quarto Tristium,

Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat. Et alibi,
Decolor extremo qua cingitur India Gange.

Virgilius libro octauo Aeneidos,

Deterior donec paulatim, ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi.

Et concolor, quod est eiusdem coloris. Virgilius,

Candida per syluam cum fœtu concolor albo
Procubuit, uiridiq́ in littore conspicitur sus.

Ouidius in sexto Metamorphoseos, de Pelope,

Concolor huic humerus nascendi tempore dextro,
Corporeusq́ fuit. Et in decimo,
Cum flos de sanguine concolor ortus.

Et bicolor, quod est duorum colorum. Idem libro decimo Metamorphoseos,

Myrtea sylua subest, bicoloribus obsita baccis.

Item unicolor, unius coloris. Idem in undecimo Metamorphoseos, Somni domum describens,

At medio torus est hebeno sublimis in antro,
Plumeus, unicolor, pullo uelamine tectus.

Cæterum quia uersipelles eos dici censet Alciatus, non quibus uaria pellis sit, sed qui pellem mutarint, aut in aliam pellem uersi sint, unde homines in lupos mutati uersipelles Plinio appellantur: quod Alciati pace dictum sit, non exactè docuit, qui'nam uerè dicantur uersipelles. Vt enim plumam uersicolorem dicimus uariã, ita homines astutos, & uarios, uersipelles appellamus. Cuius uocis significationem graphicè nimirum expressit Plautus, Latinitatis, ut si quis alius, sciens. Sic enim ait in Bacchidibus: Versipellem frugi conuenit esse hominem, pectus cui sapit, bonus sit bonis, malis malus, utcunq; res sit, ita animũ habeat. Non est igitur propriè uersipellis, qui pellem mutat, licet Plinium id sentire credat Alciatus. Alioqui capillũ uersipellem satis ineptè diceremus, quippe qui pellem, quam nullam habet, mutare nõ possit. Plautus tamen capillum uersipellem appellat, non eum scilicet qui pellem uerterit, sed qui mutato prisco colore in caniciem uergens, uarius iam esse incipiat. In Persa enim sic ait: Tempori hanc uigilare oportet famulam, atq; ætatulam, ne ubi capillus uersipellis fuat, fœdè semper seruias. Nec me latet eundem Plautum in Amphitryonis prologo

Iouem

Iouem uersipellem appellare, qui in Amphitryonem esset conuersus, quum inquit: Nam meus pater intus nunc est, eccum Iuppiter in Amphitryonis uertit sese imaginem, omnesq; eum esse censent serui qui uident: ita uersipellem se facit, quando lubet. Sed eo in loco uersipellem pro uario positum, commodissimè interpretari possumus: nempe quod Mercurio Iuppiter, cæteris uideretur Amphitryo, quanquam & eius exprimere faciem poterat Iuppiter, etiam si pellem non mutaret. Ad summam, si Plinius optimè appositissimeq; homines in lupos mutatos, uersipelles appellauit, non tamen protinus eas lanas dicemus uersicolores, quæ colorem mutarint, cum omnium fermè Latinorum consensu ea (ut ostensum est) dicantur uersicoloria, quæ diuersorum colorum sint. Sed de uersicoloribus hactenus. Penes te, ut Vlpianus ait, amplius est, quàm apud te. Nam apud te est, quod qualitercunq; à te tenetur: penes te est, quod quodammodo possidetur. Et ante hunc Sextus Pompeius: Apud & penes in hoc differunt, quòd alterum personam cum loco significat, alterum personam & dominium ac potestatem, quod trahitur à penitus. Personam cum loco Festus accepit, pro personam & locum: ut apud Platonem, & apud forum, id est in Platone & in foro. Quorũ utriusq; definitionẽ probo, illudq; addo, penes dum tantum ad personam refertur, non modò dominium adesse significare, uerum etiam laudem ac uituperationem. De laude, ut Cicero in Bruto: Eius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis ac scientiæ. De uituperatione, ut Quintilianus in Gladiatore: Vereor ne illius inexpiabilis, & sæpe reprehensi odij culpa uideatur penus patrem, qui tam facile irascitur. Illud quoq; quod crebrò usurpamus, fides penes authores sit, in laudem, uituperationemq; simul accipitur, quasi laus ueritatis, aut uituperatio falsitatis penes authorem sit, ad quem spectat fidem rei, cuius author est, facere. Ad me certè ista uel laus, uel uituperatio non spectat, qui hoc non affirmo, sed ad alterũ authorem relego. Quod de laude & uituperatione dico, idem accipio de commodo & incõmodo. ut Liuius: Penes eosdem pericula belli, penes quos præmia essent. Nonnunquam etiam loco seruit, sicut apud Ciceronem libro quarto ad Herennium: Ita petulans es atq; acer, ut ne ad solatium quidem, ut mihi uidetur, sed penes scenam, & in eiusmodi locis exercitatus sis. Hæc quasi inexpiabilia crimina Iureconsulto obiecta, ita diluit Alciatus, ut Vlpianum nõ negaturum fuisse putet, suam illam differentiam ab authoribus quandoq; confundi, quæ tamen ex ui uerbi uerissima sit, quum deducatur à dictione penitus: unde & penissimus, ut Plautus cęteriq; antiquiores dixerũt. At ego quo nam pacto Vallam reprehendere possit Alciatus, non uideo. Producit in medium primò Vlpiani definitionem, deinde idem sentientem Sextum Pompeium citat, demum utriusq; confirmat sententiam. Rectè hæc quidem. Sed aliqua addit, & eorum uerborum significationem, tum ex M. Tullij Bruto, & libris ad Herennium (si modò M. Tullij sint illi) tum ex Tito Liuio, & Fabio Quintiliano latius explicat, & hoc rectissimè, nisi fortè nemini ad Iureconsultorum scripta quicquam addere licere credamus. Penitus sanè uehemens habet significatũ, cum quasi interius, aut intimè exponi possit. Cicero pro Aulo Cluentio: Euellam ex animis hominum tantam opinionem? tam penitus insitam? Et contra Rullum: Non enim natura, neq; dissidio penitus insito bellum nescio quod habet susceptũ consulatus cum tribunatu. Virgilius libro IIII Aeneidos,

Rursus & alterius lentum conuellere uimen
Insequor, & causas penitus tentare latentes. Et in duodecimo:
Teliq; latebram Rescindant penitus.

A peni-

A penitus penetrare deducitur. Idem in primo,

Antenor potuit medijs elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus. Et in septimo,
Hisortus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetrarit ad urbes.

Ouidius libro secundo Metamorphoseos,

Dissilit omne solum, penetratq; in Tartara rimis
Lumen.

Ab hoc uerbo, & penetrabile telum, & frigus penetrabile, & alia multa deducuntur, de quibus alij diffusius. Neq; enim id nunc agimus, ut omnia uerborum significata exequamur, presertim quòd de maioribus est differendum. Patres, inquit Paulus, usq; ad tritauos apud Romanos proprio uocabulo nuncupantur: ulteriores, qui non habent speciale nomen, maiores appellantur. Item liberi, usq; ad trinepotem, ultra hos posteriores uocantur. Sed cum uenia Pauli, neq; usus hoc, neq; ratio consentit. Omnes enim qui ante nos fuerũt, utiq; qui liberos reliquerunt, atque id in nostra ciuitate, maiores dicuntur: qui uerò post nos, posteriores. Cicero in Sallustiũ: Ego meis maioribus uirtute mea præluxi, ut si prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ: Tu tuis uita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras, ut etiam si fuerint egregij ciues, certè uenerint in obliuionẽ. Nunquid Cicero ait, se præluxisse ijs tantum, qui supra tritauum fuerunt: Sallustium uerò tenebras offudisse? An potius ut quisq; à Cicerone atq; Sallustio recentissimus erat, ita illi maximè horum utrumq; uel præluxisse, uel tenebras offudisse? Si quis claris maioribus ortus quæreretur, cur non multo magis is dicatur, qui patrem, auum, proauum, abauum, atauum, tritauum clarum, cæteros obscuros habuit, quàm qui ista è contrario? Hoc ne ipse quidem Paulus negaret. Insuper patres non opinor usq; ad tritauos posse deduci. Cum enim dicimus, patrum memoria aliquid factum esse, de proxima ætate semper intelligimus, non de illa sexta. Et inferius: In eundem opinionis errorem incidit Seruius, qui in octauo Aeneidos ait, minores non dici, nisi quoties graduum defecit nomen, ut pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos: ubi isti gradus defecerunt, meritò iam dicimus minores, sicut & maiores dicimus post patris, aui, proaui, ataui uocabulum. Hoc totum accusationis caput minimè subsistere credit Alciatus: quamuis enim etiam maior dicatur pater, auus, proauus, tamen hoc non est proprio, id est ipsis tantum conuenienti nomine, sed generali, cum de proprio uocabulo egerit Iureconsultus. Ex quibus impropriè maiores dici, qui infra tritauum sint, colligit Alciatus. At id maximè est ridiculum, cum idem sentiat, quod & Iureconsultus, & prauè quidem. Siquidem hoc uocabulo tam promiscuè Latini scriptores utuntur, ut non magis ijs conueniat, qui supra tritauum sunt, quàm patri, auo, proauo, & similibus. Quod licet Valla satis apertè ostẽderit, melioribus, atq; id apertioribus testimonijs planum faciam. Plautus namq; in Milite ita scribit: Noli minitari, scio crucem futuram mihi sepulchrum, ibi enim mei maiores sunt siti, pater, auus, proauus, abauus. Et in Persa ex parasiti persona: Nam nunquam, inquit, quisquam meũm maiorum fuit, quin parasitando pauerit se, pater, auus, proauus, abauus, atauus, quasi mures semper edere alienum cibum. Et inferius: Vnde ego quæstum hunc obtineo, & maiorum locum. His uerbis quid sit clarius, quid magis proprium, nihil uideo. Tam enim dilucidè maiores appellauit Plautus, qui infra tritauum sunt, ut hoc dubiũ decidere uoluisse uideatur: nisi maior habenda sit Pauli, quàm huius poëtæ in Latinitate authoritas. Idem cõfirmat Te-

rentius, apud quem in Adelphis sic de filio cum seruo loquitur senex Demea: Saluus sit, spero erit similis maiorum suûm, quo in loco de seipso præcipuè intelligebat senex. subit enim: Syre præceptorum plenus istorum ille fit sedulò, nihil prætermitto, consuefacio, denique inspicere tanquam in speculū uitas hominum iubeo, atque ex alijs sumere exemplum sibi, hoc facito, hoc fugito, hoc laudi est, hoc uitio datur. M. quoque Cicero in sexta Verrina idem sentit, ait enim: Nam regis Syriæ Antiochi filios pueros scitis Romæ nuper fuisse, qui uenerant nō propter Syriæ regnum: nam id sine controuersia obtinebant, ut à patre, & à maioribus acceperant: sed regnum Aegypti ad se, & ad Selinem matrem suam pertinere arbitrabantur. An obsecro Antiochi filij regnum Syriæ à patre primo, deinde ab alijs, qui supra tritauū fuissent, acceperant? Et Cæsar libro primò de bello Gallico sic ait: Quòd improuiso unū pagum adortus esset, cū hi qui flumen transissent, suis auxiliū ferre non possent, ne ob eam rem aut suę uirtuti magnopere tribueret, aut ipsos despiceret, se ita à maioribus didicisse, ut magis uirtute quàm dolo contenderent, aut insidijs uterentur. Et paulo pòst: Diuico respondit ita, Heluetios à maioribus suis institutos esse, uti obsides accipere, non dare consueuerint. Eius rei populū Romanum esse testem. Quid Sallustius? nónne in eodem significatu maiores posuit? Et fuit is certè proprietatis studiosissimus. At ita apud eum loquitur in Iugurthino Adherbal in senatu: Verum ego his finibus eiectus sum, quos maioribus meis populus Romanus dedit, unde pater & auus meus unà uobiscum expulere Syphacem, et Carthaginenses. Loquitur autem Adherbal de Micipsa patre, & auo Masinissa, nam eos qui supra Masinissam fuerant, ignorauerat populus Romanus. Neque hic est omittendū, quod Seruius primo in Aeneida commentario docet, maiores & minores, quoties de genere dicimus, numeri esse tantū pluralis. Cumque subiunxerit Valla, quum aliquid patrum memoria factū dicimus, de proxima ætate semper intelligi, non de illa sexta: rectè illum sensisse ostendunt Latini authores. Liuius libro trigesimo nono ab Vrbe condita: Quoties hoc patrum, auorumque ætate negocium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri uetarent. Cæsar primo commentario de bello Gallico: Factum eius hostis periculum patrum nostrorum memoria. Dicitur & quid fieri auorum memoria, ut Liuij locus proximè citatus ostendit. Et alia eiusdem cum libro uigesimo secundo, ubi ait, Sicut auorum memoria Publius Decius tribunus militum in Samnio: tum trigesimo secundo, quum inquit, Nam Megalopolitanos auorum memoria pulsos ab Lacedæmonijs restituerat in patriam Antigonus. Quinetiam nostra memoria aliquid fieri dicitur. Cæsar libro primo de bello Gallico: Apud eos fuisse regem nostra etiam memoria Diuitiacum, totius Galliæ potentissimum. Quę omnia propriè sunt intelligenda, nisi sicubi amplam de more sibi licentiam desumant poëtæ, quale est Ouidianum illud in sexto Fastorum:

Temporibus ueterum tibicinis usus auorum
 Magnus, & in magno semper honore fuit.

Veteres addidit, uidelicet quod etiam supra auorum memoriam tibicinū usus in honore fuerat. Aui præterea sæpe pro maioribus, uel si qui supra maiores dici possunt, accipiuntur. Virgilius,

Vltus auos Troiæ. Ouidius in quarto Fastorum,

Venimus ad felix aliquando nomen Iuli,
 Vnde domus Teucros Iulia tangit auos. Et inferius,
Assaracique nurus dicta est, ut scilicet olim

Magnus

Magnus Iuleos; Cæsar haberet auos.

Verum de maioribus multa. Ad uictus enim significationem deuenio. Victus uerbo, Vlpianus inquit, continentur, quæ esui, potui, cultui'que corporis, quæq; ad uiuendum homini necessaria sunt: uestem quoq; uictus habere uicem Labeo ait. Cætera quibus uiuendi, curandi'que corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significantur. Ne hoc quidem aut ratio, aut usus probauit. Victus à uiuendo uenit: at uiuere sine uestitu, cultuq; corporis licet, ut in Aethiopia: sine esu potuq; non licet. Ideoq; semper distincta hæc duo reperimus, et semper addi alterum, de uestitu loquor: quia alterum, quod est uictus, hoc etiam significatum non complectitur, alioquin non diceretur uictus & uestitus. Significat etiam uictus, genus uitæ, quantum ad mores: ut quibus cum quis uiuat, & à quibus instituatur, & quibus moribus. Hactenus Valla. Quæ quidem miris modis deridet Alciatus, cum plurimas ille in Aethiopia gentes sine uestibus uitam degere scripserit: quasi, inquit, Vlpianus Aethiopum leges, & non Romanorum interpretetur, qui absq; uestibus non uiuunt: & quasi qui in Italia uictum amico legauerit, de eiusmodi uictu sentiat, quo Aethiopes se tolerant, & non ipsi Itali: quo nihil absurdius dici potest. Alibi uerò Vlpiani uerba exponens, ait: Sanè non probat Valla, ut uictus appellatione, de uestiario quoq; intelligamus, cum multæ sint regiones, in quibus uestes usui hominibus nõ sunt, ut in Aethiopia, quod ridiculum est. Nec enim Aethiopum leges hic interpretamur, sed Romanorum, qui sine ueste non solent uiuere. Hæc si Aegyptijs scriberet Alciatus, nimirum huius uocis significationem pro suo arbitratu potuisset distrahere: sed quia cũ Italis agit, non possum Italus non respondere, uictum ex uerissimo frequentissimoq; apud Latinos authores significatu, ea quæ ad uestitum spectant minimè continere. Cur enim, quoties de uictu agimus, etiam uestitum addimus, siquidem nostro cũ sermone comprehendere cupimus? At Vlpianus ita interpretatur, & apud Iuriscõsultos uictus appellatione uestitus quoque continetur. Non inficior. Sed in testamentis hoc tantum fieri solet, in quibus non uerborum proprietas, sed mens testatoris præcipuè spectatur, hocq; ipse fatetur Alciatus, inquit enim: Non tamen negauerim hanc significationem ex interpretatione magis, quàm ex stricta uerborum ui esse, & ideo ex mente disponentis aliter quandoq; iudicamus. Vnde si quis alimentis, uel uictui renunciauerit, non censebitur de uestiario, uel de calceario actum: huiusmodi enim repudiationes strictè accipiuntur. Qua ratione qui famulo uictum, menstruamq; mercedẽ promittit, non uidebitur de uestibus intellexisse, nec ulla alia re præter cibaria. Loquatur igitur sanè de amplissima interpretatione Vlpianus, ego cũ Valla semper sensero, uictus appellatione, si Latinè loqui uolumus, uestitũ non cõtineri. Docet scilicet hoc me imprimis M. Tullius, pro P. Sextio ita scribens: Ille Cyprius miser, qui semper socius, semper amicus fuit, de quo nulla unquam suspicio, aut ad senatum, aut ad Imperatores nostros allata est, uiuus (ut aiunt) est, & uidens, cum uictu ac uestitu suo publicatus. Quid opus erat uestitũ addere, si uictus uestitum continet? Ad eundem ferè modũ scribit in Catilina Crispus Sallustius: Deinde multi, inquit, memores Syllanæ uictoriæ, quòd ex gregarijs militibus alios senatores uidebant, alios ita diuites, ut regio uictu atq; cultu ætatem agerent, sibi quisq; si in armis foret, ex uictoria talia sperabat. pro uictu & uestitu, uictum & cultum posuit Sallustius. Quid Terentius? nonne in Heautontimorumeno sic ait? Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium Clitipho, uictus, uestitus, quo te in tectum receptes. Caius quoq; Cæsar, quum de Sueuis

loquitur, uictum à uestitu semper distinguit. Inquit enim: Neque multum frumento, sed maximam partem lacte ac pecore uiuunt, multum'que sunt in uenationibus. Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate uitæ, quòd à pueris nullo officio aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra suam uoluntatem faciant, & uires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit. Atq; in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis, neque uestitus præter pelles habeant: quarum propter exiguitatem, magna est corporum pars aperta, & lauentur in fluminibus. Seiunxit uictum, qui à uiuo deducitur, à uestitu Cęsar. Nec refert si uictum non nominauit, sed uerbum à quo emanat. Idem de Britannis in quinto commentario de bello Gallico: Interiores plerięq; frumenta non serunt, sed lacte & carne uiuunt, pellibusq; sunt uestiti. Et in sexto: Agriculturæ non student, maiorq; pars uictus eorum in lacte & caseo & carne consistit. Et paulo pòst: Hospites uiolare, fas non putant: qui quaq; de causa ad eos uenerunt, ab iniuria prohibent, sanctosq; habent. Iis domus omnium patent, uictusq; communicatur. Et subdit: Eodem uictu & cultu corporis utuntur. Virgilius præterea uictum eodem modo semper usurpauit, qui libro Georgicorum ita canat,

Cum iam glandes, atq; arbuta sacræ
Deficerent syluæ, & uictum Dodona negaret. Et in tertio,
Ergo omni studio glaciem, uentosq; niuales,
Quo minus est illis curæ mortalis egestas,
Auertes, uictumq; feres, & uirgea lætus
Pabula, nec tota claudos fœnilia bruma. Et inferius de bobus,
Frondibus & uictu pascuntur simplicis herbæ,

Et alibi de apibus, quibus nullo uestitu opus est,

Namq; aliæ uictu inuigilant.

Et in tertio Aeneidos, ita alloquitur Troianos Achæmenides,

Victum infelicem baccas, lapidosaq; corna
Dant rami. De cuius uestitu prius cecinerat,
Cum subitò è syluis macie confecta suprema
Ignoti noua forma uiri, miserandaq; cultu
Procedit, supplexq; manus ad littora tendit.
Respicimus, dira illuuies, immissaq; barba,
Consertum tegmen spinis. Et item alibi,
Tum uictu reuocant uires. Et,
Arebant herbæ, & uictū seges ægra negabat. Ouidius libro III Fastorum,
Iam quoq; quem secum tulerant, defecerat illis
Victus, & humanis usibus apta Ceres.

Idem in decimoquinto Metamorphoseos,

Postquam non utilis author
Victibus inuidit (quisquis fuit ille deorum)
Corporeasq; dapes auidam demersit in aluum,
Fecit iter sceleri.

Deniq; ut paucis absoluam, quis aliter uictum accepit unquam? Rectè ergo sentit Valla, Latinæ linguæ egregiè peritus. Quod si aliter scripsit Vlpianus, nō de usu, sed de abusu intellexit, nec Romanè locutus est, si ex proprio eius uocis significatu uestitum contineri censuit. Inter pignus & hypothecam, tantum nominis sonus differt. Hęc Martianus. Vlpianus uerò: Propriè pignus dicimus,

quod

tia, quod transit ad creditorem: hypothecam autem, cum nō transit ad creditorem. Ego magis cum Martiano sentio. Iustinianus uerò cum Vlpiano, in Institutionibus dicens: Nam pignoris appellatione eam rem propriè contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, si mobilis sit. At eam quæ sine traditione nuda conuentione tenetur, propriè hypothecæ appellatione contineri dicimus. Sed non esse hanc differentiam, ex eo argumentum est, quòd alterum Latinum est, alterum Græcum, suæ utrumq; deseruiens linguæ. Pignus autem non tantum creditori datur, sed inter paratos secum decertare mutuo offertur, & apud sequestrum deponitur. Virgilius in Bucolicis,

Ego hanc uitulam, ne fortè recuses,
(Bis uenit ad mulctram, binos alit ubere foetus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.

qui tamē sensus rarissimus est, nā illo figurato crebrius utimur, ut apud eundē,

Ipse pater dextram Anchises haud multa moratus
Dat iuueni, atq; animum præsenti pignore firmat.

Quasi dicat, securum fecit, ut qui dat pignus. Sed hanc non tam Vallæ oppositionem, quàm ipsorum inter se Iurisconsultorum quandam quasi antinomiam censet Alciatus: quæ sic, inquit, dissoluitur. Ex proprietate quidem sermonis ueram esse Vlpiani sententiam, siquidem à pugno pignus dicitur: & ideo in rebus mobilibus oppositis sic dici, in immobilibus uerò solitos ueteres Iureconsultos potius Græca uoce uti, id est hypotheca, quæ Latinè suppositio dici potest, & ad utraq; eorum sermone trahitur. Catullus oppositionem dicit:

Furi, uillula nostra non ad Austri
Ventos opposita est, nec ad Fauoni,
Verum ad millia quindecim & ducenta.

Subauditur autem sestertia. Pulchra nempe defensio, et quam libenter sequaris: ille de proprietate, hic de usu. Quid non hoc modo in concordiam redigetur? Rectius hoc expedire poterat, alterum ex Vlpiani, alterum ex Martiani sententia uerum esse. Sed neq; Alciatum latet, ueriorem esse Martiani, quàm Vlpiani definitionem. De hac enim re alibi agens, ita scribit. Pignus propriè esse id, cuius possessio traditur creditori, & præsertim rei mobilis, Iurisconsultus approbat, argumentoq; etymi tanquam à pugno deductum sit, quod & Vlpianus tradidit, & à Tribuniano in Institutionibus relatum est: cui sententiæ etiam Græcum exemplum succurrit. ἐνεχυράζειν enim, à securitatis captione ipsi appellant: & ἐνέχυρον, pignus prætorium. Martianus tamen, pignus & hypothecam solo nominis sono differre existimauit, cuius sententiæ Valla accessit. Nam constat ueteres scriptores de re quoq; immobili pignus dixisse, ut Terentius: Ager oppositus est pignori ob decem minas: quo modo etiam Iurisconsulti frequenter accipiunt, etiamsi nulla traditio interuenerit. Ego arbitror, hypothecam etiam de re mobili contrahi. Est enim Græca uox ἀπὸ τοῦ ὑποθέσθαι, quod est obligationi supponere, unde & receptum est, si quis promiserit decem modios frumenti super tali fundo, uideri huiusmodi uerbis contractam esse hypothecam. quid enim aliud est fundum supponere obligationi? Hæc ille. Si ergo & pignus de re immobili dicitur, & de mobili hypotheca, nullo pacto uera erit Vlpiani Tribunianiq; definitio, cum idem sit pignus quod hypotheca. Ferruminatio, Cassius apud Paulum ait, per eandem materiam facit confusionem, plumbatura non efficit. Idem sentire uidetur Pomponius, dicens: si tuum scyphum alieno plumbo plūbaueris, alienoue argento ferruminaueris, non dubitatur scyphum

tuum esse, & à te rectè uendicari. Scyphum enim argenteum intellexit. Cum hru plerique non sentiunt, quorum est Plinius, qui libro decimo ait: Namque surculo super bina oua imposito, ac ferruminato, alui glutino subdita ceruice medio æquè utrinque librata, deportant alio. ferruminato dixit, quasi adglutinato materia illa. Idem undecimo: Et medulla ex eodem uidetur in iuuenta rubens, in senectute albescens, non nisi cauis, & ossibus, & cruribus iumentorum, aut canum. quare fracta non ferruminatur, quasi non conglutinatur, nec coalescit ac colligatur. Idem trigesimo primo: Carris Arabiæ oppido muros domosque massis salis faciunt, aqua ferruminantes, quasi glutinantes. Idem trigesimo quinto: Calcis quoque usum bitumen præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. Idem trigesimo sexto: Ea maximè causa, quod fulto calcis sine ferrumine suo cementa cõponentes, quasi dicat glutine. Et in eodem: Vitrum sulphuri concoctum, ferruminatur in lapides, quasi conglutinatur in lapides. Idem trigesimo septimo: Infestantur plurimis uitijs, scabro ferrumine, maculosa nube, occulta aliqua uomica, præduro fragilique centro, quasi glutino & commissura, siue uinctura, siue ligatura. Ergo ferruminatio, nõ ubique per eandem materiam facit confusionem, sed interdum quoque per aliam: plumbatura per solum plumbum efficit confusionem, ut ipsum indicat nomen, si hæc confusio dicenda est. Quæ cum ita se habeant, hanc differentiam sic explicat Alciatus, ut cum ferruminatio propriè sit ferri ipsius ui ignis liquefacti conglutinatio, appareat metaphoricè hoc uerbo usum Plinium, & ideo Iurisconsulti sententiæ nihil aduersari: sed non uidet Alciatus, eadem etiam metaphora usum esse Pomponium dicentem, Si tuum scyphum alieno plumbo plumbaueris, alieno'ue argento ferruminaueris. Quòd si ferruminatio est ferri igne liquefacti cõglutinatio, quoties certè tuum scyphum alieno argento adiunxeris, prauè dicetur ferruminatio, cum appellanda potius sit argentatio: quid enim ferrum ad argentũ? Non hoc sibi uoluit Valla, uerum cum Iureconsulti ferruminationem per eandem tantum materiam confusionem facere censeat, ille etiam per diuersa ex Plinio fieri posse ostendit: propriène an metaphoricè, nihil ad rem. Atque ut uerũ sit, ferruminationem ex proprietate similium facere confusionem, quis dixerit eadem uoce etiam in translatis uti non licere? quanquam mihi non satis liquet, cur de propria magis, quàm de translata uoce intellexerint Iurisconsulti: quorum simpliciter loquentium, simpliciter capienda uerba iudicantur. Et subdit de nouitio & ueteratore Valla: Seruus (ut est apud Venuleium) tam ueterator quàm nouitius dici potest. sed ueteratorem non spacio seruiendi, sed genere & causa esse æstimandum, Celsus ait. Nam quicunque ex uenalicio nouitiorum emptus, alicui ministerio præpositus sit, statim eum ueteratorum numero esse: nouitium autem non tyrocinio animi, sed cõditione seruitutis intelligi: nec ad rem pertinere, Latinè sciat nec ne, nec ob id ueteratorem esse, quod liberalibus studijs eruditus sit. Apud Vlpianũ sic scribitur: Præcipiunt Aediles, ne ueterator pro nouitio ueneat, & hoc edictum fallacijs uenditorum occurrit, ubique enim curant Aediles, ne emptores à uenditoribus circumueniantur. Vt ecce plerique solent mancipia, quæ nouitia non sunt, quasi nouitia distrahere, ad hoc scilicet, ut pluris uendant. Præsumptum est enim, ea mancipia quæ rudia sunt, & simpliciora esse, & ad ministeria aptiora, & dociliora, & ad omne ministerium habiliora. Trita uerò, & ueterana difficile est reformare, & ad suos mores formare. Quia igitur uenaliciarij sciunt facile decurri ad nouitiorum emptionem, idcirco interponũt ueteranos, ut pro nouitijs uendant. Quid tam contrarium, quàm hæ duæ Iurisconsultorũ sententiæ?

tiæ? Quid magis absurdum? quàm non dico inter eas non iudicasse, sed eas aut ambas scripsisse, aut cõtrarias esse non uidisse? Et quanto plura in rebus (ut coniectura ducimur) esse debent, cum in uerbis tot sint, & tam manifestè contraria? Ego ut instituto officio fungar, & inter hos duos sententiam feram, quando alterius definitio à me tolli nõ potest, potior mihi uidetur Vlpiani opinio, & cum cæteris superioribus conuenire. Ad hæc ita respondet Alciatus, erigere hoc in loco Vallam in Iureconsultos cornua, tanquam contraria inuicem scripserint, quem & alij recentiores secuti, pro antinomia nominatim hunc locum citent. Sed profectò æquius fuisset, inquit, & etiam magis nomini suo consuluissent hi grammatici, si intra professionis suæ cancellos constitissent: quandoquidem uulgò dicitur, Quam quisque nouit artem, in hac se exerceat. Non enim sutores supra crepidam iudicassent, nec ceu testudines porrecto extra testam capite, periculis se obnoxios fecissent. Igitur distinguendi tres sunt casus. Aut loquimur in uenditore, seu mangone, qui mancipium distrahit, & ex edicto Aedilium non potest ueteratorem pro nouitio uendere, tumque nouitius secundum Vlpiani sententiam ex tyrocinio seruitutis accipitur, ueterator qui diu seruiuit, & iam in ea conditione callum fecit. Aut loquimur in ipso patrefamilias, de seruis suis nouitijs ueteratoribusque disponente. & quia hoc omne ab eius sententia dependet, pro nouitio habuisse uidetur, quem nulli officio præposuit: rursus pro ueteratore duxisse, quem in ueteratorum numero habuit, ut quia muneri alicui præposuit, in quod ueteratores describi solent. meritò igitur Celsum sequemur, ut ex genere & causa constituamus, quem dominus pro ueteratore habuit. Aut de causis uectigalibus agitur: & cum respublica hac in re uoluntatem emptoris seu patrisfamilias non sequatur, simpliciter ueterator accipitur, qui anno seruiuit: nouitius, qui minus anno: ut hic uectigal pendat, ille non pendat. et hoc casu Martiani sententia est probanda. Ex his igitur constat, nõ inuicem pugnantia scripsisse Iureconsultos, sed diuersa diuersis casibus tradidisse. Hunc locum, quin ex intima sua arte deprompserit Alciatus, nõ est dubium, ut quem ex ordine à Valla in scribendo seruato excerptum, in omnium calce collocauerit, uarijs etiam ornatũ prouerbijs: qualia sunt, Ne supra crepidã sutor: Et, Quam quisque nouit artem, in hac se exerceat: tum ut Vallam aliena in prouincia, quid sibi uellet nesciuisse ostenderet, tum ut Grammaticos intra suę artis cancellos se continere doceret. Possem hic respondere, in eandem foueam incidisse Alciatũ, in quam & Vallam, & alios grammaticos prolapsos autumat, cum posthabito ipse Iureconsulti munere, grammatici personam sæpissimè subeat, & in propria prouincia Vallã, utinam tam feliciter quàm audacter, prouocet. Sed quòd Bartolum superius ac Baldum tutatus sum, non possum has ab eis confictas nugas reijcere, præsertim quòd si id agerem, iam nulla esset eorum qui Doctores uocantur opera. Proinde triplex illa distinctio reuera non magis usui nobis est, quàm penula solstitio, & sextili mense caminus. Nec obscurum est, ita sibi inuicem aduersatos fuisse Iureconsultos, ut alter ab altero ex diametro dissentiret: quemadmodũ inter eiusdem scientię sectatores fieri necesse est. Sed hoc Iustiniano, seu Tribuniano debemus, ut etiam quæ maximè dissident, pro congruentibus accipere cogamur, nisi omnes fortè leges è medio, quasi mancas, parumque inter se conuenientes auferamus: de qua re superius diffusius egimus, cum Bartolum, Accursiumque, ijs qui iura profitentur necessarios esse ostendimus. Alioquin nihil tam est inter se contrarium, quàm hæ duorum Iureconsultorum sententiæ, quum ueteratorem Venuleius non spacio seruiendi, sed genere & causa

æstimandum esse dicat: Vlpianus uerò, trita ferè ac ueterana mancipia hoc nomine appellet, licet uerior huius uideatur quàm illius definitio. Vt enim nouitium dominus pro ueteratore habeat, non tamen is erit ueterator, sed à domino pro ueteratore habebitur. De qua re nullum ultra uerbum faciam, qui raptim hæc scripserim, & ad ea pergam quæ supersunt. Nihil interesse Pomponius ad Vlpianum scribit, utrũ in annos singulos, uel quotannis, an in singulos menses, uel quot mensibus, an in singulos dies, uel quot diebus legetur. Ipse quoque huic sententiæ accedo. Proinde & si quotãnis legentur tot aurei, idem erit dicendum. Corrumpere est istud, Vlpiane atq; Pomponi, linguam Latinam, non iuuare. Quis enim dixit quot diebus, & non potius quotidie? quis etiam quot mensibus, & non singulis mensibus? cur etiam non addimus quot horis, quot noctibus, quot lustris? Quod si quis hoc modo loquatur, intelligemus quidem ex ipsa uerborum serie quid uelit, tamen ut barbarè locutum reprehendemus, et ne deinceps ita loquatur admonebimus, non autem formam alijs loquendi tredemus, ut uos facitis. Iabolenus melius: Vini, inquit, Phalerni, quod domi nascetur quotannis, uel in singulos annos, binos culeos hæres meus Titio dato. Quidam aduerbium hinc deducũt, quod est annuatim, ut Plinius libro duodecimo dicens: Herodoto teste, qui tradit singula millia talentûm annuatim pensitasse Arabes regibus Persarum. Ad hæc porrò Alciatus ita respondet, hoc conuicium Plauto quoq;, M. Catoni, & deniq; doctissimo omnium Varroni commune esse. Plautus in Sticho: Meministis quot calendis petere dimensum cibũ. Cato de Re rustica: Capita oleagina quot mensibus fodere oportet. Varro: Sacra quot mensibus feruntur in arcem, quod & alij, inquit, ante nos adnotarunt. Hic sanè pro meo iure hoc dicere possum, me non tam Vallæ addictũ unquam fuisse, ut eum quasi deum quempiam nullo pacto dormitasse persuasum habeam: cum Latinæ eloquentiæ principem M. Tullium Ciceronem memoria non semel lapsum fuisse, & alij obseruarint, et ipse de se multis in locis fateatur. Nam septimo Epistolarum ad Atticum ita scribit: Venio ad Piræea, in quo magis reprehendendus sum, quòd homo Romanus Piræea scripserim, nõ Piræeum (sic enim omnes nostri locuti sunt) quàm quòd in addiderim. Non enim hoc ut oppido præposui, sed ut loco: & tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, & Nicias Cous nomen reb atur oppidi esse Pirçea, sed de re uidero. Nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod non ut de oppido locutus sum, sed ut de loco. Et in duodecimo: Macte uirtute, mihi quidem gratum, & erit gratius, si non modò in libris tuis, sed etiam in aliorũ, per librarios tuos Aristophanẽ reposueris pro Eupoli. Et libro decimo quarto: Brutus mihi Titi Ligarij uerbis nũciauit, quod appelletur L. Cursidius in oratione Ligariana, erratũ esse meum: sed ut aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Cursidium pernecessarium Ligariorum, sed eum uideo antè esse mortuum. Itaq; dabis negocium Pharnaci, Antæo, Saluio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur. His simillimũ est, de quo decimo sexto eiusdem operis agit: De gloria, inquit, librum ad te misi, & in eo procemium id est, quod in Academico tertio. Id euenit ob eam rem, quod habeo uolumen procemiorum, ex eo eligere soleo cum aliquod σύγγραμμα institui. Itaq; iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto procemio, conieci id in eũ librum, quem tibi misi. Cũ autem in naui legerem Academicos, agnoui erratũ meum. Itaq; statim nouum procemium exaraui, & tibi misi. Tu illud desecabis, & hoc adglutinabis. Quid mirum si hic errasset Valla, cum Cicero errata sua non diffiteatur? Ac de Cursidio nescio an unquam proprium lapsum agnouisset, nisi à

Bruto

Bruto fuiſſet admonitus, quemadmodum in libro de Gloria factum eſt, in quo cum apertè aberraſſet, neq; ipſe poſtea, neq; eius libertus erratum animaduertit. De qua re Auli Gellij uerba ſubiungam, ne quem ſua laude defraudere uidear. In libro M. Tullij, inquit Gellius Noctium Atticarum libro decimoquinto, qui eſt ſecundus de Gloria, manifeſtus error eſt, non magnæ rei: quem errorem eſſe poſſit cognoſcere non quiuis eruditorũ, ſed qui tantum legerit ὁμήρου τὸ η'. Quãobrem non tam id mirabamur erraſſe eam rem M. Tullium, quàm non eſſe animaduerſum hoc poſtea, correctumq; uel ab ipſo, uel à Tyrone liberto eius, diligentiſſimo homine, & librorum patroni ſui ſtudioſiſſimo, Ita enim ſcriptum in eo libro eſt: Apud eundem poëtam, Aiax cũ Hectore congrediens, depugnandi cauſa, agit ut ſepeliatur ſi ſit fortè uictus: declaratq; ſe uelle, ut ſuum tumulum multis etiam pòſt ſeculis prætereuntes, ſic loquantur,

Hic ſitus eſt, uitæ iampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculſus concidit enſe.
Fabitur hoc aliquis, mea ſemper gloria uiuet.

Huius autem ſententiæ uerſus, quos Cicero in linguam Latinam uertit, non Aiax apud Homerũ dicit, neq; Aiax agit ut ſepeliatur, ſed Hector dicit, & Hector de ſepultura agit, priuſquam ſciat an ſecum depugnandi cauſa congreſſurus ſit Aiax. Quamobrem ſi Vallam hoc loco, uel manifeſtiſſimè hallucinatum eſſe, ut pro certo habet Alciatus, ſciremus, quis non ei tam exiguũ errorem condonaret? Sed an deceptus fuerit, uideamus. Pomponium atq; Vlpianum reprehendit, quod nihil intereſſe, utrũ in annos ſingulos, uel quotannis, an in ſingulos menſes, uel quot menſibus, an in ſingulos dies, uel quot diebus legetur, homines loqui doceant. & ſubdit: Quis unquam dixit, quot diebus, & non potius quotidie? Cui ita reſpondet Alciatus, ut nullum locum Latinè hoc dictum eſſe oſtendentem adducat, ſed pro eo unicum Plauti teſtimonium citet, nihil tamen ad rem, de qua agimus. Et ille quidem quot calendis ſemel tantum uſurpauit: quid hoc ad negotium? Negat Valla dici poſſe quot diebus, ſi Latinè loqui uelimus, cum pro eo, Quintiliano quoq; teſte, quotidie ſit inductum. Tu Iureconſultum optimè locutum aſſeris. Rectè ſanè. Sed quod'nam pro eo ex Romano aliquo authore teſtimonium adducis? An ſic diſſerere aliud eſt, quàm lectoribus riſum mouere? At Plautus, inquis, ſemel ſcripſit quot calendis. Pulchrè: ſed non magis ad interrogata reſpondes, quàm ſi ſtipulanti, Dabin' mihi centum minas? diceres,

Vnde per ora nouem uaſto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arua ſonanti.

Quamuis nec etiam quot calendis rectè diceremus, licet id ſemel legatur, niſi ex ijs quæ raro inueniuntur, Latinitatem conſtare dicamus: quũ ueteri potius admoneamur pro uerbio, unam hirundinem uer non facere: & M. Craſſus ἀγέλαστος uocatus fuerit, licet ſemel eum riſiſſe in uita ſcripſerit Lucilius. Deinde quod addidit Valla: Quis etiam quot menſibus, & nõ ſingulis menſibus? Eódem ſpectat, tametſi hoc frequentius eſt aliquanto, quàm quot calendis: quippe quo ſemel M. Cato, nec ſæpius uſus fuerit Terentius Varro. Ac ſi eadem ratione quot dieb. dicere poterimus, quid cauſæ eſt, cur nõ illa addamus, de quibus agit Valla, quot noctibus quot luſtris, quot horis? cur enim id magis licebit, quam hæc? Quod autem alios ante ſe hoc adnotaſſe fatetur Alciatus, nimirũ intelligit Antonium Mancinellum, hominem ſordidiſſimum atq; impuriſſimum, qui inter cæteras feces, limam quoq; in Vallam ſcripſit, de qua re alibi diffuſius agemus.

Nunc

Nunc hoc dixero, minimè mirū esse tam absurda ab Antonio Mancinello scribi potuisse, à quo nihil felicius expectare licebat: sed non posse non improbari hac in re Alciati iudicium, quòd cum bonas literas profiteatur, & Grammaticos ubicunq; se illi offert occasio uellicet, ad plenam thuris infacetiarumq; Mancinelli chartam confugerit, cuius præludia fuerint, Donatus melior, et de Arte libellus: si quid modò artis, aut ingenij, in tam fatuo insipidoq; nebulone esse potuit. Nam eius regulis (sic enim ipse librum uocat, quem ad corrumpendos pueros cōscripsit) quid potest esse pestilētius? quid uilius? quid abiectius? Quandoquidem cum ea sint pueris ostendenda, quæ in frequentissimo ac maximè recepto usu sunt, hic nihil in eas quàm putamina, & quisquilias collegit, utpote Apuleio, Iustino, Cypriano, Sidonioq; Apollinari unicè addictus: quorum dum contemplatur eloquentiam, M. Tulliū, Cæsarem, & huius præstantiæ alios ne nouit quidem. Itaq; nec mirum est, si thesaurum de uaria constructione scripsit: dignus potius, qui lignorum struem componeret, aut caudicali prouinciæ à Ballione aliquo præficeretur: & Emporium cum Speculo condidit. Nam quid sibi uelint eiusdem stationes, conijcere nescio. Stationes, quid est hoc? ô hominem cui libenter mandes, si quid in Latinitate rectè curatum uelis. Verum & de Arte poëtica opusculum edidit. Nónne satis erat Aristotelem Græcè, ac Horatium de Arte poëtica Latinè scripsisse, nisi hoc Mancinellus quasi tertius Cato ausus fuisset? omitto scribendi, orandiq; modū eiusdem authoris: et Spicam, nō fuste, sed malleo conterendam. Prætereo flores uocabulorum, cui operi quasi appendicula accessit Versilogus, cum Epigrammatū libro, cuius hoc est principium,

Insignis Gabriel patriæ diadema refulgens,
Vtraq; iura tenens, sis memor usq; mei.

Tibulli, aut Propertij uersiculos credas. nam Catulum, aut Aedituum, aut Catullum nihil moror. Exciderat mihi diuini huius uiri Portus elegantiarū. Quid (malū) est portus elegantiarum? an conclusus aliquis locus, in quem cōportantur elegantiæ? an potius, in quo omnes elegantiæ passæ sint naufragiū? Sunt hęc quæ dixi oratoris, poëtæq; munera. Sed historici etiam officiū tam exactè præstitit, quàm Mancinellum decuit. Decadas enim scripsit nō minus elegantes lepidasq;, quàm fuerint Volusiani illi annales, quos tantopere admiratur Catullus: nec mirum, si eius eloquentiam ita admiratus est uir nostra memoria egregius Iodocus Badius Ascensius, ut pleraſq; illius lucubrationes partim castigarit, partim etiā sit interpretatus. Subnotationem enim, & alia multa Spicæ ac Versilogo addidit: ut planè uerum esse dignoscamus, quod est in Græco prouerbio, ὁμοιον ὁμοίῳ φίλον. Hoc pro certo habeo, longè melius honori suo consulturum fuisse Alciatum, si Mancinelli ineptias pro Apollinis responso non citasset, parum etiam animaduertens, an ad ea de quibus agebat Valla pertinerent. Inter turbam & rixam, testimonio Vlpiani, rectissimè Labeo ait multum interesse. namq; turbam multitudinis hominū esse perturbationem & cœtum, rixam etiam duorum. Videntur Vlpianus & Labeo sentire, turbam suapte natura significare multitudinem, ideoq; turbam in altero sensu esse perturbationem multitudinis. Ego uerò potius primum ac naturalem sensum esse, pro perturbatione: quod docet uerbum ex ea significatione ductum, turbo turbas, perturbo, deturbo, disturbo, conturbo, quæ nequaquam ad solam multitudinem referuntur: et turbo turbinis, & homo turbidus, qui est iracundus etiam. contraq; uinum, & multa turbida dicuntur. Ipsa quoq; Græca origo τύρβη, approbat hunc eundem sensum. Cæterum quia multitudo non ferè uacat perturbatione, & ipsam

appellamus

appellamus turbam:ut colluuiem,homines uiles & contemptos dicimus, & fęcem & ſentinam,nō quod homines ſint ſordes,fex,ſentina, ſed quod ſordidam & abiectam uitam agant. Terentius in Andria: Sed ſi tu denegaris ducere, ibi culpam in te tranſferet, tum illæ turbæ fient. Ergo turba erit inter duos. Et idem in eadem ait: Dij ueſtram fidem,quid turbæ eſt apud forū? quid illic hominum litigat? Ego non nego,aliquando turbam inter multos, quemadmodum rixam nō ſemper inter duos,cuius multa exempla ſunt,ſed etiam inter plures, ut apud Liuium: Eo anno Romæ cum per ludos à Sabinorum iuuentute per laſciuiam ſcorta raperentur,concurſu hominum rixa, ac propè prælium fuit. Et non longe pòſt: Cum conuerſus in patres impetus eſſet, conſulum intercurſu rixa ſedata eſt. Sed Terentius fortaſſe ideo adiecit,quid hominū illic litigat? quia uerbum turbæ non ſatis ſignificaturum erat perturbationem eſſe multorū. Quanquam & illud turbæ non minus pro multitudine hominū accipi poteſt,quàm pro perturbatione,cum præſertim de perturbatione adijciat: Quid illic hominum litigat? Sed de uno loco non attinet diſputare,ubi infinita ſuppeditantur. Hanc inter Vallam Iureconſultosq; controuerſiam, non ei abſimilem cenſet Alciatus, quæ à Cenſorino traditur, prius'ne ouum fuerit an gallina: cum Labeo prius ſignificatum turbæ,id eſt multitudinis, atq; inde factam poſtea perturbationem: Valla perturbationem contendat. Sed nec quos adducis,inquit,authores ſententiam tuam adiuuant, qui μεταφορικῶς potuerunt turbam etiam duorum dicere,nec etiam Græcus ſermo τύρβη,in quo eadem poteſt eſſe hæſitatio. Et ut demus opinionem tuam ueriorem,in edicto certè prætoris,quod Labeo interpretatus eſt,probabilior eſt Iureconſulti ſententia. Verba edicti ſunt: Cuius dolo malo in turba damnum quod factum eſſe dicatur, ea non poſſunt commodè de perturbatione intelligi,quæ ſemper eum afficit,cui damnum infertur. Neceſſariò igitur de multitudine accipiendum. Hæc non aliter quàm ſuperiora ſoluit Alciatus,ut à Valla citatos authores metaphoricè, Iureconſultos autem propriè dicat locutos. Huius rei ratio erat in primis reddenda, cur ſi turba multitudinis hominum perturbationem ſignificat,prout Labeo ſentiebat,ab eo deducta uerba perturbo, conturbo, & ſimilia,ad ſolam multitudinē non referantur? an non potius cum ſimpliciter capiantur, proprium eſt turbæ ſignificatum, ſimplicem denotare perturbationem,cum etiam ſit inter duos,ut apud Terentium legitur, turba? An fortè ſemel hac ille uoce in eo ſignificatu uſus eſt? Minimè quidem. Sed & in Heautontimorumeno ita ſcribit: Timet omnia, patris iram,atque animum amicæ erga ſe ut ſit ſuæ,eam miſerè amat,propter eam hæc turba atq; abitio uenit. Inter quos'nam hæc turba uenerat? Inter Menedemū uidelicet, & Cliniam filium. Ergo turba pro perturbatione etiam de duobus dicitur: & melius ſenſit Valla,quàm Iureconſultus. Quod autem ſubiūgit Alciatus, probabiliorem eſſe huius in edicto Prætoris interpretando, quàm Vallæ ſententiam: quo pacto id colligat,non uideo. A præcipua enim turbæ ſignificatione, quum perturbationem denotat,ad aliam tranſit,quum hominum multitudinem indicat, cum hoc inter eos quæratur, ſignificet'ne turba ſimplicem, an multorum perturbationem? Aliud enim eſſet, an de hominum multitudine, an uerò de ſimplici perturbatione edictum intelligat, ſcire uelle. Illud etiam addo, Alciatum Vlpiani uerba, quæ ſunt: Vnicus ſeruus familiæ appellatione non cōtinetur, nec duo quidem familiam faciunt: enarrantem ita ſcribere, arridere ſibi, ne à turba gens diſtinguatur, cum ſuperius turbam decem homines requirere aſſeruerit, quod tamen apud Latinos authores non obſeruatur. De tribus enim turbā dicit Vir-

gilius in tertio Aeneidos, quum de Harpyijs loqueretur, quas tres tantum fuisse constat, quarumque erant nomina, Aello, Cypete, & Celeno,

Rursum, inquit, ex diuerso cœli, cæcisque latebris
Turba uolans, prædam pedibus circumuolat uncis.

Easdem Harpyias gentem etiam nominat,

Socijs tunc arma capessant
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.

Ouidius de duobus quoque turbam dixit, cum de Pyrrha & Deucalione ab aquis seruatis loqueretur,

Terrarum quascunque uident occasus & ortus
Nos duo turba sumus.

Turba etiam de auibus dicitur. Virgilius duodecimo Aeneidos,

Littoreas agitabat aues, turbamque sonantem
Agminis aligeri

Et iaculorum multitudinem turbam uocat Ouidius, in quarto de Ponto,

Nec te missa super iaculorum turba moratur.

Gens uerò & ad equos refertur. Virgilius in tertio Geórgicorum de equo,

Neptunique ipsa deducat origine gentem. Et inferius,
Continuoque notas, & nomina gentis inurunt. Et,
Neque singula morbi
Corpora corripiunt, sed tota æstiua repente
Spemque, gregemque simul, cunctamque ab origine gentem.

Et ad canes. Ouidius libro tertio Metamorphoseos, de Acteonis canibus,

Gnosius Ichnobates, Spartana gente Melampus.

Et ad apes. Virgilius,

Totiusque ex ordine gentis,
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam. Et,
Vt binæ regum facies, ita corpora gentis.

Nec mirum, cum Homerus libro secundo Iliados, tam uiros quàm apes ἔθνεα, hoc est gentes uocet. Cumque Græca ea uox cognationem quoque & nationem significet. nos Virgiliũ, Ouidiumque, qui Græcos poëtas expresserunt, ἔθνος gentem uertentes ijs in locis magis probamus. Homeri uersus 11 Iliad. libro hi sunt,

Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἁδινάων,
πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων,
Βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν,
Αἱ μέν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα
Ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο, καὶ κλισιάων
Ἠιόνος προπάροιθε βαθείης ἐστιχόωντο
Ἰλαδὸν εἰς ἀγορήν. Et inferius de auibus,
Τῶν δ' ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ
χηνῶν, ἢ δὲ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων. Et,
Ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο, καὶ κλισιάων,
Ἐς πεδίον προχέοντο σκαμάνδριον.

Oppianus quoque pisces ἔθνεα appellat. Vnde & illud Virgilianum,

Eum uasti circum gens humida ponti
Exultans, rorem latè dispergit amarum.

Rixam porrò de duobus nõ semper dici, rectè censet Valla: & in eo significatu hæc uox frequentissimè reperitur. Liuius libro tertio ab Vrbe cõdita: Initium,

inquit,

inquit, erat rixæ, cum discedere populum iussissent tribuni, quòd patres se summoueri haud sinebant. Et in quinto: Hæc cum fœdis certaminibus agerentur (nam partem tribunorũ plebis in suam sententiam traxerant) nulla res alia manibus temperare plebem cogebat, quàm quòd ubi rixæ committendæ causa clamor ortus esset, principes senatus primi turbæ offerentes se peti, atq; occidi iubebant. Horatius in primo Carminum,

Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero debellata. Et inferius,
Verecundumq; Bacchũ Sanguineis prohibete rixis. Propertius libro II.
Nulla neq; ante tuas orietur rixa fenestras. De duobus, Catullus,
Quis deus tibi non bene aduocatus
Vecordem parat excitare rixam. Propertius,
Quàm multa apposita narramus uerba lucerna,
Quantaq; sublato lumine rixa fuit. Et,
Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas.

Rectè igitur & de multis, & de duobus dicitur: sicut & turba simplicem, & multiplicem perturbationem significat. Ignominiosa missio, si Iuliano credimus, toties est, quoties is qui mittit, adijcit nominatim se ignominiæ causa mittere. Semper enim debet Imperator addere, cur miles mittatur: sed si eum exauctorauit, inter infames efficit, licet non addidisset ignominiæ causa eum exauctorauisse. Pace tamen Iuliani, exauctorare est, ducem ab imperio suo dimittere, uel missum facere militẽ, illumq; donare missione militiæ, plerumq; ut apud Quintilianum in milite Mariano: Pater huic emeritis bello stipendijs, tum cum tota subnixum Numidia fregimus Iugurtham exauctoratas armis manus agresti labore subegit. Titus Liuius ab Vrbe condita libro trigesimo quinto: Volonum quoq; exercitus, qui uiuo Graccho summa fide stipendia fecerat, uelut exauctoratus morte ducis, à signis discessit. Et in uigesimo nono: Vbi hoc modo exauctoratũ equitem cũ gratia Imperatoris uiderunt, se quisq; excusare, & uicarium accipere. Et in libro trigesimo secundo: Vbi is uenisset, omnes milites exauctorati domum dimitterentur, præter quinq; millia sociûm, his obtineri circa Ariminum prouinciam satis esse. Idem libro trigesimo quinto: Postero die cõcione aduocata, de rebus à se gestis, & de iniuria tribuni bello alieno se illigãtis, ut suæ uictoriæ fructu se fraudaret, cum disseruisset, milites exauctoratos dimisit. Ad quæ ita respondet Alciatus: In ueteri republica Vallæ sententiam posse procedere, quo tempore ex solo commeatu, uel ducis licentia milites exauctorabantur. Verum ordinata ab Augusto successoribusq; militia, à qua nõ nisi post uiginti stipendia mittebantur, tributa quoq; illis esse militaria insignia, quorũ detractio infamiam irrogat, quoniam non nisi turpi missione dimissis detrahuntur. Hæc ut Alciato & Iuliano condonemus, neq; Vallam, neq; Iulianum utiq; reprehensione hoc in loco dignum existimo: quorum hic de Imperatorum temporibus, ille uerò de ueteri republica intelligeret, ut Iulianus de militarium insignium detractione, hic de proprio eius uocis significatu egerit. Licet longè melius instituti essent milites, quos ante Augustum Romani habuerunt, quàm qui sub Cæsaribus adeò infames, adeò sacramenti quo astricti erant contemptores uixerũt, ut magis ipsi Imperij habenas moderarentur, quàm ij quos pro suo arbitratu ad summam rerum uel efferebant, uel elatos nefariè trucidabant. Pro persona itaq; quam induerat Valla, rectè exauctorationis proprietatem ostendit, non ex Mametrecto, aut Breuiloquo, sed ex Tito Liuio, miræ (ut Quintilianus ait) facundiæ scriptore. Depectus, si Vlpiano credimus, dicitur turpiter

pactus:mihi autem pro simplici potius accipi uidetur, id quod in multis fit, ut demiror, deambulo, desumo, demonstro, deosculor, depingo, deposco, deuito, degusto, demoror, deprecor, demulceo. Quod si quando reperiatur pro turpiter, quod non memini reperisse me, id fit non magis ui prępositionis, qua hoc uerbum componitur, quàm ut ipsius uerbi, quod citra compositionem nōnunquam turpem pactionem significat. Cicero in Paradoxis: Si quotidie fraudas, diripis, poscis, pacisceris, aufers, eripis, si socios spolias, ærarium expilas, si testamenta amicorū expectas, ac ne expectas quidem, atq; ipse supponis, hæc utrum abundantis, an egentis signa sunt? Exemplum uerò quod depectus, non significat turpiter pactus, sed tantum pactus, apud Terentium in Phormione: Ita me dij bene ament, ut mihi liceat tamdiu quod amo frui, iam depacisci mortem cupio. Tale est hoc Terentianum, quale est illud Virgilianum: Vitamq; uolunt pro laude pacisci. Illud quoq; apud M. Tulliū secundo Rhetoricorū: Quidam cum circumsederetur, neque effugere ullo modo posset, depectus est cum hostibus, ut arma & impedimenta relinqueret, milites educeret: itaq; fecit, armis & impedimentis amissis, præter spem milites conseruauit. Non est accipiendum pro turpiter pactus ab authore esse positum, quippe qui causam narrat, de qua controuersia est, an ille turpiter pactus sit, non autem factum hominis damnat. Et aliquoties factum hoc paulo pòst pactionem uocat. Et in libris ad Herennium, hanc eandem rem gestam ita exponit, ut quod erat sui officij, neq; accuset, neq; excuset, sed tantummodo pactum inter Pompiliū & Gallos ita fuisse significet: hanc controuersiam ab accusatore, atq; ab reo declamandam proponat.

Hæc Valla. Sed Alciato nimirum uidetur, & Terentij uerba ex Vlpiani declaratione posse intelligi, & etiam Ciceronis ad Herennium libro secundo: Depectus cum hostibus ut arma relinqueret. Sed & idem author inquit, in Verrem actione quinta: Scitote biduum cibo tectoq; prohibitum, biduum in foro custodijs detentum, neq; antè dimissum, quàm ad conditiones eius depactus est. His accedit, quod huiusmodi præpositio quandoq; in malam partem accipitur, ut desperatus, demens, dedecet, deformis, degener. Vtinam sanè Oedypus essem, ut quo pacto ex Vlpiani interpretatione Terentij locum declarari debere colligat Alciatus, conijcere possem: cum nihil in eo aliud depacisci, quàm simpliciter pacisci significet, præsertim quod nulla subest turpitudinis causa. Commodius ego sanè ex Terentij authoritate, non rectè illum eius uocis declarationem ostendisse affirmare ualerem, cū aliter in Latinis scriptoribus obseruetur. Cūq; Valla, si quando illud uerbum compositū turpem pactionem denotat, nō tam ex præpositione, qua id uerbum componitur, quàm ex ipsius uerbi, quod sine præpositione aliquando turpiter pacisci significat, fieri existimet: unicum ex Cicerone testimonium citat Alciatus, quo sibi Vallam proculdubio confecisse uidetur, idq; ut certum esse omnes credant, addit eiusmodi præpositionem in malam quandoque partem accipi: oblitus credo infinitorum uerborum, quæ Valla non magis cōposita, quàm simplicia significantia adduxit. quod tamen quis nouum ducat, cum in eodem uerbo duos sensus maximè contrarios efficiat? Quid magis diuersum, quàm Ciceronianū illud pro Caio Rabirio: Non supplicium deprecarer, sed præmium postularem. & hoc eiusdem in quinta Philippica: Pacem uult Antonius, arma ponat, roget, deprecetur. de quo latius agit Gellius, Noctium Atticarum libro sexto. Quòd autem pacisci simpliciter positum turpem denotet pactionem, tum à Valla ostensum est, tum alia palàm faciunt. Cicero in quinta Verrina: At ista ui Septiciū, & nonnullos Septicij similes non

coërcet,

coërcet,qui ita dicunt,non tollam priuſquam paciſcor. his hoc apponitur:Deportatā habeas ante Calendas Sextiles:deportabo igitur:niſi pactus fueris,non commouebis.Sic deportandi dies conſtituta tollere cogebat ex area : cohibitio tollendi,niſi pactus eſſet,uim adhibeat pactioni,non uoluntatem. Quo in loco paciſci nihil aliud ſignificat,quàm turpiter paciſci. Inſectatur enim Verris auaritiam Cicero,quòd edixiſſet,ne quis antea frumentū ex area deportaret,quàm cum decumanis ad Prætoris arbitrium non ſolū turpiter , ſed turpiſſimè pactus eſſet.Idem in Criſpum Salluſtium: Ne cauſam diceret,ſextertio duodecies cum Cæſare paciſcitur. Liuius libro quinto ab Vrbe condita : Tum ſenatus habitus,tribuniſq; militum negocium datum,ut paciſcerentur.Et ſubdit: Inde inter P.Sulpitium tribunū militum,& Brennum regulum Gallorū colloquio transacta res eſt,& mille pondo auri precium gentibus mox imperaturi factum, rei fœdiſſimæ per ſe adiecta indignitas eſt.pondera ab Gallis allata iniqua.Idem libro nono: Poſtero die uixdū luce certa deditio fieri cœpta,& pacti qui Samnitium forent,ut cum ſingulis ueſtimentis emitterentur.Hi omnes ſub iugum miſſi : ſociis Samnitium nihil cautum,ad ſeptem millia ſub corona ueniere.Hinc pactio in malam partem frequenter accipitur.Cicero in quinta Verrina: Videbant Agyrinenſes,quicquid ad eos recuperatores Apronius attuliſſet , illum perfacilè probaturum:cōdemnari cum iſtius inuidia,infamiaq; malebant , quàm ad eius conditiones pactioneſq; accedere.Et in ſeptima:Iam hoc quis tum fuit Syracuſis,qui nō audierit,quin ſciat, has per Timarchidem pactiones ſepulturæ cū uiuis etiā illis eſſe factas?Et in prima oratione contra Seruilium Rullū: Hinc nos, quas ſpoliationes,quas pactiones, quam deniq; in omnib. locis nūdinationem iuris ac fortunarum fore putatis?Et pro P.Sextio: Quū conſules prouinciarum pactione libertatem omnem perdidiſſent.Liuius libro quinto : Cuius ſpei moram cum pati fortuna obſeſſorum non potuiſſet, cōfectaq; paucitas oppidanorum opere,uigiliis,uulneribus,quæ ſemper eoſdem urgebant, per pactionē urbe hoſtibus tradita,inermes cum ſingulis emiſſi ueſtimentis , miſerabili agmine penates relinquerent , eo fortè tempore Camillus cum exercitu Romano interuenit. Honeſtam pactionem eadem uox ſignificat. Cicero pro Cornelio Balbo : Nam quum ex omnibus ciuitatibus uia ſit in noſtram rempublicam, quumq; noſtris ciuibus pateat iter ad cæteras ciuitates, tum uerò ut quæq; nobiſcum maximè ſocietate,amicitia,ſponſione,pactione , fœdere coniuncta eſt, ita mihi maximè communionem beneficiorum, præmiorum ciuitatis contínere uidetur. Pactū quoq; turpem ſignificat pactionem. Liuius libro VI de turpi ac ignominioſo fœdere inter Romanos ac Sānites facto loquens,ſic ait:Et propter neceſſariam fœderis dilationem , obſides etiam ſexcenti equites imperati, qui capite luerent,ſi pacto non ſtaretur.Et inferius:Quin tu Spuri Poſthumi , ſi deos eſſe cenſes,aut omnia irrita facis,aut pacto ſtas?Propertius de Tarpeia uirgine,quæ arcem Romanam Sabinis prodidit,

Hoc Tarpeia ſuum tempus rata,conuenit hoſtem,
Pacta ligat pactis,ipſa futura comes.

Igitur nil mirum,ſi etiam depactus aliquando turpiter pactum ſignificat.Addo etiam ex Cicerone locum,ubi eundem illa uox habet ſignificatum. Enimuero pro Sexto Roſcio Amerino ita ſcribit:oſtendit ſi ſublata ſit uenditio bonorū, illum pecuniam grandem amiſſurum, ſeſe capitis periculum aditurum : illum acuere,hos qui ſimul erant miſſi fallere:illum itidem monere ut caueret , hiſce inſidioſè ſpem falſam oſtendere:cum illo contra hos inire conſilia,horum conſilia

illi enunciare, cum illo partem suã depacisci, hisce aliqua fretũ hora semper omnes aditus ad Syllam intercludere. Et inferius: Ex eo Titus Roscius nõ paulum nescio quid in rem suam conuertit, sed hunc quoq; funditus euertit bonis. Ipse tria prædia sibi depactus est, & uoluntatem omnium decurionum, ac municipum omnium tantidem, quanti fidem suam fecit. Sed non hoc fuit Iureconsulti consilium, qui simpliciter depactum, turpiter pactum, non semel, sed semper significare docuit, quod tamen est absurdissimũ. Verba Vlpiani hæc sunt: Hoc edicto tenetur etiam is, qui depactus est. Depactus autem dicitur, turpiter pactus. Vnicum de gemmis, lapillisq; caput superest. Quocirca ipsum Vallam audiamus. Gemmas, lapillosq; Vlpianus sic distinguit, dicens: Gẽmæ sunt perlucidæ materiæ, quas (ut refert Sabinus ad Vitellium) Seruius à lapillis sic distinguebat, eo quod gemmæ essent perlucidæ materiæ, uelut smaragdi, chrysolithi, amethisti: lapilli contrariæ superioribus naturæ, ut Absciani, Neuentani. Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis contineri, satis constitisse idem Sabinus ait: quia concha apud Rubrũ mare & crescit & coalescit. Myrrhina autem uasa in gemmis non esse, Cassius scribit. Hoc falsum esse, pace horum quatuor Iurisconsultorum, cum omnes authores probant, quorum Plinius titulũ de gemmis non translucentibus fecit, & myrrhina in gemmis numerat, & omnes lapides preciosos, præter margaritam, uno nomine, quod tantum latina lingua habet, gemmas appellat: tum ipsa ratio. Nam quis non uidet, lapillus, quod generale est nomen omnium paruorum lapidum, sed subintellectione preciosorum, idem esse quod gemmula? nam gemmas etiam accepimus multorũ cubitorum inueniri, quas ut uerè lapides, non lapillos appellare possumus, ita cum minutæ fuerint, lapillos appellare debemus. Quòd si hi lapides tam grandes translucidi, siue perlucidi non fuerint, quales sunt imperfecti, nunquid uocabimus eos lapillos? Quid hoc ridiculum magis? Quod si etiam omnis lapis lucidus gemma est, etiam Parium marmor, quod in modum uitri translucidum est, gemma erit. Postremò reperimus eiusdem coloris lapides quosdã permistim constare ex perlucidis, & non perlucidis, & ita permistos natura, ut non possis partem appellare gemmam, partem lapillum. Curtius libro octauo cum dixisset, Gemmas margaritas'que mare littoribus infundit: paulo pôst de eisdem Indis ait, lapilli ex auribus pendent. profectò perlucidi intelligendi sunt. Et iterũ libro decimo de rege Indo: Pendebãt ex auribus insignes candore ac magnitudine lapilli. Margaritam uerò, siue margaritum, quis negare lapillum possit? quæ semper est pusillus lapis? Ego quidem candidos illos lapillos, ex Indi regis auribus pendentes, margaritas interpretor. Horatius, quum inquit,

Nec magis huic inter niueos, uiridesq; lapillos:

de margaritis & smaragdis intellexit. Margaritam autem sicut lapillis forsitan nego, ita gemmis fateor non contineri, quod ferè omnes concedunt. Seruius tamen grammaticus, quasi multi aliter sentiant, inquit: Sanè multi separant gemmam à margarita, ut Cicero: Nullam gemmam, aut margaritam. & gemmas uolunt dici diuersi coloris, margaritas uerò albas: uel gemmas integras, margaritas pertusas. Hæc Seruij opinio ab omnibus, & ab ipsa ueritate dissentit. Est enim margarita, quæ in concha nascitur, & conchilium dicitur, quam uulgò perlam uocant. Hæc etiam appellatur unio, ut Plinius ait: quia nunquam nisi indistincta reperiatur. Est'que generis masculini. nam fœminini illud, quo nunc quidam pro unanimitate utuntur, nec authoritate nititur (nescio enim apud quem reperiatur) nec arte, cum deberet esse masculini potius generis,

neris,ut talio,ſtellio,curculio. Ad ea porrò,quæ ad Iureconſultos pertinent, ita reſpondet Alciatus, ut eo in primis, quare in illorum ſententiã tranſeat, ſe moueri dicat,quòd etymus pro Iureconſultis ſit. Videtur enim,inquit, gemma dicta,quaſi gemina,propter tranſlucentem naturam:deinde uidemus à ſimilitudine in uitibus gemmas dici,ut Fabius author eſt,& in Catone maiore M. Cicero. Vnde oſtenditur,non ideo dici gemmas,quia magnæ ſint. idem & Plinij authoritate conſtat,in annulis gemmas deferri arbitrantis,unde & Dactyliothecæ dictæ,quod profecto maioribus nõ conuenit. Ad hæc quæ rationes à Valla adducuntur,ſanè quàm frigidæ ſunt. Lapillus,inquit,generale nomen eſt: benè ſanè,ſed cũ tranſlucet,peculiari nomine gẽma dicitur. Rurſus,inquit, accepimus gemmas multorũ cubitorum inueniri. Accepit fortè à Luciano de Veris narrationibus. Miraculi certè loco refertur,alueolus trium pedum in triumpho Pompeij ex duabus gemmis. Subijcit: Quid ſi non perluceant, quia adhuc incomptæ,& imperfectæ? Atqui ſatis eſt,ſi natura ſui pelluceant,poſſintq́ manu artificis in hunc uſum poliri. Addit: Hac ratione etiam marmor Pariũ gemma eſſet, quia tranſlucidæ eſt naturæ. quaſi Iureconſultus omnia tranſlucentia definiat gemmã eſſe,& hunc honorem etiam ſpeculis tribuat,qui de lapillis, nõ de marmoribus loquitur. Poſtremo,inquit,reperiũtur,qui partim perluceant, partim non perluceant. Reſpondeo de his nihil à Iuriſconſulto dictum: & fortè ex regula iuris,qualitas potentior in his obſeruaretur. Addit ſecum ſentire Q. Curtium,itemq́ Horatium. quorum alter: Lapilli,inquit,ex auribus pendebant,candore & magnitudine inſignes. alter: Niueos,inquit,uiridesq́ lapillos. Ipſe quid horum uerba ſententiæ noſtræ obſtent,non uideo:puto nec ipſe Valla ſatis norat,cum abſq́ ſcrupulo ex Iureconſultorum diſtinctione poſſint intelligi. Illud non diffiteor, differentiam hanc inter gemmam & lapillum non ſemper ab authoribus obſeruari,ut cum Catullus dixit,

Aut pelluciduli delicijs lapidis:

Aut Plinius, cũ generaliter ſub Capite de gẽmis omnes lapides deſcripſit. Sed Iureconſultus de proprietate loquitur,non de abuſu,& tranſlatione. Iam Alciatus pro ſuo more ad etymũ confugiens, nõ magis tutatur Iureconſultos, quàm ipſe Valla. Iureconſultus ſanè gemmas appellat,quæ perlucidæ materiæ ſint: lapillos autem,qui contrariæ ſuperioribus naturæ. At hoc quomodo uerum eſſe poſſit, non oſtendit Alciatus:niſi quod gemma, quaſi gemina dicatur,quodq́ Vlpianus de proprietate,non de abuſu et tranſlatione loquatur. Verum ſi non gemmæ,ſed lapilli etymum animaduertiſſet, cum Valla diceret diminutiuũ eſſe à lapide,ita ut omnes (ſi de precioſis ſubaudimus) gemmas, etiam quæ maximè ſint perlucidæ,propriè comprehendat. Alioqui niſi de precioſis intelligamus, ad alios etiam uiliſſimos refertur. Virgilius de apibus in Georgicis,

Et ſæpe lapillos
Vt cymbæ inſtabiles fluctu iactante ſaburram
Tollunt.

Ouidius decimoquinto Metamorphoſeos,

Mos erat antiquis,niueis,atriſq́ lapillis,
His damnare reos,illis abſoluère culpa.

Et mox,

Quæ ſimul effudit numerandos uerſa lapillos,
Omnibus ex albo color eſt mutatus in atrum.

Plinius libro nono de Echinometris loquens: Tradunt ſæuitiam maris præſagire eos,correptisq́ operiri lapillis,mobilitatem pondere ſtabilientes. Nam & lapide gemmam denotamus,ſi precioſum ſubaudimus. Tibullus libro primo,

Non lapis hanc, gemmæq; iuuant, quæ frigore ſola
Dormiat, & nulli ſit cupienda uiro.

Martialis libro undecimo Epigrammatum,

Gemma uel à digito, uel cadat aure lapis.

Itaq; de precioſis intelligebat Horatius, quum dixit, Niueos uirideſq; lapillos, & Q. Curtius, cum lapillos ex Indorum auribus pendere: & præter eos Propertius de perlucidis agebat, cum ita ſcriberet,

Nec minus Eois pectus uariare lapillis,
Vt formoſa nouo quæ parat ire uiro.

Et alibi idem Horatius, libro primo Epiſtolarum,

Deterius Libycis olet, aut nitet herba lapillis?

Quos ut de tranſlatione locutos credat Alciatus, nos certè maximè propriè lapillos in eo ſignificatu nominaſſe uidemus. Rurſus quòd gēmæ dicantur tranſlucidæ tantum, ſomnium eſſe oſtendit Plinius. Tum quod uidet Alciatus, gemmas à ſimilitudine in uitibus Cicerone et Quintiliano teſtibus dici, eſt (ut aiunt) extra cantionem. Si enim ex his argumentis gemmam paruam eſſe, quia parua in uitibus ſunt germina, comprobare nititur, de re laborat, de qua nō quæritur. quis enim gemmas neget eſſe tam paruas, quàm etiam magnas? Non opus erat Plinij gemmas in annulis deferri affirmantis citare teſtimoniū: quando nec Valla id, nec uiuus quiſpiam, niſi imperitiſſimus, negare auderet. Sed illud eſt ridiculum, quod dactyliothecis nomen gemmæ maioribus non conuenire perſuadere conatur. Cumq; Valla multorum etiam cubitorum gemmas inuentas eſſe affirmet, deliraſſe hac in re ei uidetur: Accepit, inquit, fortè à Luciano de ueris narrationibus. Miraculi certè loco refertur alueolus trium pedum in triumpho Pompeij ex duabus gemmis. Atqui ſi multa à Luciano accipere ſolet Alciatus, non tamen Vallam eiuſdem criminis iure accuſat. qui ut omnia ex optimis authoribus deſumpſit, ita & hoc non in Luciani, ſed in Plinij ſcriptis legerat, cuius ex trigeſimo ſeptimo Naturalis hiſtoriæ libro hæc ſunt uerba: Egregia etiamnum topazio gloria eſt, ſuo uirenti genere, & cum reperta eſt prælatę omnibus. Id accidit in Arabiæ inſula, quæ Chitis uocatur: in qua Troglodite prædones cum diutius fame & tempeſtate preſſi, herbas radiceſq; effoderent, eruerunt topazion. Hæc Archelai ſententia eſt. Iuba Topazion inſulā in rubro mari à continente ſtadijs trecentis abeſſe tradit, nebuloſam, & ideo quæſitam ſæpe à nauigantibus, ex ea cauſa nomen accepiſſe. Topazin enim, Troglodytarum lingua ſignificationem habere quærendi. Ex hac primum importatam Berenicæ reginæ, quæ fuit mater ſequētis Ptolomæi, à Philæmone præfecto regis, ac mirè placuiſſe, & inde factam ſtatuam Arſinoē Ptolomæi Philadelphi uxori quatuor cubitorum, ſacratam in delubro, quod aureū cognominabatur. Atq; ut eam gemmam eſſe Alciatum doceret, paulo pòſt ſubiunxit: Eſt autem ampliſſima gemmarum. Theophraſtus quoq; in libro de lapidibus, Babyloniorum regi ſmaragdum quinq; ulnarum longitudine, trium latitudine fuiſſe tradit. His addit, fuiſſe in Iouis templo obeliſcos quatuordecim ulnas longitudine excedentes. Sed hæc ait, aliorū fidem ſecutus: quanquam ipſe pſeudoſmaragdis tanta tribuat miracula. Contra Vlpiani igitur, Seruijq; ac Sabini ſententiā, non ita diſtinguuntur gemmæ à lapillis. Et ijdem parū rectè margaritas nec gēmis utiq;, nec lapillis contineri cenſuerunt. Vt enim gemmis fortè non comprehendantur, lapillis certè eas contineri Horatius, Quintuſq; Curtius oſtenderunt. In illo iridem eſt erratum, quòd Caſſius myrrhina uaſa in gemmis non eſſe ſcripſerit, quæ Plinius

us in gemmis recenseat. Hac enim ratione Iureconsultos excusare, quòd ab eis traditæ definitiones, seu differentiæ, non semper ab authoribus obseruentur, non est aliud, quàm Iureconsultos à bonis authoribus dissensisse. Cætera per se satis clara non persequar: nam Vallæ uerba satis id ostendunt, adeò ab Alciato non confutata, ut per accensos carbones nusquam consistens incedere uideatur. quod tamen in eo negocio fieri necesse erat, quũ manifestus Iureconsultorum error, nullo colore aut uerborum ambitu defendi ualeat. Nos ad calcem eorum uenimus, quæ in Valla reprehendit Alciatus: rectè'ne an perperam, ut utriusque nostrum in propria causa iudicium reijciatur, alij expenderint. Illud tamen mihi durissimum uideri solet, tam iniquè tulisse Alciatum, Iureconsultos à Valla reprehensos fuisse, cum tamen ipse ab eisdem sæpenumero audacter soleat dissentire. Si omnia Iureconsultorum scripta Iouis Hammonis oraculum crederas, cur eos carpis? An soli tibi existimas licere omnia, & putare cæteros boues? Atque hoc quidem, nisi apertè ostendero, sim impudentissimus. Eius enim loca in medium adducam, prout in superioribus à nobis factum est: in quibus si cui fortè nimis prolixus fuisse uisus sum, is accipiat data opera ne uerbum quidem me aut Vallæ, aut Alciati prætermisisse, nempe quod illius rationes partim in medium adductæ, partim etiam prætermissæ, integram authoris sententiam non erant plenè indicaturæ. & grauiter laturus erat Alciatus, idem in suis non esse factum, quod in Vallæ accusationibus (sic enim eius Annotationes uocat) obseruassem. Sed ad rem aggredior. Ac primum quidem ille, Pomponij uerba enarrans, ita scribentis, Boues magis armentorum quàm iumentorum nomine appellantur, inquit: Veteres à iungendo iumenta appellabant, quòd currui iungerentur. ea erant equi & muli. Boues uerò armenta potius dicebantur, ab arando, ut Varro inquit, quòd principalis eorum usus is esset. Igitur legatis iumentis, non uidetur de bobus actum: & ædiles, quum de iumento mentionem fecerunt, subdiderunt etiam de pecoribus, ut boues comprehenderentur. Lucius tamen Columella libro quinto, iumenta appellari credidit, quæ nostrũ laborem, uel onera subuectando, uel arando iuuarent: sed aliter Iurisconsulti sentiunt. Lege enim duodecim tabularum à iungendo, nõ à iuuando iumenta dicuntur, ut Aulus Gellius est author. Videtur tamen nobis ex eruditorum usu, Columellæ approbari sententiam. Non hic unicum designat Iureconsultum Alciatus, sed omnes nimirum reiecit, ut Columellæ de iumentis etymologiam magis sequeretur. Næ si hoc in Iureconsultos adnotasset Valla, protinus dicturus erat Alciatus, quid sibi uellet nesciuisse illũ: quippe qui Iureconsultis aduersari fas duxisset. Neque hoc sentio, ueriorem esse illorum quàm Columellæ deductionem: sed si illi errare non potuerunt, cur ab illorum sententia discedis? quin mordicus Iureconsultorum etymum tutaris? Sequester, ait Modestinus, dicitur, apud quem plures eandẽ rem de qua cõtrouersia est, deposuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos qui contendunt committitur. At hæc interpretans Alciatus, unicus Iureconsultorum defensor, sic inquit: Sequestrum hunc dici proditũ est, quasi occurrentem cõtrouersiæ, sequentemque litigatores. Laurentius tamen in libro quem scripsit de uerbis sordidis, sequestrum dici mauult, quod eius utraque pars fidem sequatur: idque etiam Aulus Gellius probat, & mihi non displicet. etymologia enim à Iureconsulto hic tradita, subdura est: in quem & illud intorqueri potest, quod occurrere & sequi pro similibus accipit, cum penitus sint diuersa. Occurrit qui aduersum tendit, sequitur qui pòst uenit. An hic stuporis Modestinus arguatur, ipse interpretetur Alciatus. Sanè nõ modò eius

reijcit

reijcit etymologiam, ut mihi uidetur, uerum id in eum intorquet, quòd diſſimillima uerba pro ſimillimis acceperit. Gellij uerba de ſequeſtro et ſculna (nam idem ſunt) ex uigeſimo Noctium Atticarum hæc ſunt: Publij Lauinij liber eſt, nõ incurioſe factus: is inſcriptus eſt de uerbis ſordidis. In eo ſcripſit, ſculnã uulgò dici, quaſi ſeculnam: quem qui elegantius (inquit) loquuntur, ſequeſtrem appellant. Vtrunque uocabulum à ſequendo factum eſt, quod eius qui electus ſit utraq; pars fidem ſequatur. Hæc Gellius. Eſt autem ſequeſter, quaſi medius inter duos altercantes. Hinc Virgilius Aeneidos libro undecimo pacem ſequeſtram uocat,

Biſſenos pepigere dies, & pace ſequeſtra
Per ſyluas Teucri, miſtiq; impune Latini,
Errauere iugis.

Quos uerſus exponens Seruius ait, ſequeſtra, media. nam ſequeſter eſt medius inter duos altercantes, apud quem aliquid ad tempus ſeponitur. Pacem ergo ſequeſtram inducias dicit, id eſt pacem temporalem, & mediam inter bellum præteritum & futurum. Cicero pro medio, uel pro eo, quo quaſi interprete ac internuncio ad aliquid agendum utimur, hanc uocem poſuit. Pro Cneio Plancio enim ſic ait: Quàm tibi commodum eſt, unam tribum delige tu: doce id quod debes, per quem ſequeſtrem, quo diuiſore corrupta ſit. Et pro Cluentio: Quo ſequeſtre in illo iudice corrumpendo dicebatur eſſe uſus. Inde fit ſequeſtro uerbum, quod eſt apud ſequeſtrem depono, & ſi qua præterea docent grammatici. Nos ad reliqua. Tugurij appellatione, inquit Pomponius in libro de Verborum ſignificatione, omne ædificiũ, quod ruſticæ rei magis cuſtodiendæ conuenit, quàm quod urbanis ædibus, ſignificatur. Alciatus autem ſic: Sanè uidetur Iuriſconſultus tugurium accipere, pro quacunq; domo ruſtica: quod ita ſimpliciter uerum non eſt. Quæ enim parietibus, & tegulis latericijs conſtat, tugurium non eſt. Igitur de gurguſtiolo intelligendum, quod uel harundine, uel ulua paluſtri, ſtramentis ue, uel etiam (ut Virgilius ſcribit) ceſpite contectũ ſit, cuius parietes uiminei luto, uel huiuſmodi materia conſtrati ſunt. Quid eſt hoc, ſi non eſt Iureconſulto aduerſari? cum Pomponius generaliter loquatur, Alciatus autem non eſſe ueram ſimpliciter illius definitionem affirmet. Idem & in uiduæ etymo & definitione fecit, à Iaboleno conſtantiſſimè diſſentiens. Iaboleni uerba hæc ſunt: Viduam non ſolam eam, quæ aliquando nupta fuiſſet, ſed eam quoq; mulierem quæ uirum non habuiſſet, appellari ait Labeo: quia uidua ſic dicta eſt, quaſi uæcors, uæſanus, qui ſine corde, aut ſanitate eſſet: ſimiliter uiduam eſſe dictam, ſine duitate. Alciatus uerò ſic: Viduam eſſe quaſi ſine duitate Antiſtius Labeo dixit, quoniã particula uæ quandoq; priuatiua eſt, ut in uæſano uæcordeq; diximus. Quapropter etiam quæ nunquam nupta fuit, uidua rectè appellabitur, competentiq; ei cætera priuilegia, quæ uiduis conceſſa ſunt. Sed hanc ego Labeonis interpretationem, uix ſcio quantũ approbem, nõ quod Auli Gellij exemplo mouear, qui & ipſe quaſdã eius ſimiles deriuationes quandoq; cõfutauit: ſed quòd quacunq; authoritate potiores apud me ſunt rationes. Quomodo enim uiduam à uæ & duitate dictam credamus, quæ dictio prima in ſyllaba corripitur: cum, ſi Labeonis uera eſſet ſententia, produci debuiſſet: ſicut & uæcors, uæſanusq; producuntur? Quomodo item ab etymologia uocabuli affirmatiuè argumentabimur, ut quia ſine duitate puella ſit, uidua dicatur, cum eiuſmodi argumentum non conſiſtere frequentius receptum ſit? Sed & non parum me legis Iuliæ exemplũ mouet, quæ uirginem à uidua ſeparat, licet in utraque

que

que ſtuprum committatur. Hieronymus quoq; ad Fabiolam: Vidua, inquit, eſt, cuius maritus mortuus eſt. Nam & antiqui authores uiduũ pro priuato ſimpliciter accipiunt: unde uiduus pharetra Apollo, apud Horatium. Elegantior igitur, ſubtiliorq; Labeonis mihi uidetur ſententia, quàm uerior, ut meritò non niſi ex lata ſignificatione ſuſtineri eam pleriq; reſponderint. Quandoquidem & ſcientiſſimi grammaticorum ab antiquo uerbo iduare uiduam dictam putant, quod ſeparare ſignificat: unde & diuidere uerbum, & idus dictæ Macrobio. Sit igitur uidua, quę à uiro ſeparata eſt: cui ſententię & cæteri antiqui, communiſq; omnium uſus aſſentiri uidetur. Hæc Alciatus. Quibus non ſimpliciter carpit Iabolenum, Labeonemq;, ſed quaſi nugatores inſectatur: tum quod etiam uiduam eſſe exiſtimarunt, quæ uirum nunq; habuiſſet: tum quod eam à uæ & duitate dictam aſſeruerunt, in quorũ utroq;, licet ab eis erratũ eſſe pro certo habeã, æquum tamen erat Alciatũ eorũ partes tutari, à quibus ueriora in aliena prouincia tradi arbitrat̃, quàm in propria grãmatici cõmentari poſſint. Sed fortè quod ei licet, non etiã Vallæ licuit. Proinde & illud eſt cachinno dignum, quod grammaticorũ authoritate hoc loco utat̃, cum id genus hominũ intra ſuæ profeſſionis cancellos ſtare neſciat, & ſupra crepidam quoque non ſemel iudicet. Nam eiuſdem contra Labeonẽ ratio etiã thermas refrigeraret, tametſi eam ipſe ut ſingularẽ inauditamq; admiretur, & quæ pluris ſit quàm omnes omniũ authoritates faciẽda, inquit enim: Quomodo uiduã à uę & duitate dictã credamus, quæ dictio prima in ſyllaba corripit̃, cum ſi Labeonis uera eſſet ſententia, produci debuiſſet, ſicut & uæcors, uæſanusq; corripiuntur? Quæro abs te, ſi uidua à uiduare antiquo uerbo, quod ſeparare ſignificat, dicta eſt, cur eius primam ſemper corripimus, & ab eodem uerbo deductarũ iduũ ſemper producimus? Alget ſanè ratio, ſi ad ſyllabarũ quantitatem confugias. Nec admodũ ingenioſè Baptiſta Pius Iaboleni locum reſtituit, ſi doctis modò ac non cerdonibus, & priores & poſteriores ſuas Annotationes ſcripſit. eius uerba hæc ſunt: Iabolenus Iureconſultus ſublimis fuit, qui multa conſultiſſimè, multa doctiſſimè ſcripſit. Inter hæc reponi non diſconducit, quæ etymologicè ſcripſit Digeſtis de rerum & uerborũ ſignificatione: Viduam non ſolum eam quæ aliquando nupta fuiſſet, ſed eam quoq; mulierem, quæ uirũ non habuiſſet, appellari ait Labeo. quia uidua ſic dicta eſt, quaſi uæcors, uæſanus, qui ſine corde & ſanitate eſſet: ſimiliter uiduam dictam eſſe ſine uiduitate. In his ultimis uerſibus, librarij mendũ eſt. ſic enim legendũ iudicabit, qui pleno pectore ſapiet: Similiter uiam dictam eſſe, ſine duitate. Dignus quidem locus, quem in ſuas Annotationes interſerat Pius, in quibus plurima ſunt eiuſdem ordinis: ut cum in deprauatiſſimos codices incidiſſet, fœdiſſima, & quæ à pueris dignoſci poſſint, uel librariorum, uel impreſſorũ errata caſtigans, Annotationũ libros conſcripſerit. Quis porrò tam eſt ſtupidus, qui uiduã dici poſſe credat, quæ ſine uiduitate eſt? Hoc pacto plena eſſent annotationũ omnia: nec facilius quicq; eſſet, quàm authores ſic reſtituere. Sed illa mihi uerba riſum mouẽt: Sic enim legendũ iudicabit, qui pleno pectore ſapiet, quaſi magno quodã artificio, exquiſitoq; iudicio ad eum locũ reponendũ opus fuerit. Quid ſi quis ſemipleno pectore ſaperet, numnam ſic legi debere iudicaret? Verum ut ad rem redeam, quòd Horatius (eius enim teſtimonium citat Alciatus) Apollinem uiduum pharetra ſcripſerit, Seruius grammaticus in octauum Aeneidos reprehendit, hæc Euandri uerba enarrans, Tam multis uiduaſſet ciuibus urbẽ: & friuolam (ut mihi uidet̃) adducit rationẽ, inquit enim: Propriè Virgilius Viduaſſet dixit, quia urbs generis eſt fœ-

minini. Horatius abuſiuè, & ſatis incōgruè in genere maſculino poſuit, dicens. Viduus pharetra Riſit Apoll. Hic ſibi uelle uidetᷣ Seruius, uiduū & uiduare nō poſſe poni in genere maſculino, ſed in fœminino tantū. Quod ſi de uerbo intellexit, neſcio ꝗ ſit probandū. Virg. eīm ad neutrū etiā genus traxit, cū ita ſcripſit,

Aruaq́ Ryphæis nunquam uiduata pruinis.

Si de nomine autē, multo magis reijcienda eſt eius ſententia. nam & Propertius uiduum uirum dixit libro ſecundo Elegiarum,

Cum tibi nec Peleus aderat, nec cærula mater,
Scyria nec uiduo Deidamia uiro.

Catullus uiduas noctes appellauit,

Nam te non uiduas iacere noctes,
Nequicquam tacitum cubile clamat.

Vbi nequicquam, pro non accipiendum: ut apud Virgilium in Georgicis,

Nequicquam ſeros exercet noct a cantus.

Et alibi,

Et ſummo clypei nequicquam umbone pependit.

Idem Catullus in Carmine nuptiali, uiduas arbores appellauit,

Vt uidua in nudo uitis quæ naſcitur aruo.

Et Horatius quum ait,

Et uitem uiduas ducit ad arbores.

Hinc uiduare arborē folijs. Idē, Et folijs uiduantᷣ orni. Sed in his omnibus quatenus habenda ſit poëticæ licentiæ ratio, meū non interpono iudiciū. Ego ſanè quod Alciatū admiſiſſe oſtendi, quod in alijs maximū eſſe uitiū arbitratᷣ, de hac re nihil dicā præterea. Proinde omni uitio carere debet, qui in alterū dicere paratus: & eſt parū ciuile, in eo labi, in quo cęteros reprehēdas. Sed tamē modeſtiſſimus uideri poteſt Alciatus, ſiquidē Vdalrici Zaſij impudentiā ob oculos habeamus: qui ut candidiſſimorum Iuris ciuilis interpretum ſibi princeps uiſus eſt, ita omnes audacia, impudētiaq́ ſuperauit in ſcribendo ſordidus, lutoſusq́. Quumq́ antinomias quaſdā à Valla Budæoq́ animaduerſas diſſoluerit, cum illo ſanè immodeſtiſſime egit: cū Budæo aūt & uiuēte, & remorſuro adeò humanè, ut nihil ſuprà. Vallā quidē ita ſcribēs lacerat: Laurentius Valla rei Latinæ peritiſſimus, Elegantiarū opus inter alia ſua monumēta poſteris nō inelegās reliquit: qui ſi intra modeſtiæ fines manſiſſet, laudata prædicatione cū primis dignus erat. Quæ enim in linguā Latinā eò ætatis nōnihil corruptā ſcripſerat, poſteris pulchrè cōmodarunt: ſed liberiore quadam in boni nominis ſcriptores licentia inuectus, cū pręter Ciceronē fortè & Quintilianū quoſcunq́ modico delectu impeteret, & uelut Rhadamantus quidam, non tamen à Ioue delegatus, ſed qui ſeſe ingeſſerit, acrioris iudicij cenſura uiros doctiſſimos notare uideretᷣ, plurimorū ipſe iudicia ſubijt: & quā ex bonis Latinæ puritatis præceptis gloriā meruiſſet, inſolētiore iſta temeritate immodice cōtaminauit. quippe nō ſolū cōpluribus doctis uiris latinæ dictionis puritate conſpicuis, Lactantio, Hieronymo, Boëtio, alijsq́ diē condixit, ſed etiā auguſtos illos heroës, Iuris ciuilis authores, Vlpianū, Paulū, Venuleiū, & cęteros (quos tamen præter grāmaticas obſeruatiunculas in medullis ciuilis ſcientiæ intellexiſſe non creditur) impetijt: quaſi uel nō propriè, uel parū terſè Latini ſermonis elegantia uterenᷣ. Toleranda tamen fortaſſe improuida iſtæc temeritas in homine licētioſo fuiſſet, utpote quòd eruditis Latinarū literarū facile perſpectū eſſe poteſt, bonis'ne an malis rationibus contra doctiſſimas animas moueatur. Nec enim ignotū eſt, nihil minus in omni doctrina ad ſolennes redigi formulas poſſe, quàm Latini ſermonis pręſcripta: cuius tanta eſt libertas, ut nouare dictis, tranſſumere metaphoris, tropis uti (dum citra barbariem fiat) impune liceat. Adeóque dum formulas imperioſius

præ-

prænotat, dum putat, qui à formulis suis excidat, causa cadere, iam non tam confutandus erat de errore, quàm ridendus erat de intemperato iudicio. Et paulo post: Cæterum sese iudicem constituens, nescio quam phanaticam sententiam pro Vlpiano pronunciauit, tam iudex friuolus, quàm nulla inter Iurisconsultos lis fuit, uel ullo modo apparuit. Proinde cõmittere noluimus, ut nihili iudex sibi ipsi pro stomacho male digesto sementem litis à sanctarũ puritate legum sumat: eumq́ qui nec accusatus unquam, nec reus peractus est, atro condemnet calculo. Et mox: Hæc cum puluerarijs sint cognita scholasticis, quomodo Vallæ, qui uel coelum gigantib. oppugnare potuisse uideretur, fuere ignota? Quomodo ipse Dialectica tractauit, qui uestibularia ipsa non perspexit? Et inferius: Sed hæc plus nimio, leuicula enim sunt, uel mediocribus Iuris professoribus, in quibus tamen Valla consistere non potuit. Et audet homo temerarius, ne dicam insanus, sese iactare, qui Iuris ciuilis scientiã edocere eos, quos tanquam primarios iuris interpretes ueneramur, trĩenioq́ meliores q̃ Accursius glosas super Iure ciuili facere possit: Vide quò erumpat improuida temeritas. Legerat Ciceronem Valla, ubi in oratione pro Murena triduo se Iurisconsultũ futurũ, si quis ei stomachum moueret, dicebat. Hunc tantum uirũ, hoc doctrinarũ lumen fraterculus iste gigantum in suam effingere personam conatur. Pulchra me hercule & lepida cõparatio Ciceronis ad Vallam, lucis ad tenebras. Cicero se iurisconsultũ triduo futurũ non iniustè pollicebatur, qui à iuuene Scæuolam audierat, à cuius latere discesserat, qui iurisprudentes omnes perlegerat, in eis ita consueuerat, ut sicut erat oratorum princeps, ita Iuris ciuilis scientia clarus haberet̃. At Valla in triuijs, in compitis fortasse Grammaticis suffarcinatus rudimentis, insignem Iuris ciuilis scientiã ne à limine quidem unquam salutauit. Quo ergo pacto in sublimia Iuris nostri scita, uel modicum scribere potuisse præsumetur? nisi fortè ex trinialib. suis concertatiunculis, quibus cũ Raudensi super capistro disceptabat, nostrę scientię abdita expenderit. Hæc Zasius: quæ tã impudenter scripta sunt, quàm omni ipse in scribendo caruit elegantia. Quamobrẽ ut Vallam in latinitate etiam Iureconsultos carpere potuisse superius ostendimus, ita nihil ei cum Zasio barbarę locutionis maximiq́ fastus Iurecõsulto esse potuit. Atq; hoc ne quis à me falsò de eo scribi autumet, eius legat uel Cõmentarios in Pomponij legem, uel Antinomiarum dissolutiones, uel legales (ut ipse uocat) orationes, licet nihil orationis præter nomen habentes, uel etiã aliquot epistolas. Plurima enim in eis offendet uerborũ portenta, qualia sunt, famatissimi capitanei, cum parabilitatibus, alijsq́ innumeris, quæ uel Vbertino Crescentinati stomachũ mouere possent: & faciunt, ut non pluris eum in Latino candore, q̃ aliũ quemuis recentiorem Iuris interpretem æstimem: eorũ inquam, quos inter barbariei sentinas ponendos esse non inficior: ita fluit incompositus, & omnis puritatis in scribendo expers. Quòd si in Bartolo, et similib. pro tregua inducias, pro bannito exulem reponas, quem nam illorũ Zasio inferiorem dixeris? quem non Zasio multo doctiorem? Sed quid de homine sentias eloquentiæ inimico? & Demosthenis, Ciceronisq́ calumniatore? Demosthenem, inquit Pomponij uerba enarrans, qui locutuleius erat, an Aristidi, an Phocioni, uiris optimis præferes? nõ censeo. Ille enim improba, illaudataq́ reipublicæ linguæ beneficio suasit, quæ iusto Aristidi recipienda non uidebant̃, argentangina nescio qua fidem clientiũ ludificatus est, quod à uiri probitate recedit. Porrò Ciceronem, qui dicendo propè omnia potuit, num Catoni, uel Censori, uel Stoico antepofueris? quorũ constantia, integritas, rectitudo toto orbe celebratur? Ciceronis inconstantia etiam nimis exi

bilanda data est. In quas turbas rempublicam Romanam Gracchi linguæ uolubilitate coniecerunt? uel an Scæuolam, qui nulla eloquentia, magna Iuris cognitione floruit (ut interim plures taceam) condemnabis? Aequum sanè facis Zasi, quum eos deprimere laboras, quibus nihil unquam debuisti. Porrò Aristidem, Phocionem, ac duos Catones optimos ciues fuisse credimus, tametsi qui pluris fuerint faciēdi, quàm Demosthenes ac Cicero, nemini nisi stolidissimo uisi sint. Multis illi uirtutibus admirandi fuerunt, at hi omnem uicerunt admirationem. Denique quis magis posteris profuit? Phocion an Demosthenes? Cato, an M. Tullius? Atqui obijcit Ciceroni inconstantiam. Sed non legit eius ad Lentulum epistolam, qua ita se tutatur: Nunquam enim, inquit, præstantibus in republica gubernanda uiris laudata est in una sententia perpetua permansio, sed ut in nauigando tempestati obsequi artis est, etiam si portum tenere nequeas: cum uerò id possis mutata uelificatione assequi, stultū est eum tenere cū periculo cursum quem cœperis, potius quàm eo commutato quò uelis tandē peruenire: sic cum omnibus nobis in administranda republica propositū esse debeat, id quod à me sæpissimè dictum est, cum dignitate ocium, nō idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus. Respondeat Zasius, quis'nam Romanæ reipublicę magis profuerit, Stoicus Cato, an eloquentium princeps, iudiciorumq; rex M. Tullius? Quòd si huic persuaderi non poterat, sapientem gratia nunquam moueri, nunquam cuiusquā delicto ignoscere: neminem misericordem esse nisi stultū, & leuem: uiri non esse, neque orari, neque placari, solos sapientes esse si distortissimi sint formosos, si mendicissimi diuites, si seruitutem seruiant reges: omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefarium: nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, q̄ cum qui patrem suffocauerit: sapientē nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiā mutare nunquam: si inquam ab eis doctrinæ adiumenta quæsiuit, (ex oratione pro L. Murena hæc sunt) qui à Platone & Aristotele moderati homines, & temperati, aiunt apud sapientem ualere aliquādo gratiā: uiri boni esse misereri: distincta esse genera delictorū, & dispares pœnas: esse apud hominē constantē ignoscendi locū: ipsum sapientem sæpè aliquid opinari, quod nesciat, irasci nonnunquā, exorari eundem, et placari: quod dixerit, interdū, si ita rectius sit, mutare: de sententia discedere aliquando: omnes uirtutes mediocritate quadā esse moderatas: at Catilinę incendiū solus dormitantibus alijs extinxit: at seditiosissimam legem Agrariam, quæ nunquam Romæ sine maximis rerū motibus agitata est, populo dissuasit: at M. Antoniū perniciosissimū reipu. hostem ex urbe eiecit, ab ipso Catone Stoico pater patriæ antea salutatus. Quid his simile à Catone unquam factum? Sed ille uir sanctissimus, constantissimusq;, & fuit, & habitus est, Verū quidem. Sed & hic cum pro repub. semper steterit, ita in ea regnare dictus est, ut diuinam illam eloquentiam, qua nihil unquam Romanæ aures mirabilius audiuerunt, ad patriæ commoda semper retulerit, bonorum patronus, seditiosorum acerrimus hostis: Verris ut accusator, sic nobilissimæ insulæ ab eo expilatæ defensor. Hæc fuit M. Tullij inconstantia, hæc ei Iurisconsultorum inconsultissimus, & eloquentium infantissimus ineptissimus'que Zasius obijcere potest. Et mirum est, quàm sit ubiq; imperitus. Catonem enim Censoriū quasi parum eloquentem nominat, quasi non ei maximos honores conciliarit eloquentia. Nam quantum ei detulerit Cicero, de Plauto agentes, ex eius uerbis ostendimus. Licet & in primo de Oratore, de eodem ita scribat: Quid uerò ille M. Cato? nonne & eloquentiā tanta fuit, quantā illa tempora, atque illa ætas in hac ciuitate ferre

maxi-

maximam potuit? & Iuris ciuilis omnium peritissimus? Liuius autem trigesimo nono ab Vrbe condita libro de Catone ita scribit: In hoc uiro tanta uis animi ingenijque fuit, ut quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus uideretur: nulla ars neque priuatæ, neque publicæ rei gerendæ ei defuit: Vrbanas, rusticas'que res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia Iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit: huic uersatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis. Idem postea quam ad magnos honores peruenit, summus Imperator, & idem in pace si ius consuleres peritissimus, si causa oranda esset eloquentissimus. Nec ita tantum, ut cuius lingua uiuo eo uiguerit, monumentum eloquentiæ nullum extet. Viuit imò, uigetque eloquentia eius, sacrata scriptis omnis generis. Orationes & pro se multæ, & pro alijs, & in alios. Nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo fatigauit inimicos. Et mox: Asperi proculdubio animi, & linguæ acerbæ, & immodicæ liberæ fuit: sed inuicti à cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ, contemptor gratię, diuitiarum: in parsimonia, in patientia laboris, periculique, ferrei propè corporis, animi'que, quem ne senectus quidem, quæ soluit omnia, fregerit: qui sextum & octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se orauerit, scripserit'que, nonagesimo anno Sergium Galbam ad populi adduxerit iudicium. Et inferius: Catonis & aliæ quidem acerbæ orationes extant in eos, quos aut senatorio loco mouit, aut quibus equos ademit. Longe grauissima in L. Quintium oratio est, qua si accusator ante notam, non Censor post notam usus esset, retinere L. Quintium in senatu ne frater quidem Titus Quintius, si tum Censor esset, potuisset. Hæc Liuius. Ex quibus, quàm stultè Catonem Censorium tanquam parum eloquentem nominarit Zasius, quis non uidet? quis non eundem maximè temerarium fatebitur, quod Mutium Scæuolam nulla eloquentia fuisse affirmet? homo non qui de capistro cum Raudensi disceptare possit, nam id quidem supra hominis fuisset ingenium: sed omniũ, qui se non mediocres haberi in scribendo uolunt, impurissimus, & uel Philippo Beroaldo lutulentior? Audi quid de hoc Scæuola in Bruto scribat Cicero, de L. Crasso loquens: Ita enim multa, inquit, tum contra scriptũ pro æquo & bono dixit, ut hominem acutissimum Quintũ Scæuolam, et in iure, in quo illa causa uertebatur, peritissimũ, obrueret argumentorũ exemplorũque copia. atque ita tum ab his patronis ęqualibus, etiam consularibus, causa illa dicta est, cum uterque ex cõtraria parte ius ciuile defenderet, ut eloquentiũ iurisperitissimus Crassus, iurisperitorũ eloquentissimus Scæuola putaretur. Omitto quàm sibi ipse in plerisque locis aduersetur, cum alibi Bartolum, Accursiumque optimos Iuris interpretes fuisse asserat, alibi non plus eis in iure interpretando deferat, quàm bubulcis, aut agasonibus: hoc quidem superciliosa alicubi præfatione testatus, illud etiã multis in locis inculcans. Laceret igitur Vallam tantus antistes, cuius opera si Vallæ ad manus uenissent, & non multò post tempore uixisset, fecissent illi negocium proculdubio, & Raudensem ac Pogium Zasio comparatos, purissimos Latinitatis obseruatores fuisse putasset. Quocircà & D. Erasmi de Zasio iudicium non possum non magnopere improbare, cum tanta eum Romani sermonis ubertate scatere scripserit, ut Vlpianum quempiam, non nostrorum temporum Iureconsultum loqui putes. Non minus enim hic abest ab Vlpiano, q̃ Marco Tullio: quem ut nimis eloquentem uituperat, Demostheni itidem locutuleio maximè infensus. Sed excusari utcunque potest Erasmus, nempe quòd à Zasio usque ad

nauſeam ubiq; laudatus, aliquod ei laborum præmium reddere coactus fuerit, uerißime cum Horatio canens,

Diſcedo Alcæus puncto illius, ille meo quis?
Quis, niſi Callimachus?

Demum qui pro Iureconſultis in Vallam tam uehementer inuectus eſt, eoſdem aliquando oſcitantiæ coarguit, ueritatem hiſtoriæ contra Iureconſultum Liuio tribuens. Vbi nunc illæ, Zaſi, doctißimæ animæ, quæ nec accuſatæ unquam, nec reæ peractæ ſunt, ſi in re uulgatißima Pomponium tam ſtupidè lapſum eſſe concedis? Et alio loco, in Pomponij ſeu legem, ſeu legis caput, quũ ille de Sexto Papirio loquitur, ſic ait: Vereor ut ſit legendum L. Papirius. hoc enim prænomen peculiare fuiſſe Papirijs, ex Ciceronis epiſtolis diſcitur libro nono, ubi ad Papirium Pætum ſcribens, originem Papiriorum ſublibat. Cicero in libro de Claris oratoribus, L. Papirij Fregellani meminit, diſertißimũ eum habitum eſſe in Latio teſtatus. Sed is cum Tiberij Gracchi ætate fuerit, non uideo quomodo huc accomodetur. Quid eſt hoc aliud, quàm Iureconſultũ ſomniaſſe affirmare? Nec ego alia perſequor, quæ ridiculus, idemq; confidentißimus homo ſcripſit: nec tantum eſt ab re mea ocij mihi, ut Zaſij etiam ſcripta legere uacet, in quibus eloquentiæ ne ueſtigium quidem, eruditionis autem non multum inueniet, quantumuis diligens accuratusq; lector.

Sed nos immenſum ſpacijs confecimus æquor:
Et iam tempus equûm fumantia ſoluere colla.

FRANCISCI FLORIDI DE IVRIS CIVILIS INTERPRETIBVS LIBRI FINIS.

FRANCISCI FLORIDI SABINI DE C. IVLII CAESARIS PRAESTANTIA LIBRI TRES.

EIVSDEM SVCCISIVARVM LECTIONVM Libri tres, multa ac uaria eruditione referti, nuncq́ primum in lucem editi.

AD RODVLPHVM PIVM CARDINALEM CARPENSEM.

Cum rerum & uerborum in utroque memorabilium locupletissimo INDICE.

BASILEAE.

RODVLPHO PIO

CARDINALI CARPENSI TITVLI SANctæ Priscæ, Piceni Legato, Franciſcus Floridus Sabinus S. D.

CVM multa ſint, Præſul excellentiſſime, de quibus non modò inter ueteres dubitatum eſt, ſed inter eos etiam qui hodie uiuunt, uehementer ambigitur, uix ſatis meo iudicio quicquam reperiri poteſt, quod ei quæſtioni non cedat, quę de antiquorum ducum in bellicis rebus præſtantia à multis magnisq; uiris ita tractata eſt, ut cum pro ſuo quiſque arbitratu uel Scipionem, uel Cæſarem, uel Annibalem, uel Magnum Alexandrum, ſummum inter celeberrimos aſſeruerit, nemo tamen, qui id argumentũ digne ac pro eximijs cuiuſque rebus tractarit, quod ſciam, extiterit. Eum ego nodum cum diſſoluere cogitarem, exiguoq; temporis diſpendio me quòd uolebam conſecuturum ſperarem, perfectis duobus opuſculis, quæ poſt primam editionem auxi caſtigauiq;, eueſtigio me ad id opus accinxi, quod quidem difficilius mihi, quàm putaram, non fuit: quamuis quæ unico libro me abſoluturum ſperabã, tribus perfecerim, quorum primum uni Caio Cæſari, ſecundum alijs Romanis, tertium exteris ducibus tribui. In quibus omnibus illud præcipuè obſeruaui, ut cum ueterum ſcriptorum ducum'ue de alijs iudicia non mediocriter probarim, ijs tamen omnibus rationes ipſas potiores duxerim: niſi fortè quod quis aut ſimpliciter, hoc eſt rem diligentius nõ æſtimando, aut malignè de alijs dictitarit, quibuſuis rationibus ſit anteponendum. Atqui non ſum neſcius, futuros, qui antequam noſtras haſce lucubratiunculas legerint, eodẽ animo illas uituperent, quo noſtra alia ſolent: & alios quoſdam ſic à nobis diſſenſuros, ut palmam prauè à nobis C. Cæſari tributam putent: cum non defuerit, qui Annibalem & Scipione & ipſo Cæſare, contra diuina humanaq; iura maiorem ſtatuere, me audiente contenderit. Verum illos ego nihili facio: hos autem admonitos uelim, me non ita de Cæſare pronunciaſſe, ut reliquos à nobis inuitos in noſtram ſententiam pertractum iri confiderem. quippe qui ita hoc argumentum literis mandauerim, ut cum Cæſarem omnibus iure (ut mihi uidetur) prępoſuerim, à mea ſententia uel libentiſſimè ſim diſceſſurus, ſi quis perperam me de antiquis Imperatoribus ſententiã tuliſſe, melioribus, quàm noſtræ ſint, rationibus doceat. Alioqui eos in

Aa 2 biblio-

bibliothecis carpere, cum quibus æqua disputationis sorte congredi non audeas, quid est aliud, quàm ignauos canes imitari: qui cum res tutæ sunt, diu noctúq; latrantes: ubi lupũ uident, pauitantem caudam remulcentes, uteróq; subijcientes, in quasuis se latebras abdere, quàm contra hostem pugnare malunt. Porrò autem cum tres tantum externos duces, hoc est Pyrrhum, Alexandrum, Annibalemq; cum Cæsare contulerim, è Romanis septem in eam arenam produxi: tum quòd nostri plures egregios duces, quàm Græci, barbariq; habuerunt: tum quod nullus est eorum, de quibus paulò diffusius egerim, quin inter eminentissimos sit collocandus. Scipionem namque, Marium, Marcellum, Lucullũ, quis ab eo certamine excludendos fuisse dicat? aut quis nescit plerosq; extitisse, qui eorum quemque Cæsari prætulerint? Illud forte uerendum erat, ne Pompeius, si Pharsalicam pugnã ei condonaremus, indignus esset, qui eorum cuique æquaretur. Iam Syllam, Sertoriumq; præter eos addidi, quòd eorum uterque eximius fuerit imperator: atque ille superato Mario, occupatáq; patriæ libertate: semper inuictus, Cæsari in plurimis similis habitus est. Sertorius uerò, cum exiguis copijs multis calamitatibus afflixit populũ Romanum, nõ dubiè proximus Cæsari futurus, nisi fortuna ei omnibus in rebus esset maximè aduersata. Poteram Cæsari unicum è Romanis Scipionem, solosq; è barbaris Annibalem, è Græcis Alexandrum opponere, quòd qui his præstet, meritò Marios, Syllas, ac Lucullos excedat. Sed quòd diuersa sunt hominum de ijs iudicia, neque quod melioribus arridet, maiori parti plerumque probatur, utrisq; quantum in me fuit satisfacere studui. Denique ut rem absoluam, suam cuique sponsam, mihi meã: qui quidem nihil magis quæram, quàm ut eruditissimas aures tuas, quibus possum scriptis detineam. Vale. Bononiæ, quarto Nonas Nouembris. Anno à Christi Natali millesimo quingentesimo trigesimo octauo.

LECTIONVM SVCCISIVARVM LIBRI PRIMI CAPITA.

An pueri hodie à Græcis literis incipere debeant, & de patrum in filijs liberaliter instituendis auaritia. Caput I
Qui authores sint legendi, qui'ue imitandi. II
An Remulcus nauis genus sit, & de quibusdam Stephani Doleti erratis. III
Rhetoricos ad Herennium libros non esse M. Tullij. IIII
Defensa in Terentij Adelphis à Politiani censura M. Varronis lectio, & de Catulli passere, item de scrutis. V
Defensus ab eodem super Oaxe fluuio Seruius: item de Priapeij carminis authore. VI
De Reperio & Inuenio. VII
De uerbo Deprecor. VIII
De Area. VIIII
De Littore & Ripa. X
Quid sit in Horatij epistola, Trans pondera dextram porrigere. XI
Aliter agnosci à C. Plinio Auunculo Virgilianum carmen, quàm in omnibus, qui in manib. sunt, codicibus habeatur. XII
Varia de Pythagoræ temporibus, & Numæ Pompilij doctrina, ab antiquis credita & scripta fuisse. XIII
Nullam à M. Tullio in Bruto P. Sempronij Tuditani mentionē factam fuisse, quamuis à T. Liuio facundissimus appelletur. XIIII
De Tragœdiæ, Comœdiæ, Satyræ, aliorumq́ poëmatum inuentoribus, ac de Lyricis Græcorum poëtis. XV
De Electro, & an in Eridani ripis repertum sit. XVI
An credendum sit, regiones, eodem semper animi corporisq́ robore præditos homines producere. Et de elementorum secundum Pythagoræ sententiam mutatione. Item de quibusdam, quæ contra naturam facta sunt. XVII

LIBRI SECVNDI CAPITA.

Latinum sermonem ueterum Romanorum tempore omnibus fuisse promiscuum. I
Tres libros de Bello ciuili Pompeiano, non uideri C. Iulij Cæsaris. II
De ætate Nestoris, item de longissimis hominum uitæ spacijs. III
De aliquot Lactantij Firmiani erratis. IIII
Eundem esse Zephyrum ac Fauonium, contra Flauij Vegetij Renati sententiam. Item de Ventis aliqua. V
De Hippocentauris, Satyris, alijsq́ quibusdam monstris. VI
Luciani de Astarte dea erratum. VII
Gulielmi Budæi erratum super uerbo Admittere. VIII
De Philippi Beroaldi in Seruium Annotationibus. VIIII
Finitum numerum pro infinito à Virgilio sæpissime poni, contra Beroaldi, Macrobijq́ sententiam. X
Declaratus Virgilij locus, & de uerbo Maturo, contra Macrobium ac Beroaldum. XI
Recte à Seruio contra Beroaldi sententiam, tristem pro seuero in Virgiliano carmine positum dici. XII

Quomodo Sophocleus Cothurnus apud Maronem sit capiendus, cōtra Beroaldi censuram. XIII
Quæ messis apud Virgilium bis solem, bis frigora sentiat, contra Probum, Beroaldumq́. XIIII
Quàm inepte insulseq́ Seruius à Beroaldo in sequentium Virgilij carminum enarratione reprehendatur. XV
Eiusdem Beroaldi error manifestus. XVI
Quomodo capiendus sit Remus, à Virg. in Miseni sepulchro positus. XVII
Qui sint Ansacti ualles. XVIII
De Baptistæ Pij stilo. item defensus ab eius calumnia Seruius. XIX
De Lima Vallensi. XX
An minor numerus semper præponatur maiori. XXI
Defensa à Grammaticuli calumnia, Seruij super uerbo Audierat, in Virgiliano carmine, enarratio. XXII
De Antonij Vosci Commentarijs. XXIII
Quatenus quærendæ sint in poëtis allegoriæ. & de Catena aurea Homeri. item de duabus Somni portis. XXIIII

LIBRI TERTII CAPITA.

Diffuse explicati Iunij Iuuenalis ex XV Satyra uersus: & de Aegyptiorum dijs non pauca. I
An Penelope casta fuerit: & de Vlyssis morte. II
Cur homines μέροπες ab Homero dicti sint. III
Quid Erasmo in literis sit tribuendum, & de Delio natatore: item de Pythagorica philosophia. IIII
De diuitijs Narcissi, & prodigiosa Messalinæ libidine. V
De Io. Iouiano Pontano, Actioq́ Syncero. VI
In poëtarum obtrectatores. VII
Quur Horatius suas Satyras, Sermones appellarit. VIII
Quam ob rem Catullus ab antiquis doctus uocatus sit. VIIII
De Tyrtæo poëta. X
Veteres poëtas in fabulis admodum uariauisse. XI
Quàm necessaria sit Græcarum literarum cognitio, ijs qui cuiuscunq́ generis scientias profitentur: & quàm ad illas discendas conferat, Græca in Romanum sermonem uertere. Cur item Callimachi in Dianam hymnum Latinis uersibus reddiderim. XII

FINIS.

FRANCISCI FLORIDI SABINI DE C. IVLII CAESARIS PRAESTANTIA LIBER PRIMVS AD RODVLPHVM PIVM Cardinalem Carpensem.

VRBEM Bononiam, omnium ingenuarum artium altricem, amoenissimumq; Musarum domicilium, satis mihi uel puero commendarat communis quidam de eius excellentia tam Italorum, quàm externorũ consensus: & præcipuo quodam me in illam amore accenderant, quotidiani plurimorũ de tanto Italiæ ornamento sermones. Verum postquam ipse quod ab aliis acceperam præsens cognoui, uix dici potest, quàm responderint expectationi meæ urbis nobilissimæ situs, aëris in ea salubritas, agri fertilitas, morũ elegantia, ac peculiare quoddam in exteros fouendos excolendosq; ciuium studiũ. Quamobrem qui aliquot regiones adolescens peragrassem, ac in plerisq; earũ nobilissimis urbibus aliquandiu uixissem, nusquam mihi commodiorẽ locũ, quoad liberales disciplinas adipiscerer, offerri autumaui, quàm in tam excellenti urbe: in qua cum integrum iam quinquenniũ uixerim, ita sum uersatus, ut nullum me unquam, quod iuuenibus plerunq; usu uenire solet, patriæ desideriũ cœperit. Præter alia enim, quæ infinita propemodum sunt commoda, non desunt in ea doctissimi iuuenes: quorum familiaritas, quotidianaq; colloquia, non minus bonas literas profitentibus prodesse solent, quàm doctores ipsi, uel in suo genere eminentissimi. Siquidem cum illis singulis diebus diuersis de rebus sermonem inducentes, omnia fermè quæ sunt ad literas necessaria, perquàm diligenter solebamus excutere: & magnum ex historia fructum, plurimos eius scriptores inuicẽ conferentes, capiebamus. Quapropter cũ non pauci apud Bassianum Landum Placentinum, iuuenem græcæ latinæq; linguæ peritissimũ, idibus Iunij superiori anno, qui fuit à Christi Natali septimus ac trigesimus post millesimum quingentesimumq;, conuenissemus, ut de aliqua re pro more dissereremus, non contenti de literis tantũ uerba facere, de bellis quoq;, atq; antiquis ducibus permulta diximus. Qui sermo, quòd fortè aliis non erit ingratus, paucis à me in mediũ afferetur, ut feriatos etiam dies à nobis in rebus non inutilibus collocari solitos ostendam. Venerant igitur ad me eius diei initio Arnoldus Arlenius Peraxylus, candidissimi iudicij iuuenis, cuius ego eruditioni tantum defero, ut meorum scriptorum (quæcunq; ea sunt) illum censorem elegerim: Richardusq; Scæleius Britannus, summo & ipse mihi amicitiæ uinculo, tum propter singularem doctrinam, tum propter morum elegantiam deuinctus. quorum Arlenius: Cur non, inquit, dum plurimi ab omnibus abstinent negotijs, alicui disputatiunculæ damus operam, ne cum uulgo solis delicijs ac quieti, ocio marcescentes incumbamus? Ego uerò: Rectè, inquam, censes Arleni. Verum si quid egregium dignumq;, in quo tractando nonnihil laboremus, in animo habes, quin ad Landum imus, ut cum eo diem hunc honesto aliquo negotio absumamus? Tum Scæleius: Prudenter sanè Floride, inquit, iuuenem elegantissimũ conueniendum censes. Atq; ego quidem, & hic Arlenius, libentissime tecũ unà ueniemus: nempè quod siquid nobis disceptan

dum erit, facilius id cum eo ob eximiam illius literaturã examinare poterimus, quàm ſi nos ipſi ab omni cœtu ſemoti hoc muneris obeamus. Quanquã & hoc pro certo habeo, non defuturos apud Landum, quorum opera nobis uſui non mediocriter eſſe ualeat. Et ego: Conſurgamus, inquam, atq; ad Landũ properemus. Animus enim neſcio quid mihi memoria dignum à nobis diſcuſſum iri præſagit. Quæ cum dixiſſem, abiuimus rectà ad Landum: neq; nos fefellit opinio. Enimuero multi cum eo erant bonarum literarũ ſtudioſi, & in opaco pulchrè conſiti horti angulo ita conſederant, ut nos quoq; ab eis expectari diceres. Itaq; cum amicè nobis aſſurrexiſſent: Vos, inquit Landus, maximè præſtolabamur, quibus de militari diſciplina aliqua libaturi, quid de ea ſentiamus palàm faceremus. At ego: Quæ'nam, inquam, Lande recens tibi inſedit ſententia, ut literarijs ſolum ſtudijs mancipatus, in alienam (ut aiunt) meſſem falcẽ ponas? de ea præcipuè diſciplina diſſerens, qua noſtris temporibus nihil à Muſis uidemus remotius? An non Peripatetici illius Phormionis meminiſti, qui cum coram Annibale peritiſſimo duce in exiliũ acto, permulta de Imperatoris officio, & de omni re militari diſſeruiſſet, omnium ſenum maximè delirus eſt habitus? Sunt hæc Imperatoribus relinquenda. Nos uero aliquid è bonis authoribus deſumptum diſcutere par eſt, ut in noſtra prouincia uerſantes, nihil minus quàm riſum hominibus moueamus. Tum Landus: Neq; corã Annibale hęc, inquit, diſſerimus, neq; dedecet uiros bellicis rebus minimè intentos, de re bellica aliqua dicere. Quid enim? Cenſes'nę Flauium Vegetiũ, quòd de re militari abſolutè ſcripſerit, cum M. Marcello, aut C. Mario ducibus, aut L. Dentato, Marcoq; Sergio bellatoribus comparandum fuiſſe? Aliud eſt ſanè de bello diſſerere, aliud bellando hoſtes fundere ac fugare. Proinde ſupra uires noſtras non fuerit, de hac re pauca attingere, & quotidianas quæſtiones, quarũ me iam tæder, unius ſaltem diei ſpacio intermittere. Age uerò, inquam, quoniã ſic uis, tibiq; morem gerere conſtitui, quid de bellica diſciplina dicendũ exiſtimas? Si de ea quam ueteres Romani coluerunt, loqueris, non eſt cur admodũ labores, cum ex antiquorum quæ ſuperſunt ſcriptis, eius ordo ac præcepta colligantur: Sin de illa mauis, quæ hodie eſt in uſu, duram cœpiſti prouinciã, cum nihil magis ab omni diſciplina atq; ordine abſit, quàm noſtri temporis militia. Quare quod ſentis, ſtatim uelim pernoſcere: niſi me huius rei deſiderio diutius macerare cogitas. Ad hæc Scaleius: Et nos quoq; Lande, inquit, auide quid de re militari cenſeas, audire cupimus. Tu ergo id quamprimum expedi, ut alieno te quaſi ære, nobis omnibus ſatiſfaciens, exſoluas. Tum Landus: Nolim porrò me neq; ueteris, neq; recentioris rei bellicæ præcepta traditurũ exiſtimetis, inquit. Illa enim egregijs, quantum ego iudicare ualeo, ſcriptoribus eſt conſecrata: hæc autem licet omni diſciplina exercitationeq; ſoluta ſit, magis (ut mihi uidetur) uſu, quàm certis cõmunibusq; præceptis conſtat. Quocirca ut hæc miſſa faciam, illorũ potius errorem diluere conſtitueram, qui ueterem pugnandi morem nihili faciunt, ob bellica quædam tormenta, quorum ictus non inſtructas modò acies, beneq; fabricata mœnia, ſed cœlũ ipſum proſternere poſſe uideantur. A quorum ſententia tam abſum, ut præter huiuſmodi tormenta (nam ea magnæ utilitatis, ac terroris plerunq; eſſe, inficias non iuerim) nihil noſtra militia infirmius imbecilliusq;, ſi cum antiqua conferatur, dici poſſe opiner. Quod antequam rationibus planum faciam, hoc dixero, illa ipſa quæ tantopere admirantur inſtrumenta, tantum hoſtibus damni terroriſq; afferre, ut cum plurima

in Italia singulis annis bella gerantur, plurimæ tamen, ne dicā infinitæ, sint urbes, plurima oppida, quæ si mille bellicis tormentis assidue quatiantur, nulla ratione per uim ualeant expugnari. Inuentis siquidē tormentis, & eiusmodi contra illa remedium repertum est, ut nihil ferè ad diripiendas urbes, si modo paulo munitiores sint, & rerū uictui necessariarū non indigeant, prodesse experientia cognitum sit. Sed tamen ea tormenta quanticunq; sint momenti, si antiquis fuissent, quis neget eos multo ijs melius fuisse usuros, quàm omnes alias nationes? An qui fugam timoremq; ignorabant, nostrorū tormentorū boatibus deterriti essent, cum etiam uilissimus quisq;, qui tres menses in castris uixerit, illos ut uesicæ crepitus floccifaciat? An forte non maiores erant animi ueteribus, quàm recentioribus militibus? Cæterum dixerit quispiam: Non'ne ergo fortes ferocesq; milites, eædem quæ olim regiones producunt? An prorsus degenerauit Martius in hominibus calor? aut non eædem sunt regiones, quæ Pelignos, Marsos, Samnites Romanosq; produxerunt? Non negarim profectò, antiquis quàm simillimos plurimis in locis nasci. Sed neq; numero, neq; adeò exercitatione ullam antiquorū faciem assequimur. Vtq; de altero prius dicam, cum in bellis ingens militum numerus maximè sit necessarius, nempe ut in cæsorū, aut rude donatorū locū (de Italis nunc loquor) iuuenes perpetuò substitui queant, adeò non sunt frequentes Italiæ populi, ut mihi plus propemodum soli Samnites, Volsciq; aduersus Romanos pugnantes ualuisse uideantur, quàm integra temporibus nostris Italia. In qua si quinquaginta (uerbi causa dixero) militum millia uno delectu conscribas, aduersoq; prælij euentu omnes pereant, quo pacto ceruicem iterū poteris erigere? ubi uires confirmabis? Atqui cum Annibal in ea trium, aut circiter, annorū spacio supra ducenta millia hominum deleuerit, supra quinquaginta ceperit, quomodo stetisset res Romana, nisi alij delectus quamprimū post tantas calamitates haberi potuissent? Non est igitur conferenda nostri seculi cum antiquis conditio: nec inuictus fuisset omnibus bellis Romanus populus, licet plurimis prælijs, ijsq; molestissimis tum in Italia, tum extra Italiam superatus, nisi in ijs locis, quæ hodie pauci uix à solitudine uindicant, innumerabilis liberorū capitū multitudo, pluresq; penè legiones fuissent, quàm nostris temporibus centuriæ. Verū hæc de multitudine: quæ cum in alijs quoq; permultis regionibus nō sit frequentior, quàm in Italia, neq; ad bella magis procliuis (nam in Europa Germani, Heluetijq;, & numero admodum ualent, & uetus suorum in bellis institutum moremq; retinent) nulla ratione antiquis non est assurgendum. Porrò autem quid de eorundem exercitatione, quæ ignauis sæpenumero animos addit, dicendum erit? Ea ita ueteres Romani excelluere, ut nulla alia natio magis. At hodie quid aliud, quàm tumultuarios milites, nulli ordini, nulli disciplinæ, nulli deniq; sacramento astrictos cernimus? Facit hoc principum auaritia, qui cum maiorem in congestis thesauris, quàm in bellica gloria spem collocarint, tum demū copias cogunt, cum extrema necessitate adiguntur. Quamobrem transacto trium, aut quatuor ad summū mensium curriculo, parum uersatos in castris milites dimittunt, non prius eorū opera usuri, quàm illi uel aleæ, uel uino dediti, omnes neruos remiserint: & si quod naturæ robur debebant, in ocio ac socordia perdiderint. Itaq; si tam elegantes milites has ob causas habemus, non est mirum. Quin si ij ferocissimi (dicam liberius) hodie à natura producerentur, imbelles quodammodo illos appellare cogimur, quum ea res, quæ præcipuū sibi in militari scientia locum uendicat,

Hor.

prorsus sit extincta, Nam quum ea die, qua Annibal ad Thrasimenū aduersus T. Flaminium Romani exercitus Imperatorē pugnauit, tantum fuisse Romanorum militum in pugna ardorem lego, ut maximum terræmotum, qui multarum urbium Italiæ (utar Liuij uerbis) magnas partes prostrauit, auertitq; cursu rapido amnes, mare fluminibus inuexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit, non possum, quin ueteres milites nostris multo audaciores, atq; ex assidua exercitatione ferociores fuisse credam. Quare si quis eodem animi corporisq; robore homines hisce temporibus, quibus antiquis, de quibus loquimur, conuinceret, tum exercitatione, tum numero inferiores sumus. Ac licet ueteres cum paucis semper aduersus plures prælio certarint, multis tamen in locis copias habebant: & si quando integros amittebant exercitus, non poterant nisi in hominum frequentia alios cogere, prout Romanis (quos solos designo) frequentissime contigisse scimus. Sed ut multitudinem missam prorsus faciamus, hoc potius scire uelim, quam nam militiæ faciem nostri exercitus habeant? Si hercle militū ijs nomen dempseris, non magis recentiores cum antiquis comparari possunt, quàm cum Macedonibus Syri. Inprimum illi iuuenes ad bellū deligebantur, in militia consenescebant, neq; hyeme quidē ab operibus cessabant. At ex nostris Martis pronepotibus paucissimos comperias, qui tres continuos annos extra patriū solum uixerint. Quin potius ad prælia quadragenarij, quinquagenarijq; omnis militaris disciplinæ expertes, tumultuario delectu feruntur: in quibus, quid præstare possint, laboribus inassueti, prædęq; tantum ac rapinæ scientes, non interpretor. Diligenter olim considerabāt, quibus nam ex regionibus tyrones essent conscribendi: nūc porrò, cui hæc duci in mentem ueniunt? An obsecro, si mulieres uirili cultu in medijs prælijs manus secum hostibus conserturas dictitarent, à ducibus reijcerentur? Sunt quidē in singulis regionibus bellicosi imbellesq;: ideoq; hæc diligentissimè pernosse, ad militarē disciplinā summopere pertinere existimantur. Pelignos, Marsosq; pluris faciebant Romani Imperatores: at Campanos ijdem nullo in loco ponebant. Heluetij reliquos Gallos iamdiu uirtute superarūt, & Germanos Sueui: Hac quoq; tempestate non omnes orbis terræ partes eadem uirtute homines alunt. Nisi igitur rei bellicæ curam gerentes hæc omnia & sciant, & exactè seruent, qua ratione ad priscā militiā accedemus? Veteres Romani plurimi referre arbitrabantur, ex urbibus'ne an ex agris utiliores essent milites: imò & qua statura, cuius ætatis, cuiusq; artis probandi uiderentur, ad unguem callebant: de quibus apud nostros duces nulla fit mentio. Sacramentū quippe, quo tanquam firmissimo uinculo deuincti tenebantur, neq; hoc seculo, neq; pluribus superioribus in militia cognitū est: sed pro eo sacramenti religionisq; & deorū contemptus, ita Imperatorū pariter militumq; animos inuasit, ut neq; hi illos ut par est colant, metuantq;, neq; illi quicquam in hosce præclarius, quàm meram stipendiorū defraudationē exerceant. Ita fit, ut perpetuo quodam quasiq; innato inter eos odio, nec ullæ expeditiones rectè perfici, nec prælia ulla memoratu digna geri ualeant: sed pro ijs aut signa deserantur, aut conserto prælio nullus ordo seruetur, cū omnes simul uel fugiant, uel fugientes insectentur. Quid quòd uilissimi quidā in primā aciem produci uolunt, non tam ut primi manus conserant, quàm ut si hostes diuinitus fugati terga uerterint, primi furaces manus exerceant? Hoc pacto neq; duces suum, neq; milites proprium officium præstare fateamur oportet: quod sanè nō est aliud, quàm nulla in parte uel umbram militaris

militaris disciplinæ relictam esse. Si hercle Romani militibus uel male pugnantibus, uel etiã signa deserentibus, prout nunc fieri solet indulsissent, orbis terræ imperiũ nunquam essent adepti. Iam cum ij Terentij Varronis temeritate apud Cannas maxima strage essent affecti, nullis precibus Senatus induci potuit, ut in tanta militum penuria, in tam infestis Italiæ rebus eos milites redimeret, qui armati capi ab Annibale potuerant. Quid dicã de Torquato, qui filium quamuis uictorem, quòd contra edictum pugnasset, securi percuti iussit? Si itaq; milites audacissimè præliabantur, si nemo extra ordinẽ uel ad singulare certamen prouocatus Imperatoris iniussu accedebat, mirum nõ est: sicut nec nouum est, plurima à nostris militibus contra humana diuinaq; iura patrari: nempe quòd nec duces illis imperare, nec illi ducibus parere consueuerint. Vtq; de obedientia satis dictum sit, quis unquam nostra, aut patrũ auorumq; memoria dux inuentus est, qui Romanorũ in instruenda acie morem referre sciuerit? Et ille quidem is fuit, ut instructissimas phalanges præcesserit, neq; à maioribus copijs frequenter admodũ circumuentas legamus Romanas legiones. Quam'nam huius rei rationem afferemus? An exteros dicemus ab ijs numero fuisse uictos? An non potius ad diuinũ illud institutum, quo omnes, qui in acie erant, ad extremum usq; pugnabant, est referendum? Cum nostris temporibus ita non distincta, sed confusa potius sint omnia, ut si primi in fugam uertantur, omnia commisceant, fugientesq; etiam optimos qui sunt post se, terga dare cogant. Illi sanè in aciem, dextrumq; ac sinistrũ cornu exercitûs partiebantur. Vbi partiti erãt, eodem tempore interpositis equitum alis prælium inibant. Idq; ita gerebatur, ut hastati primi omniũ pugnarent: qui si profligare hostem non ualuissent, ita retrocedentes à principibus in ordinum interualla recipiebantur, ut nulla fieret rerum perturbatio: sed in principum pugna, qui prius loco dimoti fuerant, iterum receptis uiribus atq; ardore, ad præliũ ferè integri redirent. Quòd si nec hi hostem possent propellere, tum à prima acie ad triarios referebantur. Hiq; ubi tam hastatos quàm principes in ordines admiserãt, insperantibus hostibus consurgentes (subsidebãt enim) cũ scutis cataphractis, galeis, ocreisq; gladios semispathas, binaq; gestantes missilia, uno continentiq; agmine in hostem ferebantur. Hoc pacto qui prima in acie collocabantur, bis etiam cedere coacti, in extremo quoq; rerum discrimine aduersus hostes præliabantur: & qui in subsidijs erant, nullam ob fugientes hastatos principesq; iacturam patiebantur. Pro tam egregio admirabiliq; ordine, pro tam excellenti belli gerendi ratione, quid aliud quàm cõfundendi exercitus peritia nostris ducibus superest? Neq; dextrum, neq; sinistrũ cornu quisquam nouit, imò ne iustam quidem legitimamq; aciem: sed pro cornibus eas exercitus partes, quæ aciem (sic enim uocant) præcedunt subsequunturq;, induxere. Quarum altera si terga hostibus fortè ostendere cogitur, quicunq; in ea erant, huc illuc fugientes, neq; in aciem se referendi, neq; ex alio tuto loco prælij restituendi facultatem nanciscuntur: quod & aciei, & alteri phalangi itidem usu uenire solere, nemo ignorat. Idcircò nullum antiquæ militiæ uestigiũ superesse, pro certo habeo. Solos autem cum socijs Romanos optimum prælij committendi morem tenuisse, illud est argumentũ uel manifestissimum, quòd in ea pugna, quæ aduersus Latinos T. Manlio, Decioq; coss. commissa est, quum non modò Romanorũ uexilla cum Latinorum uexillis, uerũ hastati cum hastatis, principes cum principibus, triarij cum triarijs, centurionesq; cum centurionibus tam dubiam utrinq; uictoriam diu pugnantes reddiderint, ut Decium se pro patria deuouere opus fuerit: de collega autem

ita memoriæ proditum sit, utrius partis T. Manlius dux fuisset, eiusdem procul dubio futuram uictoriam. Nec sum ignarus, Romanas legiones sæpenumero à Gallis, Germanis, Afris, Samnitibus, alijsq; nationibus propemodum fuisse deletas. Quicunq; tamen eiusmodi calamitatum causas altius uelit perquirere, uel in ducum imperitiam, uel in hostium multitudinem, uel in dissolutam militum disciplinam (nō enim semel integros exercitus fœdè corruptos fuisse pro comperto habemus) acceptarum cladium culpam reijciet, cum Latini, qui totidem fermè numero erant, quot Romani, non aliam ob rem tantum terroris intulerint, quàm quòd sub eadem disciplina nutriti, ita uti illi copias instruebant, ita subsidijs firmabant, ita demum iuuenes in omni telorum genere se exercere didicerant, Cum'que soli olim Romani, non ut Persæ, aut Macedones, imperium protulerint, uerum omnes ferè habitabiles regiones per multa secula rexerint, quo'nam pacto Gallorum Germanorumq; numerum, proceritatem, uirtutemq;, Hispanorum robur, Afrorū dolos, Græcorum artes ac prudentiam superassent, nisi optimam inimitabilemq; bellorum gerendorum à Romulo rationem accepissent, acceptamq; seuerissimè obseruassent? Sed næ ego in re satis perspicua nimis diu moror. Illud equidem dixisse satis superq; fuerat, Romanos acceptam ab urbis conditore disciplinam nunquam omisisse: nostrorum autem temporum eam esse conditionem, ut nullum hominum genus magis sit ab omni disciplina solutum liberum'que, quàm bellicæ artis cultores: seu milites, seu duces ipsos malis. Scripserunt de re militari Censorius Cato, cui neq; duci, neq; militi, multos prætulerim: Celsus, Traianus, Adrianus, Sextus Iulius Frontinus, Flauius Vegetius Renatus, & (qui hos omnes arrogantia superauit) Aelianus græcè de instruendis aciebus librum condidit, & si qui præterea in horum ordinem ueniunt. adhæc & Robertum Valturium, eos utcunq; imitatum, habuere nostra secula: quis tamen magna aliqua laude dignus recentioris militiæ dogmata, si qua ea sunt, literis consecrauit? Nam Valturium antiquæ magis, quàm recentioris militiæ præcepta tradidisse uidemus. Quis porrò militiæ initiatur, quin omnium bonarum artium idem sit imperitissimus? Vtq; in gregarijs forte militibus exactam aliquam scientiarum peritiam non desideres, illis certè, qui ad ducis se officium peruenturos sperant, summopere necessaria est literarum peritia, si C. Marium, qui septies consul fuit, multaq; ac periculosa bella confecit, cuiq; prædurum ac penè efferum animū natura effinxerat, quamuis græcas literas aspernatum urbana studia degustasse, & quicquid ad militare exercitium spectaret didicisse credimus. Cumq; Marium nominaui, omnium Romanorum Imperatorum indoctissimum, ac penè inhumanissimum produxisse uideor. Nam C. Iulium Cæsarem, Cn. Pompeium Magnum, maiorem minoremq; Africanum, L. Lucullum, Græcosq; quamplurimos, non minus penè literis quàm armis ualuisse nouimus. Pessundatis itaq; ueterum in re militari præceptis, nullisq; recentioribus tanquam certis legibus cuiquam propositis, ita eorum quenq; qui summi duces existimari uolunt, sibi bellica instituta confingere oportet, ut merito tot esse militiæ genera, quot Imperatorum capita fateri cogamur. Quare nec ad maiorum excellentiam, quantumuis longo interuallo, accedunt: nec, qualiscunq; est recentior belli gerendi disciplina, in artem (ut opinor) redigi potest. Hęc sunt, quæ de ueteri nouaq; militia dicere constitueram: non quidem ut uobis me quasi militem aut ducem offerrem, sed ut quorundam potius temeritatem refellerem, qui rem bellicam alijs scientijs anteponentes,

teponentes, non deſinūt literatos conuitijs inceſſere, quaſi aliquã ipſi ueræ bellicæ artis ſcintillam teneant, ac non propius ad antiquorū ſplendorem (illi enim unicè omnibus rebus præſtiterunt) accedant, qui Mineruæ quàm qui Marti addicti ſunt. Nunc ſi quid à me prætermiſſum intelligitis, cū rem ampliſſimam paucis complexus fuerim, uel meæ breuitati ignoſcite, uel ipſi copioſius, quæ de eadem re dici poſſunt expl.cate. Quæ cū dixiſſet ille: Multa, inquam, Lande ſuccincta oratione comprehendiſti, & rerum tantum attingens capita, perfeciſti proculdubio quod maximè optabas. Sed enim cum & ipſe nullam ſupereſſe militaris peritiæ (de ueteri loquor) micam ſemper cenſuerim, demiror tamen non conſtare inter eruditos, quis'nam antiquorum ducum in ea cæteris ſit prę̨ferendus: cum alij maiorem Africanum, alij Annibalem, pleriꝗ Alexandrum, nonnulli Cn. Pompeium Magnum, hi C. Iulium Cæſarem, illi M. Marcellum malint: neꝗ tantum inter doctos de hac re, ſed apud imperitum etiam uulgus adhuc dubitetur. Ego planè Cæſarem ijs omnibus ſemper præpoſui: quod profectò, quum non omnibus uideo eſſe perſuaſum, negligentiæ, ne dicam inſcitiæ, eos qui aliter ſentiant accuſare ſoleo. Tum Scæleius: Optimo iure, inquit, non negligentiæ inſcitiæꝗ tantum, ſed & ſtuporis, ſi ita uidebitur, eos damnare poteris, qui in tuam de Cæſaris præſtantia ſententiam non eunt. Si tamen alios fortè eorum geſta, quos magis quàm Cæſarem probant, recenſentes audias, aliter fortaſſe cenſeas: uel ſi tui te iudicij non piget, cæteros non præter rem hac in re abs te diſſenrire dignoſcas. Hæc Scælius. Cui cū & Landum. & Arlenium, & qui aderant omnes tacite aſſentiri uiderem: Nō ſemel in uotis habui, inquam, eam mihi à dijs immortalibus occaſionem offerri, ut quod ipſe priuato iure (ſic enim exiſtimatis` mecum iudico, rationibus quoꝗ poſſem oſtendere. Quapropter quia de ueteri militia nonnulla à Lando dicta ſunt, non ab re fuerit, ſi antiquos duces inuicem conferentes, cui'nam eorum de bellica excellentia palma deferenda ſit, diſcutiamus. Neꝗ ſanè aliquis (quod ſciam) hunc nodum diſſoluit: licet deorum hominumꝗ irriſor Lucianus, neſcio quid de Alexandro atꝗ Annibale ſubmurmurarit, atꝗ id quidem maximè ridiculè. Annibalis namꝗ de eodem negocio ſententiæ nihil prorſus defero, cum punico ingenio, de ſe, de Pyrrho, deꝗ Annibale mentionem faciens, Scipionem non niſi coactus nominarit. Veſtrum itaꝗ fuerit, niſi Cæſarem omnibus anteponitis, uel rationes quibus ut id credatis inducimini, protinus expedire, uel mecū (quod magis præſtiterit) tam excellenti Imperatori de ducibus primatum deferre. Tum Landus: Inermes tu quidē Floride nos armatus aggrederis, inquit: Et qui Cæſaris geſta ad unū teneas, cum imparatis uerba facere contendis. Si tamen Arlenio, Scæleioꝗ, atꝗ alijs qui adſunt, hoc argumentū arriſerit, operam dabo, quantum quidem in meis uiribus fuerit, ut multos, tam Gręcos quàm Romanos nominem, qui C. Cæſarem non æquarint modò, uerumetiã uicerint. Quòd ſi omniū uirtutes, res geſtas, triumphosꝗ ad unguē extempore explicare non ualuero, præcipua tamen eorum geſta non omiſero, Arlenij præſertim Scæleijꝗ præſidio fultus, qui in omni hiſtoria diligentiſſimè uerſati, quicquid mihi memoria exciderit, quàm primū ſuggerent, cum præſertim pluris facienda ſit triū quàm unius memoria: & qui nihil unquàm tale ſim ſuſpicatus, ad huiuſmodi certamen protrahar. Et ego: Nō eſt, inquam, Lande, cur te tantopere excuſes, quippe qui in Plutarchi ſcriptis, quorum fidem in hac re uehementer ſequi cogimini, diu multumꝗ ſis uolutatus: neꝗ ſemel etiam illa interpretatus fueris, internecino ijs indicto bello, qui nec græcè nec latinè

docti(nosti quos designem)ea in Romanū sermonem uerterunt, quæ Græcarum literarum ignaris nihil prosint, ipsis autem semigræcis hominibus perpetuam ignominiæ notam inusserint. Sed ne incommodè hoc muneris obeatis, ne'ue uni totius negocij summa incumbat, haud pessimè feceritis, si hanc inter uos prouinciam partiamini: tuq; Romanorū, quos Cæsari præferendos ducis, uirtutes ac bene gesta commemores: Arlenius uerò cum Scæleio, utri eorum Græciæ partes deferendæ sint, sortiatur. Sic enim & ordinatius res agetur, & quod fortè uni nimis graue uideri posset, à duobus longe commodius præstabitur. Ego uerò, inquit Scæleius, uel libentissimè Arlenio Græciā concesserim, si mihi ut omnia, quæ C. Cæsari uitio uerti possunt liberè explicē, & cætera quæ tibi admirabilia uidentur, uerissimis rationibus peruertam, condonetis. Tum Landus: Aequū postulat Scæleius, inquit: & tuum erit Floride, antequam longius progrediamur, Cæsaris fortia facta quàm paucissimis uerbis percurrere, ut cum illa breuiter nobis uelut ob oculos posueris, & Scæleius ea uentilare queat, & ego Arleniusq; tum Romanis te, tum Græcis Imperatoribus Cæsare excellentioribus obruamus. Cæterū hoc tibi spoponderim, neminem nostrum fore, quin tuæ sententiæ libenter subscribat, si rationibus nos conuinces. Tuq; itidē manus nobis dare non grauabere, si unicum saltem uel Romanū, uel Græcū, qui tuum Cæsarem antecellat, inuenerimus. Atq; ego: Bene sanè hæc existimas Lande, inquam, & semper idem à nobis alijs in disputationibus factū esse non ignoras. Cum tamē Cæsaris me gesta strictim cōmemorare iubes, magno me tu quidem onere aggrauas: tum quòd quæ infinita ferè sunt, nisi longa oratione explicari nō possunt: tum quod diuinas excellentissimi Imperatoris uirtutes, humanis me uerbis digne explicaturum diffido. Age uerò, quoniam sic uultis, expellenda est omnis ignauia, & per tam uastum Oceanū nauigaturi, non nostro ingenio, quod scio quàm sit exiguū, quicquā tribuentes: sed Cæsaris excellentiā, quæ quantumuis debili homunculo animi uigorē addere ualeret, præ oculis habentes: pandemus uela uentis, & ad rem tam arduā, quàm amplam ac profundā, aggrediemur: duplicemq; Cæsaris uitæ statū separatim ostendemus, cum non minus eum ferè illustrarint, quæ domi, quàm quæ foris gessit. Prius tamen, quando de duce loquimur, bella quæ in Gallia, ac deinde per totū terrarū orbem semper uictor confecit recensebimus: tum alia ijs subijciemus, quibus æque cæteros duces, ac secundorū præliorū multitudine, bellicæq; disciplinæ peritia post se reliquit. In primis aūt, cum magni sit momenti, quibus cū nationibus bella gerant, qui summi Imperatores sunt habendi, hoc uerissimè præfabor, C. Iuliū Cæsarē, si unicam tantū Galliā Romani Imperij ditioni adiecisset, facile omnes qui & ante & post se fuerunt duces regesq;, rerū gestarū magnitudine fuisse superaturū, cum Romani, omnisq; Italia, sic habuerint (ut Sallustij utar uerbis) alia omnia uirtuti suæ prona fuisse, cū Gallis uerò non pro gloria, sed pro salute certasse. Quocirca ut Gallicorū bellorū amplitudinē difficultatēq; pluribus uerbis non exaggerē, unicū M. Tullij de ea re testimoniū ex oratione de Prouincijs consularib. desumptū recitabo. Bellū Gallicū (inquit Cicero) Patres conscripti, C. Cæsare Imperatore gestū est, antea tantummodo repulsum. Semper illas nationes nostri Imperatores refutandas potius bello, quàm lacessendas putauerunt. Ipse ille C. Marius, cuius diuina atq; eximia uirtus magnis populi Romani luctibus funeribusq; subuenit, influentes in Italiā Gallorū maximas copias repressit, non ipse ad eorum urbes sedesq; penetrauit. Modò ille meorum laborum, periculorum, consiliorū socius C. Pontinus, fortissimus uir,

ortum

ortum repente bellum Allobrogū, atq; hac celebrata coniuratione excitatum, prælijs fregit, cosq; domuit qui lacessierant: & ea uictoria contentus, republica metu liberata quieuit. C. Cæsaris longe aliam uideo fuisse rationem. non enim sibi solum cum ijs quos iam armatos contra populum Romanum uidebat, bellandum esse duxit, sed totam Galliam in nostram ditionem esse redigendam. Itaq; cum acerrimis nationibus, & maximis Germanorū & Heluetiorū copijs felicissimè decertauit: cæteras contriuit, compulit, domuit, imperio populi Romani parere assuefecit: & quas regiones, quasq; gentes nullæ nobis ante literæ, nulla uox, nulla fama notas fecerat, has noster Imperator, nosterq; exercitus, & populi Romani arma peragrarunt. Hactenus Cicero: quem pauca propemodum, & moderatè de maximo negocio scripsisse omnes, nisi stupidi, norūt: tantum abest ut illum C. Iulij Cæsaris in Gallia adhuc commorantis, atq; ad summum imperiū nondum euecti auribus ea dedisse sit credendū. Sed ad ipsa bella tandem est ueniendum: quæ cum succinctè retulero, non dubie ea omnia, quæ in summo Imperatore eodem Cicerone teste esse debent, uidelicet scientiam rei militaris, uirtutem, autoritatem, felicitatem, tum in periculis fortitudinem, in agendo industriam, in conficiendo celeritatem, in prouidendo consiliū, in Cæsare tanta fuisse percipiemus, quanta in nullo alio, cuius laus ad nostras aures peruenerit, uel rege, uel duce. Enimuero maximū illud periculosissimumq; bellum aduersus Heluetios, Tulingos, Rauracos, Latobrigos, Boiosq;, qui ex proprijs sedibus totius Galliæ imperiū occupaturi excesserāt, quanta uirtute, quanta celeritate, quanta uehementia, quanta deniq; felicitate suscepit? susceptumq; cum magno inimicorum malo confecit? Præcedebant scilicet Heluetij uirtute reliquos Gallos, multitudine plurimū ualebant: ita patrium solum reliquerant, ut omnibus rebus, quæ ad proficiscendū pertinent, iamdiu comparatis, oppida, uicos, priuata publicaq; ædificia ante profectionem incendio absumerent, ne qua in patriā redeundi spes usquam superesset: & tamen à Cæsare, tanquam deo aliquo, non modò sine ullo Romani exercitus discrimine, uerum etiā sine discriminis suspicione fusi fugatiq;, ad ea loca, à quibus sponte abierant, inuiti redire coacti sunt: primò cum unicam tantum in Gallia legionem Cæsar haberet, die ad deliberandum sumpta delusi, ac spe transitus per prouinciam omnino eiecti, tum adductis quinque alijs ex Italia legionibus prælio superati, licet ipsi Romanorū copias non parum nescio quid numero antecellerent. Adderem singulis bellis, quæcunq; memoratu digna à Cæsare gesta sunt, si fortè uel historiam texere, uel singula illius dicta factaq; ad unum recensere liberet. Verum simpliciter pureq; præliorum conditiones euentusq; proferam, qui summas res uerborum fuco, uel si id maximè consequi possem, minimè à nobis ornari debere putem. Succedunt Heluetijs Germani, eadem æstate à Cæsare prælio superati: quorū dux Ariouistus Rex antea à senatu appellatus, cum centum et uiginti Harudū, Marcomannorū, Tribocū, Vangionū, Nemetū, Sedusiorū, Sueuorumq; millibus diu in armis exercitatissimis (quippe qui quatuordecim annorū spacio tectū nō subissent, omnesq; fermè Hæduorumq; ac Sequanorū, à quibus conducti fuerant, agros occupassent) sic Cæsaris uirtute superatus est, ut qui ingentē sibi gloriā repellendo tam bellicosarū nationū impetu comparare potuisset, ultro illos instructa acie adortus terga uertere cōpulerit, fugientesq; paucis exceptis suis trucidandos dederit. Nō hæc cōtra Syros, aut alios imbelles Asiæ populos, sed contra eas nationes, quæ & bellica olim uirtute celebratissimæ fuerunt,

mæ fuerunt, & hodie quoq; à maiorum suorum uirtute non degenerant, gesta sunt. Quòd si quis eorum magnitudinem difficultatemq; reputare uelit, multos sané, qui inter præcipuos duces nominantur, duo tam ardua bella nunquã confecisse comperiet. At nos reliqua prosequamur. Sequenti æstate omnes ferè Belgæ, qui tertiam Galliæ partem habitare dicuntur, hisq; nominibus præcipue commendabantur, quod assiduè cum Germanis bella gerebant, nihilq; quo hominũ animos effœminari posse existimarent, in suos fines importari sinebant, multis de causis in Romanos conspirauere. Ad quos Cæsar properè cum exercitu iter fecit, infinitamq; hostium multitudinẽ conspicatus (nam supra trecenta bellatorũ millia contra paucas eius legiones armata in campo consederant) prius hostium tuto loco positus periculũ fecit: tum facta manus conserendi potestate, non dubie illos docuit præstantiores esse iustas copias, quibus eximius dux præsit, quàm innumerabilem militum numerum absq; Imperatore, absq; omnis militaris disciplinæ institutis, quàcunq; libuerit temere palantem. Quandoquidem contra Cæsarem diu stare non ualuerunt, sed in proprias regiones reuersi, fugientibus similes, inde abierũt quò prius inconsulto aduenerant. Eorum bona parte tum à Cæsaris equitatu, tum etiam ab immistis legionibus miserè trucidata, cum in suis finibus bellum in posterũ gerere constituissent, ne uel nolentes iniquo loco ad pugnã progredi cogerentur, uel rei frumentariæ copia destituerentur, priuatim mox aut ueniam petierunt, aut temerariæ coniurationis pœnas dedere. Nam Suessonibus, qui se imperata facturos, oppugnationis artificio magnitudineq; deterriti, pronunciarãt: Bellouacis, quos petenti Diuitiaco condonauit: atq; Ambianis, qui aduenienti se sine mora dediderunt, ignoscens: Neruios uerò in sententia permanentes acerrimè ulciscens, aperto documento Romanos tam clementia humanitateq;, quàm etiã militari uirtute alias omnes nationes uicisse declarauit. Sed cruenta fuit eius uictoria, dixerit quis: ac tam periculo propinqui fuere Romani, ut nisi Cæsar ipse uni ab nouissimis scutum detraxisset, atq; in primã processisset aciẽ, maxima clade Romana res affici facillimè quiuerit: ægre iam pugnantibus Cæsarianis, tum quòd fortissimus ferè quisq; pugnando fuerat obtruncatus, tum quòd confusæ, neq; suũ ordinẽ seruantes legiones, à Neruiorum multitudine uehementissime premebantur. Atqui si Cæsari non cum Neruijs, eiusdemq; generis bellicosissimis populis, sed cum eneruatis ducibus militibusq; fuisset negociũ, nequaquam eum omnibus quotquot unquam fuere Imperatoribus præferrẽ, uerum uix inter mediocres duces reponerem. Cum aũt ferocissimas gentes, excellentissimosq; duces plurimis maximeq; felicibus prælijs uincere, nõ nisi ijs qui summa uirtute præditi sunt datum fuerit, non immeritò primũ Cæsari inter omnes duces locũ dari omnes fatebũtur, si is plura contra strenuissimas nationes exercitatissimosq; Imperatores bella gessit, quàm alij quos cũ illo cõparaturi estis audiuerint. Quanto igitur formidabilius periculosiusq; aleæ plenius fuit præliũ, quo Neruiorum gens prope ad internetionẽ deleta est: tanto maior Cæsaris gloriæ cumulus accedit, præsertim quod unus ipse milites legionesq; implicitè magis confusasq;, quàm ex acie pugnantes, ut sese, quoad eius fieri posset, cõiungerẽt, admonuit: centurionesq; nominatim appellãs, & cæteros milites cohortãs, primo ingentẽ hostiũ impetũ sustinuit: dein nõ fugientes quidẽ illos, sed obstinatè ex cæsorũ cadauerib. pugnãtes, ad unũ fermè occidit, non minus ipse optimi ducis, q̃ fortiss. militis officio functus. Neq; uerò quòd Neruij sine perito aliquo Imperatore, cuius in

cuius in ducendis expediendisq; exercitibus primæ partes esse solēt, pugnantes ab eo deleti fuerint, minus insignis existimanda est hæc uictoria. Germani enim Gallicq; ferè omnes, uel sine regibus imperatoribusq; ad bellū proficiscebantur: uel eis parū admodū tribuebant, nō in ducum, sed in militū uirtute omnes belli neruos positos esse arbitrantes. Quamobrem in conferto illo, ac propè dixerim immobili pugnandi genere, uix locum habebat uel Imperatoris officiū, uel paulo exquisitior disciplina: qua quidem Neruij, ut cæteri quos modò nominauimus Germani Gallicq;, parum imbuti, sic tamen se gessere, ut nihil iacturæ fecerint, quod sine exercitato aliquo atq; egregio duce cum Romanis copijs prœliū cōmiserint. Id aūt ex ipso pugnæ exitu facile colligimus: quando ex sexaginta eorum millibus uix quingenti, qui arma ferre possent, superfuere. ita nihil sibi reliqui ad uirtutē fecerunt: ita aduersus hostes non minori obstinatione, quàm animi uigore, in miserrimis, maximeq; afflictis rebus pugnātes, digni uisi sunt, ad quos prælio superandos non alio quàm Cæsare duce opus fuerit. Extincto propemodum Neruiorū nomine, cum soli ex Belgis Aduatici à Cimbris Teutonisq;, quos C. Marius Catulusq; in Italiam irruentes confecerunt, procreati, adhuc in armis essent, relictisq; uicis in munitissimum se oppidum omnes recepissent, exiguo tempore in Cæsaris potestatem uenerunt, & sub hasta uæniere, qui mansuetissimi Imperatoris clementia digni non sunt reperti. Subderem hisce bellis aliquot Cæsaris legatorum expeditiones, si omnia minutè exequi uellem. Verum neq; ad Cæsaris gloriam multa addunt, quæ eius absentis legati feliciter fecere: sicuti neq; Cæsaris negligentiæ tribuendum est, quod Q. Titurius Sabinus, Aruncu leiusq; Cotta in Gallia, aut Curio in Africa aduersum Martem experti sunt. Excepit hæc quæ diximus, nisi memoria uacillo, bellum non mediocre, quo Veneti, Vnelli, Curiosolites, alijq; id genus complures populi maritimis terrestribusq; copijs uicti, nihil Cæsare duce Romanis arduum esse planè ostenderunt. Cumq; illi non sine maxima difficultate subiugari posse uiderentur, quòd magnum nauium usum (quippe in maritimis locis, ac extremis lingulis promontorijsq; habitantes) tenerent, oppidorū autem urbiumq; oppugnatio multas ob causas impediretur (nam neq; aditū pedibus habebant, neq; aliquo certo loco pedestres copiæ propter æstuaria marisq; fluxū atq; refluxum consistere poterant) plurima munitissima eorum oppida expugnauit, unicoq; nauali prælio omnes eorū conatus infregit: tam seuerè ob uiolatum legatorum ius, quod apud cunctas nationes sanctū habetur, pœnas ab eis reposcens, quàm eiusmodi facinus cōmittentes, nullo penè condigno supplicio puniri ualuisse antiqui crediderūt. His non minus prudenter quàm feliciter administratis, cum omnem Galliā pacatam se ob tot tantasq; uictorias in posterū habiturū confideret Cæsar, ingentes Vsipetū, Tenchtherorūq; è proprijs finibus à Sueuis eiectorum copias, non multo pòst domare coactus est. Confecto itaq; breuissimo tempore maximo itinere, prius eos inuasit, quàm de prælio quicquā suspicarentur: suisq; ad unū incolumibus, partim eos equitatu peditatuq; absumpsit, partim ad Mosæ Rhenicq; confluentē insectatus, in flumē præcipitatos adegit: ut ex quadringentis triginta millibus hostiū capitibus uix relicti fuerint, qui tam lætū nunciū ad eos qui trans Rhenum incolebant, referrent. Et hæc quidem ad liberandam à Germanorū metu Galliā, confirmandumq; in multos annos Rom. imperium satis superq; futura uideri debebant, si eū Romana arma Imperatorē sortita fuissent, qui propulsato belli terrore quiescere sciuisset. Cū uero Cæsar

immensa

immensa incomparabiliꝗ animi uirtute prӕditus, nullas terrarū regiones Romanis legionibus non peruias esse rectè conijceret, qui primus nostrorum ducum ad ultimas Gallorū sedes peruenerat, primus etiam cum copijs in Germaniam traijcere decreuit, ut suis rebus timere inciperent, qui leuissimis de causis, ut in Galliā Italiamꝗ excurrerent, impelli consueuerant. Vtꝗ nihil ei defuisse intelligamus, quod in unico diuinoꝗ Imperatore exigatur, cum nauibus Rhenum posset traijcere, nec Iulio Cӕsare, nec Romana maiestate dignū, quamuis tuto uideretur successurum, id iudicauit. Quamobrem latissimū, altissimumꝗ, nec minus rapidum amnem, ponte decem diebus perfecto frenauit: cuius artificium admirabilemꝗ structuram, cum sӕpe mecum considero, dici non potest, quàm eorum derideam insulsitatem, qui nescio quӕ somniorum portenta confingentes, ad uerissimam se Cӕsariani pontis rationē primos unosꝗ peruenisse iurant. Et profectò tigna bina sesquipedalia non sublicӕ modo directa ad perpendiculum, sed prona ac fastigiata in flumine cum machinationibus defixa, & his contraria duo certo interuallo ab inferiori parte statuta, ad hӕc bipedales trabes super hęc immissas, festucasꝗ, uel ex cera, uel ex ligno non omnino insipidè fingunt. At cum ad binas fibulas disclusas, in contrariamꝗ partem reuinctas deueniūt, stupidissime in luto hӕrentes, nihil aliud quàm mera nugamenta de fibulis garriunt, à quorum ordine nec Veronensem Iucundum, nec alium quenquā eorum quos noui excipio: licet aliquos eo se prӕcipuè nomine uendi tantes norim, quod soli Cӕsaris pontem longa experientia egregie reddere didicerint. Facerent me autore longe consultius, si rem nostris temporibus difficillimam potius omitterent, quàm Gordij nodum soluere tentantes, uulgi fabula fierent. Sed de ponte satis multa: ne & nos diutius pons ille remoretur, qui facillimum Cӕsari in Germaniam transitum prӕbuit. In qua decem & octo dies commoratus, ubi ea perfecit, quorum causa tantam rem obierat, in Galliam est reuersus, nouӕ rei nouam, multoꝗ magis admirabilem additurus, si eadem ӕstate in Britanniam, non tantum ipsis Romanis, sed Gallis etiam Germanisꝗ ignotam, nauigaret. Prӕmisso igitur cum longa naue C. Voluseno, qui insulӕ situm portusꝗ ac regiones, quantum ei facultas daretur, exploraret: ipse cum duabus legionibus, ac parte equitatus in onerarias naues impositis, in Britanniam deuectus, nō nisi fugatis ex littore hostibus in eam descendere ualuit. Varijs inde prӕlijs nunc Britannos lacessens, nunc ab eisdem lacessitus, semper tamen uictor, postquam se quicquid in uotis habebat consecutū cognouit, cum nauibus militibusꝗ se in continentem recepit, magis à maritimis ӕstibus plena luna in Oceano excitatis, quàm à Britannorū impetu uexatus. Hӕc tot, tantaꝗ bella quàm breuiter à nobis perstringātur, nequaquam uos latēre opinor. Ac nisi modum ipse mihi hoc in negotio prӕfixissem, non'ne in eum campum ingressus sum, in quo difficilius sit orationis exitum, quàm principium inuenire? Sed ut ad Britannicam expeditionem redeam, plus illa certè admirationis in recessu habet, quàm fronte ostentat. Quis enim facile credat, Romanū Imperatorem in maximam insulam, alterum orbem terrarū olim dictam, & à plurimis bellicosissimisꝗ populis habitatam, cum duabus legionibus sine equitatu peruenisse, atꝗ inde cum suis incolumem reuersum, quemcunꝗ imperauerit obsidum numerum accepisse? Sed & hoc, & cӕtera eius gesta quisꝗ pro suo iudicio expendat. nam mihi arduum adhuc longumꝗ spaciū est decurrendum, ac iterum cum Cӕsare in Britanniā eundum: qui ut animi magnitudine omnes an-

tecessit,

ceceſſit, non contentus extremas eius inſulæ oras cum exercitu aliquot dies tenuiſſe, ſequenti æſtate cū quinq; legionibus, duobusq; equitū millibus eôdem reuerſus, & interiora peragrauit, & quoties cum hoſtibus congreſſus eſt, perfacile eos ſuperauit, bonam eius inſulæ partem incendijs prædationibusq; uaſtans. Quod fecit, ut Trinobantes, firmiſſima Britanniæ ciuitas, ſe Cæſari dediderit: & ipſe Caſſiuellauenus, cui belli adminiſtrandi ſumma cōmuni totius inſulæ conſenſu permiſſa erat, datis obſidibus, uel duriſſimas pacis conditiones acceperit. Perfecto Britannico bello, cum Q. Titurij Sabini, Arunculeijq; Cottæ inertia, Ambiorigisq; aſtutia, ſeu perfidia integra legio deleta eſſet, pluresq; populi ea uictoria elati ad Q. Ciceronem oppugnandum conueniſſent, tanta facilitate Cæſar maximum extinxit incendium, ut cum duabus legionibus, quadringentisq; aut circiter equitibus ſexaginta armatorū millia uel occiderit, uel in fugam conuerterit. Cuius pugnæ fama, non ijs tantū quos ſecum habebat, obſeſſoq; Ciceroni permagnū attulit gaudium: ſed T. etiam Labienum, quem Induciomanus adoriri conſtituerat, omni belli cura exſoluerit. Sic enim Galli Germaniq; perſuaſum habebāt, nullo incommodo affectum iri Cæſare ſoſpite populum Romanū: cui quod ſæpenumero eorum maiores non minus damni quàm timoris intulerant, quaſi à dijs miſſum eum Imperatorē arbitrabantur, qualem nec antè fuiſſe acceperant, nec ullis deinde poſteris uidere contigit. In hac tamen ſententia non diu permanſere, qui nouarum rerum ſtudioſiſſimi, fatis (ut reor) acti, totiesq; à Cæſare domiti, quoties in fide non permanſiſſent, ampliſſimum illi uincendi campum præbuere: credo ut poſtquam ſuarum uirium etiam in extrema fortuna feciſſent periculum, maxime eum poſtremo obſeruarent, amarentq;, quem bello inuictum, pacisq; artibus nulli ſecundum diu cognouiſſent. Nondum ergo ad contentionū calcem uentum erat, quum Aruerni, Carnutes, aliæq; non paucæ nationes, inſtigantibus etiam qui Romæ Cæſaris potentiæ gloriæq; aduerſari cœperant, ingentem hominū numerum in unum coēgerunt, adminiſtrandiq; belli ſummam Vercingetorigi detulerūt, non magis armatorum multitudine, quàm temporum hybernorum aſperitate freti. Nec enim Cæſarem ſæuiente hyeme, fluminibus glacie concretis, operta altiſſimis niuibus terra, campis deniq; aquarum colluuie paſſim repletis, caſtra moturū arbitrabantur. Quanta tamen ſpe deciderint, ipſe mox rerum finis docuit. Nam quæ alijs difficillima erant futura, Cæſari leuia ſanè atq; adprimè fuerunt facilia. Siquidem tanta extemplo celeritate ad illos cum exercitu peruenit, ut ante in eorum conſpectu agros uaſtarit, oppidaq; & uicos diripuerit, quàm de Romanorum aduentu quicquam præſenſiſſent. Eos itaq; qui facti pœnitentia ducebantur, cum in fidem recepiſſet, cæteros bellū molientes bello perſequi decreuit: quod cum in alios iuſtè, tum in Heduos, qui ſe fratres populi Romani appellabāt, atq; in fide & amicitia permanentes, multis beneficijs ab ipſo Cæſare fuerāt ornati, iuſtiſſimè ſuſceptū fuiſſe nemo negarit. Vbi ergo ad Sequanos amicitiæ iura adhuc integrè colentes Cæſar peruenit, à multis armatorum millibus circumuentus eſt: quibus facile ſuperatis, qui ſuperfuerant, in Alexiam munitiſſimum Mandubiorum oppidum cum Vercingetorige fugientes, maximi omnium quæ unquam geſta ſunt (penè dixero) belli cauſam Cæſari obtulerūt: qui ad eius oppidi obſidionē totas uires ſuas conuertens, cum longe maiorem hoſti quàm ſibi copiarum numerum eſſe cognoſceret, oppidumq; per uim capi non poſſe pro certo haberet, ad ingenij uires animum conuertit: ſicq; obſeſſos

pressit, ut omni propè Gallia ad libertatis ueterisq́ gloriæ spem partim per se erecta, partim ab obsesso Vercingetorige sollicitata, cũ ducenta & quadraginta lectissimorum hominum millia ad eum opprimendum confluxissent, nullus eorum militum, qui Alexiæ obsidebantur, uel ad opem alijs ferendam, uel lacessendos crebris eruptionib. Romanos usus esse potuerit: ita C. Cæsar fossis, turribus, alijsq́ munitionibus eos concluserat: ita conclusos ad omnia, quæ à militibus obeunda sunt, inutiles reddiderat. Quibus & aliud multo maiori admiratione dignũ adiecit, quod prius illos, qui ex tota Gallia exciri cõtra Romanos arma sumpserant, prælio confecit, quàm oppidanorum aliquis quicquam de commisso prælio suspicatus sit. Quapropter nõ possum, quin hoc loco Caium Cæsarem alijs bellis hostes, ducesq́ cunctos, hoc autem seipsum superasse affirmem. Siue enim animi ardorem, siue callidum consilium, siue celeritatem, multiplicem que industriam, siue omnia denique inuictissimi ducis munera quæratis, nihil eorum à Cæsare in bello apud Alexiam gesto prætermissum fuisse fatebimini. Proinde sic existimo, pugnam eam, qua Luc. Lucullus Trigranem Armeniorũ regem superauit, longe hac fuisse inferiorem, licet Antiochus philosophus nullam ea maiorem à sole uisam existimarit, cũ exiguis quidem copijs aduersus ingentem hostiũ numerum pugnauit Lucullus. At illi cum timida incompositaq́ multitudine, magis ad seruitium quàm ad imperium, magis ad fugam quàm ad bellum nata: Cæsari uerò, cum duobus, uno eodemq́ tempore numerosissimis Gallorum exercitibus negocium fuit. Hæc sunt quę Cæsar memoratu digna in Gallia gessit: quæ cũ plurima maximaq́ sint, quàm paucis recitauerim uidetis. Multa certè quæ in eius Cõmentarijs leguntur omisi, ut ad ea deueniam, quæ in Italia primum, mox per totum terrarum orbem gessit, nõ arma in patriam (ut multi ariolantur) regnandi cupiditate, sed ne qui tot uictorijs Romanum propagauerat imperium aliquot ciuium dominatui parēre cogeretur, conuertens. Cum enim æquissimas Senatui de deponendis à se Pompeioq́ exercitib. conditiones obtulisset, quòd nõ consilio iam, sed amentia propè, atq́ in Cæsarem odio cuncta regerentur, eiectis ex urbe Antonio Curioneq́, Ariminum proximam extra citeriorem Galliam urbem cũ paucis cohortibus occupauit. Quæ res tantum terroris Pompeio, Pompeijq́ amicis, atq́ uniuersæ urbi incussit, ut neq́ ipse ille Magnus, quisi terram semel pedib. pulsasset, omnem Italiam à se exercitibus plenã redditum iri inflato ore dictitare solitus erat: neq́ COSS, neq́ Senatores Romę manere tutum duxerint: sed eam relinquẽtes, Brundusium se cõtulerint, quasi uel Cannensi uel Alliensi par clades fuisset accepta. Nec tamen temerè ilico sic omnes prosternati sunt, quum longe maior esset qui patriæ inferebat bellum, quàm uel Annibal, uel Gallorũ regulus. Verum eius quasi acerrimi hostis armis populum Romanũ detineri nequaquam par erat: nisi forte tyrannidem probans, magis Pompeij quàm Cęsaris regno fauebat. Quis etenim Cæsare clementior unquam fuit? Quis uictis hostibus pepercit libentius? An non usq́ etiam ad pœnitentiam inimicos mansuetudine lenitateq́ prosecutus est? Domitium profectò Corfinio à Pompeio præfectũ, peculiaremq́ sibi hostem, acceptis ab eo cohortibus ad Pompeium incolumẽ remisit. Labieno, cuius egregiam in Gallia operam expertus fuerat, ad Pompeiumq́ transfugerat, pecunias ac sarcinas transmiserat. Tam multa hercle mansuetudinis, seu potius animi magnitudinis indicia, omnes in urbe continere debebant. In quam expulso ex Italia Pompeio reuersus Cęsar, quem nam uel uerbo tantum læsit? Redacta hoc pacto intra paucos dies, absq́ insigni aliqua sanguinis

guinis effusione in suã potestatẽ Italia, non antè Pompeiũ insequi statuit, quàm in Hispaniam profectus, Afranium, Petreium, Varronemq; Pompeij legatos omnibus copijs spoliaret. In illos igitur festinans, aliquotq; dies à Massiliensib. Pompeianas partes secutis in itinere detentus, relictis qui Massiliam oppugnarent, in Hispaniam peruenit. Cumq; hostes bellum subterfugere cognouisset, nulla astutia non usus, absque grauioris pugnæ discrimine, & generum multis legionibus priuauit, & omni Hispania potitus ad eundem fugandũ omnes uires cõuertit. Quapropter in Græciam cõtendens cum equitibus legionibusq;, quas in naues imponere potuit, per Ionium sinum deuectus, Oricum Apolloniamque cœpit. Vbi reliquas copias expectans, quamprimũ se Pompeio, si non militum numero, saltem uirtute parem iudicauit, nunq; eum lacessere destitit: quem cõmodissimè castrametatum, atq; omni cõmeatuũ genere abundantem, ipse omnium cibariorum inopia laborans, nunquam nõ tumultuarijs prælijs uicit, si unicum excipimus, cum scilicet omnibus ingenij corporisq; uiribus suos adhortatus, quin pedem referrent prestare non potuit. Eius autem pugnæ laus magis ad fortunam, quàm ad ipsum Pompeium, aut milites est referenda: quando ille uincere nesciuit, hi autem in cæteris prælijs Cæsarianis nunq; restitere. Huiusmodi gestis inter socerũ generumq;, quasi futuræ pugnæ prældijs, Cæsar mutato consilio, Scipionem in Macedoniam iter facientem persequi cõstituit, uel ut eum opprimeret, uel ut Pompeium ad prælium, quod uehementer detrectabat, in mediterranea loca protractũ, etiam nolentem eliceret. Ille enim facilius esse socerum fame, quàm collatis signis superare, nõ dubitabat. Verum aliter se res habuit. Cæsar namq; Pompeio fugere uisus, expugnato Thessaliæ oppido, cum suos nõ modò alimentorum inopia, sed ætate quoq; confectos recreasset, ad hostem conuersus, ubi in conspectu eius castrametatus est, militum animos prius tentauit, quàm hostibus pugnandi copiam faceret. At ijs omnia pericula pro antiquo Imperatore perpeti promptis, quippe qui cũ alias copias propediem ad Cęsarem uenturas scirent, uix duum & uiginti millium peditum numerum implentes, cum plus quadraginta Pompeianorũ millibus manus cõserere nõ dubitarent, extemplo productis in aciem copijs, memorabile illud bellum, quod de orbis imperio inter duos Romanos ciues agebatur, tam excellenter confecit, ut palma dum pugnaretur dubia nunquàm fuerit: & inde uictoriæ initium factũ sit, unde Cæsar cogitarat. Quin ut admirabilior Cæsaris uictoria uideatur, non tantum peditatu is, sed equitatu etiam numero fuit inferior: quippe qui contra septem instructissimorũ equitum millia, uix mille ipse equites duxerit, & legionarios milites quasi superuacanea eorũ multitudine ualeret, Pompeij equitatui opponere coactus fuerit, iniecta illa militũ animis face, Miles faciem feri. Superato Pompeio, castrisq; exuto, (hæc enim est inter Cæsaris laudes nõ postrema, quòd nunq; hostem uicerit, quin castris eundem spoliarit) cũ nullũ clementiæ exemplũ in eos quibus uictor potitus est, nõ edidisset, ciuilisq; cruoris minime cupidus, capta Pompeij scrinia epistolarũ cõcremasset, ne cognitis quorundã ciuium Romanorũ in se animis, aliquod præter naturam immanitatis documentũ ostendere compelleretur, fugienti in Aegyptum genero instare perrexit: nõ prius arma depositurus, quàm omnem bellicam facultatẽ aduersarijs ademisset. Trucidato tamen in itinere iuuenis Ptolemæi iussu Cn. Põpeio, Alexandriam profectus, postq; non magis sibi, quàm genero fuissent, Alexandrinos amicos esse cognouit, eosdem bello urgere nõ destitit. Id uerò quãuis esset difficillimũ, quod Cęsar cum exiguis copijs in Aegyptũ traiecerat, ijsq;

magnam urbem ingenti aduersariorũ exercitu præter loci situm munitam oppugnare cogebatur, unici tamen ducis uirtute facile perfectum est. nam quod post hoc aduersus Pharnacem Mithridatis filium gestũ legimus, tanta celeritate ad calcem est perductum, ut ad amicos de illo scribens, trib. uerbis eius summam expresserit. Nec dum tamen ciuilib. bellis finis erat impositus, sed ualidissimæ hostib. adhuc supererant legiones. Gato enim, qui Stoicus dicebatur, Scipioq́; post Pharsalicam pugnam in Libyam ad regem Iubam cõfugerant: atq; ab eo omnibus rebus adiuti, præter decem legiones, elephantos centum uiginti, classesq́; maximas Maurorum Numidarumq́; tum equitum, tum peditum copias habebant. Ad quos Cæsar cum animum intendisset, non multis hominum millibus in naues impositis (sanè quia aduersarijs multo plura erant) in Africã nauigauit, primisq́; prælijs magis, quia necdum eius copiæ ex iactatione maritima refectę erant, nec cibariorũ pabulorumq́; copia hominibus equisq́ue suggeri poterat, quàm quod hostibus uirtute experiẽtiaq́; essent inferiores, pro spere (ut Scipioni quidẽ uidebatur) cedentibus hostiũ rebus, aduersarios facillime exili spe erectos delusit. Cũ enim prælio ille decertare statuisset, castellaq́; in quæ si opus esset omnes se reciperent, cõmuniret, in ipso opere à Cæsare fusus fugatusq́; tam nõ eius conatibus obstitit, ut eodem penè temporis momento continuato impetu Afranij Iubęq́; castra cœperit. Quo in conflictu quot hostium millia desiderata sint, quamq́; paucos Cæsar ipse milites amiserit, nequaquam uobis obscurum esse existimo. Iamq́; recuperata Africa, unica supererat Hispania, quæ tum gloriæ imperioq́; posset obesse, eaq́; à Cn. Pompeij filijs tenebatur: qui cum & ipsi ingentes copias in unum coëgissent, maius sanè Cæsari, quàm pueros par esset, negocium exhibuerunt. Inita namque memorabili illa pugna, quæ apud funestam (ut Lucanus ait) Mundam cõmissa est, cum Cæsar suos uix Pompeianorum impressionem sustinere animaduertisset, tam acriter per medias acies discurrens eos increpauit, ut non sicut plerique alij fecerunt aduerso Marte omnibus bene anteà gestis rebus tenebras postremo tempore offuderit, sed pulsis hostibus, eadem qua cœperat ciuilia bella uirtute felicitatéque clauserit. Et hæc quidẽ sunt Cæsaris in ulteriore Gallia clarissima facta. Illa uerò, quæ antea domi forisq́; gesserat, ut his minus illustria sint, alium tamen uirũ, hoc est ciuilium rerũ peritissimũ, tametsi iniqua fortuna diu uexatũ indicant. Adolescentem namq; à patre relictũ è medio sustulisset L. Cornelius Sylla, nisi modò hic, modò illic latitasset, nõnunq; etiam pecunia salutem à militibus redemisset. Ab urbe ergo discedere coactus, cũ ad Bythiniæ regem contenderet, in itinere de piratis, à quibus captus fuerat, sumpsit suppliciũ: iam tũ ostendens, quantam indolem præ se ferret, qui nec patris nec amicorũ potentia, ut nõnullis accidit, sed sua tantũ ipsius industria ad amplissimos honores rerumq́; summã euectus fuerit. Romã deinde reuersus, ita se in omnib. quæ excellenti ciui sunt necessaria exercuit, ut multis nominib. populi sibi fauorem conciliarit, cuius rei hoc est argumentũ uel clarissimũ, quòd in ea urbe, quæ à Sylla diu occupata, nihil aliud quàm Syllanæ factionis uenena spirabat, primus C. Marij statuas disiectas iam, producere, ac luci (ut ita dicam) restituere ausus est: omnib. cõpetitoribus, quoties aliquem magistratũ cuperet, ferè semper prælatus. Qua ratione ædilitatem, Pontificatũ maximũ, præturamq́; assecutus, ad consulatũ demum ascendit: in quo quàm longè collegæ fuerit antepositus, hoc disticho ostẽditur.

Non Bibulo quiquam nuper, sed Cæsare factum:
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Verum

Verum enimuero hunc consulatum non petijt ciuilibus tantum negotijs, sed bellica etiam laude insignis: cũ quæstor post præturam in Hispaniam missus, Calœcos, Lusitanosq; domuerit, multasq; in illis regiõibus nationes Romano imperio primus parêre docuerit. Quas ob res cum ei triumphus optimo iure deberetur, ne tamen à consulatus petitione excideret, consulatum inire quàm triumphare maluit: hoc quoq; & callidissimo consilio potentiam suam augens, quod Crassum Pompeiumq; omnium Romanorũ ciuium potentissimos opulentissimosq;, inter se inimicos antea, in amicitiã reduxit. Filia quoq; Pompeio matrimonio coniuncta, Gallias Illyricumq; prouincias in quinquenniũ sibi decerni curauit: in quibus tantam uictoriarũ segetem nactus est, quantam non ex ijs quæ superius percurrimus, sed ex eorũ qui Cæsaris gesta scriptis mandarunt uoluminibus cognoscitis. Tot bellis per terrarũ orbem ab unico Imperatore cõfectis, sola contra Parthos (qui uni Romana arma cõtemnebant) expeditio restabat. Ad quam cum se ille accingeret, impiè à Bruto Cassioq; in senatu trucidatus est: qui & gloriæ satis iam, & ætati uixerat, reliquumq; uitæ in patria ornanda cõsumere decreuerat. Neq; dubium est, quin eam si aliquandiu superuixisset, libertati fuerit restituturus: licet Syllam, qui dictaturã deposuerat, literas sciuisse aliquando negarit. Sed iam Cæsaris, quas quidem uisum est res gestas, quadam ueluti serie percurrimus. Nunc si aliquot uirtutes, quadam cœli benignitate ei cõcessas recensuero, haud grauatè uobis permittam, ut uel ea quæ dixi, si potestis rescindatis: uel aliũ proferatis, quem Cæsari iudicetis anteponendũ. In primis uero (ut quòd paulo ante attigimus, latius explicemus) quàm Romanis ille, si aliquot optimates excipias, gratus fuerit, omnia Cæsaris causa ab eo gesta patefaciunt: sed hoc maxime, quod ostensa à M. Antonio illius occisi ueste, multis uulneribus perfossa, multoq; cruore oppleta, ad eius interfectorum, hoc est ad nobilissimorũ ciuium domos populus cum facibus, tanq; furore correptus concurrerit. Nemini præterea maiores unquam supplicationes ob rem publicam bene administratã decretæ sunt. Senatus namq; post ingentem illam uictoriam, qua M. Liuius Salinator, Caiusq; Claudius Nero COSS. Asdrubalem Amilcaris ad fratrem uenientem, cũ plus sexaginta lectissimorum hominũ millibus prope Metaurũ deleuerãt, tridui supplicationem decreuit. Publio autem Scipioni Africano post maximũ periculosissimumq; præliũ, quo Annibal superatus est, hoc est, quo Romana potentia nõ modò ab ultimo discrimine seruata, sed in multa secula cõfirmata est, non maiorem. At ob Cæsaris feliciter in Gallia pugnantis secunda prælia, nõ tantũ quindecim, quod nemini antea cõtigerat, sed uiginti etiam dierũ supplicatio decreta est. Taceo de eius in omnes lenitate, liberalitateq;. Taceo de militum in eum amore, ac fide: quæ uel hãc unicam ob causam uincit omnem admirationem, quòd arma pro illo aduersus patriã deosq; domesticos promptissimè sumpserũt. Nam Attilius Cassiusq; Scæua, incredibilia facinora eius gratia ediderunt: Graniusq;, ne salutem, quã Cæsaris milites dare soliti erant, à Scipione acciperet, se ipsum interfecit. Næ si instructis aciebus ipse Imperator, quasi Terentianus miles post principia fuisset, si alijs uigilantibus, somno ipse, crapulæq; dedisset operã: si deniq; ut omnia solus haberet, tot pericula adijsset, tot prælijs decertasset: nunq; militibus persuasisset, ut pluris Cæsarem quàm patriam, Romanã rempublicã, propriasq; uxores ac liberos facerent. Fuit ergo in ferendis laboribus fortissimus: quippe qui comitialem morbũ, quo non semel in bellicis apparatibus correptus fuerat, inedia uigilijsq; ab se abegerit: militaris disciplinæ, quũ opus esset, acerrimus exa-

ctor, quiq; inclinatam aciem solus plerumq; restituerit: natandi idem, equitandi'que peritissimus. Quid dicam de eloquentia? quæ in eo maior fuit, quàm in quouis alio Imperatore. Sed de hac re audiamus Fabiũ Quintilianum. C. uerò Cæsar, inquit ille, si tantum foro uacasset, nõ alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo uis est, id acumẽ, ea cõcitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellauit, appareat. At M. Cicero commentarios, quos ille de his rebus scripsit, ualde probandos existimauit. Præter quos de Analogia libros, & duos Anticatones, aliaq; non pauca doctrinæ monumenta reliquit. Verum illud penè unũ hæc excedit, quòd annum, in quo nõ Romani modò, sed & omnes etiam nationes errabant, primus ad solis cursum accommodarit, atq; ita ut nunc habemus reliquerit. Qua in re & Romanos mihi, & Græcos omnes uidetur uicisse: cum Plutarchus Græcus author, Romanos post Cæsaris ordinationem, minus quàm alias gentes in anni ratione errare non inficietur. Igitur & Ouidius, elegantissimus doctorum iudicio scriptor, in tertio Fastorum libro de prima anni distinctione à Romulo facta loquens, summopere Cęsaris super eo negocio factum laudauit, ait enim:

Romulus hos omnes ut uinceret ordine saltem,
  Sanguinis authori tempora prima dedit.
Nec totidem ueteres, quot nunc, habuere calendas:
  Ille minor geminis mensibus annus erat. Et paulo post:
Primus oliuiferis Romam deductus ab aruis
  Pompilius, menses sensit abesse duos.
Siue hoc à Samio doctus, qui posse renasci
  Nos putat: Egeria siue monente sua.
Sed tamen errabant etiam tum tempora, donec
  Cæsaris in magnis, hæc quoq; cura fuit.
Non hæc ille deus, tantæq; propaginis author,
  Credidit officijs esse minora suis.
Promissumq; sibi uoluit pernoscere coelum,
  Nec deus ignotas hospes inire domos.
Ille moras omnes, quibus in sua signa rediret,
  Traditur exactis disposuisse notis.
Is decies senos, tercentum, & quinque diebus
  Iunxit, & è pleno tempora quarta die.
Hic anni modus est, in lustrum accedere debet,
  Quæ consumatur partibus una dies.

Vtq; de egregijs Cæsaris facinoribus plura nõ dicam, unicũ tantũ Plinij de eius laudibus locum (nam quæcunq; ferè eius excellentiam testantur, memorię iamdiu mandaui) uobis recitabo, ne mihi uni Cęsarem tam admirabili ingenio præditũ uisum putetis. Animi uigore, inquit ille Naturalis historiæ libro septimo, præstantissimũ arbitror C. Cæsarem Dictatorẽ. Nec uirtutẽ cõstantiamq; nũc commemoro, nec sublimitatẽ omnium capacem quæ coelo cõtinentur, sed proprium uigorem, celeritatemq;, quodã igne uolucrem. Scribere & legere simul, dictare & audire solitũ accepimus, epistolas uerò tantarũ rerũ quaternas pariter librarijs dictare: aut si nihil aliud ageret, septenas. Idẽ signis collatis quinquagies dimicauit, solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragies dimicauerat. Nam præter ciuiles uictorias, undecies centũ & uiginti duo millia hominũ occisa prælijs ab eo, non equidem in gloria posuerim, tantã etiam coactã humani

generis

generis iniuriam: quod ita esse confessus est ipse, bellorum ciuiliũ stragem non ponendo. Hæc Plinius. Vos si quos habetis quos Cæsari uel æquãdos, uel præferendos putetis, eos quàmprimũ in campũ producite, si à nobis (uti uos facturos ostendistis) dissentire non desinitis. Vix ferè ad huius sermonis exitũ perueneram, cum Scæleius: Verè, inquit, Floride, quæ Cæsaris laudes continent, non multis uerbis complexus es: eorumq́ nihil negare ausit, qui non omnẽ historicis ueritatis fidem adimat. Quæ tamen eiusdem, quem tantopere effers, Imperatoris in plurimis rebus ignominiã declarant, consultò (ut opinor) præteriјsti: quia scilicet Cæsaris te laudatorẽ, nõ uituperatorẽ paulo ante professus fueras. Quòd si illa ipse paucis tibi cõmonstraro, nõ dubito te, qui Iuliũ Cæsarem ante omnes duces, reges, Imperatoresq́ suspicis, ueneraris q́, infensum eidem, capitalemq́ hostem redditum iri. Tum ego: Nihil, inquam, Scælei mihi gratius facere potes, quàm si omnes ingeniј ac linguæ uires ad ostendenda Cæsaris uitia conferas, dum ne quid præter historiarũ fidem in medium adducas. Cum enim & ipse quæ Cęsari obјciuntur, nõ semel mecũ examina uerim, pauca me dius fidius reperire potui, quæ nõ illi immerenti ascribantur. Proinde quicquid habes, cõfestim eloquere: quando & ipse à uobis rogatus, Cęsaris bene gesta, ut potui, explicaui. Tum Scæleius: Faciã hoc quàm libentissimè, inquit, ut Landus, Arleniusq́ cõmodius tum Romanos, tum Græcos duces cum Cæsare cõferre ualeant. Atque hoc primum abs te quæram, quònam pacto censeas unicũ tuũ Imperatorẽ tantopere aliјs præstitisse, cum nõ sit inter excellentes duces recensendus, qui patriæ libertatẽ oppresserit, cõtraq́ diuina & humana iura in suos ciues arma cœperit. Si reliquis omnib. uirtutibus C. Cæsar maxime excelluisset, cũ tamẽ in patria per summũ nefas, ciuilisq́ sanguinis torrentes principatũ occuparit, nec bonus Imperator, nec egregius ciuis est habendus, cui tot mala, tot seditiones cordi insederint. Nisi forte, qui hos Euripidis in Phœnissis uersus

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι κάλλιστον ἀδικεῖν, τἆλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών,

quos sic M. Cicero uertit, Nam si uiolandum est ius, imperiј gratia
Violandum est, aliјs rebus pietatem colas:

semper in ore habebat, aliud à teneris annis, quàm Romanæ urbis ruinam animo cõcepisse credatur. At enim dixeris, tot tantisq́ iniuriјs à ciuib. suis fuerat affectus, ut nõ posset alia re, quàm patriæ calamitate suis rebus cõsulere. Quid est obsecro per deos immortales, quod nõ in ea facillimè obtinuerit? An non eius opibus, copiјs, auspiciјsq́, quicquid sibi bellando laudis cõparauit, est assecutus? Pro his itaq́ erga se patriæ meritis, quãnam alia re, quàm ingratissimi animi signis eam est remuneratus? Equidẽ Martius ille Coriolanus, qui licet angustis adhuc Romani Imperiј limitibus floruerit, strenuus tamẽ dux, egregiusq́ bellator fuit, nullo suo scelere, sed miseræ plebeculæ seditionib. in perpetuũ à patria exiliũ eiectus, iure fortè (si quid tamen iure cõtra patriã fieri potest) Volscorũ armis cõtra Romanos excitatis, cũ summũ suis ciuib. terrorẽ incussisset, si nõ aliјs legationib. matre tamẽ obuiam ei extra urbẽ progressa, quo minus in incœpto perseueraret, deterreri potuit. At Cæsar, quẽ nulla eũã satis digna causa in domesticos lares excitare debuerat, nõ exilio, sed magnorũ præmiorũ spe è Gallia à suis reuocatus, quãto Coriolano deterior sceleratiorq́ est habendus? P. quoque Scipio, qui secundũ bellum Punicũ deuicto in Africa Annibale confecit, maluit patriæ quantumuis ingratæ furori cedere, quàm suas amicorumq́ uires (etenim satis amplæ illi erant) contra Tribunitiũ furorẽ experiri, nequa suos ciues calamitate afficere adigeretur. Sed hos sicut Syllã, qui summo magistratu

b 4 se abdi-

ſe abdicarat, nimis ridiculos iudicaſſet Cæſar, cui is quem modò nominaui tyrannus multos Marios, Cato autem Marcusq́ Cicero mirã iam diu dominandi libidinem, immenſamq́ publici ocij peruertendi cupiditatẽ ineſſe cognouerant. Quũ igitur nondum tantũ ſibi uirium comparaſſet, quantũ ad ſuos ciues opprimendos ſatis eſſet, libentiſſimè Catilinam Romanæ urbis incendiũ cum plurimis ſceleſtis ciuibus molientẽ, incolumem fouit, ut Curius Vectiusq́ teſtati ſunt: & de eis, qui in carceerm coniecti fuerant, mitiſſimã ſententiã tulit: propterea quod in eiuſdem criminis complices ſæuiens, nõ humanitatis, ſed ſingulariſſimæ immanitatis limites tranſgreſſus eſſet. Age uerò, ſi abſq; magna ciuiũ internecione Romanã rempublicam occupare ualuiſſet, minus proculdubio eſſet uituperandus. Cum autem ei abſq; extrema patriæ ruina, uoti compotem fieri nõ liceret, quàm ſit ab omnibus deteſtandus, tu ipſe tecum Floride eius excellentiæ aſſertor æſtimato. Ego enim alia illius flagitia perſequar, & plurima quæ illi laudi ducis, maxima impudentia ac execrabili (ſi propius aſpicias) ſcelere inuoluta fuiſſe oſtendã. Iuuenis à L. Sylla Cæſar ad ſuppliciũ quæſitus, inquis, Roma diſcedere coactus eſt, in Bithiniamq́ nauigans piratas, à quibus precio ſe redemit, omnes mox cruci affixit. Vere hæc narras. Sed & iuuenis ad Nicomedem accedens, proſtratæ ei pudicitiæ nomen ſubijt, auxitq́ etiã hominum de ea re ſuſpicionem, leuis admodum negocij cauſa ad eundem reuerſus. Noſti Licinij Calui in Cæſarem uerſus. Noſti quid de eo Dolobella, Curioq́ pater de ea re dicere ſint ſoliti. Nam & Caius Mẽmius, & Memmio melior M. Cicero, tam aperte idem aſſeruerunt, ut de nulla re minus ſit dubitandũ. Quid milites? Nónne currũ eius triumphantis præcedentes, ſequentesq́, tritos illos uerſus cecinere? Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem.

Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

Atqui nõ una hæc nota Cæſari inuſta eſt: quandoquidem quid Catullus de eo ac Mamurra ſcriptum reliquerit, notiſſimũ eſt. His adduntur plurima ſtupra, non modò cum Cleopatra, Bogudisq́ uxore, ſed cum plurimis Romanis matronis commiſſa: niſi uana credimus, quæ de Seruij Sulpitij, Craſſi, Gabinijq́ coniugibus à Cæſare corruptis memoriæ prodita ſunt: aut mentiuntur, qui Seruiliam Bruti matrem frequenter cum Cęſare adulterij conſuetudinem habuiſſe affirmant. Pompeius quidem Mutiam poſt tres liberos ex ea ſuſceptos, ut à Cæſare, quem Aegiſthum interim appellabat, cõcubitu pollutam repudiauit. An non inde emanarunt & illa carmina?

Vrbani ſeruate uxores, mœchum caluum adducimus.
Auro in Gallia ſtuprum emiſti, hic ſumpſiſti mutũum.

Demum ut ab eius impudicitia ad alia tranſeamus, optime ſenſit, qui illum omnium uirorũ mulierem, omniumq́ mulierum uirum fuiſſe dictitauit. Poſt multos magiſtratus, quos ſummo populi fauore adeptus eſt, ſubdis: Cum quæſtor in Hiſpania ea geſſiſſet, quę certam illi triumphi ſpem oſtenderent, eo ſpreto cõſulatum obtinuit: in quo ita ſe geſſit, ut nihil Cæſare & Bibulo, ſed Iulio & Cæſare COSS. omnia acta ſcriberentur. Non poſſum equidem nõ laudare iudiciũ tuum Floride, quum rerum exprimens tantum capita, multa obſcœna per quæ ad ea uentũ eſt, præteris, & illa glorioſa putas, quæ in probis uiris maximè ſunt reprehendenda. Primò ſi qualis in ulteriori Hiſpania Cæſar cognitus ſit repetamus, ſummo dedecori eum illi magiſtratum fuiſſe negare non audebimus. Qui enim antequam ex urbe diſcederet, ægre à ſe creditores plurimorum ſponſorũ

interuentu remouit, quàm rapaciter ſuo magiſtratu functus exiſtimabitur? Sed enim hoc, quo minus modeſtè temperaté que eam quæſturam exercuerit, efficere non potuit. Imò niſi multa Luſitanorum oppida, quæ in officio permanebant, nullum'que imperatum detrectabant, amícè in ea receptus, inimicè depopulatus eſt, ipſa integritate Cæſarem integriorem fuiſſe concedam. In Gallia quoque multa deorum immortalium templa hoſtiliter diripuit: Romæ primi conſulatus tempore tria millia auri pondo è Capitolio furatus. Atque ut cætera eiuſdem ordinis mittam, (qui enim deorum delubris non pepercit, nullum facinus non perpetraſſe cenſebitur) Conſulatum eſt adeptus, ais. optimè, ſi non diuitem ad ſe competitorem illexit: magis'que eius pecunia, quàm proprijs in rempublicam meritis fretus, ſingulis cẽturijs nummos ſuo Luceij'que nomine pollicitus eſt: ſi non inquam optimates omnes, Marcus'que Cato, incorruptiſſimus ciuis, M. Bibulo, ut tantundem ſponderet, authores fuere. Nec porrò nihil uidebant, qui largitionem ſemper pernicioſam, pro tempore probarunt. Quem enim in Conſulatu nihil non auſurum eſſe credebant, talem reipſa cognouere, qualis qui neque hominum neqꝫ deorum habita ratione eadem quæ liberet ſibi licere perſuaſum haberet, eſſe ualuit. Quare ſe dignum fecit, quòd legem, quæ non à Conſule patritióque, ſed à ſeditioſiſſimo Tribuno ferri deberet, ut fauorem populi ſibi conciliaret, inuito ſenatu, ac refragante Collega promulgauit. Nam quòd Bibulum collegam armis è foro expulſum, quouſque magiſtratu perfungeretur domi latêre compulerit, non minori temeritati impudentiæꝗ eſt tribuendum. Adiunxit & his tot alia ſcelera, quot homini audaciſſimo, cuique nemo ſe opponere auderet, in mentem uenerunt. De quibus ſi plura dicere uellem, dies me prius quàm oratio deficeret. Illa tamen non poſtrema fuerunt, quòd Catonem ſenatorem integerrimum innocentiſſimumꝗ Romanæ libertatis memorem, & longo ſermone ne Cæſaris poſtulata perficerentur, diem conſumentem, comprehendi, atque in carcerem duci iuſſerit: Publiumꝗ Clodium, flagitioſiſſimum reipublicæ communis'que tranquillitatis euerſorem, ut M. Tullium de prauo temporum ſtatu conqueri auſum inſectaretur, urbe'que eijceret, à patribus ad plebem traduxit. Tales fuerunt Cæſaris quæſturæ, Conſulatus'que: tali ingenio præditus, licet ſobrius, unicoꝗ digito caput ſcalpens, in patriam conſpirauit, quæ'que modò retuliſti contra ſuos ciues bella geſſit. Qui ergo per tot infanda flagitia, per generi, per ciuium deniꝗ ſanguinem ad rerum ſummam eſt euectus, quo pacto tibi ſi diutius uixiſſet, Dictaturam depoſiturus fuiſſe credatur, tute conſiderato. Mihi enim puto, & his qui nobiſcum ſunt, id nunquã perſuaſeris. An forte, qui in Parthos ſolos iam Romani expertes imperij, ut omnia ſuæ ditioni ſubiecta cerneret, bellum moliebatur, priuatus tibi uiuere potuiſſe uidetur? Non quidem Romanam libertatem, ſed cœlum, inferos'que, ſi licuiſſet, oppreſſurus erat Cæſar: tantum abeſt, ut eorum quæ de Sylla, qui Dictaturam depoſuerat, protuliſſet, illum unquam pœnituerit. At populo, inquis, charus fuit, militesꝗ nullum periculum eius cauſa fugerunt, nullum ſupplicium deprecati ſunt, dum etiam in hoſtium poteſtatem redacti, ſe ſuo imperatori fideliſſimos eſſe morte teſtarentur. Quin potius non mirum, ſed omnium miraculorum maximum fuiſſet, ſi Romani eum habuiſſent odio, à quo multos agros contra ius fas'que accepiſſent, & ex cuius rapinis non paucæ uenationes, alij'que ludi quotidie in uulgus ederentur: ingens autem pecunia tum à uiuente, populo uiritim fuerit diſtributa, tum à mortuo eidem fuerit legata. Nam milites, quibus nihil unquam non permi-

ſit,

sit, quosq; plurimis semper muneribus deliniuit, arctiori quodam iure Cæsari deuincti erant: pro'que innumerabilibus urbiũ direptionibus, publicis itẽ ac priuatis maleficijs suam causam agentes, summo cum amore prosequebantur, quo extincto, uel ad miseram, magis'que duram uiuendi conditionem ipsos redigi, uel ultimo (quod potius eis accidisset) supplicio affici necesse erat: quippe qui unum ciuem quàm Romanã rempublicam, hoc est patriam incolumẽ maluissent. Sed & Cæsar pessundata militari disciplina, præter illa quæ diximus corrupti effœminatiq; Imperatoris indicia, nõ milites eos, sed commilitones appellabat: quos quasi Samnitiũ, aut Antiochi regis copias, auratis armis quandoque cõspicuos habuisse dicitur, ne quod luxus aut deliciarũ genus esset in quod suos prolabi nõ pateretur. Vides (tecũ enim nunc præcipue ago Floride) quàm multa in Cæsare improbanda à te sint prætetita. Vt itaq; eloquentiã ille (quanquam alij quoq; Imperatores nõ minus ea quàm Cæsar excelluerint) clementiamq; sibi habuerit, in ulciscendis sceleribus lenissimus, mansuetissimus'que,

(Neque enim benefacta malignè
Detrectare meum est:) quin tamen his, quæ recensui, sceleribus alias suas uirtutes, quæcunq; illæ sint, offuscarit, aut oppresserit potius, neq; ipse inficiabere: neq; si maximè negares, quisquam in tuam sententiam iret, cum nihil nõ ex uerissimis historijs deprõptũ protulerim. Singula quidem bella ab eo gesta diligentius nõ discutiã, ne si nimis diligens Cæsaris calumniator uobis uidear, minus meis rationibus fidei à uobis adhibeatur. Illud tamen nõ tacebo, fortunam primũ sibi in secundis eius prælijs locum desumere: cui tantũ tribuebat Cæsar ipse, ut quoties aliquid sibi præter sententiã obtigisse animaduerteret, id sibi ad pristinam fortunam defuisse dictitaret. Cumq; Apolloniæ sedens, nondũ tantum copiarũ haberet, ut soecerum cõmodè prouocare posset, mare autem à multis hostium classibus teneri non ignoraret, præcipiti temerarioq; consilio paruam scapham incognitus conscendit, nauisq; magistro ac remigibus tempestatis uim frustra superare cõtendentibus, non alijs uerbis animi ardorem addidit, quàm quòd Cæsaris fortunam eos uehere admonuit: tanq; quæ nihil ei in bellis prosperum negasset, marinos etiam fluctus esset sedatura. Quid quòd sæpe conuersam cedentemq; suorũ aciem restituens, à militibus propè obtruncatus est? Id porrò plus satis notum est, Cæsarem alterum in orci faucibus pedem habuisse, quũ fugientes suos per uim retrahens, ab uno militum magno timore percito cædi potuerit, nisi qui eius scutũ ferebat, cadenti gladio successisset. Maius est, nisi fallor, Imperatoris, à quo summa rerũ pendet, officiũ, quàm ut eiusmodi se periculis offerre debeat. Habuerunt hæc, & alia quæ omitto, plus temeritatis, quàm sani consilij: Verũ quod in Britanniam (etenim & natalis nostri soli mentionem fecisti) accesserit cum exiguis admodũ copijs, plurimas fortissimasq; insulę nationes lacessere, atq; incognitę se Oceani (à quo nõ minus, quàm ab ipsis Britannis uexatus est) nauigationi cõmittere nõ dubitarit, propè uti furiosi inceptum fuit improbandũ. At feliciter ei rem cessisse dices: Pulchre tu quidem, si facta ab euentu æstimanda putas. Cæterum ut is lætus fuit, ita causa quæ illum in Britanniam traxit, apertam præ se fert turpitudinem. Neq; enim laudis, neq; augendi Romani Imperij gratia, sed margaritarũ spe adductus, bis in eam insulam nauigauit. Quæ cum quis purgarit, iustaq; reprehensione indigna ostenderit, facile eidem condonarim, pontem tam artificiosè à Cęsare fuisse constructũ, ut nondum inuentus sit, qui eius rationem perfecte tenuerit. Ex anno namq; recte ordinato, uel ideo minus gloriæ (ut multi autumãt) in se transtulit, quod Plu-

tarchus

tarchus Romanos nõ penitus in eo poſt Cæſaris ordinationem errore uacaſſe, ſed minus quàm alias nationes erraſſe teſtatur. Reliqua Cæſaris flagitia pluribus nõ perſequar, ſi illud meis uerbis tanquam appendicem addidero, nihil unquam Romæ pręclarius actũ fuiſſe, quàm quòd moleſtiſſimus tyrãnus (tametſi pater patriæ Antonio, Dolobellæ, ac Cornificio neſcio cui uideretur) à multis egregijs ciuibus patrię libertatis neutiquam oblitis in ſenatu cõfoſſus eſt. Nondum planè dicendi finem fecerat Scæleius, quum Landus ſubridens: Multum, inquit, Scælei Cæſaris tibi manes debent. Nec dubito, quin ſi ab inferis reuocaretur, uel conſulatum tibi, uel præturam ſaltem pro ſumma tua in eum beneuolentia eſſet daturus. Et quidem unicum Floridum huc paratũ ueniſſe rebar. Sed non tam ille me Cæſari amicũ reddiderat, omnes eius uirtutes explicans, quàm tua adprimè efficax oratio ab eo amando me retraxit: uel quia libentius ea quæ, calumniandi, quàm quæ laudandi ſtudio dicuntur audimus: uel (quod magis crediderim) quia uitia in Cæſare uirtutibus præpolluerunt. Quocirca cum hic Floridus me, ut ad Romanorũ ducum cũ illo comparationem quamprimũ deuenirem hortaretur, uerebatur nimirum, ne ſi hæc Cæſaris ſcelera hocce in cõſeſſu uulgarentur, & illius minueretur excellentia, & ſibi lauandi laterem hoc manifeſtiſſima crimina diluendi onus iniungeretur. Iuuabit interim ipſum audire: qui quamuis maximo ſuo cõmodo ſibi contra nos pugnaturus uideretur, nõ mediocriter eſt perculſus, quũ te tanta facilitate Cæſaris uitia recenſuiſſe uidet. Tum Arlenius: Me quoq; Scæleij oratio multas ob cauſas ſummopere delectauit, inquit. Sed ob hanc præcipue, quod licet Cæſari paulo infeſtior uideretur, ea tamen illi obiecit, quibus nihil magis certũ ſit, nihil magis perſpicuũ. Sed ipſum iam Floridũ in promptu, quæ pro Cæſare dicere conſtituit, niſi fallor, habere uideo.

Et ego maxima inq; uoluptate afficior, quãdo cũ promptiſſimis, maximoq; ingenio ac memoria ornatis iuuenib de Cæſaris excellentia diſſero: mallemq;, ita me dij bene ament, à uobis uinci, quàm cũ minus acutis doctisq; agens, abſq; aliqua contentione uincere. Sed rem aliter ſe habere opinor, quàm uobis ſit perſuaſum: qui mei quodammodo miſerti, nimis durũ me onus ſubijſſe exiſtimatis. Atqui ſi paucis docerem, quæcunq; à Scæleio dicta ſunt, Cæſaris præſtantiæ nihil, aut non multum obſtare, quorſum tui illi in Cæſarem morſus Scælei? quid eſſes tam cõcitata oratione conſecutus? Non tamen illa tranſiero: imò nec ſingula accuratius expendere grauabor: ut pro comperto habeas, non facile eſſe eius gloriam uerbis eleuare, qui pręclariſſimis rebus geſtis ad maxime eminentem inter Imperatores gradũ ſit elatus. Ego plurima bella à Cæſare per totum terrarũ orbem ſumma felicitate, incredibili prudentia, non minori celeritate, animiq; ardore confecta recenſebã. Addebam uirtutes alias, clementiã, manſuetudinem, lenitatem, moderationem, liberalitatem, cõſtantiam, eloquentiam. Tu bella omittis, atq; aliquot uitia falſò ei fortè aſcripta, uerbis exaggeras: oblitus opinor, nõ de modeſto uiro nos, ſed de Imperatore hanc diſputationem inſtituiſſe. An credis in egregio Imperatore præcipuum ſibi locum uendicare eorum uitiorum contraria, quæ Cæſari peculiaria fuiſſe uis? An non potius rebus fortiter feliciter'que geſtis illæ ſunt deferendæ? Dum ergo præliorum numero magnitudin'eque Cæſar alijs omnibus præſtiterit, nõ imminuet bellicas eius laudes, quòd contra patriam arma ſumpſerit, quòd ad tyrannidem à pueritia aſpirarit, multas'que ciuium ſuorum uxores, multas reginas amarit. Nec enim de morum probitate inter nos, ſed de militari palma quæſtio eſt: ad cuius certamen nobiliſſimum quemq; ducem, Landi de ueteri militia ſermone illecti, produ-

producere decreuimus. Iam ſi Cæſari aut ebrietatem, aut aliquid ſimile, quo à rebus rectè celeriterq́ administrandis fuiſſet retractus, potuiſſes obijcere, non peſſimè in Cæſarem debacchandi uiã inſtitiſſes. Verum dum rapinas ei exprobras, quoniam auaritiæ ne ſcintillã quidem in eo fuiſſe commentari potes, quicquid ab eo prauè unquam in hoc genere commiſſum eſt, militum alendorum gratia factum interpreteris oportet. Non poſſe enim ſine ſtipendijs exercitum ali, neminem latet. Næ tu Scælei, ſi aliorũ Imperatorum mores perquiras, multos ex illis & præcipuos quidem nihili feceris. An ſi Annibalis, quo nemo unquam Romanis rebus infenſior pernicioſiorq́ fuit, mores, uitam, ac geſta repetas, non plura inuenies magis damnanda, quàm quæ tam acriter modò in Cæſare inſectabaris? Iis tamen bellica eius uirtus ne minimũ quidem imminuitur: quanquam unica illius perfidia magis ſit in Imperatore carpenda, quàm illa ad unum omnia, quæ in Cæſare appellas flagitia. Sed hæc ſuo loco tractabimus, nimirum quum alios Cæſari eximios duces opponetis. Nunc quæcunq; in eo Scæleius improbat, diligentius examinare operæprecium fuerit. Quærit à me, cur nam eò opinionis uenire potuerim, ut cæteris omnibus Imperatoribus eũ anteponam, qui tyrannidẽ per ciuilis ſanguinis riuos in patria inuaſerit? Equidem ſi cum Stoicis mihi de ſumma hominis innocentia eſſet diſſerendum, nunquam Cæſarem, quaſi eius uirtutis principẽ produxiſſem. Cum uero in excellentiſſimorum ducum mentionem inciderimus, bellica illum gloria omnibus præferre non dubitaui. At patriæ bellum intulit. Intulerit etiã parentibus: quid hoc ad rem? quid ad Imperatoris induſtriam, felicitatẽ, diligentiam? Ne me obſecro tam ridiculum exiſtimate, ut Q. Cincinnatum ab aratro ad Dictaturã accerſitum, M. Curium, Fabritium, & quotquot præterea his ſimiles fuerunt, Cæſare parciores continentioresq́ fuiſſe negem. Vt enim id maximè eſſet abſurdũ, ita non mediocrem ei iniuriam faceret, quicunq; illorum aliquem ad Cæſaris in plurimis bellis partam gloriam perueniſſe contenderet. Sed Romanam libertatem occupauit, inquis. Scilicet nullo nomine peius, quàm hoc audit C. Cæſar. Quid ſi omnia eum prius tentaſſe, quàm hoc conſilij cœperit, oſtendam? Neq; uerò me latet, Plutarchum Cheroneum (ut aliorum omnium Græcorum Romanorum'ue de eadem re ſententias prætercam) M. Antonij uitam ſcribentem, eiſdem de cauſis Cæſarem ad bellum contra patriam moliendum impulſum fuiſſe, quæ antea Cyrum Perſarum regem, Alexandrumq́ ad idem audendum erexerãt, hoc eſt immoderato dominandi amore, inſanaq́ principatus cupiditate cenſuiſſe. Sed niſi idẽ in reliquis mendax inueniatur, quin Cæſar omnia priuſquam ad arma contra ſuos curreret, cum aliqua etiam ſuarum rerum iactura expertus fuerit, inficias ire non poteſt. Quod ſi nihil æqui ab inimicis impetrare potuit, quis mirandũ ducat, ſi Romanæ urbis principatum ſibi uendicare, quàm Pompeio relinquere maluit? Nam nec liberam tum fuiſſe Romã dixeritis, cum ne uerbum quidem contra Pompeij nutum proferre quiſquam auderet. Quid enim aliud ſibi unquam uoluit Sylla, infinitis propè militum ciuiumq́ Romanorum millibus trucidatis? aut ipſe de quo loquimur Cæſar, quam nam aliam ob rem tantum bellorum geſſit, niſi ut Senatum quócunque uellet pro ſuo arbitratu impelleret? Ac ne parum uera à nobis de Pompeij principatu proferri puteris, ipſa uos res admonere poterit, non prius illi Cæſarem odio fuiſſe, quàm ſublato iam è medio M. Craſſo tantum uirium ſocero eſſe uiderit, quantum ad deſtruendã eius potentiã longe antea (ut Salluſtius inquit)

in urbe

in urbe formidolosam satis foret. Hinc turbulenta illa senatusconsulta contra Cæsarem à Pompeij satellitibus emissarijsque facta sunt. Hinc Tribunorum potestas, quam ne Dictatura quidem soluebat, pro Cæsare intercedens elusa, seu (ut uerius dicam) penitus sublata est: & quoties salutares pacis conditiones à quouis Cæsaris amico Pompeij stipatoribus oblatæ sunt, ipsi propè internũcij lapidibus obruti fuerunt: tantum abest, ut aliquid æqui pro eo qui latissimè Romanum auxisset imperium, barbarasque nationes penitus contudisset, imperari potuerit. Itaque cum Cæsar primo imperium se depositurũ, & milites, si Pompeius idem fecisset, dimissurum polliceretur, neque obtineret: tum per literas peteret, ut citerior sibi tantum Gallia cum duabus legionibus usque ad secundi cõsulatus petitionem relinqueretur, neque id quidem assequeretur, nõ aliunde consilium, quàm ab armis capiendi facultatem nactus est. At patriæ uim inferre impium est: Ego sanè pium'ne, an impiũ Cæsari fuerit, nec explicare possem si uellem, nec uellem fortasse si possem. Hoc tamen non ignoro, uni Cæsari, si cui unquam patriæ bellum inferre licuit, iustissimas causas, cur id faceret, fuisse oblatas. Ac si Euripidis de uiolãdo iure uersus frequenter in ore habebat, nõ protinus quandocunque aliquid optamus, perinde reprehendendi sumus, ac si illud idem per summum nefas consequi nitamur. Sed hæc, ut superius dictum est, nihil ad Imperatoris excellentiam. Si quo tamẽ in loco ponendæ sunt oblatæ Pompeio, ne ad ciuilia bella ueniretur, conditiones, illud Cæsaris de inuadendo Romæ principatu consilium, quod tantopere insectamini, nequaquam indicant. Cur enim si tyrannidem à pueritia animo conceperat, nõ protinus ciuile bellum inchoauit, ualidissimi numerosissimique pro Romanorum more exercitus Imperator? An non cum duas legiones, quas à genero acceperat, ante bellicum fragorem remisit, apertè ostendit nihil sibi minus cordi esse, quàm ciuilia bella? An non in urbe id sæpe factitauit, quod ad patriæ tranquillitatem, non perturbationem pertineret? Quid? cum Cæcilio Metello tribuno plebis iniquas leges ferenti præsto esset, ingensque ad eum multitudo ad omnia parata confluxisset, nónne prætura se penè abdicauit, ut ciuilem furorem compesceret? Rectius Pompeium ciuilis discordiæ sanguinisque cupidissimum dicemus, cui qui neutrarum partium essent, pro hostibus fuerint: cum Cæsar eos pro amicis habuerit, omnibusque ciuibus, nisi insigni aliqua iniuria ab eis fuisset lacessitus, & in bellis, & post bella parci iusserit. Nam quòd eundem patriæ cędem incendiumque moliẽtem, Catilinæ facinorosissimi perditissimique ciuis complicem fuisse addidit Scaelcius, tam est leue, ut præcipuis in republica uiris neutiquam probari quiuerit: quando M. Cicero, qui illud incendium extinxit, neque gratia, neque precio, neque precibus à Cæsaris inimicis induci potuit, ut illum inter coniurationis participes referret. Proinde nullius momenti habenda erant eorum, qui Cæsari tantam contumeliam imponebant testimonia, utpote quia ueteres erant Cæsari cum ijs simultates, Pisone olim in repetundarum iudicio ab illo accusato, Catulo autem ex Pontificatus petitione summo odio in Cæsarem incenso, quòd extrema ætate, quamuis maximis honorib. functus ab adolescentulo eo uictus discesserat. Vt'que illa, quæ ad libertatis occupationem spectantia Cæsaris splendorem offuscare uidentur, in pauca conferam, si eum omnem lapidem, ut Romæ principatum occuparet, permouisse fatear, eodem animo Pompeium fuisse nemo nisi impudens negare audebit. Præsertim quòd M. Cicero, qui tanquã è specula ciuilẽ tempestatem (ut ipse ait) futuram prospexerat, manifestè id asseuerat octauo Epistolarum ad Atticum libro, ita

de Cæſare & Pompeio ſcribens: Genus illud Syllani regni iampridem petitur à multis, qui unà ſunt, cupientibus. An cenſes nihil inter eos cõuenire? nullam pactionem fieri potuiſſe? Hodie poteſt. Sed neutri σκοπὸς eſt ille, ut nos beati ſimus: Vterque regnare uult. Hæc à te inuitatus breuiter expoſui. Voluiſti enim me, quid de his malis ſentirem, breuiter exponere. Et in decimo, pluribus uerbis: Hi ſunt, ait, qui niſi me ciuitate expuliſſent, obtinere ſe non poſſe putarant licentiam cupiditatum ſuarum, quarum ſocietas, & ſceleratæ cõſenſionis fides, quò eruperit uides. Alter ardet furore & ſcelere, nec remittit aliquid, ſed indies ingraueſcit, modò Italia expulit, nunc alia ex parte perſequi, ex alia prouincia ſpoliare conatur. Nec iam recuſat, ſed quodammodo poſtulat, ut quemadmodum eſt, ſic etiam appelletur tyrannus. Alter, qui nos ſibi quondam ad pedes ſtratos ne ſubleuabat, qui ſe quidem nihil contra huius uoluntatem facere aiebat poſſe, elapſus à ſoceri manibus ac ferro, bellum terra & mari comparat, nõ iniuſtum illi quidem, ſed tum pium, tum etiam neceſſarium, ſuis tamen ciuibus exitiabile, niſi uicerit, calamitoſum etiam ſi uicerit. Horum ego ſummorum Imperatorum non modò res geſtas non antepono meis, ſed ne fortunam quidem ipſam, qua illi florentiſſima, nos duriore cõflictati uidemur. Quis enim poteſt aut deſerta per ſe patria, aut oppreſſa beatus eſſe? Et ſi (ut nos à te admonemur) rectè in illis libris diximus, nihil eſſe bonum niſi quod honeſtum, nihil malum niſi quod turpe ſit, certè uterque iſtorum eſt miſerrimus, quorum utrique ſemper patriæ ſalus & dignitas poſterior ſua dominatione & commodis fuit. Hæc Cicero, nemini (ut eius utar uerbis) concedens, qui maiorem ex pernicie & peſte reipublicæ, quàm ipſe moleſtiam traxerit. Nam alia, quæ in eam ſententiam ab eodem ſcripta ſunt, ne nimis omnia exequar, poſthabeo. Annæus quidem Lucanus de ſoceri generiq́ contentione agens, cuius nam cauſam æquiorem iudicarit, non exprimit, ita canens:

Quis iuſtius induit arma,
Scire nefas, magno ſe iudice quiſque tuetur.
Victrix cauſa deis placuit, ſed uicta Catoni.

Non eſt ergo cur Cæſarem patriæ dominatum ſimpliciter occupaſſe dicamus. Sed cum poſt Syllæ dictaturam uix reipublicæ ſtatus liber cõſeruari poſſet, ſibi (quod nemo ſanus non faceret) imperium uendicare, quàm Pompeio relinquere maluit. Atque ut pro certo habeatis, Põpeium ſi uiciſſet, ſummum magiſtratum, prout Cæſar fecit, nũquam fuiſſe dimiſſurũ, audite Plutarchi de eo negotio uerba in Bruti uita: ὅτι γὰρ ὁ μέγας πομπήϊος ἂν καίσαρα καθελὼν, ἠλπίζετο βεβαίως πείσεσθαι τοῖς νόμοις τὴν δύναμιν, ἀλλὰ ἀεὶ τὰ πράγματα καθέξειν ὑπατείας ὀνόματι, καὶ δικτατορίας, ἤτινος ἄλλης μαλακωτέρας ἀρχῆς παραμυθούμενος τὸν δῆμον. hoc eſt: Non enim Magnus ille Põpeius, ſi Cæſarem uiciſſet, ſperabatur utique ex legibus poteſtatem dimiſſurus, ſed ſemper rerum potiturus, conſulatus aut dictaturæ nomine, aut alio mitiori magiſtratu populũ conſolans. Quæ cum huiuſmodi ſint, hoc ipſe aſſeuerare nõ uerebor, longe cruentiorem futuram fuiſſe Pompeij quàm Cæſaris uictoriam, cũ ille antiquo odio Marianas partes proſequeretur, hoc uerò tametſi aduerſas factiones foueret, nihil magis clemẽs, nihil poſt uictoriam minus inſolens cognitũ ſit: ac ſi quid forte parum decens (nec enim omnia in tanta rerũ mutatione ſanctiſſimè geri potuiſſe exiſtimãdum eſt) poſt liberum eius dominatũ admiſſum ſit, nõ tam optimi Imperatoris immanitate, quàm ipſa uictoria, eorumq́ quorum opera illã adeptus fuerat, idem cuius uerba paulo ante recitauimus, M. Tullius factum eſſe confirmat, quarto Familia-

rium

rium epistolarum libro sic scribens: Omnia sunt misera in bellis ciuilibus, quæ maiores nostri ne semel quidem, nostra ætas sæpe iam sensit: sed miserius nihil quàm ipsa uictoria: quæ etiā si ad meliores uenit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresq; reddit, ut etiam si natura tales nō sint, necessitate esse cogantur. Multa enim uictori eorum arbitrio per quos uicit, etiam inuito facienda sunt. Loquitur autem proculdubio de Cæsaris dominatu M. Cicero, cū Marcellum hortaretur, ut æquo animo eum ferret, nō meliori conditione uicturus, si uictoria Pōpeio obtigisset. Sic namque eadē epistola scripserat: Omnia enim delata ad unum sunt: is utitur consilio ne suorum quidem, sed suo. Quod non multo secus fieret, si is rempublicā teneret, quem secuti sumus. An qui in bello, cum omnium nostrum coniunctū esset periculum cum suo, certorum hominum minime prudentiū consilio uteretur, eum magis communem censemus in uictoria futurum fuisse, quàm cæteris in rebus fuisset? & qui nec te consule tuum sapientissimum consilium secutus esset, nec fratre tuo consulatum ex auctoritate tua gerente, nobis auctoribus uti uoluerit, nunc omnia tenentē nostras sententias desideraturum censes fuisse? Et hæc sanè de patria à Cæsare oppressa dicta sint, non tantum ut Scæleio, sed omnib. etiam qui eiusdem criminis Cæsarem arguunt satisfiat: cum non dubie constet, per eum (ut diximus) nō stetisse, quominus à ciuilibus communiq; Romanæ reipublicæ clade temperaretur. Subdidit huic siue crimini, siue sceleri (ut uocat) Scæleius notissimam C. Cæsaris incontinentiam, uersiculos'que à militibus de eo decantatos: neque dubitat quin recte ille prostitutæ Bithiniæ regi pudicitiæ notatus fuerit, cum & in urbe & in prouincijs plurimorum uxores corruperit. Quorum ego ut alterum uerū fuisse concedo, ita alterum immeritò ei ab obtrectatoribus obiectum esse minimè ambigo, cum unius Nicomedis cōtubernium eius pudicitiæ famam læserit. Quid enim? Nonne si tam turpi scabie fuisset infectus, aliquod eiusdem rei uestigium in amplissima florentissimaq; urbe Roma, uel antequam ad Regem accederet, uel etiam postea in illo indicium apparuisset? Equidem nisi falsò Cæsar eius dedecoris fuisset accusatus, nulla propemodū ratione à tam nefarijs Cupidinis facibus perpetuò in reliqua uita abstinuisset. Cum autem Licinius Caluus uænalis linguæ causidicus, quiq; si quid unquam pensi habuisset, potius mori quàm per amicos cum eo de reconciliatione agere debebat, ac Dolobella cum Curione patre, Caio'que Memmio, omnium Romanorum ciuium sordidissimis, illa de eo & scripserint, & locuti sint, quibus mox omnem fidem sua inconstātia ademerint ijdem ipsi auctores, non pluris mihi eiusmodi calumniationes faciendæ uidētur, quàm Thrasonis, aut Pyrgopolinicis magnæ minæ. Sed & Catullum, doctissimū alioqui ac elegantissimum poëtā, inter eius generis oblatratores referēdum duco. Perpetua enim (ut Suetonius uocat) stigmata Cęsari de Mamurra imposita, satisfactione postmodū delens, & se mendacij alligauit, & summū Imperatorem tam insigni nota liberauit. Ac si nec Catullus unquam, nec alij quos nominaui à sua sentētia uel discessissent, uel discedere se saltem ostendissent, Cæsaris quidem pudicitiam lædere non deberent, cum leuissima ducti suspicione, quod rumore incerto perceperant, pro certo asseuerarint: uel quem priuatis simultatibus indulgētes, ueris probris perstringere non ualebant, commenticijs saltem malignissimè lacerarint. Alioqui si tam facile fides eius ordinis calumniatoribus præstanda erit, eiusdem flagitij accusabimus Magnum Alexandrum, cui quid de Aristotele obiectum fuerit, uos nequaquam fugere conijcio. Nam de Annibale Hanno Barchinæ factioni inimicis-

ſimus, in ſenatu Carthaginenſiū (ſi Liuio credimus) ita locutus eſt: Florem ætatis Aſdrubal, quem ipſe patri Annibalis fruendum præbuit, iuſto iure cum à ſilio repeti cenſet. Nos tamē minime decet iuuentutem noſtrā pro militari rudimento aſſuefacere libidini prætorum. Quæ itaque de ſummis Imperatoribus inuidorū uoces in uulgus ſparſere, non ſatis digna ſunt quæ credantur: niſi M. Tullium idem quod Memmius Caluus'que dixerant, de Cæſare ſcribere non ueritum, teſtē omni exceptione maiorem extitiſſe ſomniemus. Quem tamen ego oratoria fide, non quod certò ſciret, ſed quod eius ad quem ſcribebat aures delinire poſſet, epiſtolæ credidiſſe: ſicut & Criſpum Salluſtium mentitum arbitror, cum hæc de Cicerone ſcriberet: Verum, ut opinor, ſplendor domeſticus tibi animos attollit, uxor ſacrilega, ac periurijs delibuta: filia matri pellex, tibi iucundior atque obſequentior, quàm parenti par eſt. De alijs quippe mulieribus à Cæſare & amatis, & corruptis, etiam ſi uultis, ne uerbū quidem, ut eum excuſem, fecero: cum ſpadonem, non uirum, ab alienis uxoribus tam religioſē abſtinere decuerit. Quòd ſi quando, Scælei, incontinentiæ cauſa rei gerendæ occaſionē à Cæſare prætermiſſam fuiſſe oſtenderes, aliquid fortè eius laudibus detraheres. Nam ſedatis rebus eiuſmodi minutias in excellētiſſimo duce carpere, quid eſt aliud quàm Cæſarem taxandi occaſionem undecunque arripere? Dices, in magnis Imperatoribus non tantum militarem uirtutem requiri, ſed & alias animi dotes: quarum non poſtrema ſit hæc de qua agimus cōtinentia. Rectè, ſi de ijs ducibus loquaris, qui aut poſt exactos reges ilico, aut proximis ſeculis floruerunt: nempe cum Curij, Serrani, Publicolæ, Fabritij, & id genus egregij Romanis armis præerant. At ſi ad eos qui poſt maiorem Africanū uixere te conuertas, uix milleſimum quemque comperias, qui pudicitiam putarit ſummum bonū. Quapropter ſi ob talia uiuentiū deſideria Cæſarem floccipendis, uide ne Syllam, Mariū. Pompeium, Lucullum, exteros autem, Alexandrum, Annibalemꝙ puſillos duces fuiſſe credere cōpellaris: quāquam ijdem omnes magis quàm Cæſar, omni rapinarū genere delectati ſint, ſi Pōpeium excipias, cuius naturā moresꝙ iuſta ſtipendia nunquam planè à Senatu negata faciliores meliores'que ſine dubio reddiderunt. Nec enim Cæſar, ut proprijs opibus ſuæꝙ tantū utilitati conſuleret, ſed ut militibus debita laborū præmia redderet, ſimilia (ut paulo ante attigimus) molitus eſt: qui ſi aduerſarijs fauorem, ſupplementa, pecuniamꝙ denegantibus, rapis cū Curio ueſci, quàm auro argentoꝙ ſuorum animos delinire maluiſſet, nō modò non orbis, ſed ne uillulæ quidē in ſummitatibus Alpiū ſitæ imperiū eſſet adeptus. Si ergo multas urbes depopulatus eſt, ingētemꝙ auri ſummā ex ærario abſtulit, fecit quod alij ſolēt Imperatores, quos omnes tam liberalitate quàm bellica laude uicit. De deorū nanque tēplis ab eo expilatis, maius mihi uidetur negociū, quàm quod Cæſari in mentem uenerit. hoc tamē ſuo cuiusꝙ iudicio relinquimus. Illud tum certius, tum ei multo melius fuit, nullis prodigijs à rebus bene celeriterꝙ gerēdis abſtinuiſſe: quod æquè ſibi & fortunā facere, & oblatā ſequi calleret. Cumꝙ Romanus populus eò iam proceſſiſſet auaritiæ, ut honores nō dignioribus, ſed opulētioribus daret, inhoneſta dinundinatione ea uendēs, quæ optimè de republica meritis, aut etiā merituris debebātur, ſi Cæſar priuatus ingloriusꝙ uitā uti pecus traducere decreuerat, prauè tribubus centurijsꝙ pecunias eſt elargitus: ſin uerò id quod aſſecutus eſt, in animo uerſabat, pro temporū cōditione ſapientiſſimè fecit: idē ſi alijs ſeculis, ijs uidelicet quib. publicæ opes magis quàm priuatæ probabantur, Romæ natus fuiſſet, ob diuinū ingeniū, ſingularemꝙ in rebus

omnibus

omnibus animi uigorē, neminem æqualē habiturus. Desine itaq; creditorum illi turbā obiectare, desine legis agrariæ mentionē facere, desine ob Catonē in carcerē duci iussum, quasi ob inexpiabile scelus eū flagitiosum appellare: cum in amplis ciuitatibus huiusmodi semper contentiones inter magnos uiros excitatæ sint, quæ etiam si exactā morum probitatem in quouis integrā esse non sinerent, strenui certè (de quo præcipue agimus) Imperatoris gloriæ parū aduersantur: fieriq; potuisse in animū inducito, ut postquam Cæsar rerū est potitus, nisi scelerate à Bruto cæterisq; coniuratis fuisset occisus, dictaturā deponeret, ad quam quantū in eo fuit, neq; per generi, neq; per ciuium sanguinem, sed per summā humanitatem peruenerit. Et quidem si L. Cornelius Sylla, qui tot hominum millia non in bellis tantū, sed post partam quoq; uictoriam, etiam senatu audiente in Romana urbe immanissimè obtruncari iusserat, qui tot optimorum ciuiū capita fortunasq; proscripserat, qui inquam (ut uerè in tertio de Finibus libro scribit M. Cicero) trium pestiferorū uitiorum, luxuriæ, auaritiæ, atq; crudelitatis magister fuit, dictatura se abdicauit: cur non C. Iulium Sylla multo mitiorē lenioremq;, idem facturū fuisse credemus, nisi sceleratissimorū parricidarū pugiones suo sanguine infecissent? Occiderat Pompeius, seipsum Cato interfecerat, non supererat qui illi etiam priuato nocere posset; quodq; maius est, populo erat carissimus, ac dictaturā non erat depositurus? At Syllam, qui id fecerat, literas nescisse dixerat: & ne quis eius imperio nō pareret, Parthis bellū inferre constituerat? Egregiè. Sed nō temerè percrebuerat, eū uel Alexandriā, uel Ilium migraturū, ac suis ciuibus reipublicæ relicturū habenas: neq; infrequenter factū est, ut excellentissimi uiri sententiā mutarint? Quod si in quoquam credi par est, in Cæsare omnem iam gloriā assecuto, uero est quàm simillimū. Demum si quamdiu uixisset Dictator erat permansurus, hoc certe non est negandū, ita Cæsarē rempublicā fuisse moderaturum, ut post eius mortē pristino statui omnino reddita esset: idq; Cæsar innuebat, quum nō tam sua quàm patriæ, si ipse diutius uiueret interesse, dicere soleret. Ideoq; ut Scæleius nihil unquam præclarius Romę, quàm quòd Cæsar ab impijs ciuibus fuerit extinctus, actum existimat: ita nihil quicquā eo facinore deterius, perniciosiusq; ab illa condita cōmissum fuisse affirmo: nempe ex quo ciuile bellū omnibus præcedētibus pestilentius, & perpetua Romanæ reipublicæ pernicies emanarit. Proinde non Cæsaris contra Pompeium Pompeianosq; uictoriæ æternā Ro. reipublicæ calamitatem attulerunt, sed Cæsaris cædes, non modò non hominibus, sed ne dijs quidem grata, cum plurimis eam prodigijs prænunciarint, de quibus mirificè in Georgicis noster Poeta,

Solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemq;, & operta tumescere bella,
Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine tinxit,
Impiaq; æternam timuerunt secula noctem.
Tempore quanquam illo tellus quoq;, & æquora Ponti,
Obscœniq; canes, importunæq; uolucres
Signa dabant: quoties Cyclopum efferuere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumq; globos, liquefactaq; uoluere saxa?
Armorum sonitum toto Germania coelo

Audijt, insolitis tremuerunt montibus alpes,
Vox quoque per lucos uulgo exaudita silentes,
Ingens, & simulachra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis, pecudesq́ locutæ
Infandùm, sistunt amnes, terræq́ dehiscunt,
Et mœstum illachrimat templis ebur, æraq́ sudant.
Proluit insano contorquens uortice syluas
Fluuiorum rex Eridanus, campos'que per omnes
Cum stabulis armenta tulit: nec tempore eodem
Pinguibus aut extis fibræ apparere minaces,
Nec puteis manare cruor cessauit, & altæ
Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
Non aliàs cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere cometæ.

Hæc ille. Nos autem ut ea, quæ ad Cæsaris uitã moresq́ spectant, missa faciamus, ad ea pergemus, quibus bella prudentissimè ab eodẽ gesta Scæleius deprimere nititur: hac parte illũ maxime carpens, quod nimis solutis liberisq́ militibus usus sit, omniaq́ eis permittens, militarẽ disciplinã uehemẽter corrup-erit: quando & illos unguentis (addã hoc ipse) post confecta bella inungi, & aureis armis fulgentes, in aciẽ procedere passus est. Quibus & illa adijcit, nõ fuisse mirũ si qui tam leuẽ effœminatumq́ haberent Imperatorẽ, pluris eundẽ quàm patriam deosq́ domesticos fecerint: æquũ uideri nullũ supplicij genus eius causa recusare debuisse, à quo omnibus rapinarũ generibus cõmissis, non modò non leuiter puniti sint, sed insuper collaudati discesserint, & reliqua his similia. quæ tamẽ ego sic accipio, ut quum nullũ unquam Imperatorẽ promptiori militum opera quàm Cæsarẽ usum legerim, non ad has nugas, sed ad alias illius uirtutes tanti militũ amoris, tantæq́ fidelitatis causam referã. Si quem enim tam oscitabundũ mihi ducem proponas, qui militaris disciplinæ uel ignarus, uel etiam oblitus, milites in omne corruptelæ genus prolabi patiatur, nunquam ab eo quicquam memoria dignũ gestũ fuisse comperies: cũ autem Cæsar omnes reges imperatoresq́ uictoriarũ tum multitudine, tum magnitudine superarit, nihil ab eo quod militaris disciplina exigat unquam fuisse omissum fatebimur. Qui enim corruptiores quàm par esset milites reddiderunt, magnis freti copijs nunquã paucis bene institutis exercitatisq́ restitere. At contrà, qui cũ exiguis longè maiorẽ hostiũ numerum semper fudere, non dissolutos, sed maximè astrictos milites habuisse dicentur. Aut ergo uictorẽ Cæsarem omnibus egregij Imperatoris in suos muneribus perfunctũ, aut uictum Sardanapalo in bellis uiliorem fuisse, uel nolentes concludetis. Nam mihi, quòd eius milites herbarũ radicibus in Pharsaliæ campis per multos dies uictitasse, aliaq́ quàmplurima incõmoda libenter pro Imperatoris gloria subijsse non ignoro, nouũ non uidetur, si ab omnibus prælijs superior discessit. Quòd igitur ad solã fortunã felicia fortiaq́ Cæsaris gesta retulit Scæleius, uehementer fallitur: sicut aberrat toto cœlo qui fortunã æqualem sibi cũ exercitatione, prudentia, animi ardore, & exactissima rei militaris peritia locũ uendicare nõ autumat. Hinc perfectũ ducem, quin idem fortunatus fuerit, esse non potuisse ueteres crediderunt: & Cæsar ipse fortunam plurimum in bellis ualere confessus est. Quocirca ut magnopere laudatur, qui secundã fortunam sequi nouit: ita maximè damnatur, qui oblatã è manibus dimittit. nam qui illa renitente quicquam molitur, si reliqua eximij ducis

munera

munera obierit, ut militaris rei peritus commendabitur: ut uerò parum fortunatus, ad summũ Imperatorum subsellium non ascendet. Nec porrò cum fortunam Cæsari semper fauisse dixi, quicquam cæteris eius uirtutibus detractum uolui, qui illam rebus ab eo promptissimè prudentissimeꝗ gestis unicũ condimentum accessisse contendo. Quamuis enim non parum ei (ut dictum est) tribuerit Cæsar, quando tamen inertiæ socordiæꝗ accusari potuit? An unquam fortuna fretus, deorum opem expectans, à rebus celerrimè cautissimeꝗ administrandis, periculis præcauendis, aut insidijs hosti parandis destitit? An nõ potius, quũ fortunã suis rebus aduersantẽ cõspiciebat, eandem in sua castra reuocare conabatur? Verũ & illud parum prudenter à Cæsare factum putat Scæleius, quod grauibus sæpe se periculis opposuerit, inclinatã aciem restituens. Enimuero nõ tam leue est, inquit, Imperatoris munus, cui rerũ sũma incumbit, quòue incolumi cõseruari, occiso uix ab ultima clade eripi exercitus possit, ut in primam aciem procedere, ac se cuiuis discrimini debeat offerre. Nõ pessimè tu quidem Scælei, si primo acierũ cõcursu, atꝗ(ut multo plus tibi concedam) in æqua li prælij sorte talia ducibus præcipias. At si retrocedentibus, aut laborantib. aut segniter pugnãtibus militibus, pulchrũ ducis Imperatorem, ne periculis obnoxius reddatur, inter ultimos sedere, uide ne summũ Imperatorem, summũ existimes nebulonem. Nõ est improbandus, qui exercitus curam gerens, cautè & in pugna, & extra pugnam, quæ ad suam ipsius militumꝗ salutem spectant, administret. Si quando tamen intensiorem illius operã res desideret, nõ pericula euitando, sed periculis se cum cæteris offerendo, militesꝗ uel hortando, uel etiam ad pugnam retrahendo uictoria acquiritur. Atqui frequentius hoc Cæsar factitabat, quàm ut Imperatoriæ dignitati conueniret, inquis: cumꝗ Apolloniæ sederet, non ignarus mare ab hostiũ classibus teneri, paruam scapham uelatus cõscendit, quamuis multo tutius castris se continere posset. Bene sanè, si propulsando, quàm inferendo bello Cæsarẽ aptiorem fuisse persuasum habeas. Cæterũ ille omnia per quæ bella prosperè geruntur adprimè tenens, maluit aliquid præter omniũ opinionem moliri, ut reliquũ accerseret copiarũ, quàm in castris inimicorum probris expositus imbellis sedere, quantũ momenti bellicis rebus afferat prælium, uel semel ab hoste detrectatum, sæpissimè expertus. An si ueniente in Italiam Asdrudale Amilcaris, Claudius Nero cõtra Annibalem semper, prout Romanarũ rerum conditio & ducis officium exposcere uidebatur, cũ exercitu in castris stetisset, nouas Carthaginensiũ copias cum ueteranis Annibalis copijs coniungi passus, aliquam sibi gloriam, aut patriæ salutem peperisset? Annibali maxime excellenti Imperatori cum cõsularibus copijs erat oppositus. ab eo pugnæ auidissimo sine magna tum temeritate, tum patriæ clade ne minimũ quidem recedere posse uidebatur, nisi suos Annibali prædam reliquisset. Postquam tamen Asdrubalis ad fratrem literas intercepit, quibus illũ ut præsto esset, uenientiꝗ quàm primũ posset coniungeretur, iubebat, rei magnitudinem secũ reputans, ordinaria consilia postponenda, atꝗ aliquid improuisum audendum censuit: cumꝗ sex peditum millibus, ac mille equitibus, hoc est cum exercitus robore per lõga itinera in Picenũ profectus est, hostemꝗ collegæ additus cum omnibus copijs deleuit. Si rem expendas, nihil unquam magis temerariè factũ fuisse dixeris. Castra namꝗ sine uiribus, auspicio, imperioꝗ relicta, quid magis Annibali, quàm tutam direptionem pollicebantur? Neꝗ in proximã urbem Nero postridie aut perendie ad summũ reuersurus concesserat, sed in Picenũ, unde cæso Asdrubale, eiusꝗ exercitu, uix sex diebus citatissimo agmine ad

ſua ſtatiua reuerti ualuit: incredibilem patriæ calamitatē allaturus, ſi (quod factu facillimū erat) aliqua eius diſceſſus ſuſpicio ad Annibalis aures perueniſſet. Aut enim cum exiguo militū numero ad Salinatorem contendentem eſſet aſſecutus, aut cū fratre ſe ſaltem (quod Romanis funeſtiſſimū erat futurum) properè coniunxiſſet. Eo tamen cōſilio nihil quicquam Ro. ciuitas ſalubrius opportuniusq; unquā uidit: quamuis eadem nunquā ferè alia de cauſa magis ſuſpēſa ac ſollicita fuiſſet, cū per omnes dies ex quo Claudij profectionē acceperat, neque à Curia ſenatores, neq; à foro populus, neq; à templis matronæ dijs ſupplicantes abfuerint. Ergo fortunæ aliquādo credere, atq; id audere oportet, quod antea inimicis obſit, quàm ij te tale quidpiā auſurū cōiectentur. Hęc habui, quę de temerarijs Cæſaris (ut Scęleius interpretatur) cōſilijs dicerem: ne quid unquā ab illo temerè factū credatis. Alia quippe leuiſſima, quod ſcilicet in Britāniam, nō gloriæ, ſed margaritarū cauſa nauigarit, & ſimilia, plurib. non diluam: cum Cęſaris calumniatores (inter quos Scęleiū nomen nō dediſſe ſat ſcio, licet in illū acriter pro præſentis negocij ratione ſit inuectus) nō modò ſi qua rectè forte in Cæſare erant carpenda, apud Ro. populum traduxerint, ſed quæ humanū captum ſuperabant, eadē maledicētia lacerarint: maxime digni, quib. nō aqua & igni, ſed cœlo ac terra ob tam iniquas frigidasq; cauillationes fuiſſet interdictū.

FRANCISCI FLORIDI SABINI DE C. IVLII CAESARIS PRAESTANTIA LIBER SECVNDVS.

QVAE cum dixiſſem, finem ego tum Scæleius: Non paucioríb. ſanè uerbis Floride, inquit, quæ Cęſari uituperatione digna obiecerā, purgare conatus es, quàm antea bellica eiuſdē geſta, aliasq; uirtutes extuleras. Verū idem mihi Cæſarē impetendi, qui tibi defendendi eſſet locus, niſi longū planè iter Lando Arlenioq; ſupereſſe uiderē. Quapropter de his aliàs cōmodius, diffuſiusq;. Nunc quando de ſūma uiri probitate, parſimonia, continentiaq; admodū (ut uideo) nō laboras, tuū fuerit Lande, ne hic dies re infecta elabatur, excellentiſſimos Ro. duces nominare, ne Cæſarē primū ſibi inter eos locū temere aſſumere patiamur: cū nec Gręcus in hac ſententia, nec Latinus (quod ſciā) quiſquā fuerit: nec Lucianus de maximis ducib. agens, aliquā Cæſaris mentionem fecerit. Ego uerò, inquit Landus, in tam patentē campū uix pedē inferre auſim: tū quod nō ſatis mecū cōſtitui, quoſnā potiſſimū ex tā magno ſtrenuiſſ. uirorū numero Cæſari opponendos, aut potius præponendos deligā: tū quod eorū quos delegero res geſtas, qui inermis cū paratiſſimo ſim cōgreſſurus, ſeriatim explicare nō potero. Tunc Arlenius: Quandoquidē, inquit, hoc argumentū tractandū ſuſcepimus, nō eſt quòd te huiuſmodi excuſationib. defendas Lande. Nā neque ipſe te inſtructior huc ueni, neq; nobis ne memoria labamur uerendū erit, ſi in uulgatiſſimis reb. uerſemur. Proinde eos duces, qui in ueteri Ro. republica floruerūt, ſi ſapis, omitte: atq; ad eos, qui uel maioris Africani ætate, uel poſtea uſq; ad Cæſaris imperiū uixere, orationē cōuerte. Nā & illuſtriores, magisq; ob ciuilia bella notas hiſtorias habebis: & eos qui à Scipionis ſeculo uſq; ad Cæſarē bellis ſe gerēdis emanciparūt, longe cæteros bellica gloria ſuperaſſe opinor. Et Landus: Inter ſaxū & ſacrū ſto, inquit, Arleni, animiq; nō mediocriter pendeo. Si enim ueteres omnes duces, qui ante maiorē Africanū Romæ fuerūt, prorſus omiſero, nō me latet, quantū iacturæ in hac diſceptatione ſim facturus: ſin minus, per obſcuriora rerū monumēta abſq; aliquo nominis diſpendio uagari nō licet.

licet. Itaque quid primum incœptem, quid prætereundum existimem nescio. Enimuero ut Romulum transeam, qui nullum unquam opus diuinæ originis fidei absonũ edidit, quo piaculo taceam Furium Camillum, unicum suis temporibus in omni fortuna principem, paceque nõ minus quàm bello insignem, atque (ut paucis rem absoluam) secundum Romæ conditorem? Equidem si ad paulo eminentiorem gradum, quum Camillus floruit, res Romanæ fuissent euectæ, nulli eum, qui ob res in republica domi belliq; feliciter ac prudenter administratas fuerit commendatus, postponendum esse asseuerarem. Quòd si & hunc æquo animo relinquerem, alios certè, qui propemodum sunt infiniti, & Camillo nulla propè arte inferiores, omnibus rationibus maximè inuitus præterire cogerer: nisi forte nõ præstaret mutũ esse, quàm Valerium Publicolam, Martium Coriolanum, M. Curium, C. Fabritiũ, Valerium Coruinum, Manlium Torquatum, duos Decios, Quintiũ Cincinnatum, & mille huius ordinis dictatores, consules'ue, ubi de summis Imperatoribus agis, non nominare. Sed quòd temporis mihi angustia præreptum uidetis, ne tam insignium uirorũ gloria fultus, Cęsarem in postremam ferè Imperatorũ classem reijciam, ad eos quorum gesta ob Romani imperij magnitudinem ampliora uidentur, sermonem dirigam, quod per antiquiores duces prohibeor, per recentiores absq; dubio cõ uicturus. Tunc ego: Nõ est, inquam, Lande, cur tibi ob priscos, quos nominasti duces, tantopere placeas, nisi de frugalitate forte, nõ de bellica laude inter nos agi censes. Vt enim eos Imperatores, quos à Romuli ætate ad Africanũ usq; Roma produxit, patriæ amantiores continentioresq; ijs, qui secundi belli Punici temporibus, aut postea uitam duxere, fuisse fortè nõ negarim: ita gerendorum bellorũ difficultatem æqualem inter eos extitisse, affirmare non uerebor: cum magis uni Fabio Maximo, aut Scipioni in reprimendo uincendoq; Annibale, quàm omnibus fermè qui eos ætate præcesserant, in cunctis simul bellis fuerit laborandum. Iccirco neq; illorum quenquam si maximè posses, cum Cæsare abs te cõferri paterer, nec plerosq; qui post Scipionem egregij in republica habiti sunt: quales fuere T. Quintius Flaminius, Valerius Leuinus, Fuluius Flaccus, Cẽsorius Cato, & quotquot in eodem imperatoriæ excellentiæ gradu sunt collocandi. An reris fortè, si Mariũ, Syllam, duos Scipiones, Marcellum, Sertoriũ, Pompeium, Cæsari nõ esse æquandos ostendero, eos quos te inuitum omittere prædicas, non eidem esse cessuros? Cæterum ad rem tandem est deueniendum, nisi Arlenium ab exteris initium capere mauis. At ego nõ ea conditione hoc oneris susceperã, inquit Landus, ut mihi quos producturus, quósue extra ordinem sim positurus, tanquam edicto præciperetur. Vestrũ tamen iudicium Floride, atq; Arleni sequar, nõ quòd uestræ me sententiæ obstrictum iudicem, sed quod tempori magis quàm animo obsequi compellar: quamuis nõ prorsus aspernanda sit illa ratio, libenter omnes ei primum locũ delaturos, qui eis quos tu modò nominasti Floride, maior decernatur. Porro autẽ sicuti mihi unde operis caput ducerem proposuisti, ita nobis abs te ignosci æquum fuerit, si qua præclara eorum, quos contra Cæsarem producam Imperatorũ facinora nobis exciderint. Quamuis enim celebratas ab omni scriptorum genere historias sim percursurus, non tamen tanti sum, ut singula quæ C. Marius, aut Marcellus, aut Africanus gesserunt, ordine à me reddi posse confidam. Verũ utcunq; res mihi cesserit, à Q. Fabio Maximo initium sumam, memorabilesq; eius labores aduersus Annibalem multorum consulariũ exercituum sanguine madentem, secundo bello Punico susceptos, quàm paucissimis potero explicabo. Hoc in hu

ius rei

sus rei principio testatus, ab eo non pugnante, sed pugnam quasi patriæ perniciosam declinante, Romanam rem periculosissimo tempore pependisse, ut nõ minus eleganter, quàm uerè de eo illa scripserit Ennius:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem,
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo postq; magisq; uiri nunc gloria claret.

Et eum imitatus Virgilius:

Quo fessum rapitis Fabij? tu maximus ille es,
Vnus qui nobis cunctando restituis rem.

Et utrumque Ouidius:

Scilicet ut posses olim tu Maxime nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Tunc ego: Frustra, inquam, Lande bonam diei partem in recensendis Maximi laudibus consumpseris. Vti enim illum in bellis magis cautè quàm promptè gerendis excelluisse non nego, ita dignũ esse inficior, qui cum Cæsare conferatur: quanquam primus Annibalis furorem compescuerit, nõ bellicæ fortunæ se cõmittens, sed prælio tantum Pœnorũ Imperatore sæpissimè prouocante abstinere doctus. Parũ namq; summo de quo agimus Imperatori cõuenire arbitror, ab hoste tantũ cauere posse: nisi fortè Annibalem ex Italia eijci ualuisse credamus, si à solo Fabio respublica quamdiu ille Romanis terrori fuit administrata esset, ac non potius perpetuũ sibi ille in ea domiciliũ delegisset, nisi M. Claudius Marcellus, Q. Claudius Nero, Fuluius Flaccus, & demũ P. Scipio Africanus non cunctando, sed hostem frequentibus prælijs uincendo cõtudissent. Quare sicut primis illis temporibus, quibus post pugnas apud Ticinũ, Trebiam, Thrasimenum, Cannasq;, secunda Carthaginensiũ fortuna commissas, Romana respublica summopere afflicta erat, hostiq; cum uires audaciaq;, tum patriæ ac magnæ Italiæ partis fauor non deerant, salutare suis fuit Fabij consilium, belliq; gerendi ratio: ita postquam aliqua fortunæ mutatio facta est, Romani'que æquo Marte Annibalem iam lacessere poterant, nihil quicquã eius instituto patriæ perniciosius esse ualuisse, uel ipse uos belli euentus docere poterit: felicior proculdubio Carthaginensiũ quàm Romanorũ imperio futurus, si Fabijs magis quàm Scipionib. circa ultima illius procellę tẽpora creditũ esset. Sustinuerit igitur Pœnorum impetum Fabius, ac pro tempore patriæ salutem pepererit, confecti secundi belli Punici gloria nõ penes Fabium, sed penes Scipionem stetit, cũ quo iuuene senex ille apertissimè simultates exercere nõ dubitauit. Vtq; præter rei exitũ rationibus quoq; meliorem fuisse Scipionis de bello in Africã transferendo, quàm Maximi de Annibale in Italia cõficiendo, sententiam ostendã, ipse Annibal in Africa uictus, quoties cũ ijs apud quos exulabat, de bello Romanis inferendo consultasse fertur, Isthmum eos fodere dixit, qui Romanos extra Italiam superari posse sperarent: cum unica esset illorũ hostib. benegerendæ rei cõditio, si in ipso Italiæ gremio cum aduersarijs pugnando cõtenderent. Nam & Romanis supplementa, aliaq; ad bella gerenda necessaria, si ita fieret, defutura: & quiquid eis roboris decessisset, sibi accessurum: cuius rei exempla à nullo melius, quàm ab ipso Annibale sunt petenda. Iccirco in Fabio diutius nõ immorabere, si eum eminentissimũ esse Imperatorem censemus, qui tam hostibus iniuriã inferendi, quàm ne ab eisdem inferatur pręcauendi artes teneat. Sed & idem tam cautus castrorum custos Annibali frequenter, quasi alter Vlysses obiectus, notissimi ducis calliditate facillimè in insidias perduci potuit, nisi fortuna magis Romanarum rerum, quàm Fabij rationem habuisset. Hoc pacto quem ipse Pœnorum Imperator primo sibi parem, mox Romanum appellauit

Anni-

Annibalem, non modò bello hosti inferendo parum idoneum fuisse, sed in ipsis cauendi artibus quandoque capi ualuisse discimus. Nunc si quos præterea habes Lande, quos Cæsari uirtute gloriaq; æquales existimes, protinus eorum quempiam in campum expedi, ne à proposito diutius absistamus. Ad quæ. Landus: Si ita, inquit, Floride inter nos agetur, ut quamprimum quenquam cum Cæsare comparandum in aciem produxero, e uestigio eum indicta causa tute actor, reus, aduocatus, iudexq; damnes, non modo non inter mortales, sed nec inter deos quidem aliquem me Cæsari similem reperturum pollicear. Antiquiores omnes præterij, ad recentioresq; tuam itidem sententiam secutus animum appuleram. Sed ut uideo, nec horum quoque quempiam probas. Iam si eodem animo cæteros, quum ad recensenda eorum gesta ueniemus, confestim respuere pergis, non est quod uel ego, uel hic Arlenius quicquam operæ in perquirendis aliorum egregijs facinoribus insumamus. Tu uero longe tibi melius consules, si absq; aliquo certamine hanc Cæsari palmam deferas, quando nihil aduersus eum adduci pateris, nisi Arlenius fortè Scęleiusq; tuum institutũ aliter interpretentur. Tum Scæleius: Vt pro utroque nostrum, & pro Florido etiam respondeam, inquit, quoniam multos Lande Fabio pares ob paulo obscuriores uictorias in hoc argumento silentio inuolutos relinquere decreuisti, & plurimi restant, qui maius Cęsari quàm mille Fabij negocium exhibeant, ob unum ducem, quem reuera nec ipse quidem Cæsari æquandum iudico, Florido tantopere succensere non debes: quem quidem ego patienter fortia reliquorum Romanorũ facta te eorum causam agente auditurum, pro certo asserere ausim, siquidem ęquali inter nos iure actum iri cogitat. Quòd si quem post hac dum tu excellentes nomine antè reiecerit, quàm omnes ipse eius uirtutes fueris complexus, ab incœpto iustissima causa poteris desistere. Sed age tuum iam munus prosequere, ne hos qui adsunt, auideque adeò hoc certamen expectant, diutius eo defraudes. Et Landus: Ego uerò, inquit, ad rem redeo, ac Fabio posthabito, ad M. Claudium Marcellum, qui ijsdem temporibus uixit, strenuamq; patriæ contra Annibalem defendendæ operã nauauit, Romanorum gladius sic appellatus, ut Maximum eorundem clypeum dictum scimus, deuenio. Et quoniam alia memoratu digna ante secundum Punicum bellum gessit, paulo altius ea repetens, quantum gloriæ sint promeriti qui aduersus Gallos feliciter pugnarunt, multis uerbis nõ explicabo, cum Floridus Cæsaris res mirũ in modum extollens, hoc eum nomine præcipuũ inter duces fuisse ostenderit, quòd Gallos militari laude maximè insignes sæpenumero fuderit, fugarit'que. Exceperat itaque primum Punicum bellum, secundo tandem & uigesimo anno à Luctatio Consule perfectum, Gallicum bellum, tanto priore periculosius, quanto maioribus cladibus à Gallis, quàm uel à Pœnis, uel ab alia quauis natione Romana ciuitas fuerat affecta. Cum'que id non modo per se maximè molestum, uerum etiam quod Punico succedebat, futurum appareret, tantum certè curæ sollicitudinis'que Romano populo iniecit, ut nunquam aliàs tantũ Romanorum militum simul in armis fuisse, neq; ob alium belli tumultum maiorem uel minimis prodigijs fidem adhibitam esse memoriæ proditum sit. Plerisque autem in tanto terrore uel ad consulatum, uel ad dictaturam assumptis, magistratu se tanquam uitio fuissent electi abdicare iussis, non alij quàm Marcello, tanti belli confecti gloria à dijs concedi uisa est. Quam cum illi pax petentibus Gallis postmodum à senatu concessa frustra extorquere tentasset, eadem mox irrita à duabus illorum nationibus facta, egregij facinoris maturandi occasionem

sionem Marcello obtulit. Insubrium enim ac Gessatarum belli innouatorum ingens numerus (quando sexaginta aut circiter armatorum millia in Romanū nomen conspirauerant) Briomato rege ad Padi usque ripas excurrerunt. Quibus Marcellus à senatu cum collega oppositus, apertissimè docuit duos Romanos C O S S. adeò inter se fuisse dissimiles, ut eorū alter cum exiguis copijs magnum hostium numerum fuderit, alter cum duobus exercitibus hostium sine rege relictorum impetum ægrè sustinuerit: intra exiguum tempus proculdubio debellandus, nisi solum redeuntis Marcelli nomen hostes uertisset in fugam. Ac ne quis magis fortunæ id miraculo, quàm Marcelli uirtute accidisse conijciat, nescias quid in eo prælio quo cum decem hominum millibus à Marcello uix sexcentos pedites, tertiam'que Romani equitatus partem secum habente apud Clastidium obtruncatus est, magis admireris, ducis'ne in conficiendis per dies noctesq; itineribus celeritatem, an pugnæ euentum, an propriam ipsius Marcelli in singulari cum Briomato concursu animi uigorem primum extollas. Et quidem ut prælij exitus talis fuit, qui uix fidem mereatur: ita sumpta quoque ab inimicorum rege opima spolia, ad Iouemq; Pheretrium lata, minimè uulgarem M. Claudio Marcello tanti decoris fortunam dedere: cum per tot annorū spacium, quibus Romana arma per totum terrarum orbem uagata sunt, duo præter eum in infinita multitudine illius doni compotes facti fuerint, Romulus urbis conditor, Aulus'que Cornelius Cossus. Hinc apud nostrum poëtam Anchises Marcellum celebrans, inter raras eius uiri dotes hanc, quasi omni admiratione maiorem recenset, quum ait:

Aspice, ut insignis spolijs Marcellus opimis
Ingreditur, uictorq; uiros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu,
Sistet eques: sternet Pœnos, Gallumq; rebellem,
Tertiáque arma patri suspendet capta Quirino.

Atque ut obiter, antequam reliqua Marcelli gesta persequar, Virgilium rectè, appositeq; tumultum in suis carminibus posuisse doceam: tumultum nō ob alias quàm ob Italas Gallicasq; nationes à Romanis dictum fuisse, scire operæpretium fuerit, quod Seruius Grammaticus Maronianum uersum enarrans attingit: Cicero autem in octauæ Philippicæ principio tam exactè declarat, ut nihil in eius uocis deductione significationéque uel Momus desiderare queat. Ipsius de ea re M. Tullij uerba hæc sunt: Belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant, tumultum appellari malebant: ignari non modò rerum, sed etiam uerborum. Potest enim esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest. Quid enim est tumultus? nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus. Itaq; maiores nostri tumultum Italicum, quòd erat domesticus, tumultum Gallicum, quòd erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant. Grauius autem esse tumultum, quàm bellum, hinc intelligi licet, quòd bello Gallico uacationes ualent, tumultu non ualent. Ita fit, quemadmodum dixi, ut bellum sine tumultu esse possit, tumultus sine bello esse non possit. Hæc ille. Nos ad Marcellum reuertimur. Obtruncato Briomato, interfectisq; qui cum eo fuerant omnibus, statim ad collegam reuersus M. Claudius, quem antea plurima militum Romanorum millia male protexerant, sola tanti prælij fama ipse tutatus est. Administratis ergo tam strenue Romanis rebus, iustissimo triumpho dignus habitus, non minor postea contra Pœnos pugnans est cognitus. Irrumpente namque in Ita-

in Italiam Annibale, cū classe in Siciliam profectus, ubi ingentem illam cladē Varronis temeritate in Apulia à Romanis acceptam audiuit, uictorem quamprimū ad urbem, hoc est ad belli caput accessurū ratus, milites qui patriæ præsidio essent misit. A qua mox in Italiam reuocatus, multas urbes in officio tenuit, Annibalisq; milites impunè quócunq; uellent excurrentes compescuit: quódque per id tempus gloriosissimum fuit, Nolanis rebus compositis, Samnitium Caudinorumq; ueterum populi Romani hostium campos sic ferro atq; igne in Annibalis oculis uastauit, ut Samnio antiquorū malorū memoriam, quum nihil minus suspicaretur, renouauerit. Sed & cum ipsum Pœnorum ducem cum omnibus copijs rerum gestarum splendore contra se irritasset, unicæ tantum legionis atq; equitum alæ legatus, non tumultuarij prælij genere tantum, sed collatis signis iusta acie eum uicit. Quæ res tantum spei Romanæ urbi in afflictis rebus tulit, ut qui in summam rerum desperationem uenerant, pristinas uires animo receperint, neq; postmodum tam de tutandis patriæ muris, quàm de eijciendo ex Italia hoste fuerint solliciti: adempta unius Marcelli uirtute Annibali ferocia, & uirium portione. Siquidem prçter insperatam uictoriam, Pœnosq; in acie cæsos, magnus Hispanorum Numidarumq; equitatus Romani ciuis excellentiam admiratus, Carthaginensium militiam reliquit, atq; ad nostros transfugit. Sub quæ Marcellus cum Fabio Maximo consul creatus, secundò Annibalis Nola potiri cupientis conatus infregit. tertiò autē eódem reuersum, quanta dij boni industria, quo animi ardore superauit? Nonne si Claudius Nero cū equitatu ab eo nocte emissus, ut Pœnos circumuectus occultè subsequeretur, consertoq; prælio à tergo hostes inuaderet, illius mandata diligenter fuisset executus, parem Cannensi cladem Pœnis reddidisset? Si rem excutias, qui sequenti die ad pugnā prouocatus castris se continuit, quasi dicas tacita confessione uictus, tertio uerò è Romani Consulis conspectu sese noctis silentio surripuit, quamprimū prælium initum est, prorsus debellari potuit, nisi Neronis error illi quidem salutem, Romanis autem calamitosum bellum in multos adhuc annos produxisset. His gestis, cum à Fabio Casilinum oppugnante optio ei data esset, uellet'ne ipse, si res ab Annibale tutæ uiderentur, cū copijs ad idem oppidū contendere, an Gracchum potius accersendum duceret, illico ad collegam aduolauit, ne qua in re, quamuis exigua, patriæ deesset. Illius ergo profectio eiusmodi fuit, ut Fabius à munitissimo oppido eodem ferè pacto, quo sæpe Annibal à Nolæ muris fuerit recessurus, nisi Marcelli sententia (qui præstantius esse aliquid non inchoare, quàm inchoatum turpiter infectum dimittere, aiebat) retentus, Casilinum eodem auctore diripiens, suis ingens gaudiū attulisset: Carthaginensibus autem tum præsidia, tum Italicarum nationum, quæ frequentes ad Annibalem defecerant, fauorem minuisset. Ita confirmata M. Claudij solertia promptitudineq; Romanarū rerū summa, ortoq; in Sicilia post Hieronis mortem nō aspernādo bello, solus M. Marcellus illud uel sedaturus, uel breuissimo tempore confecturus, in tanta ciuium frequentia senatui uisus est. Ideóq; in Siciliam cōmuni omnium consensu missus, ita suorū expectationē frustratus non est, ut in munitissimæ urbis obsidione omnia quib. in maritimis terrestribusq; oppugnationibus ueteres utebantur expertus, nō Siculorum robore astutiáq;, sed Archimedis nobilissimi mathematici scientia superatus, Syracusarum per uim potiendarum consilium abiecerit. Cæterum neq; Briarei (sic enim Archimedem Marcellus appellabat) machinæ, neq; alius quisquam conatus nobilissimam urbem Marcello obsidente seruare potuit, Nam & Himilco à Carthagi-

nensibus pro recuperanda Sicilia auxilióꝗ obsessis ferendo in eam prouinciã cum magnis copijs descendens, Romanũ Imperatorem ne lacessiuit quidem: & quotquot eum in Siciliam euocarant, nihil ausi sunt (ausi sunt uerò etiam extrema) quod uel leuissimam Marcello terroris scintillam iniecerit. Deniꝗ reducta in Romanorũ potestatem tam celebri urbe, nihil immane, quod uè admodum reprehendas, in Syracusanũ populũ, quem sub corona uendere, ac ferro iure belli absumere ualebat, uictor edidit, ut Romanorũ & uincere & cum uictis humanissime agere peculiare esse ostenderet. Edicto enim uetuit, ne liberis corporibus noceretur: cætera autem sæpe militibus promissa, eorum prædam esse uoluit, quia iam uetare non licebat. Quæ cuncta cum omnibus numeris absolutum Imperatorem patefaciant, illud certè uel ipsa Syracusarum expugnatione præclarius iudicatum est, quod Archimedis, cuius opera tantum laborũ exhauserat, interitum ægerrimè tulit, eiusꝗ propinquos diligenter quæsitos, quasi alter Alexander in Thebarũ direptione maximis honorib, ornarit. Plura Marcelli clementiæ erga Siculos exempla proferrem, si hominis me uitã uobis narraturum pollicitus essem: eaꝗ de causa neꝗ illius in Albano agro triumphum, nec in uictos, qui eum Romam accusaturi uenerant, moderationem multis recensebo, ut ad Annibalem, à quo aliquandiu abfuimus, cũ ipso Marcello redeamus. Atꝗ ille quidem cum ab hoc uno antea uinci consuesset, per id tempus, quo Marcellus in Sicilia fuit, magis ab alijs tumultuario præliorũ genere, quàm instructa acie prouocatus, tum superior semper discesserat, tum Cn. Fuluiũ proconsulem recens, cum duodecim tribunis militum, & multis Romanorũ, sociorum'que millib. interfecerat, nõ antea Romanos timuit, quàm cum Marcello sibi negocium esse intellexit. Nec immerito. Quandoquidem non casu, aut leui certamine, sed parati collatis signis, omnibusꝗ belli neruis intentis ad Numistronem cõgressi, tam ardentem obstinatis animis utrinꝗ pugnam excitauere. alter, ne frustra summũ in se contra Annibalem præsidium patria collocasse uideretur: alter uerò, ne qui alios omnes uicerat, ab unico Marcello superaretur, ut noctem atrocissimum prælium dirimere oportuerit: cuius gloria cui fuerit assignanda, sequenti die declaratum est. Instruente namꝗ super defunctorũ cadaueribus exercitũ, manusꝗ conferendi copiam faciente Marcello, Pœnus non tantum pugnam detrectauit, sed Romanum cõsulem magnis itineribus fugit: insequenti quoꝗ, quoties leuibus prælijs concursum est, nunquam par. Quib. de causis absens quartùm Cõsul ab Romanis dictus, Cannusium, ut nullũ Pœno respirandi ocium daret, se contulit. Quodꝗ castrametandi etiam ei facultatem eripere nitebatur, cum eo usꝗ ad noctem conflixit: proximæꝗ diei diluculo ad Annibalem statim conuersus, ita illum irritasse dicitur, ut milites suos, nisi Marcello propulsato, nunquam uel minimum quietis tempus habituros admonuerit. Quare huiusmodi aculeis Pœnorum militibus iniectis, quod ea die parum prosperè à Romanis pugnatum sit, nõ Imperatoris, qui sui semper simillimus fuit, sed militum culpæ tribuendum est: in quibus Cõsul uictos castigans, se Romana arma, Romana corpora dignoscere, Romanos uerò animos in prælij fragore nequaquam perspexisse pro concione affirmauit. At ijs ueniã petentib. nullumꝗ supplicij genus pro male nauata opera deprecantibus, non prius eam se concessurum pronunciauit, quàm aduersi prælij ignominiam æqualem hosti cladem reddendo delessent. Quod & facile sequenti pugna præstitere. Proposito namꝗ ea quæ secuta est die prælij signo, productisꝗ in primã aciem cohortibus, quæ præcedenti prælio uictæ fuerant, cũ iratus Annibal eum sibi oppositum

positum

positū esse diceret, qui nec secundam nec aduersam fortunam pati sciret, tanto impetu Romani in Pœnos inuecti sunt, ut maximam in eos stragem ediderint, ipsi ferè omnes saucij, longe tamen minorem cæsorum iacturam passi. Quæ res Annibalem maximo periculo eripuit. Cum enim fugientem eum ob maximū uulneratorū numerum Marcellus insectari nequiuerit, in diuersas Italiæ partes concedens, defatigatos milites refecit, aliosq; in defunctorum locū conscripsit, & Romanorū sociorū agros latè cæde incendioq; uastauit, nunquam tutus, nisi quū à bellicosissimo consule disiunctus esset. Id uerò non omnibus Romanis utiq; persuasum fuit. Nam post tam egregia facinora, pleriq; Romæ ignauiæ Marcellum calumniati sunt, quasi aut frustra tempus antea cōtriuisset, aut post cruentam uictoriam ocio uoluptatibusq; indulgens in æstiuis inglorius lateret. Quamobrem ipse in patriam reuersus, obtrectatorū latratus quasi uentus folia prostrauit, & quintū Consulatum ingenti populi fauore adeptus est. Cuius initio multas Ethruriæ urbes ad defectionem inclinatas sedauit: ac inde ad exercitum contra Annibalem ducendum profectus, nunquā eum ad iustam pugnā, uel sæpissimè prouocatū elicere potuit: nempe quòd Annibal, qui Fabium se ut magistrum timere aiebat, Marcellū idem ut robustissimū athletam uehementer formidabat, iure 'ne an iniuria nō dicam, cum sit perspicuū, M. Claudiū tanta cum Annibale collatis signis pugnandi cupiditate flagrasse, ut nihil aliud uel uigilans cogitaret, uel per somniū dormiens ageret, tempestiuè intempestiueq; de eadem re cum amicis loquens, & id unū à dijs immortalib. enixè petens. Hoc fermè modo se habent clarissima M. Marcelli gesta' neq; sanè reliquas eius uirtutes his addam, quando de egregio bellatore, nō de eo qui alijs rebus in urbe plurimum ualuerit, quæstionem inter nos incidisse dictum est. Vtq; Cæsarem forte Marcello eruditiorem, ciuiliumq; rerum peritiorem fuisse nō abnuerim, ita maius in hoc quàm in illo animi robur enituit, non contra Antiochum aut Iubam reges, sed contra Annibalem fortissimum callidissimumq; hostem. Nisi itaq; quicquam horum falsò à nobis prolatum est, quàm rectè Marcellum Floridus Cæsari postponet? An solo eius iussu ducum excellentiam metiemur? Tunc ego: Satis me, inquàm, singulares Cæsaris uirtutes confirmabant, ut omnibus qui unquam fuerunt Imperatoribus eum à me facile antepositū iri confiderem. Verū & illud non parum mihi animorū addebat, quòd licet cum plurimis doctissimis acutissimisq; iuuenibus de huiusmodi negocio agerem, instructus tamen apud imparatos absq; magno labore uoti mihi compos uidebar futurus. Postquam autem primo Scæleium Cæsaris (quæ uocabat) uitia connumerantem, tum Landum Marcelli facta, tanquam ex scripto recensentem audiui, longe mihi secus quàm putaram contigisse uideo. Nec enim me tam promptè Cæsaris gesta, cæterasq; uirtutes percurrisse agnosco, quàm eorū uterq; suo munere perfunctus est. Quòd si Arlenius exterorum ducum fortia facta eadem facilitate retulerit, non uos in hoc theatrum à me illectos, sed me uersutè à uobis in uestram prouinciam adductū uerissimè dicam. Age uerò ad eos formidinem reijciamus, qui turpem debilemq; causam defendentes, magis uerborū illecebris, quàm rei æquitate freti in iudicium descendunt. Nobis enim qui Cæsarem tutamur, ne ipsi quidem historiarū auctores timendi sunt, cū nullam ueritas à quouis hominū genere iniuriam pati didicerit. Marcellū quasi Cæsari parem in medium produxit Landus, Imperatorem plurimis ijsq; insignibus pugnis clarū. At ego eum inter egregios Romanorū duces numerandum semper duxi: & ab ea sententia nunquā recedam, tum quòd sæpissimè cum Annibale feliciter acie

conflixit,tum quod Gallicum bellum maxima celeritate confecit,ipse singulari certamine clarus,aliisq; bellicis uirtutibus cõspiciendus. Quicunq; tamen eum Cæsari æqualem statuere nitatur,operam me iudice & oleũ perdet. Sicut enim eum perfectum ducem nõ dicemus, qui non prudentissimus,idemq; in pugna strenuissimus habitus sit: ita qui harum partiũ utraq; nõ excellet,in summo Imperatorũ subsellio nõ erit collocandus. Quapropter si M. Marcello & animi uigorem,& exactam cum eo prudentiam tribuamus,non qui fuit,sed qui esse debuit illum nobis confingemus: cum manu fortissimus,atq; ad prælia cõmittenda natus,parum cautè plerumq; rem gesserit. quòd ex eius morte non modò in sexagenario duce, sed in adolescente etiam acerrimè uituperanda, non obscure colligitur: quando aduersus Annibalem hostem per multos antea annos uariis præliorũ euentibus exercitatus,facilius in insidias decidit,quàm quiuis imperitus tyro fecisset: improuideq;, ne dicam stulte, seipsum,collegam,filium,ac totam penè rempublicam una opera in præceps dedit. Sed & alia eius non pauca facta magis temeritati,quàm recto consilio sunt tribuenda. An non enim cum Briomatũ Gallorũ regem apud Clastidiũ (nam hoc quasi unicum Marcelli ornamentum Landus multis uerbis extulit) paucissimos milites habens interfecit, reliquasq; eius copias partim fugauit, partim etiam occidit, in maximũ propè discrimen Romanas res adduxit? Quid si à Gallis equitibus,peditibusq; numero multo superioribus,bellica uerò laude adprimè semper cõmendatis,aut captus aut interemptus fuisset? Nõnne Gallicũ secundo Punico bello coniunxisset? An fortè sperandũ erat, Gallos uictoria elatos tantam occasionem Romanos agros infestandi fuisse prætermissuros? Atqui nõ semper ordinariis consiliis me quoq; id asserente ducem uti debere,subiiciet Landus: cũ non semel Romani Imperatores aliquid inopinatũ,periculiq; plenũ ausi,plurimum suis ciuibus,patriæq; profuerint. Egregiè sane: sed eiusmodi rationes tanto minus sunt ineundæ,quànto maiorem suis,si parum prosperè res cedat,iacturam solent afferre. Proinde Cæsarem post inchoata bella ciuilia,quippe cum suas non patriæ res gereret,longe magis excusandum duco,si quando aliquid improuisum tentauit,quàm Marcellum pro Romano imperio ad difficillimam ac propè desperatam pugnam profectum. Atqui & Claudii Neronis (etenim eius quoq; exemplo audaciora Cæsaris cõsilia defendi) in Annibalis fratrem expeditioni æquissima subest causa. Siquidem nisi omnibus eum conatibus antequàm fratri se cõiungeret, opprimere maturasset, actum erat de Romana republica,coniuncto scilicet cum ueteranis Annibalis copiis tam ualido exercitu, ut non sine magna suorum strage eum duo simul consules deleuerint. Nam M. Marcellus cũ duobus iustis exercitibus cõmodius hostes profligare ualuit, quàm ut tertiam equitatus partem,& paucos ducens pedites,incertæ se belli aleæ credere debuerit. Verum ut & id tibi consultissimè à Marcello factum condonem Lande,in aliis quidem ab eo gestis rebus plus audaciæ,quàm prudentiæ dignoscas. Quamuis enim Annibalem sæpè prælio uicerit,nõnunquam tamen ab eo superatus est: quia cõmittendæ tantum pugnæ intentus,non modò ipse oportunas,quæque cautis plerumq; Imperatoribus offeruntur occasiones expectare non nouerat, sed eas aduersario peritissimo duci quandoq; præbuit. Hinc ei non semel cedere coactus est: & ea uictoria, qua acceptam cladis notam omnibus uiribus delere conatus est, sic superior discessit, ut cũ suos plurimis uulneribus domitos in castra reduxisset, Annibalem non ut uictum,sed ut uictorẽ dimisisse uisus sit. Qua de causa perinde eos duces reprehendendos existimo, qui pugnam solũ detrectare sci-

ctare sci-

clare sciant, ac illos qui æquo iniquo'que loco, nullo habito temporum, locorum, hostium'que discrimine, semper in medijs prælijs uersari gestiunt. Cumq; Fabio Maximo cunctante, Marcóque Claudio Marcello bellante, secundi Punici belli temporibus nihil fuerit dissimilius, neuter mihi eorum illius de quo agimus ducis metam contigisse uidetur: quando in altero summum consilium, in altero summum robur, nec minorem promptitudinem desideramus. Quod tamen eorum neuter solus, uterque profecto bellum contra Annibalem simul gerentes præstitere, adiuncto Fabij prudentiæ M. Marcelli uigore atque audacia. Si igitur periculosissimi eius diuturni'que belli perfecti gloriam sibi non Marcellus, non Fabius, sed P. Scipio desumpsit, mirandum non fuit, cum unus præcipuis utriusq; uirtutibus æqualiter præditus, æquè inferre ac propulsare iniuriam sciuerit. Si tamē quem'nam magis probem quæratis, Marcellum' ne an Fabium Maximū, uix satis tam difficilem nodum soluere ausim. Afflictis namq; Romanis rebus, hoc est, post acceptam Cannensem cladem, nemo tutius futurum fuisse Fabio quàm Marcello duce rem geri negarit. At in eo lumi statu, pariq; Romanorū Pœnorumq; conditione, ut suos Fabius à calamitate tutius defendisset, ita M. Claudius facilius forte hostem superare, quàm ab eo superari potuit. Denicq; (quia quot homines, tot sententiæ) non possum non magis Marcello quàm Fabio fauere: nisi præstare dicamus, perpetuò in castris sedendo torpore confici, quàm audendo & feliciter sæpe pugnando belli fortunam tentare. Ipse quippe Annibal Fabij prudentiam nunquam admodum timuit, nōnunquam etiam elusit. At Marcellum frequenter uictorem aliquando uitauit, plerumq; uerò citatioribus quàm tantū ducem deceret itineribus fugit: in illo astutiam singularē, audaciam nullam prorsus: in hoc uero ardorem semper, prudentiam autem minimè cōtemnendam quandoq; admiratus. Sed ne in huiusmodi comparatione diutius morer, cū paulo ante Fabium cunctandi tantum artibus instructum, negarim dignum esse qui cum Cæsare cōferatur, idem de Marcello affirmare non dubito: tum quod Cæsar secundorū præliorum numero eum antecedit, tū quod cautius prudentiusq; pugnans, multo minorem suorū cædem uidit, semper inuictus, semper eodem industriæ fortunæq; tenore, uel postremas bellorum reliquias extinguens. Quòd si M. Claudium corporis robore C. Cæsare meliorem fuisse asseuerare Lande pergas, sic accipito, illi quidem cum paucis communem gloriam ex singulari certamine auferri non licere: huic autem uel pugnanti, uel quæuis alia munera obeunti, non minorem quàm Marcello animi uigorem fuisse. Quid tamen si Cæsar cum eo non esset corporis uiribus comparandus? An ideo Marcellum pluris quàm Cæsarem facere? An quicquam rei summæ detractum putas, si Imperator cæteris necessarijs artibus imbutus, corpore nequaquam sit ualidissimus? Non her cle tales esse exercitibus duces scimus, qualem irato Achille Græcis Aiacem illum Telamonium fuisse fingit Homerus; hoc est, ut ipsius Homeri uerbis utar, ἕρκος ἀχαιῶν, quippe quo septemplicem clypeū obijciente, omnium Troianorū incursus reijcerentur; alioqui L. Dentatum centies uicies præliatum, octies ex prouocatione uictorem, quinq; & quadraginta cicatricibus aduerso pectore insignem, innumerabilibusq; hastis puris phaleris, torquibus, armillis, coronisq; uirtutis ergò donatū, aut Manlium Capitolinum, aut M. Sergium, quibuscunq; Romanis exteris ue Imperatoribus anteponendos esse fateremur. Nec sum inscius, C. Plinium tantum ei quem nominaui Dentato tribuere, ut illius maximè opera nouem Imperatores, sub quibus stipendia fecit, quosq; triumphantes secutus

d 3 est,

est, uicisse credat: licet minorem esse unius bellatoris, cui totius rei onus non incumbat, operā censeam, quàm quæ toties suis ducib. uictoriam párere ualuerit. nisi forte ij omnes, uilissima militiæ excrementa, stupidè populi Rom. suffragijs eos magistratus adepti fuissent, quos pro dignitate sine uicario gerere nō ualuerint. Sed de his aliàs. Præsenti namq; negotio magis cōueniet Lande, ut si quē habes præterea, quem Cæsari æquandū censeas, eum quamprimū in hoc circo armatū, & cum illo de primatu certaturū statuas, siquidem M. Marcellū nostro Imperatore inferiorem habendū esse haud grauatè pateris. Tum Landus: Pluribus, inquit, M. Claudiū si nō Cæsare maiorem, at eidem saltem æqualem fuisse me ostensurū pollicerer, nisi alij innumerabiles fermè superessent, per quorū unumquemq; ad constitutū locum sine aliquo labore perueniam. Nunc omisso Marcello C. Marium septies consulem, qui uel nominatus Cæsarem perterreat, in campum producam: cum nulla maiorum gloria, sed summa uirtute innixus, Ro. imperium à Cimbrorum Teutonorumq; impetu timentib. patricijs defenderit, de qua re Iunius Iuuenalis non ex parentū prosapiæque nobilitate, sed ex suis uirtutib. homines æstimandos esse admonens, sexta Satyra ita scribit;

Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes, alieno lassus aratro:
Nodosam posthæc frangebat uertice uitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.
Hic tamen & Cimbros, & summa pericula rerum
Excipit, & solus trepidantem protegit urbem.

Si itaq; Marium humili loco natum fuisse fatebimur, multo maioribus laudib. eum qui sibi fortunam fecit dignum, quàm C. Cæsarem, aliosq; tum sanguinis nobilitate, tum bellica gloria insignes asseuerabimus: quia scilicet facilius fuit, patris, aut aliorum qui supra patrem sunt splendore, ac gentis claritate insignibus, ad eminentem gradum peruenire, quàm nouis hominibus, suam tantū excellentiam in magistratuū petitione prætendentibus. Verū hæc Satyrico poëtæ relinquamus. Nos enim ad C. Marij gesta à principio repetenda animū appellere præstiterit. Cumq; egregius Imperator esse nō possit, quin iuuenis militiæ assueuerit, priuatiq; militis officio functus, aliquod futuræ excellentiæ specimen ediderit, eiusmodi ceu fundamentū Marius amplissimis suis reb. iecit: qui cū in Hispania sub Scipione Numantiā obsidente prima stipendia meruerit, omnes qui in eodē exercitu erant adolescentes fortitudine audaciaq; antecedens, adeò suo Imperatori carus fuit, ut illius in se oculos cōuerteret, nō paruis militaribus dignitatib. ab eo ornatus, in cuius conspectu bellicosum hostem singulari certamine confecerit. Quamobrem & Scipionē aiunt, quū interogaretur, quem nā maximum post se ducem Ro. populus esset habiturus, respondisse, eum ipsum C. Marium fore, quo responso, quasi Iouis aut Apollinis uoce inflammatus, ad rempub. animum conuertit: Tribunusq; plebis creatus, neq; spe, neq; metu aliquid, quod æquitatis limites prætergrederetur perpetrauit: quin præturā mox adeptus, ac post eam in ulteriorem Hispaniā missus, eam prouinciam, quæ assiduis rapinis deserta propemodū habebatur, sic prædonib. uacuam reddidit, ut qui rapto antea uiuere pulcherrimū ducebant, nihil magis in posterū quàm latrocinia odio fuerint prosecuti. His à C. Mario editis, Cæcilius Metellus consul ad Iugurthinū bellum ea tempestate grauissimū gerendū à Senatu delectus, eū secum legatū in Africam duxit, nō aliū in tanta urbe cōspicatus, qui Mariū uirtute militariq; scientia anteiret. Verūenimuero cōsul tam iudicio nō uacillauit,

ut quem in bellis strenuū esse audiuerat, in urbe autem ciuilia negocia dextrè administrare cognouerat, longe undiꝗ absolutissimū reipsa expertus sit. Nullum enim periculū detrectādo, sed omnia Imperatoris, legati, militisꝗ munera obeundo, breui Marius à corruptissimo Albini pręcedentiumꝗ ducū (si modò duces uocandi sunt, tam ignaui sordidiꝗ nebulones) inertia exercitu militariū pręceptorū obseruationē seuerissimè exegit, Iugurthā uafrū Regem prospero rerū præteritarū euentu mirificè elatum, manu consilioꝗ uicit, & Romanos (quorū nomē nullius per ea tempora apud Pœnos maiestatis erat) maiores esse docuit, quàm fama unquam accepissent. Quas ob res nihil ei nisi summū imperiū milites deesse rati, assiduis uocibus ei totius belli curā deferendā esse dictitabāt: Romamꝗ ad suos scribentes, Iugurthinū bellū aut C. Mario duce, aut alio nemine confici posse, eos admonebant. Quæ res Metelli ab illo animū eousꝗ alienū reddidit, ut nõ ueritus sit maturus grauisꝗ Consul apertè cū iuuene legato in castris litigare, ac temporis angustijs (quando alia re non poterat) Mariū à consulatus petitione pro uirili excludere: tanquam breui eū summā manū tāto bello impositurū conijceret, cuius per multos menses producti gloriam eidem successori ipsum reliquisse apparebat. Sed qui omnes bellorū difficultates uincere exactissimè nouerat, facillimè ante tempus Romam reuersus est: consulatumꝗ adeptus, extemplo in Africam traiecit, aut mortuum aut uiuum Iugurtham se in triumpho ducturum prædicans. At id non temerè prolatū est. Illo siquidem intra exiguum tempus potitus, in Italiam cum exercitu uictore reuersus, multo maiore terrore Romanum populum liberauit, tanta in Italiam Cimbrorum Teutonumꝗ multitudine irruēte, quantam nunquam antea Romanorū oculi uiderant. Perfecto igitur iustissimo de Iugurtha triumpho, qui illum prius in Africa commorantem retundendis barbarorū uiribus unicum idoneū fore iudicauerant, (quippe non alius fuerat qui in tanta rerum perturbatione consulatum petere ausus esset) eidem confestim contra leges secundū consulatū cōcessere. Postquàm uerò eos qui rectà se in Italiā aduentaturos dixerant, in Hispaniam diuertisse, atꝗ ideo aduentū longius distulisse cognitū est, in tertio eum, postea in quarto etiā continuatis consulatibus confirmantes, manifeste declararunt Romanas res nullis uiribus, nullaꝗ industria stare potuisse, nisi Marium tanquam propugnaculum aduersus tanti belli terrorem habuissent: præsertim quòd plures ferè barbarorū myriades, quàm Romanorum armatorū millia essent, nunquam nisi urbe Roma solo æquata certam sibi sedem deligere constituerant. Huc accedebat, quod hostiū corpora tam procera esse dicebantur, ut Gigantes, non Europei populi iudicari possent. Quare nisi Marius Romanos milites omni studio exercuisset, ac ad omnia pericula subeunda reddidisset audaces, nunquam è tam exiguo nostrorum numero cum tot beluarum millibus concurrente cladis nuncius effugisset. Vtꝗ incomparabilem in illo uirtutem agnoscatis, quum primum de hostium aduentu certior factus est, confestim suas copias in Galliam duxit: positisꝗ apud Rhodanum flumen castris, ampliorem esse barbarorum numerum didicit, quàm ab alijs audierat. Nam hostib. præ ingenti multitudine bifariam se inferentibus, Cimbrisꝗ ad Luctatium Catulum eius collegam, ut transitū in Italiam occuparent profectis, Teutoni Ambronesꝗ per plana diffusi ad Marium commode castrametatum, milites in statione habentem, iter direxere, uix sex dierum spacio Romanorum castra transgressi. Cæterū in tanto rerum discrimine Marij robur consiliumꝗ fecit, ut qui multitudine corporisꝗ uiribus multo erant barbaris inferiores,

animorum ardore, exercitationeq́ ac dexteritate longe eis præſtiterint. Idq́ ex belli exitu perſpectum eſt. Militibus namq́ pugnam auidiſſimè expoſcentibus, è caſtris quibus diu ſe continuerat eductis, ubi ad aquas Sextias hoſtes eſt aſſecutus, nihil temerè committens, primo leuibus prælijs illos uicit: deinde iuſta acie congreſſus, decem hoſtiū myriadas partim trucidauit, partim ui cœpit, facillimam ad reliquos qui ſupererant itidem delendos uiam patefaciens. Niſi enim prius hos Marius è medio ſuſtuliſſet, quàm ad reliquos cum collega occidendos ſe accingeret, nō uideo quo pacto tanta barbarorū colluuies à duobus cōſularibus exercitibus eodem tempore ſuperari ualuerit. Extinctis igitur Teutonum Ambronumq́ copijs, cū Luctatio Catulo Cimbros, hoc eſt, quicquid ex tanto hoſtium numero reliquum erat, prorſus deleuit. Nec me fugit, L. Cornelium Syllam perpetuum Marij inimicū, neſcio quæ de pulueris nube in ipſius pugnæ initio coorta in ſuis Commentarijs affirmantem, ſecundi prælij gloriam non Mario, ſed Catulo tribuiſſe. uerū non ſtatim pro certo habendū autumo; quod hoſtis de hoſte perhibeat: cū Syllam ipſum in proprijs laudibus exaggerandis, extenuandisq́ aduerſarij geſtis modū exceſſiſſe non ſit obſcurū: ut ſcilicet, qui immanitate auaritiaq́ omnibus ſuorum temporū ciuibus erat anteponendus, non magis fidei, quàm mendax Græculus in hiſtoria mereretur, niſi fortè, qui peſſimis animi affectibus magis quàm cæteri duces indulſit, dumq́ nefarias manus ſuorū ciuiū ſanguine imbueret, neq́ deorū, neq́ hominū rationem unquam habuit, rerū ueritati ſuis ſcriptis ac non ſuæ gloriæ conſuluiſſe eſt exiſtimandus. Id tamen quantumlibet iratus Sylla negare non audebit, prius, hoc eſt longe periculoſius præliū ſolo Mario duce inchoatū, perfectumq́ fuiſſe. Ad hæc, quiſnam ex eo & hoſtium audaciam confractam, & Romanorum animos certiſſimæ uictoriæ ſpe erectos fuiſſe inficias ibit? Ideoq́ & Iuuenalis his quos pauloantè recitauimus uerſibus, & hos ſubiunxit:

Atq́ ideo poſtquam ad Cimbros ſtragemq́ uolabant,
Qui nunquam attigerant maiora cadauera corui,
Nobilis ornatur lauro collega ſecunda.

Proinde cum tanti belli tam feliciter confecti gloriam uel fatente inuidia Marius ſibi uendicauerit, eum maximum ducem, Cæſariq́ ſi non præferendum, certè æquandum eſſe non dubitamus, uel ſi nihil aliud in reliqua uita memoratu dignum unquam egiſſet: quando unica ea uictoria nobilior eſt habenda, quàm Cæſarianę omnes. Non pauca & egregia quidem C. Marij facinora, ſextumq́ ac ſeptimum conſulatum, (quæ enim modò recenſuimus, quinto geſta ſunt) quia quæcunq́ poſtea patrauit, Iugurthino Cimbricoq́ triumphis maximè cedunt, miſſa faciam: abunde in duobus difficillimis periculoſiſſimisq́ bellis, quicquid in ſummo Imperatore exigatur, à Mario manifeſtiſſimè oſtenſum eſſe minimè ambigens. Neq́ enim ijs aſſentior, qui ex præliorū tantū multitudine duces eſſe æſtimādos opinantur. Quandoquidē nō omnibus conceditur pluriū bellorū adminiſtratio: & quibis ter ue feliciter pugnans militaris rei ſcientia, magnaq́ uirtute ac felicitate hoſtes fuderit, nō eſt ab optimi Imperatoris ſubſellio remouendus. Atq́ hæc quidē non C. tantū Marij gratia dico, qui aſtutiſſimū Iugurtham, fortiſſimosq́ Germaniæ populos uincens, omnia ſtrenui ducis munera exactiſſimè præſtitit: ſed ut alios de quibus hoc in negocio non agimus, minimè iccirco eſſe reſpuendos credatis, quòd raro quidē, ſed ſingulariter de Romana republica, alijs ue regibus aut ciuitatibus ſint benemeriti: ſicut nō rectè eos ſcriptores cōtēnimus, qui pauca ſcribētes, in ijs plurimū laudētur.

tur. His dictis, cū dicendi finem fecisset Landus, tunc ego: Satis acutè tu quidem, inquā Lande, ubi quæ insignē C. Marij in bellis gloriā felicitatemq; continent explicasti, alia quæ taces, te cōdonare nobis prædicas. Sed cū quæ recensuisti, ex historijs desumpta esse sentiā, qualia illa fuerint prius uidebimus: dein de quæ à te relicta sunt, in medium proferemus: ut C. Marium primis temporibus excellentissimum ducem, postremis miserrimū fuisse dignoscamus. nisi ea maxima miseria non est uocanda, quòd septimo consulatu Romanam rempublicam à Iugurtha iam atq; à Cimbris seruatā propemodū erat euersurus, si deorū prouidentia crudelissimam animā non reddidisset. Nec sanè ob eas causas C. Marium excellentissimū Imperatorem extitisse unquam negaui, uerū ad Cæsaris amplitudinē præstantiamq; peruenisse audacter inficior. At egregius antea miles fuit, inquis, quàm Imperator. quasi uerò noster prima stipēdia in Asia sub M. Thermo prætore faciens, in Mitylenarum expugnatione corona ciuica donatus nō fuerit: aut qui ex prouocatione uictor non discessit, inter parū fortes sit recensendus. Age uerò sint hæc in utroq; paria: cætera Marij egregia facta expēdamus. Iugurthā ille nō tantū superauit, sed & captū in triumpho uinctū duxit, à quo Albinus ac Bestia, & ipse propè Metellus ludibrio est habitus. Vt Calphurnios, Bestiasq; missos faciamus, Metellus quidem talem se in eo bello gessit, qualem egregiū Imperatorem par erat. Nam cū tuus Marius Lande, contra Iugurtham consul missus est, quid supererat Iugurthini belli præter merū nomen? An non rex Numidarū è proprio regno eiectus, nullumq; usquam præsidiū præterquam in Bocho Mauritaniæ rege habens, Metelli consulis prudentia omnibus rebus, sine quibus bella geri non possunt, nudatus erat, quum eius gloriā Marius intercepit? Quòd si C. Marij cōsilio industriaq; factū dicas, ut Metellus ea quæ cōmemorauimus præstiterit, uide ne bellorū curā magis legatorū quàm Imperatorū esse arbitreris. Laudabimus sanè in Metelli rebus gestis singularem C. Marij legati uirtutem: at eorū, quæ Metello duce à Romano exercitu in Numidia gesta sunt, summā cōsuli nō legato assignabimus: quamuis legatorum, tribunorū, centurionum, & exercitatorū deniq; militum opera ducibus maximè sit necessaria. Sedenim ut Iugurthini belli gloria integra ad Marium referenda sit, unius certè belli ea erit gloria, non eius quidem contra Germanos Gallos'ue, aut Hispanos, sed contra Numidarum regem suscepti: qui ut Romanos Imperatores corrumpere aut fallere quiuerit, nunquam tamen is habitus est, qui iusta acie cum bene instructis Romanis legionibus concurrere posset. Denique ut bellum illud maximum, periculiq; plenissimum fuisse concedam, cum unicum tantum sit, non aliud ei adijcies, quàm quo Teutones Ambronesq; apud aquas Sextias pecudum more confodit. Quod enim postea cum Luctatio collega æquato imperio aduersus Cimbros gestum est, Catulum utique, non Marium ornat: quippe qui nullam laudis particulam collegæ relinquere cupiens, cum omnem in cornibus spem collocasset, antè ab illo barbaros fusos fugatosq; uidit, quàm ipse manum cum eisdem conferre cœpisset. Id'que si Syllæ acerrimo eius hosti credere dubitas, uel hæc ita rem se habuisse tibi persuadere debent, quòd Catuli legiones Cimbrorum tubis signisq; militaribus potitæ, ad suum ducem detulerunt: Parmensium que legati utriusque Consulis consensu ad uictoriam eorum alterutri decernendam electi, Catuli militum telis hostium corpora perfossa indicarunt. Idq'ue etiam, ut ex ijs quos postremo recitasti Satyrici poëtæ uersiculis colligitur, & ipse C. Marius molestissime tulit: non ueritus postea, quæ hominis fuit

crudelitas,

crudelitas,amicis pro illo rogantibus,mori Catulum oportere, tanquam diuino respõso pronunciare. Vtcunq; tamen de eius immanitate alij senserint,non diffitebor duas,quas modo narrasti Lande uictorias,quamuis ita ut dixi se habeant,egregias fuisse:sed multo maiorem meo iudicio laudẽ C. Mario attulissent,si ille post Cimbricũ triumphum continuo expirasset.quod & idem cuius modo mentio facta est Iuuenalis elegantissimè testatur,longã uitã maximas plerumq; summis uiris calamitates attulisse exemplis comprobans. Inquit autem:

Exilium & carcer,Minturnarumq; paludes,
Et mendicatus uicta Carthagine panis,
Hinc causas habuere.quid illo ciue tulisset
Natura in terris,quid Roma beatius unquam,
Si circumducto captiuorum agmine,& omni
Bellorum pompa,animam exhalasset opimam,
Cum de Teutonico uellet descendere curru?

Nunc quando ea percurrit Landus,quæ C.Marij felicitatẽ indicãt,nos quoq; ea attingere æquum fuerit,quæ parũ ei prosperè tum in urbe,tum in bellis acciderunt. Nam ut à primis ordiar: Postquàm à Scipionis in Hispania militia Romam reuersus est,animumq; ad petendos magistratus adiecit,ita se in urbanis negocijs gessit,ut nihil eo fuerit magis ridiculum:cũ bis una die reiectus,in præturæ etiam petitione propemodũ exclusus fuerit.sed tertiũ hunc magistratum sic est adeptus,ut parũ abfuerit,quin ambitus sit damnatus. Tum si septem eius consulatus admiraris,quatuor sanè ex illis Cimbricũ bellũ sibi desumere uidebis. Sextus autem septimusq; nihil habuerunt, cur tantopere à Mario essent amplectendi. Ad summã,ut Iugurthinum Cimbricumq; bellũ à Mario duorũ annorum spacio perfecta,magnã hominis industriã uirtutemq; ostẽdunt:ita eiusdem uitia,& aduersa in plerisq; fors,præclare indicant,nõ tam eũ secundis unquam rebus elatum fuisse,quin magis in præceps prolapsus,à suis aduersarijs contemptus fuerit:quando non ex urbe solum,sed ex Italia,ex toto propè dixerim terrarũ orbe eiectus,diu homines deosq; iratos expertus est,à Minturnensi palude, in qua solus latitabat,semiuiuus ad supplicium raptus. Vtq; in his miserijs positum Imperatorem pluribus non insectemur, illud (nam ad rem magis attinet) uideamus,qualis'nam postea in bellicis rebus cognitus fuerit,quum Teutonos superauit. Nónne qui in bellis eximius antè habitus pacis tempore inutilis erat,ubi in urbe omnia permiscuit,turbulentissimisq; eam seditionibus repleuit,socialis belli ex uoto occasionem nactus,tantã ignauiæ tarditatisq; notam sustinuit,quantã ex præteritis expeditionibus celeritatis uirtutisq; de se opinionẽ concitarat? Nónne cũ hostibus ludibrio esset,à suis uerò non pluris fieret quàm ignotus imbellisq; Imperator,magistratũ deposuit,ad bella etiam inutilis,quem unica militaris laus Romano populo commendarat? Itaq; non ab re cõplures dicere solebant,nihil gloriæ eo bello C. Mario nõ fuisse detractũ,nihil planè Cornelio Syllæ non accessisse:qui extincto sociali bello,tantũ sibi gloriæ peperit,ut orto Mithridatico bello non Mario militaris rei oblito,sed illi cõmuni meliorũ consensu eius cura delata fuerit. Quod ægerrimè ferens Marius, eas artes exercere,quas unicè tenebat,hoc est seditiones in urbe excitare cœpit, Sulpitiũ temerariũ perditumq; ciuem contra senatũ armans, nempe ut eo referẽte, quod alia ratione nõ poterat,assequeretur. Quare à Sulpitio uictore prætor dictus,cũ legatos misisset,qui exercitũ à Sylla acciperent, ijsq; protinus iugulatis Sylla ad urbem copias duceret,Marius ei collatis signis par esse nõ potuit:nimi

rum

rum illũ animi ardorẽ refrixiſſe oſtendens, qui Metello Numidicũ triumphũ extorſerat, Teutonosq́ apud Sextias aquas deleuerat. Quibus ita geſtis, quónã ſe pacto Marij res habuerint, quotq́ erumnas idẽ paſſus fuerit, non referã: pudet enim in tanto uiro tot tantasq́ miſerias recẽſere. Vos potius illas uobis ob oculos ponite: nec aliquid in poſtremis uitæ temporibus ei contigiſſe fatebimini, quod ueteri ipſius gloriæ reſpõderit. Cũ ergo egregios duces nominas Lande, ab eorũ albo C. Mariũ me etiã tibi ſubſcribẽte nõ excludes. At cũ de Cæſare loquimur, caue Cæſari eũ æquandũ putes. nõ minus enim plurimis de cauſis tuum Imperatorem noſter excellit, quàm Africanos elephantos Indici. Sed non multũ referre putat Landus, quot bella quis cõficiat, dũ in ijs quorũ onus ſuſceperit, eximij Imperatoris munera diligenter obeat. Recte ſanè, ſi præliorũ ſucceſſus idẽ ſemper permaneret, qui primo, aut ſecundo, aut etiã tertio uiſus eſt. Cæterũ cũ nihil quicquã bellica alea ſit inſtabilius, cur nõ eos magis laudandos dixeris, qui ſæpiſſime, quàm qui perrarò admodũ uictoria inſignes ex arduis difficilibusq́ prælijs diſceſſerint? Et quidẽ cũ Scipionẽ Africanũ Annibali eſſe præferendũ uel pueri ſciant, nónne ijdẽ ita ſentientes uehemẽter fallerentur, ſi ex ea pugna quæ inter eos in Africa geſta eſt, pares abijſſent? Nónne pluribus rebus geſtis conſpicuus Annibal, quàm Scipio in aciẽ deſcenderat? Quicquid tamẽ ille in Italia feliciter geſſerat, infelici unius prælij ſucceſſu perdidit? Iccirco qui duabus præclaris pugnis magnã ſibi laudẽ cõparauit, C. Cæſari tot tantisq́ uictorijs celebrato nõ eſt opponendus. Aut igitur meliores felicioresq́ Imperatores in mediũ Lande adducito, aut rectè Cæſari à me de militari gloria palmã delatã eſſe cõfirmato. Tum Landus: tam uerſutè duorũ me ducum ſpe defraudaſti Floride, inquit, ut ea ita ſe quemadmodũ ais habere, negare profecto non audeã. Quòd uerò permultos adhuc habeo, quos nulla ratione infra Cæſarem ſtatuere ualeas, Marcellũ, Mariumq́ relinquens, eũ proferã, cuius ac Cæſaris fortunã, quàm ſimilimã fuiſſe nón obſcure intelligi poteſt: cũ eorũ uterq́ patriã oppreſſerit, uterq́ ex multis bellis inſignẽ gloriã reportauerit: hoc uno inter ſe diſſimiles, quòd diuerſas factiones ſunt ſecuti, quãdo Sylla nobiliũ partes cõtra Mariũ defendit, Cneumq́ Pompeiũ omnibus uiribus cõtra populũ inſtruxit, Cæſar uerò Marianas diu ſepultas ab inferis excitauit. Sed ad Syllæ facta expediẽda properemus, ſi modò ita mihi ea ſuccurrent, ut ordine ea referre ualeã. Tum Scæleius: Nõ eſt cur uel tantillũ uerearis Lande, inquit, ne omnia tibi cõmodè ſint in reliquis ceſſura, qui tam lepidè conceſſi tibi ſpacij partem decurreris. Nunc ad Syllã bono animo dirige ſermonẽ tuũ, ne duobus ducibus exploſis, cauſam noſtrã Floridus funditus infractã exiſtimet. Et Arlenius: Quoniã, inquit, in uulgatiſſimis hiſtorijs uerſaris Lande, memoria tametſi maximè uelles, nequaquã deſtituere. Sed id te præcipuè curare oportet, ne quẽ cõtra Cæſarẽ nominaris, protinus illi ab hoc Florido poſtponi ſinas, niſi & tu in eius ſententiã pedibus es diſceſſurus. Tũ Landus: Currentẽ (ut aiũt) hortaris Arleni, inquit: & ita quidem currentẽ, ut pauca uolens ſciensq́ (niſi fallor) in ſuſcepto negocio antehac prætermiſerim. Quòd ſi rationibus agendũ nõ reris, eis omnibus poſthabitis, ita me peruicacem in poſterũ oſtendam, ut quem cunq́ in hac arena primũ ſtatuero, Cæſari eundem anteponendũ eſſe mordicus meam ſententiam defendens ſim aſſerturus. Interim de Sylla agemus. Cumq́ eum non humili loco natum, ut Marium, ſed ex patricio genere procreatum, non maiorum imagines ad ingentem belli gloriam, ſummam'que rerum, ſed ſuæ ipſius uirtutes extulerint, in primis militiæ rudimentis Iulio Cæſari eſſe æquandum:

præclarè

præclare discimus. Eius ergo Syllæ primum militarem magistratum quæsturam fuisse, nemo ignorat, qui Romanorum gesta uel semel legerit. At eam sub Mario Consule tam egregie administrauit, ut confecti Iugurthini belli palmam nouo consuli plurimorum iudicio præripuerit, Numidiæ regem à Bocho accipiens, atq; in Romanorum potestatem redigens. Quade causa Marius singularem hominis industriam admiratus, secundo consulatu eundem legatum, in tertio autem tribunum sibi militum delegit. Sed enim cũ consulem Sylla nihil sibi ad summã uirtutem reliqui facere animaduerteret, ea sibi omnia præripi arbitratus, quæ nouus Arpinas cõmunia quodammodo solus occuparet, uberiorem gloriæ campũ delegit, Catuloq; Marij collegæ, ut uiro probitate insigni, ita bellicæ rei non admodũ perito se adiunxit: illiusq; copias, quasi ipse Imperator, non minus exercuit, laboribusq; assuefecit, quàm suos C. Marius. Promptis namq; illorũ uiribus fretus, non paucas Alpinas gentes debellauit, fame laborantes cibariorum abundantia iuuit, demum quicquid à Catuli militibus in barbaros gestum est, merito Syllæ est tribuendum: cuius industria, minimè uulgaris Luctatij laus in omnium ore nostris quoq; temporibus uersatur. Hæc tamẽ, quod aliorum auspicijs ductuq; gesta sunt, missa fecero, ut alia multo maiora expediamus. Postquam Sylla non mediocrem sibi in patria propter egregia facinora populi fauorem conciliauit, præturam facile petens obtinuit, in Cappadociamq; post eius tempus missus, ea spe, ut Ariobarzanem in regnũ reduceret: re autem uera, ut Mithridatis impetũ reprimeret: licet exiguas secum copias adduxerit, promptam quidem sociorum operam nactus, nõ modò Ariobarzanẽ post multas uictorias in solio reposuit, sed & legatos Parthorum regis, quorũ nomẽ uix tum Romanis erat cognitũ, ad petendã societatem amicitiamq;, rerũ gestarum gloria ad se pertraxit. Mox nato sociali bello, quanta eiusdem fuerit in eo cõficiendo celeritas, industriaq;, ipse paulo ante Floride non dissimulasti. Cæterũ cum Mithridaticũ bellum iam animo concepisset, in castraq;, ut quæ in bellis necessaria sunt pararet, esset profectus, Mariũ omnia in urbe permiscuisse non multo post audiuit. Quamobrem admotis ad urbem copijs, eoq; profligato, in Græciam traiecit, Archelaumq; Mithridaticæ classis præfectũ Græciam sollicitasse, cumq; exercitu percurrisse, ipsum autem regem Bythiniam, Cappadociam, Thraciam, Macedoniam, aliaq; non pauca regna occupasse cognouit. Iis de causis antequam in Asiam transiret, tum plerasq; urbes ad Romanorum amicitiam reduxit, tum Athenas ab Aristione tyranno occupatas, munitasq;, in suam ditionem redegit. Quorum neutrũ efficere ualuisset, nisi omnia celerrimè administrasset: cum Taxiles Mithridatis præfectus centum peditum, decem equitũ millia, plurimosq; falcatos currus ducens, in Romanos irruerit, facillime quidem eos oppressurus, si cum suis copijs Sylla in aciem descendisset: præsertim quod Romanorum exercitus uix quindecim peditũ millibus, & mille ac quingentis equitibus constabat, cum in hostiũ conspectum uentũ est. Quin tanto Romani milites primo tempore tum ob hostium multitudinem, tum ob fulgorem armorũ, quibus ijdem instructi erant pauore perculsi dicuntur, ut uix eos pristino ardori restituere quiuerit fortissimus diligentissimusq; Imperator. Itaq; modò Cephisum se ex alueo auertere uelle simulantem, modò ingentes fossas etiam præter rem cauari iubentem Syllam, enixe orare coacti sunt, ut pugnam sibi cũ hoste inire liceret. Cumq; tantus esset Mithridatis militũ numerus, quantũ diximus, ijsq; etiam accessisset Archelaus regiæ classis dux, tam acriter à Romanis Imperatoris uirtute prælũ initum est, ut

ab exiguis

ab exiguis copijs aduersus instructissimam hostium multitudinem, nihil quicquam fortius excellentiusq́ agi potuerit. Nec me præterit, ob Romanorũ paucitatem eorum cornua à barbaris circumuenta aliquantulum laborasse. Verũ tanta fuit Cornelij Syllæ ad omnia præuidenda prudentia, tanta in ferenda laborantibus ope uelocitas, tantus demũ animi uigor, ut is mihi unus plusquàm omnes Mithridatis duces militesq́ ualuisse uideatur: tam exilem suorum iacturam passus, ut cũ ex integris barbarorũ copijs uix decem millia effugisse cõstet, quatuordecim tantũ ex Ro. militibus desiderati sint. Exceperunt hoc bellũ alia bella, non minus penè molesta, grauiaq́. In patria enim, à qua nihil quàm subsidium opemq́ ad debellandum Ponti regem expectabat, is erat per ea tempora rerum status, ut Mariana factio Syllana superior ualidiorq́, quo pacto non Mithridatem, sed Syllam perderet, in animo uersaret, ijs creatis C O S S. qui prætextu quidem Mithridati bellum uiderentur illaturi, re autem, qui Syllam ipsum cum eius exercitu opprimerent. Quæ cum Syllæ animum non mediocriter distraherent, nondum de tanta belli mole à se propulsanda secum egerat, quum alius Mithridatis dux Dorilaus, ut opinor, inter Scyllam eum atq́ Charybdim statuit, cui porrò ad quem nam primo se, ad quem postremò converteret, nõ satis liqueret. Quoniam tamen egregiorum ducum uirtus, nisi in dubijs difficilibusq́ rebus non elucescit, minimè territus domesticis seditionibus Sylla, Dorilao se cum octuaginta lectissimorum hominum millibus in planis locis castrametato opposuit. Sed quòd aduersus tam ingentes probe'que armatas hostium copias nihil temere tentandum erat, cum pro ueteri Romanorum more castra munire sæpe tentasset, militesq́ in opere occupati aliquoties ab hostibus turbati essent, ipse Imperator inter primos pugnans, & suis iam fugientibus uictoriæ author extitit, & bonam barbarorum partem tumultuarijs prælijs deleuit. Nec porrò est dubitandum, quin intra paucos menses Mithridatis uires ita fuerit debilitaturus, ut Romani perpetuò ab eo in posterum tuti esse quiuerint, nisi quotidie ad eum ex urbe aduentassent, qui intolerabilia Marianorum facinora, domuumq́ & uillarum incendia ei exponerent, patriæq́ eundem uoce in Italiam reuocarent. Quare patriæ salutẽ pluris quàm Pontici regis ruinam faciens, ita laboranti urbi consulendum duxit, ut honestissima cũ illo fœdera tanquam uictor feriens, multis eum prouincijs cedere iusserit, quem magnam etiam auri argentiq́ summam, tum ingentem instructarũ nauium numerũ Romano populo exhibere compulerit. Constitutis in hunc modum cum opulentissimo bellicosissimoq́ rege pacis conditionibus, restitutisq́ in sua regna Ariobarzane ac Nicomede, unus tantum Syllæ extra Italiam hostis restabat, nempe Fimbria, magni exercitus dux. Aduersus quem cum protinus copias duxisset, non pugnando impurissimam belluam, sed sedendo castris exuit: moxq́ in Italiam, seruili fermè modo à Marianis oppressam reuersus, cum aduersarijs manus quamprimum cõseruit, Iunioremq́ Marium ac Norbanum ualidissimas copias sub signis habentes, minimè instructa acie cornibusq́ dispositis, sed militib. ut forte à Marianis reperti fuerant, in tumultuarium prælium ductis superauit, multis eorum millibus occisis, Norbanoq́ Consule intra Nolam incluso. Sedenim cũ tantus adhuc superesset hostium numerus, ut Syllam omni ex parte uelut irretitum obsiderent, quamuis hic eorum impetum armato milite à se propellere ualeret, ad fraudes tamen animum flexit, ne per ciuilem sanguinem id moliretur, ad quod absq́ tot legionum iactura commodissimè se peruenturum sperabat. Hoc pacto ita etiam uersutijs hostes superauit, ut Scipionem alterum consulem

intra tentorium dormientem ceperit, omnibus eius legionibus in suam potestatem redactis. Verum post tot tantasq; uictorias, nondum bellis ciuilibus finem imposuerat, cum uelut hydræ capita noui aduersariorum exercitus pullularent. Marius namq; nõ minorum quàm Scipio copiarum Imperator, integer adhuc erat. A quo ad prœliũ prouocatus, quòd fessos milites, ac propterea ea die pugnam detrectantes in aciem producere noluit, tantum Mario ardoris additũ est, ut Syllanos castra munientes adoriri non dubitarit: à quibus tamen dissipatis, atq; in suis locis prę temporis breuitate subsistere minimè ualentibus superatus, maximam suorum stragem accepit: cæsis quippe ex eius legionarijs uiginti aut circiter millibus, reliquis ferè omnibus ab hoste captis. Hæc sunt, quæ mihi se de L. Sylla dicenda obtulerunt. In quibus, si quid me fugerit, aut leuius quàm tanti Imperatoris gesta poscerent fuerit percursum, uos mihi ignoscite. Id enim uel si prolixiore oratione singula Syllæ præclara facinora recensere uoluissem, mihi in primis propositum esse debuit, ut multa prælia à Sylla absq; aliqua memorabili suorum pernicie commissa fuisse demonstrarem. quod an paucis perfecerim, ex Floridi utiq; uerbis intelligam. Nam Syllam Cæsare inferiorem fuisse ab eo non facile ostensum iri conijcio, si omnes animi dotes, quæ in summo Imperatore esse debent, in Sylla non minores quàm in alio quouis fuisse meminerit. Sed ipsum iam Floridum audiamus. Et ego: Ducem sanè excellentem produxisti (inquam) Lande, & pręclara illius facta satis cõmodè es complexus: Syllæ tamen gesta cum Cæsarianis neq; numero, neq; periculo sunt cõferenda. Vtq; id apertius intelligas, singula Syllæ facinora diligentius pensitemus. Egregiam operam L. Sylla C. Mario in Iugurthino bello præstitit, ais: omnemq; sibi eius gloriam uendicauit, accepto à Sylla rege Iugurtha. Horum equidem alterúm planè Syllæ gloriosum fuisse concessero: at alterũ, aut nihil prorsus, aut parum omnino in se laudis habere assero. Enimuero fuerit Sylla semper egregius miles, & utilis semper C. Mario legatus, cur tamen tantopere erit efferendum, quod ei Bochus rex Iugurtham uinctum dederit? An aliqua id peculiari Syllæ uirtute factum est? An non sola Bochi perfidia Iugurtha in manus Romanorum uenit? Quid si barbarus mutata sententia non Syllæ Iugurtham, sed Iugurthæ Syllam dare uoluisset? Atqui nec Bochum aliqua orationis uenere à Sylla permotum. Romanis generum prodidisse dixeris. Quod itaq; unius fortunæ beneficio tribuendum est, non tam tui Imperatoris laudes auget, quàm putas Lande: licet eius rei imaginem ipse in annulo expressam, quasi inauditi facinoris monumentum semper tulerit. Post editum tam egregium opus magnæ laudi eidem tribuis, quod in secundo Marij consulatu legatus ab eo, moxq; tribunus militum fuerit delectus. Magnum hoc quidem Syllanæ uirtutis indicium esse non diffiteor: sed multo maius fuit, quod Catulum Marij collegam in Cimbrico bello non mediocriter iuuit. At eiusmodi, ut dictum est, bellorum laus, nõ ad legatos. sed ad Imperatores refertur. Nam si quem cum quo postremæ contra barbaros pugnæ decus communicandum sit, nominare possumus, is est sine dubio C. Marius, ob eas quæ superius prólatæ sunt rationes. Cæterum hæc rerum à Sylla gestarum principia fuerunt, non illa quidem per se maxima, sed quæ tuum Lande Imperatorem egregium fore pollicerentur: cum nemo inter egregios duces sit referendus, quin aliqua futuræ gloriæ quasi præludia uel adolescens, uel minori aliquo militari magistratu fungens dederit. Bellum sociale, inquit Landus, unus Sylla extinxit. Bona mehercule uerba: quasi uerò insigne aliquod ac summo duce dignum prælium in eo commissum

sit, aut

sit, aut Sylla in urbem reuocatum Marium iusti exercitus Imperatorem intra domesticos lares profligarit. Vicit Marium ille, sed paucis clientibus stipatum, seruosq; ad libertatem uocantem, multas ipse cohortes habens. Qua in re perexiguum suæ gloriæ cumulum adiecit, cum aliud sit contra inermes ciues rem gerere, aliud porrò cum eo hoste, qui æquali, aut maiori propemodum militum numero fretus, in pugnam descendat, manum conserere. Verum hoc quoque à Sylla factum dices, qui post præturam fide maiora in Cappadociam missus patrarit: & (quod hæc omnia uincit) postquam Athenas expugnauit, duos Mithridatis præfectos innumerabili equitatus peditatus'que multitudine superbos fuderit, fugarit'que. Nolim ædepol Lande, quum hæc quanti sint æstimanda paulo accuratius dispicio, me omnia Syllæ facta deprimere statuisse opineris. Sed enim quia militares illius res gestas cum Cæsarianis conferre audes, non grauaberis, & nos Syllam laudantes, eundem Cæsari rationibus postponere. Multa ergo in Cappadocia post præturam gessit hic tuus Imperator. Sed multo plura C. Cæsar in ulteriorem Hispaniam itidem post præturam missus: quæ tamen à me cum alia superarent, haud sanè magno loco posita fuisse, non ignoras. Quòd si quid de memorabili aduersum Taxilem Archelaum'que prælio sentiam, me interogaris: respondeam, illud præcipuum esse in causa cur Sylla à me inter egregios duces referatur, cum omnes in eo Imperatoriæ uirtutes à tuo duce cumulatè exhibitæ fuerint. Verum quum hæc dicam, tum illud subiunxero, C. Cæsarem plurima in Gallia, in Græcia, in Hispania, in Aegypto eo illustriora periculosioráque gessisse. Tum si Athenarum expugnationem in tuo Sylla tantopere effers, plura ferè munitissima oppida à Cæsare capta, quàm à Sylla uisa, te etiam iudice conuincam. Cætera, nempe contra Dorilaum, Fimbriam, Scipionem, Norbanū, ac iuniorem Marium ab eodem gesta, tam sunt leuia, ut in eorū ordinem nō ueniant, quę immortale cuiquam nomen párere ualuerint: cum Dorilaus ab occupatis confusisq; Syllæ militibus, non sine maxima suorū strage uictus, nulla laude uictorem augere potuerit, nulla etiam Fimbria monstrum hominis, cuius quàm bellicæ rei aptior. Nam Norbanus, Scipio, iunior Marius, & quotquot præterea Syllæ se opposuere, quales Imperatores fuerint, ex hoc uel manifestissimum fit, quòd nihil eis pecculiarius fuit, quàm aut dormiendo capi, aut ante tubam terga inimico turpissimè ostendere. Ac nè multis uerbis in re tam perspicua uerser, si quid ab horum quos nominaui Syllæ aduersariorum quopiam, ut uel mediocrem Imperatorem decebat, aliquando actum fuit (nisi quod Fimbria Mithridatem semel intra Pitanen inclusum obsederit, magnum & memorabile facinus putas) nō recusabo quin Cornelium Syllam Cæsari longissimo interuallo præferas. Sin aliter se rem habere, hoc est eos non fuisse aliud quàm inutilia terræ pondera uides, caue tuum Imperatorem Cæsari æquandum dicas, cum inter Syllas, Marios, Marcellosq; noster tantum promineat,

Quantum lenta solent inter uiburna cupressi.

Atque equidem quæ hactenus de Sylla diximus, omnem mihi eius laudationem continere uidentur. A quibus si ad reliqua eius detestabilia facinora descendere uellem, quantas in eius uita uomices, quot quanta'que dedecora inuenirem, qui à pueritia inter mimos, ac id genus ridiculos homines uersando, ab omnibus despectus est? Sed idem in prima magistratus petitione repulsam tulit: ex quo quàm suis ciuibus uel priuatus charus fuerit, dignoscere ualemus. Hinc post occupatam in patria tyrannidem factum reor, ut tam inhumanè im-

maniter'que Romanorũ ſanguine ſe ſatiauerit, quàm qui eos quibus prius inuiſus fuerat, ferro flammáque perſequi improbus ſceleſtusꝗ decreuiſſet. Porrò eiuſdem ingenij in alijs reb. inæqualitatem, ſi dignè uerbis exprimere laborem, nulla ſe mihi in re patentior digreſſio obtulerit. Quia tamen de bellica Imperatorũ præſtantia, non de morib. loquimur, egregia ac memoratu digna facinora, uti pro temporis ratione quiuimus, utcunꝗ expendere libuit. Tum Landus: Qua'nam ratione fieri dicam Floride, inquit, ut tribus me ducibus uolentem propè nudaueris, non dignoſco: niſi aut ipſe iam me, ſicut in Marcelli Marij'que cum Cæſare comparatione faſcinaſti, aut Cæſaris geſta maiora re ipſa ſunt quàm Syllæ, aliorum'que quos ante Syllam nominarim. Proinde ut de illis tecum ſentio, ita quid de L. Lucullo dicturus ſis, mirum in modum audire aueo. cuius ego nõ uitam, ſed præcipuas uirtutes, illuſtresꝗ uictorias tibi quàm pauciſſimis potero exponam. Prima ergo L. Luculli in Marſico bello militiæ rudimenta, non aſpernandam reipublicæ operam dederunt, cum eò uſque ingenio, ad tolerandosꝗ labores audacia etiam iuuenis ualuerit, ut L. Sylla quãdiu uixit, quicquid ſtrenuè fortiterꝗ eſſet agendum, ei tanquam prudentiſſimo fortiſſimoꝗ ciui demandarit. Hoc pacto potitus Græciæ rebus, atque Athenarũ (quæ ſolæ fermè portas ei clauſerunt) obſidioni intentus, ſuos annonæ penuria propter hoſtiles naues laborare ſenſit, L. Lucullũ, quem in Libyam atque in Aegyptum ad comparandam claſſem mitteret, potiſſimum delegit, eiꝗ nec commodo anni tempore, nec aliquo triremium quinqueremium'ue robore firmo hoc oneris iniunxit, ſed aſtricto propter frigora mari cum paucis Græcis myoparonibus, atque haud pluribus Rhodijs biremibus, quæ uix in portu nauigantem defendere poſſent, tantam prouinciam capere uoluit. Lucullus tamen cum ijs in Cretam delatus, omnem ſibi eam inſulam conciliauit: moxꝗ in Aegyptum traijciens, à Ptolemæo licet Syllæ amicitiam aſpernato, liberaliſſimè exceptus, cunctas poſtremò maritimas urbes adijt, ac quantum quæque inſtructarum nauium obtuliſſet accipiens, iuſtum claſſis modum impleuit. Ea uerò quid quoque loco perfecerit, mihi admodum in memoriam non redit, niſi quod Syllanas res ſummopere iuuit, & Neoptolemum Mithridaticarum nauium præfectum ſuperauit. Quibus editis, aliquandiu in patria commoratus, conſulatum petens obtinuit. poſt quem omni ſtudio ut ad Mithridaticum bellum mitteretur laborauit: nempe quod Cn. Pompeio in Hiſpania Sertoriano bello implicito, ſolus erat Mithridates, qui cum Romano populo bellum gerens, multis magnisꝗ uictorijs ipſum ornaturus uideretur. Voti igitur compos factus, cum unica tantum legione, quam ſibi ipſe conſcripſerat, in Aſiam tranſmiſit. In qua cum Fimbrianos milites licet fortes, prælijsꝗ aſſuetos, corruptos tamen, ac ob frequentes ſeditiones penè intractabiles inueniſſet, breui eos ad Romanorum caſtrorum diſciplinam reductos, ſibi adiunxit. Ne'ue ſuorum ciuium uotis non reſponderet, triginta peditum millia, bis mille & quingentos equites ſub ſignis ducens, aduerſus Mithridatem, qui Cottam ſuperiori anno ſuum in cõſulatu collegam terra mariꝗ profligarat, ac demum in Chalcedonem concluſum obſidebat, caſtra mouit. Id autem barbaro regi centum & uiginti peditũ, ſexdecim equitum millibus, & proxima uictoria tumefacto, adeò nouũ, adeò inuſitatum uiſum eſt, ut primo quoque tempore Romano Imperatori committendæ pugnæ copiam fecerit. Sed nec Lucullus detrectauit certamen. Quin cum inſtructæ utrinque acies ſtetiſſent, deorum oſtentum in cauſa fuit, ne ferro de multis regnis ea die inter Lucullum Mithridatem'que decernere.

cerneretur. Quocirca cum prælium in sequentes dies dilatum appareret, Lucullusq; nulla tot barbarorum millibus cibaria suffectura esse conijceret, fame aduersarium conficere decreuit. fecissetq; profectò, quod in animum induxerat, nisi is clanculum se subducens, in alia loca diuertisset: ad quæ deinde Romanus & ipse profectus, postquam Mithridatem Cyzicænorum urbem cum Romana societate coniunctam obnixè oppugnare animaduertit, certam suis absq; insigni sanguinis effusione uictoriam pollicitus est. Nam eos qui obsidebantur, ut forti animo hostium impetum sustinerent admonitos, militibus noctu in urbem immissis confirmauit: ipseq; cum exercitu eum qui Cyzicænos circumsedebat, intra sua castra, sociæq; urbis muros inclusit. Quod fecit, ut Mithridates, qui Cyzicum se intra paucos dies direpturum sperauerat, in tantam rerum uictui necessariarum egestatem redigeretur, quantam nec humanarum carnium esus sedare potuerit. Cumq; barbarus famem à se atque à suis diutius propellere non posset, Lucullo in uicini cuiusdam oppidi obsidione cum exercitus parte occupato, inutiles pedites, cunctosq; ferè equites cum impedimentis repente dimisit: quos assecutus Romanus Imperator, partim interfecit, partim cum sarcinis captiuos in sua castra reduxit: paucis, ijsq; inermibus ex tanta hostium multitudine seruatis. Porrò autem ea uictoria tanti momenti fuit, ut Mithridates fuga sibi salutem comparare, ac præfectos, qui terrestri itinere exercitum abducerent, relinquere fuerit coactus. Verum & hos ad Granicum flumen adortus Lucullus, magna strage affecit, deletis ex barbari regis copijs uiginti, captis decem, aut circiter, hominum millibus. Inde ut Cyzicænis à tanta belli mole protectis, ac fermè rediuiuis præsens gratularetur, in eorum urbem concessit: in qua classem, quo fugientem Mithridatem commodius persequeretur, absque aliquo Romani ærarij sumptu instruxit, eaq; illum Ponto prorsus priuauit: nec multo post tempore per Bythiniam Galatiamq; exercitum ducens, tanta hostis uires omnibus modis debilitandi cupiditate detentus fertur, ut ei quem ex omnibus proprijs regnis intra paucos dies posset eijcere, consulto iterum se colligendi, ac ultimam belli fortunam tentandi facultatem concesserit, reclamantibus interim militibus, & Mithridatis regna ferro quàmprimum igneq; uastare cupientibus. Ea de causa cum Lucullus opulentissimam eius urbem longa ac lenta de industria obsidione diu obsedisset, nec adhuc recentis iam exercitus Imperatorem contra se illicere ualuisset, exacta ipse hyeme ad lacessendum hostem, relicto qui Amasi obsidionem non intermitteret, profectus est. Vbi tamen equitatu se barbaro inferiorem esse intellexit, in loco egregie natura munito castra posuit, ne ad committendum prælium inuitus pertrahi posset. Quid multa? uarijs hinc inde commissis certaminibus, Mithridatis copias primò uehementer afflixit: deinde ita perterruit, ut cum eius legatus ex insigni inter frumentandum pugna uictor, ingentiq; præda auctus, hostiũ castra triumphans propemodũ prætergrederetur, ultimo periculi metu perculsæ fugam arripuerint, atq; in deserendis castris nulla regis ratio habita sit: tanta Romani ducis eiusq; legionum uirtute barbarorũ animi erant consternati. Ac nisi fortuna tanti belli præmio Lucullum defraudasset, quin potentissimum regem triumphans uinctũ in patriam fuerit ducturus, nõ est dubitandum. Illum enim fugientem iam assecuti erant Luculli equites, quũ mulus auro honustus seu casu eis, seu ex industria obiectus, auarissimos milites remoratus est, Mithridatiq; Romana uincula fugiendi occasionem præbuit. Quibus perfectis, cum uicto regi Lucullus instaret, ad Tigranem Armeniũ illum confugisse cognouit. Mu-

tato itaq; cõsilio circumiacentes regiones Romano imperio adijcere cogitauit: compositisq; minoris Armeniæ reb. Chaldæisq; ac Tibatenis domitis, legatos ad Tigranem, qui Mithridatem Romanorũ hostem iure belli deposcerent, misit: ipse autem ad Amasum urbem, cui obsidendæ Murenam cum copiarũ parte præposuerat, regressus, suos in eius oppugnatione adhuc occupatos comperit. Qui enim regio præsidio præerat, omni machinarum tormentorumq; genere urbem à Romanorum incursibus incolumem seruarat, & eosdem multis magnisq; miserijs affecerat. Sed eius astus superuenientis Luculli astu non difficulter captus est. Nobilissima siquidem urbs in Romanorũ potestatem confestim Luculli uirtute ingenioq; redacta est. & cum Callimachus (hoc enim erat præfecti præsidio nomen) incendio eam fugiens absumere niteretur, Romanus Imperator non minus clemens in suscipiendo Amasenorum, qui hostilem ignem ferrumq; effugerant, patrocinio, quàm in urbe per uim occupanda strenuus extitit. Deniq; compositis, ut ab optimo duce est expectandũ, minoris Asię rebus, cũ Lucullus Armeniorũ regem bello esset uexaturus, in Pontũ prius trajciens, uix Synopem à Cilicibus detentam expugnarat, quum Tigranem bellum non expectantem, sed inferentem, cum copiosissimo exercitu aduentare intellexit. Minime tamen à proposito deterritus, cũ duodecim equitũ, tribus tantũ peditum millibus audacter aduersus eum contendit, suisq; trans Euphratem ductis, nõ mediocrem equitũ peditumq; numerũ à Tigrane emissum per legatũ fudit: tum ipsum regem ad Taurũ, quò omnes eius copiæ conuenirent declinantem, sic urgendo perterruit, ut in fugam uerteret, bona Armeniorũ parte à Romanis uel capta, uel trucidata. Deinde ad Tigranocertam obsidendam conuersus, uel iratũ regem nihil pro sano facturũ, uel se insignem urbem, nisi ei succurreretur direpturũ prȩuidit. Atqui quam maximè in uotis habuerat rei cõditionem, illi Tigranes obtulit. Quamuis enim à suis, atq; à Mithridate præcipue monitus ne armis, sed fame cũ Romanis certaret, conspecto innumerabili suarũ copiarũ agmine, ferro e uestigio cũ Romanis rem gerere maturauit: hoc quoq; gloriose dictitans, eo se mœrore maximè angi, quòd cum uno Lucullo, ac nõ potius cum omnib. Romanorũ ducib. copijsq; eodem tempore esset concursurus. Et sanè tam magnifica gloriosaq; uerba nõ præter rem prolata uidebantur, quando ducenta & quinquaginta barbarorũ millia cũ decem peditũ millibus, funditoribus sagittarijsq; circiter mille, mediocriq; equitatu erant pugnatura. Cȩterũ tanta fuit Luculli excellentia, ut deletis hostibus penè cunctis, nullam fermè suorum iacturam fecerit. Atq; ut distinctius loquar, ex omnib. Tigranis equitib. paucissimi effugere, peditũ autem ultra centũ millia ceciderunt. Hinc si Lucullum C. Cæsari præposuero, nullam me tuo Imperatori iniuriã illaturũ arbitror, cum nullũ præliũ à Cæsare gestũ huic sit æquandũ. His alijsq; perfectis, Lucullus de bello Parthis inferendo cogitabat, nisi fortuna (quæ omnes gloriæ occasiones uni nunquam offerre didicit) hanc maximè optatam ei ademisset, eius militũ diuitũ iam, auroq; onustorũ animis à tanti belli mole reuocatis. Propterea & ipse Lucullus quamuis inuitus Parthos dimittere coactus, in Tigranem Mithridatemq; nouas copias cogentes exercitũ duxit, ne quod cũ ex ijs regionib. abijsset bellum, Romanis rebus ingrueret. Cumq; plurima in itinere hostilia oppida, militibus prædam concessisset, ad duos tandem reges castris se continentes peruenit. Quos frequentissimè prouocatos, ubi nec uicinarum regionum uastatione, nec uillarum incendijs ad pugnam pertrahi posse conspicatus est, aliud multo melius consilium inijt; ad Artaxatam scilicet regiam urbem, in qua

Tigranis

Tigranis uxores liberosꝗ esse acceperat, copias conuertendi. Nec enim barbaros prælium detrectaturos cogitabat, si eò cum exercitu pergeret, quò omnes illorum thesauri, quasi in asylum erant comportati. At perlepidè quod coniecerat cessisse, non multo pòst expertus est. Tigranes namꝗ rei indignitate motus, suas copias in campum expediens, Romanos omni studio assequi maturauit. Sedenim Lucullus tanquam allecto in nassam pisce, futuræ sibi uictoriæ conscius, ingentem hostium turbam bono animo præstolatus, tanto fragore in barbaros inuectus est, ut non modò Tigranes ei cedere compulsus fuerit, uerum nec Mithridates quidem eo ferocior astutiorꝗ, primum Romanorum clamorem sustinere ausus sit. Fusis itaꝗ tam magnis exiguo tempore copijs, Lucullus Tigranis Mithridatisꝗ res prorsus euertere in animum induxerat, nisi eadem fortuna, quæ à Parthico bello eum non multo antè retraxerat, ea illi offendicula opposuisset, quæ ne tuus quidem Cæsar Floride superasset: temporis uidelicet asperitatem, & militarium animorum auaritiam. quorum alterum in remotissimis ab Europa barbarorum regionibus tum hominum, tum iumentorum corpora nimio rigore conficiebat: alterum non modò militarem disciplinam, sed omnes humanas leges, omnia iura semper labefactauit. Has ergo difficultates secum reputans Lucullus, suũ exercitum cis Taurũ in Mygdoniam reduxit ob tot uictorias Cæsari (nisi Floridus, ut solet, à nobis dissenserit) nō dubie præferendus. Ipse quidem Ponti rex, qui à Sylla primũ deinde à Lucullo superatus, uiuus demum à Pompeio captus est, ita narrare solebat, L. Lucullũ maiorem à se ducem cognitũ fuisse, quàm eorum quenquam, quos legisset. De cuius liberalitate, munificentiaꝗ, quid ego Lucullo satis dignum dixero? quid porrò de eiusdem æquitate, atꝗ in cōseruandis Asiæ urbibus studio? At in patria, in qua summorũ pariter infimorumꝗ sibi beneuolentiam conciliare cuiuis durissimũ semper fuit, tanto in honore quàm diu uixit habitus est, quantũ ipsum nunquã postulaturum fuisse credibile est. Quid quod tanta eloquentiæ uis, tanta philosophiæ cognitio in eodem fuit, ut non modò bellicis artibus deditos, sed eos prope qui aut in foro, aut in gymnasijs integram ætatem exegerunt superauerit? de quibus quàm eleganter diffuseꝗ à M. Tullio scriptũ sit, nemini uestrũ obscurũ esse arbitror. Sed de diuinis Luculli in omni genere uirtutibus plura nō dicam. Nec enim singula pensitantem, immensus negocij captus fineret: nec Simonides, aut Theodectes, aut Scæptius Metrodorus, aut ipse deniꝗ Lucullus sum, cui tam multa in memoriam redire ualeant. Quod si hæc utcunꝗ à nobis libata Cæsarem Lucullo inferiorem esse nō conuincerent, & illa quidem quæ à nobis præterita sunt assis nō esse æstimanda cōcessero: tametsi nō sum nescius, Floridũ maximi rarissimiꝗ Imperatoris bellicis reb. doctrina moribusꝗ ac reliquis excellentib. uirtutibus permotũ, C. Cæsaris patrociniũ deserturũ, ac illo meliorem Lucullũ libentissimè mecũ amplexaturũ, si huius quàm Cæsaris cōsiliũ iustius, patriæꝗ salubrius, bonorũ iudicio semper est habitum. Quib. dictis cum tacuisset Landus, omnesꝗ qui nobiscum sedebant ita in me oculos infixissent, ut eis nihil prorsus ad Landi rationes responsurus uiderer, tum ego: Si de facie, quæ M. Tullio teste quidã est mentis sermo tacitus, nō male conijcio, nemo uestrũ est inquã, quin Lucullũ me supra Cæsarem positurũ speret, quod Landus quicquid in eo laudandũ fuit, breuiter nobis quasi ex historiarũ scrinijs deprompserit. Si tamē me Luculli gestorũ imperitũ, Cæsarē ei aliosꝗ omnes prælaturũ in præsens certamen descendisse interpretamini, me quidem Romanarũ rerum rudē, & susceptæ semel causæ defendendæ parũ idoneũ existimatis. Quare qui

ſumendas fruges nata extitiſſe, uictores autem ex tam facili incruentaq́ꝫ uictoria nihil ſibi ſuoq́ꝫ Imperatori gloriæ peperiſſe fateri Lande cogereris? cum humanæ res non ferant, eorum qui aliquod robur, aliquam uirtutis micam in pectoribus gerunt, armatorum corda ante primum concurſum pallore ac pauore occupari: præſertim cum multi contra paucos inſtruuntur. Ac ne Armeniorũ ignauiam ſocordiamq́ꝫ longiori ſermone demonſtrem, hoc quidem non negarit Landus, cataphractos equites, quos Tigranes in fronte collocauerat, quorumq́ꝫ celeberrima erat inter barbaros bellicæ uirtutis fama, antè ſe in fugã cõiecisse, quàm ullũ hinc inde uulnus eſſet illatum: cæteros uerò, tum horũ fuga impeditos, tum eiſdem animis experientiaq́ꝫ inferiores, nullam uiris dignam in tam egregio conflictu operam ſuo regi præſtitiſſe. Ego tamen magnam in Luculli ingenij uim, magnamq́ꝫ bellicæ artis peritiam ſũmopere laudo: quãuis nõ ea fuerint illius geſta à Lando cõmemorata, quæ omnibus modis conſummatũ Imperatorem depingant, ſi nec Tigranis prudentiam, nec eius militum in tam memorabili prælio animi robur ipſe Lucullus ſenſit, nec Romanus quiſquam in eius exercitu degens, minimũ periculi paſſus eſt. Sicut enim timidum, pugnæq́ꝫ imperitũ uincere nõ eſt magni negocij, ita nec magnæ laudis opus: quò & poëtarũ morem ſpectare arbitror, qui illũ laudaturi, quem ne inſtructæ quidem phalanges terreant, protinus ei aduerſariũ parant, qui (ut cum Horatio canam)

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.

Nimirum, quia ſi tam ferox bellicoſuſq́ꝫ aduerſarius, quanto ferocior fortiorq́ꝫ erit, qui illum peremerit? Hinc Aeneæ oppoſitum Turnum, in Troianorum caſtra ſolum ingreſſum, Immanem ueluti pecora inter agreſtia tigrim, tã ſtrenuũ fuiſſe Virgilio credimus, ut Incluſus muris, hoſtiliq́ꝫ aggere ſeptus, maxima Troianos pernicie affecerit. Quin tanta in hoc ab eodem noſtrorum poëtarũ principe diligentia adhibita eſt, ut nõ modò Aeneam, quem uelut operis ſcopum ſibi propoſuerat, cum fortiſſimis ſemper uiris, & cum ipſo denique belli munimine pugnaſſe, ſed Turnum quoque Aeneæ hoſtem ardua ſemper ac laude digna auſum fingat Hoc pacto qui ante Troianorum uallum hæc minabundus, ſeruato perſonæ quam ſuſtinebat decoro protulerat,

Sed uos ô lecti, ferro quis ſcindere uallum
Apparat, & mecum inuadit trepidantia caſtra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Eſt opus in Teucros: addant ſe protinus omnes
Hetruſci ſocios: tenebras & inertia furta
Palladij, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Ne timeant: nec equi cæca condemur in aluo.
Luce palàm certum eſt igni circundare muros:
Haud ſibi cum Danais rem faxo, & pube Pelaſga,
Eſſe putent, decimum quos diſtulit Hector in annum.

Drancem, cuius dextram in bellis frigidam eſſe norat, ſic iratus alloquitur:

Nunquam animam talem dextra hac (abſiſte moueri)
Amittes: habitet tecum, & ſit pectore in iſto.

Non eſt igitur ſummus Imperator, qui cum ſummo aduerſario bello non contenderit. Reliqua Luculli militaria facinora, quę Landus attigit, qualia fuerint, non differam, cum unicam eius in Armenia uictoriam, ex qua præcipuum decus adeptus eſt, abſq́ꝫ aliquo periculo ab eo partam fuiſſe docuerimus. Sed hæc

utcunq́ꝫ

utcunq; accipiantur, ſine qualicunq; Luculli laude geri non potuerunt, cum alia de eo ſint dicenda, quæ tam infeliciter illi obtigerunt, ut fortunam non magis illi in ſuperioribus bellis fauere, quàm in ſequentibus aduerſari uoluiſſe appareat. Cuius mali ipſe ſibi cauſam præbuiſſe uidetur, quum militum animis (quod in egregio Imperatore maximè eſt uituperandum) ſic ſemper ſit aduerſatus, ut ludibrio ab eis poſtremo tempore habitus fuerit. At ij erant Luculli milites, dicet Landus, qui à Fimbria inſtigati, Flaccum cõſulem interfecerant, deinde ipſum quoq; Fimbriam Syllæ prodiderant, ſeditioſi, intractabiles, deſertores, impij, & ſi quid ſceleſtius corruptius'que dici fas eſt. Si ergo à nouo duce tam exiguo tempore ad caſtrenſem diſciplinam reuocari nõ potuerunt, nõ Lucullo, ſed militum corruptelæ eſt adſcribendum. Pulchra mehercle Luculli defenſio: quaſi uerò non tales ſemper milites eſſe ſoleant, quales habeant Imperatores: aut ij de quibus loquimur, uel Flaccum interfecturi, uel Fimbriam ſubinde Syllæ proditurí fuerint, niſi eorũ utrumq; Imperatoriarũ uirtutum prorſus expertem cognouiſſent. Vt autem illos etiam leonibus tigribus'ue immaniores fuiſſe concedam, antequã Luculli ſubderentur imperio, primum tamẽ ſtrenui ducis, qualem Lucullum Landus cenſet, officium erat, corruptos priſtinæ militaris diſciplinæ obſeruationi reſtituere, ſeditioſos ſenſim punire, intractabiles manſuefacere, deſertores acerrime perſequi, demum in quencunq; caſum pro republica, proq; ſeipſo paratos habere. Niſi enim Imperatores dicto audientes milites reddant, nullo pacto fieri poteſt, ut immortale aliquod facinus à quantumuis ſtrenuo exercitu patretur. cuius rei palmam Cæſari inter Romanos, inter exteros Annibali defero: cum noſter (ut oſtenſum eſt) non modò in barbaros, ſed in patriam etiam ſuos promptiſſimos duxerit: ille uerò per multos annos in hoſtili ſolo commoratus, nunquam ferè aliquam inter diuerſarum nationum linguarumq; milites ſeditionem oboriri ſiuerit. quod ijs artibus, quæ Lucullo defuerunt, factum interpretor: nempe liberalitate erga milites, ſeueritate in puniendis ſontibus, & quæ cuiuis hominum generi gratiſſima eſt, quũ tempus poſtulat, humanitate: pro quibus in Lucullo auaritiam ipſi Legionarij milites uacuis quandoq; in Imperatoris conſpectu proiectis marſupijs carpſere, patientiam ab initio quoq; eius conſilia moderantes irriſere, ſuperbiam autem palàm clanculumq; perpetuis morſibus inſectati ſunt. Quæ cum mihi in mentem ueniunt, mirandum non duco, ſi Mithridates in eius oculis priſtinas uires recepit, ſi Triarius ab eodem non ſine magna Romanorũ ſtrage ſuperatus fuit: ſi deniq; ipſe Lucullus turpiſſime cum ſuis militibus paciſci coactus eſt, eos ſi proxima æſtate ſecum morarentur, quamuis nemo interea pugnaturus occurreret, à militia miſſos fore. Hæc & alia his ſimilia ſunt, quæ tuũ Lucullum Lande ad Cæſaris amplitudinem aſcendere non permiſerunt. quorum ſi quid parum ſincere à nobis prolatum ſentis, mendacij me, & malignitatis etiam ſi mauis conuince: ſin autem cuncta ſe ita habuiſſe fateris, Lucullum poſthac cum Cæſare me authore non conferes. Ac ſi abiecta ſpe, quam de eo conceperas, quemnam Cæſari opponas non reperies, Arlenio exteros nominandi poteſtatem facies. De Luculli enim eruditione eloquentia'que plura non ſunt dicenda, cum ab eo tam multa contra militaris diſciplinæ præcepta commiſſa ſint. Tum Landus: Profecto quanto magis magisq; cogito Floride, inquit, dabit hic tuus mihi Cæſar magnam negocij uim, ita callide quatuor me iam inſignibus Imperatoribus priuaſti: nec quicquam ſe mihi adhuc obtulit, quo tuas rationes citra cauillandi ſtudium à me confutatum iri ſperarim. Quoniam

niam

niam tamen res noſtræ in tam anguſtum locum nondum abs te detruſæ ſunt, quin plurimi ſuperſint, quod maximè cupimus nobis effecturi, de Lucullo tecum amplius nõ contendam: ſed Cæſari eum cum alijs quos hactenus nominauimus poſtponendũ eſſe, nequaquam inficias ibo: dum eodem ipſe iure mecum te acturum ſpondeas, ſi quem in hac arena ſtatuero, cuius in bellis uirtutem magis quàm omnia Cæſaris geſta admirari debeas. Adducam autem Q. Sertoriũ, cuius quanquam non tam illuſtre quàm Cæſaris nomen uulgo habeatur, rerũ tamen geſtarũ magnitudine facile noſter Cæſarem uincit: Eiusq; militaria facinora (ſi hæc quoq; mihi ſe ordine ſuggeſſerint) explicare incipiens, ne illa quidem poſthabuero, quæ in primis ſtipendijs iuuenis adhuc Sertorius fortiſſime geſſit, è quorum ordine illud non aſpernandum fuit, quòd ſub Scipione aduerſus Cimbros eques in Gallia pugnans, cum Romanorũ res ſiniſtrè cedere animaduertiſſet, ipſe amiſſo equo ſaucius Rhodanum, latum, rapidiq; curſus amnem thorace ſcutoq; onuſtus tranauerit: ſub hoc tantæ ſpei principium, ad Marium ſe contra eoſdem hoſtes bellum gerentem contulit, eiusq; conatus, ut notiſſimũ eſt, maximè iuuit. Perterrefactis namq; illius militibus, tum ob ingentem barbarorũ multitudinem, tum ob eorundem in pugna moris ignorantiam, ipſe Celtica ueſte per Cimbrorum caſtra uagari, ac omnia hoſtium conſilia ad Marium referre non timuit. Quas ob res cum iam nõ mediocris inter Romanos nominis eſſet, tribunus militũ ſub Didio prætore in Hiſpaniam miſſus, ſuam gloriam mirum in modum auxit, atq; inter Hiſpanos magni nominis haberi cœpit, inſigni admodum edito facinore: quod quemadmodum ſe habeat, dum refero, attentas mihi obſecro (ut antea feciſtis) aures prebete. Quũ Quintus Sertorius in opulentiſſima nobiliſſimaq; Hiſpaniæ urbe, cuius nomen Catalonem fuiſſe opinor, cum ſuis cohortibus hyemaret, eiusq; milites, uel quod rerum inopia laborarent, uel quòd milites ſemper moroſi, imò Scyronis Autolycïq; ſimillimi fuerunt, petulantius cum Catalonenſibus agerent, quàm ut ęquo animo ab ijs tolerari poſſent, in Romanos illi ſic inſultantes coniurare, uicinãq; ſibi urbem adiungere adacti ſunt. Ab ea igitur profectis auxiliaribus copijs noctu in urbem receptis, ad militum cædem paſſim diſcurrerunt. Cumq; Sertorio contra oppidanos, ijsq; additos Gyriſenos nocturno tempore diſperſis militib. nullum niſi deſperatum conſilium ſupereſſet, ſic tamen periculum repente oblatum ab ſe propulſauit, ſic in hoſtes cõuertit, ut & Catalonenſes, quiq; cum ijs contra ſe ac ſuos arma cœperant, propè ad internecionem pulcherrimo cõmento delerit. Primo etenim intra urbem clamore accepto, cum paucis quos ſecum habebat, extra urbem prolapſus, ubi eos milites, quos fuga ſibi ſalutem comparare deprehendit, in unum collegit, longo circuitu ad portam quæ Gyriſenis patefacta fuerat perrexit, eaq; occupata, & militum cuſtodiæ relicta, ne quis incluſorum ſe properet, ad cõiuratorum cædem diſcurrens, omnes qui per ætatem arma ferre poſſent occidit: tum cæſorum ſpolia ſuos ſibi inducere iubens, eadem porta egreſſus eſt, reliquosq; Gyriſenos ueſtitu deceptos partim obtruncauit, partim in ditionem receptos uendidit. Quod ego factum tam excellens, tam laudabile fuiſſe autumo, ut cum pleraq; maioribus forte uiribus uel à Cæſare, uel ab alio quouis geſta non diffitear, nihil tamen aſtutius, atq; in extremis rerum anguſtijs conſultius, promptiusq; effici ualuiſſe, uel iuratus affirmare ſoleam. Sed illud idem, quale Romano populo uiſum ſit, ex rei euentu manifeſte collectum eſt. Cum primum enim Romam redijt, Ciſalpinæ Galliæ quæſtor deſignatus, Marſico bello inſtante iniunctum ſibi à republica negocium dili-

gentiſſi-

gentiſſime, ſummáque celeritate, milites deligendo, atque omnis generis arma telaq; præparando, perfecit: magnam ad quemcunq; magiſtratũ obtinendum iam authoritatem aſſecutus, niſi fortuna ei in magna rerũ felicitate ſe oppoſuiſſet: hoc eſt, niſi ingens ciuiliũ bellorum ſtrepitus, tam Romanam urbem, quàm omnes etiam colonias peruaſiſſet, concitaſſetq;. In quo cum Sertorius Syllanis partibus ob tribunatus petitionem infenſus, Marianas ſecutus eſſet, nihilq; in eis penſi, ſed omnia furoris crudelitatisq; plena offendiſſet, magis officij iure quàm propria uoluntate compulſus, tertiæ cum C. Mario Cinnaq; copiarum partis Imperator urbem ingreſſus eſt: ea tamen poſt uictoriam animi moderatione uſus, ut nec quenquam præ iracundia interfecerit, & multa millia ſeruorum, qui ſub Mario militantes nullum cædibus, ſtupris, direptionibus, incendijsq; finem facerent, interemerit. Poſtquam uerò neq; hoc quidem ad ſedandas urbis calamitates ſatis eſſe, ſed cuncta indies ſæuitiæ genera magis magisq; in ea exerceri, bellicasq; præterea res temere adminiſtrari dignouit, in Hiſpaniam redijt, imminenti tempeſtati tantiſper ceſſurus, dum ſano alicuius conſilio reſpublica priſtinæ tranquillitati reſtitueretur. Pluris namq; mediocres incolumi urbe Roma honores, quàm ſummum ea oppreſſa magiſtratum faciebat. Proinde ordinatis Hiſpaniæ rebus, iuſtoq; iam exercitu ex Romanis, quos ibi offenderat, coacto, Marianas partes prorſus extinctas, Syllam autem rerum potitum cognoſcens, id fore ratus, quod poſtea re ipſa expertus eſt, aliquem uideli cet contra ſe ducem à uictore miſſum iri, legatum cum quinq; militũ millibus ad Pyreneas arces occupandas, hoſtesq; tranſitu prohibendos mature proficiſci iuſſit. At eo per dolum perempto, cum Annius magnas in Sertoriũ copias duceret, isq; debiliorem ſe cognoſceret, quàm ut cum tantis copijs prælio decertare deberet, nouam Carthaginem petens in Libyam traiecit, uarijsq; caſibus aliquandiu iactatus, aliqua etiam inter barbaros non ignobilia facinora edidit: quæ uolens ſciensq; omitto, ut ad illa pergam, quæ ex Africa reuerſus in Hiſpania geſſit. Primo namq; Luſitaniam occupauit, tum ei coniunctam Hiſpaniæ partem inuaſit, tribus aut circiter mixtim Romanorum Afrorumq; millibus ſtipatus. Sed enim quatuor his Luſitanorum millibus cum exiguo equitatu adiectis, incredibilia propè, quæq; (niſi & uos ea legiſſetis) fabuloſa uiderentur, aduerſus quatuor Romanorũ exercitus, in quibus peditũ centum uiginti, equitum ſeptem millia fuiſſe perhibent, edidit. Cottam ſiquidem nauali prælio uicit, Phidiam prætorem fugauit, Domitium proconſulem profligauit, Toranium à Metello miſſum cum omnibus copijs deleuit, Metellum ipſum in maximas anguſtias redegit: deniq; qui poſtremum Romanæ reipublicæ præſidium credebatur, Cn. Pompeium bellica tum gloria florentem, contra eum à Senatu mitti opus fuit. Videtis porrò, quot uictorias quàm paucis percurrerim, dum magna illius facta abſq; ullo uerborum ornatu ſatis illuſtria eſſe demonſtrare geſtio. Verum & quæ reſtant ſedulò attendite, ne primo Pompeij in Hiſpaniam ingreſſu, aut conſternatum animo Sertorium ex ea prouincia exceſſiſſe, aut prælio fuiſſe ſuperatum falſò opinemini, cum ipſius Sertorij res longe clariores ram apud Hiſpanos, quàm apud ipſos Romanos uiſæ fuerint, poſtquam Cn. Pompeium, qui ob ſingularē uirtutem Magnus appellabatur, ſuperauit. quàm cum Metellum omnibus artibus eluſerat, eluſumq; ſæpenumero turpiſſimè fugarat. Sic enim credebanr, Sertorium iuuenem cum Metello iam ſene bellantem, iuueni ac Syllanę factionis principi Pompeio, cui & lectiſſimus exercitus, & quanta quidē per ætatem eſſe poterat experientia non deeſſet, facillimè terga daturum.

daturum. Cæterum errare illos qui ſic exiſtimabant, nõ multo pòſt declarauit. Lauronum namq; oppidum obſidens, ubi Pompeium aduerſus ſe aduentare cognouit, ab obſidione non deſtitit, nouoq; duci, quem Syllæ quandoque diſcipulum uocabat, quiq; glorioſè aduerſarium à ſe quaſi retibus implicitum detineri iactauerat, ſex militum lectiſſimorum millia, quæ eius ſi prælium committeret terga inuaderent, in prioribus caſtris relicta oſtendens, ducis officium eſſe magis quæ poſt terga, quàm quæ ante eſſent proſpicere, eundem docuit.

Quapropter cum Pompeius ſic ordinatis à Sertorio rebus, nullã obſeſſis opem ferre ualeret, eius oppidi, quod omni ſtudio ſeruare contenderat, excidium incendiumq; non abſq; magna partæ iam gloriæ iactura ſpectauit. Imò commiſſo apud ~~Turonē~~ [Sucronem] prælio, cum Sertorius in eo cornu ſtetiſſet, è quo Pompeium pugnam in.turum ſperabat, ut cum duce dux, propriarũ uirium, ingenij roboriſq; periculũ faceret, in ipſoq; belli ardore ab altera parte ſuos à Pompeio premi intellexiſſet, omiſſo Afranio (nam is ſiniſtro hoſtis cornui præerat) tanto impetu in Pompeium irruit, ut eius cohortes uictoria exultantes fugarit, ac penè ipſum Imperatorem obtruncarit: illius certè uel uiui corpore, uel mortui cadauere potiturus, niſi auari milites, dũ de Pompeiano equo aureis phaleris gemmiſ'que ornato contendunt, inſperatam ei fugiendi occaſionem præbuiſſent.

Verũ quòd ab altero cornu ſuos, poſtquã ab eis ipſe diſceſſerat, ab Afranio uictos, ac uſq; in caſtra compulſos, ſuperato Pompeio intellexit, tam facile uictor Afranium profligauit, quàm Pompeium fecerat. Quod niſi Metellũ cum alio exercitu aduentare ei fuiſſet nunciatum, de Pompeio ſanè eiuſq; copijs actum erat: dicente Sertorio, Niſi anus ea ſuperueniſſet, (intelligebat autẽ Metellum) facile ſe puerum illum uerberibus caſtigatũ in patriam remiſſurum. Alio quoq; prælio in Saguntino agro geſto, cum duob. exercitibus, nempè cum omnibus Metelli Pompeij'que copijs concurrens, tam ſtrenuè ſe geſſit, ut Memmium in Pompeij exercitu præſtantiſſimum interfecerit, ac pugnans uſq; ad Metellum peruenerit: qui pilo etiam grauiter ictus, cum omnibus copijs à Metello fuiſſet extinctus, ſi milites ueteris Imperatoris uulnere commoti, quicquam uirium in repellendo aduerſariorum furore remiſiſſent. Nec ignoro ab ea, de qua loquimur, pugna Sertorij copias in fugam uerſas, ipſum'que in montanum ſe oppidum recipere compulſum fuiſſe. Si tamen rei exitum animaduertamus, Sertorij uirtutem tunc demum, quum ſiniſtram fortunam paſſus eſt, enituiſſe comperiemus. Nam omnem in ſe hoſtium uim, quaſi propoſita urbis expugnandæ ſpe deriuans, qui nouas copias cogerent miſit: atq; ad coactas ipſe tanto ſcilicet Pompeij Metelli'que, & duorum quibus præerant exercituum incommodo peruenit, ut ij terra mariq; obſeſſi, ſimul in eadem prouincia præ cibariorum inopia hyemare nequiuerint. Ne'ue reliqua, quæ unicus hic Imperator aduerſus duos, quos modo nominauimus, duces gnauiter geſſit explicem, uel ex hoc ea liquido diſcimus, quòd Metellus, poſtquam Sertorium bello inſuperabilem eſſe reipſa intellexit, ijs qui aduerſarium uel ferro uel ueneno ſuſtuliſſent, præmia propoſuit: tacita confeſſione hoc planum faciens, quod toti ferè orbi erat perſuaſum, Sertorium omnium qui uiuerent bellica diſciplina excellentiſſimum, ui ſuperari non potuiſſe, domeſtica proditione potuiſſe. Quanquam Perpennæ, eorum qui in Sertorium conſpirauerant principi, non Metelli præmijs, ſed inuidia moto, potior fuerit priuata tyrannidis ſpecies, quàm patriæ ſalus: quod mox cum Pompeio prælium committens indicauit. Illud tamen miſſum non fecero, Sertorium magis à Syllana factione, quàm à libera patria rei-

publicæ hostem iudicatum, nunquam eo animo quicquam gessisse, ut Romanam libertatem occuparet, sed aduersarum partium furori pro uiribus uoluisse resistere, optimum alioqui ciuem, patriæ'que amantissimum, qui quidem priuatus in urbem (si sibi permitteretur) redire non recusauerit: atque aliquando malle se ignobilem inglorium'que in patria uiuere, quàm exulem omnium aliarum urbium imperium obtinere, dixerit. His tam multis, tam'que gloriosis Sertorij rebus gestis, priuata de eo hominum iudicia non subiungam, si ad ea quæ explicauimus, hoc præterea addidero. Q. Sertorium è patria eiectum, barbaris que imperantem, Metelli prudentiàm, Pompeij robur, Syllæ fortunam, ac denique Romanam potentiam superasse. Hunc igitur C. Cæsari præferendum esse opinor, & Floridum idem affirmaturum sat scio. Hic ego: Non possum, inquam, Lande, quin immortales tibi gratias agam, quod tam familiariter, quem'nam D. Iulio sim antepositurus, conijcias: quum producti à te ducis magnitudinem sustinens, aut causam prorsus deserere, aut friuola, ut Cæsarem quomodocunque defendam, commentari cogar. Verum eò nondum adducti sumus, ut quicquam de Cæsaris inter Imperatores primatu dubitemus. Sed quod quatuor tibi alij egregij duces confectũ non reddiderunt, ne per Sertoriũ quidem consequeris: cui tamen in bellica disciplina tantum defero, quantum nec Lucullo, nec Mario, nec Syllæ, nec Marcello tribuendũ censeo. Is enim si Marcello non promptior, prudentior tamen cautiorque fuit, trium autem reliquorũ præcipuas uirtutes æquauit, cæteris (nam singulis multa defuerunt) citra controuersiam eorum unumquenque antecessit, omniũ fortè præter Cæsarem in Romana republica, quod ad militarem artem spectat, eminentissimus futurus, nisi maius ei aduersum fatũ, quàm hostiles manus negocium fecissent. Si ergo de egregijs Romanorũ Imperatoribus loquimur, nemini dubiũ est, quin Sertorius honestissimũ inter eos locum obtineat: At si de Cæsare, quem extra aleam (ut dixi) ponendũ iudico, non est quod Sertorium uel Cæsari anteponendum, uel æquandũ credas, tum quòd utriusque gesta numero amplitudineque plurimum differunt, tum quod Sertorius aduersam nonnunquam belli sortem passus est, cum Cæsar semel tantum tumultuaria pugna uinci ualuerit. Pugnauit sanè & feliciter contra Hispanos Sertorius: at Cæsar eosdẽ, ut ostendimus, quæstor domuit. Sed Sertorius duos Romanos Imperatores Pompeiũ ac Metellũ sæpe uel elusit, uel fudit: atqui Cæsar eundẽ Pompeiũ (Metellus enim inter raros duces neutiquam refertur) non iuuenem ut Sertorius, sed post multas uictorias, præclaraque bellica facinora militaris disciplinæ peritissimũ, in campis Pharsalicis fudit, fugauitque, cum alijs Romanis ducibus exercitibusque nunquam non uictor congressus. De Heluetijs, alijsque Gallis, de Germanis, quotiescunque cum ijs concurrit, non unicum (si præliorum multitudinem, difficultatemque expendamus) triumphũ retulit. Taceo de Britannis, Afrisque ab eodem domitis: eoque libentius, quòd Sertorij gloria cum Cæsariana comparata, nõ ea est, quæ cuncta nostri Imperatoris facta minutius exprimi compellat. quandoquidem neque ipse, Lande, Sertorium persæpe uictum fuisse inficiaris: neque nos ignoramus, quòd ab eo qui Cæsarem antecellere studeat, quàmlongissimè abesse debet. Itaque nisi et hunc infra Cæsarem ponendum esse concesseris, cum breuissimè aduersus Sertorij pugnas perstrinxerim, operam dabo, ut non minus copiosè eas cognoscas, quàm nos admiranda eiusdem gesta te recitante audiuimus: licet nihil te eorum latère arbitror, qui tam egregiè quæ uoluisti recensueris. Tum Scaleius: Extra iniunctum

mihi à

mihi à uobis munus progrediar, inquit, si Landũ, quid hoc loco agere debeat, quasi sus (ut aiunt) Mineruam docere uelim. Quando tamen mea uerba, quid faciundum sit, ei præscriptura non sunt, amicè illum rogarim, ut misso Sertorio, qui certè Cæsaris metam non contigit, ad eos qui summi inter Romanos esse dicuntur, nempè ad Magnum Pompeium, ac duos Africanos sermonem dirigat, aut per eos, aut per alios nullos uoti compos futurus. Et Landus: Id quidem ago, inquit. Sed res ut uideo ad Scipiones tota est transferenda. Floridus enim Cn. Pompeium iure in hanc arenam produci non sinet, cum semel à Cæsare in Pharsalia uictus, maximos triumphos, quos in singulis ferè terrarum orbis partibus adeptus est, uehementer obscurarit. Tunc ego: Scito inquam Lande, me Cæsaris magnitudini ea omnia deferentem, quæ unici atque inimitabilis Imperatoris excellentiæ tribui possunt, uel si eam illi uictoriam adimerem, Pompeijq́ facta ne tantillum quidem ob tam aduersum prælium imminuta fuisse concederem, nihilo tamen minus Pompeium socero non modò non superiorem, sed multò etiam inferiorem fuisse commodissimè demonstraturum. Atqui si hac conditione mecum Floride te acturum polliceris, inquit Landus, ut omissa Pharsalica pugna, quam nec Cæsaris gloriam auxisse, nec Pompeij minuisse condones, quod maximè in uotis habeo, proculdubio perficiam: cum apud omnes receptum sit, Cn. Pompeium, nisi à Cæsare in Græcia uictus fuisset, primum locum nemine repugnante, tum inter Romanos, tum inter Græcos barbaros'que Imperatores sibi fuisse uendicaturum. Et ego: Quid alij de Pompeio, si Cæsarem nunquam nouisset, senserint, mea nihil refert, inquam: dum rationes potiores, quàm cuiusquam placita habeantur. Iam si & ipse eorum opinionem solo consensu probas, putas'que te nobis quasi magistratum gerentem quicquam edicere, pluribus uerbis de hac re mecum non differas: cum liberum itidem tibi sit, Thersitem omnium Græcorum pulcherrimum, bellicosissimum'que fuisse iurare. Sed si nobis idem persuasum esse uis, posthabitis reliquorum de Pompeio iudicijs, rem ipsam, prout hactenus fecimus, aggredere: nisi & hunc, antequam longius progrediamur, cum Marijs ac Marcellis in ordinem redigendum affirmes. Tunc Arlenius: Obsecro te, inquit, Lande, tam pulchram tibi oblatam occasionem arripe, ac superuacanea missa fac, ne Floridus, qui rem omnium maximè memorabilem se Pompeio condonaturum promisit, à sententia discedat, unius'que tantum pugnæ causa ex hoc certamine eundem (& fortè non immeritò) excludat. Rectè mones Arleni, ac tuo hortatu amplissimas Pompeij res narrare incipiam: inquit Landus. Hoc tamen ante omnia dixero, non talem me mihi unquam uisum, cui tantum negocium tentanti, quantum M. Cicero, Latinorum oratorum decus, non satis exactè à se perfectum iri sperarit, uires sint responsuræ. Quoniam autem in sermonem de Imperatorum præstantia incidimus, ut potero, si ut uolo non licuerit, bellicas Magni Pompeij res gestas percurram. Verum quòd Floridum ne M. quidem Tullij de eo sententiam magni facturum scio, Tullianas sententias cum aptissime possem, in hunc sermonem non transferam, sed rem ut se habet purè simpliciter'que explicabo. Tunc ego: Nolim Lande, inquam, mea uerba in eam partem accipias, ut summorum uirorum tam de ducibus, quàm de alijs rebus opiniones prorsus reijciam. Meis namque me telis confoderem, qui eiusdem M. Ciceronis uerbis, Cæsaris gloriæ quasi fundamenta iecerim, ac quotiescunque opus fuerit, uel poëtarum ipse pro Cæsare testimonia produxerim, uel te pro alijs proferentem tacite laudarim. Cæterum

quia cum primum de hac re disceptare cœpimus, magis rationibus quàm priuato quodam iure, Cæsari me in militari disciplina principatum asserturum spopondi, ut certè nullius asperner iudicium (dicam ingenuè) maiorem rebus ipsis, quàm peculiaribus cuiusquam, uel maximè egregij scriptoris affectibus fidem in huiusmodi opere adhibeo: præsertim quòd qui de ducibus sententiam tulerunt, uel rem alius despicere non laborarunt: uel suam causam agentes, magis quod sibi pro tempore ex usu esse uident, quàm quod uerè credant, frequenter asserere consueuerunt. Qua ratione cum M. Cicero Cn. Pompeij gloriæ manibus (quod aiunt) pedibusq; faueret, nullum sibi in extollendis eius laudibus quem ad Mithridaticum bellum mittendum esse persuadere nitebatur, terminum præfixit. Proinde si eius in oratione pro lege Manilia uerba attendamus, non est cur Cæsarem, aut ipsum etiam Martem belli deum cum eo conferendum dicamus. At si quid alio loco de Pompeio scripserit ob oculos ponamus, eum Pompeium, quem in senatu omnibus eloquentiæ neruis laudarat, lònge ab eo abesse dignoscemus, de quo ad Atticum scribens, ita inquit: Vidi hominem decimo quarto Cal. Februarij plenum formidinis. ipso die sensi quid ageret, nunquam mihi postea placuit: nec unquam aliud in alio peccare destitit. Nihil interim ad me scitè, nihil nisi fugam cogitare. Quid quæris? sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienantur immundæ infulis, nudæ decore: sic me illius fugæ negligentiæq; deformitas auertit ab amore. Nihil enim dignum faciebat, quare eius fugæ comitem me adiungerem. Sed & nimius suorum amor, & inuidia, plerumque iudicijs authoritatem adimit. Quæ cum dixissem, tum Landus: Faciam ut uis Floride, inquit, nec quicquam mihi in hoc negocio sic præscriptum putabo, ut magna compendio, si uelim, & parua longiori interdum oratione prosequi prohibear, quando non de uerbis (ut ais) sed de ipsa re potius in præsentia disserimus. Vtq; militarem Pompeij eloquentiam non illam mediocrem bellicis negocijs præmittam (summis namque rebus prolatis, ad minores præterea non descendam) M. Tullij testimonio, Magnum Pompeium summum in forensi laude oratorem esse potuisse, si non militaria quàm forensia studia maluisset, confirmabo. In Bruto enim sic ait: Meus autem æqualis Cn. Pompeius, uir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. Sed his posthabitis, ut Pompeium à Cæsare in eo genere uictum fuisse non negem, hoc tamen mihi nemo non concesserit, Pompeium eloquentia ualuisse tantum, quantum ab excellentissimo Imperatore exigitur. Prima tamen bellica eius facinora (ut maius opus moueam) periculosissimis bellorum ciuilium temporibus edita sunt, nempe cum Cinnæ, moxq; Carbonis dominatus tot calamitatibus Romanam rem affligerent, ut plurimi iam non libertatem, sed mitiorem dominatum quærentes, ad Syllam confugerent. Cuius rei indignitatem cum Pompeius iniquo animo ferret, tertium ac uigesimum agens annum, quòd in Piceno præter possessiones permultas ueteres que necessitudines habebat, parum se dignam rem facturum ratus, si & ipse tanquam exul, nullumq; patriæ præsidium afferens, ad Syllam se conferret, Picentum animis prius tentatis, iustum sibi conflauit exercitum, non raptim ex agris uocatum, sed eo habito delectu conscriptum, quo si aut Consul creatus, aut Dictator fuisset dictus, acriorem habere non potuisset. Hoc bellico apparatu fretus cum ad Syllam proficisci maturaret, antequam quò uolebat perueniret, cum tribus hostium ducibus, tribusq; exercitibus prælio contendere coactus, in iuuenili ætate nihil quod con-

quod consummatissimi Imperatoris experientia posceret non ostendit. Cum enim hostes in se ac suos tripartito inferri animaduertisset, ad Brutum (hic erat ex ducibus unus) audacter conuersus, equestri certamine eum, Gallico etiam equitatu formidabilem fudit: cuius etiam præfectum, qui in omnibus hostium copijs robustissimus esse dicebatur, transfixit. Quæ res aduersariorum exercitus dissipauit, & Marianæ factionis principib. plurimas urbes, plurimorumq; ademit suffragia. Syllanis autem partibus singulari fuit adiumento. Post eam namque uictoriam, neque consul Scipio, cum eum opprimere conaretur, quicquam illi obfuit, à militibus protinus destitutus: neq; Carbo emisso in eundem apud Arsam fluuium magno equitatu, quod uolebat perfecit. Fefellit autem ita rem gerens Pompeius nõ Marianos modò, sed ipsum etiã pro quo arma sumpserat Cornelium Syllam: qui ut magnam in illo indolem cognouisset, non tamen tanti eundem in militari disciplina æstimabat, ut per tot aduersariorum exercitus uictorem ad se euasurum crederet. Ideòque quum primum egregios iuuenis conatus cognouit, ei opem laturus cum exercitu properare cœpit. At ubi illum quæ diximus felicissimè, ac ultra iuuenilium annorum sortem perfecisse intellexit, quibus eum honoribus decorarit, hîc dignoscimus: quòd ipse prius ab eo eiusq; copijs pulcherrimè instructis Imperator salutatus, eum mox itidem prętér omnium sententiam Imperatorem dixit, qui nondum per ætatem in senatum erat receptus. Huiuscemodi Pompeij quasi summarum rerum, quæ postea gessit, prælndia, si uerbis efferre nitar, uerendum mihi erit, ne si in paruis occupatus debilior quàm res postulet deprehendar, cum ad maiora uenero, negocij amplitudine absterritus ea prorsus omittere compellar. Post hęc ergo Cn. Pompeij gesta Cornelius Sylla rerum iam potitus, maximum sibi suisq; in eo præsidium fore ratus, omnibus sibi eum rationibus deuincere cogitans, priuignam illi suam in matrimoniũ dedit, & quascunq; tantæ spei iuuenem ad maximas dignitates promouendi occasiones potuit, ei libentissime detulit. Quare cum nunciatum esset Perpennam Siciliam occupasse, Domitium'que cum magna eorum, qui proscriptionem fugerant, manu in Africa nouas res moliri, eundem continuo ad tantos motus sedandos, iam'que imminentia bella extinguenda misit: de cuius uirtute tantus erat etiam inter hostes rumor, ut Perpenna ex prouincia, quam occupauerat, ilico discesserit. Sed maius adhuc supererat opus, nempè Africam à Domitio liberandi. Vix itaque miseris Siculorum rebus prospexerat, quum senatusconsulto in Africam à Marianis occupatam transmittere iussus est. Angebat enim tum Syllæ, tum Syllanorum animos, tanta hostium uis in ea prouincia, quæ Italiæ opposita est, collecta, quantam mediocribus belli apparatibus neutiquam deleri posse apparebat. Verum Pompeius ad Italiam eo terrore liberandam delectus, nihil sibi ad celeritatem diligentiamq; reliqui fecit. Quin cum sex legionibus in Africam delatus, tantum hostibus pauoris incussit, ut septem eorum millia, qui in Domitij exercitu erant, quamprimum in Pompeij castra transfugerint. Domitius tamen ubi Pompeium ab se non multum abesse cognouit, ad committendum prælium paratus, eum asperam quandam uallem cũ instructo exercitu superare pluuijs ac uentorum, qui matutini flabant, uehementia prohiberetur, Pompeius arrepto tempore suas copias in implicitum penè hostem immisit, tam læto eo prælio sui consilij successu, ut ex uiginti hominũ millibus uix tria fugerint: nec prius ipse à suis Imperator appellari uoluerit, quàm illi stantem adhuc Domitij uallũ deiecissent. Hoc pacto & hostiũ castra direpta sunt, & Domitius extinctus est, quicq;

f 3 cum eo

cum eo militabat Hiarbas Rex, in Romanorum potestatem uenit. Ad hæc urbes omnes, quæ post Domitij aduentum fidem mutauerant, partim se uictoribus dediderunt, partim ui captæ sunt. Ipse autem Pompeius tam prospera fortuna innixus, in Numidiam, antequam ex Africa discederet, cum exercitu accessit, ac quæcunque loca peragrauit, Romanæ ditioni adiecit. His ut felicissimè, ita celerrimè perfectis, liberatáque tanto periculo patria, ad reditum se ac suos accingebat: quum redditæ à Sylla literæ, ei ut exercitum dimitteret, unáque tantum retenta legione, successorem operiretur iniunctum est: quod ipsius animum non mediocriter quidem commouit, milites uerò sic acceperunt, ut eum uel nolentem contra Lucium Syllam Imperatorem dicere uoluerint. Præcipua tamen, quæ homini innata erat, fides, militum ardorem à tanto facinore admittendo retraxit: quo sanè nomine adeò Syllæ gratus fuit, ut in Italiam reuersus, Magnus ab eo sit appellatus: quamuis pro rebus à se gestis triumphum petens, ab eodem suffragium primò non tulerit, ijs solis triumphandi ius lege concedi dicente, qui aut Dictatores, aut Consules, aut duces, suis auspicijs bella gessissent. A quo enixius mox suam causam agens, remis (ut aiunt) uelis'que adiutus est: libera Pompeij audita uoce, plures esse qui orientem, quàm qui occidentem solem uenerarentur. Vt'que quanta eas res, quas hactenus quidem commemorauimus, gloria inter Romanos subsecuta fuerit, cognoscatis, non tantum Syllano parem apud populum fauorem sibi post Africanum triumphum, sed maiorem etiam conciliauit, quippe qui inuito etiam Sylla Lepidum consulem crearit. Ex qua re uehementi angore Syllam affectum memorant, quòd serpentem sibi quodammodo sinu fouisset: si modò quicquam parum è republica futurum, aut Syllæ aliquam pestem illaturum, Pompeius unquam molitus est. Id sanè obscurum non habetur, Syllam magis ne eum quem ipse ad summum gradum euexerat, perderet, quàm quod Pompeium ultimis temporibus aliquo amore prosequeretur, tantam hominis in Romana ciuitate potentiam tulisse. Neque enim cum multis quoque alijs amicis multa testamento legasset, ullam Pompei mentionem fecit, licet Pompeius uiuentis Syllæ mortuique rebus omnia semper benigni gratique animi signa, huiusmodi leuiuscularum rerum oblitus exhibuerit. Sed ut reliqua tanti Imperatoris militaria facinora strictim percurramus, cum is Lepidus, quem aduersante Sylla Cn. Pompeij suffragia ad consulatum euexerant, rempublicam perturbare cœpisset, collegam'que Catulum bonorum partes defendentem oppugnare non desisteret, unus certe Pompeius Romæ inuentus est, quo duce tam seditiosus Consul sepultas iam quidem factiones excitans, opprimi posse uideretur. Ei igitur eius rei cura demandata est. Quocirca huic bello summa celeritate summam manum imposuit: nisi quod Mutinæ, in quam Brutus Lepidi audaciæ assertor se receperat, aliquandiu, ut citeriorem Galliam penitus liberaret, subsistere coactus, Lepido tempus dedit, & ad urbem cum exercitu eundi potestatem fecit. Antequam tamen aliquem Romanis terrorem facinorosissimi ducis aduentus inijceret, literis eos Pompeius confirmauit, se absque ullo certamine hostem uicisse significans. Nec porrò eorum spes frustratus est. Lepidus namque ubi Brutum se, copias'que Pompeio dedidisse cognouit, liberam Italiam Romano senatui relinquens, maxima laude Pompeium ornauit. Quem quia fortuna tanquam Herculem quempiam malorum auerruncatorem Romanis rebus delegerat, orto in Hispania molestissimo Sertoriano bello, euesti-

gio eum

gio cum in illam prouinciam communi senatus populique consensu mitti placuit. Contra Sertorium ergo, non tam sibi quàm patriæ natus, quasi dignum qui à se uinceretur, expeditionem parauit: contra quem uel æquo Marte pugnare, quàm arduum fuerit, nec nos penitus tacuimus, & noster Floridus (ut æquum erat) non dissimulauit. Age uerò quanta rerum mutatio in Hispania facta est, quàm primum in eam Pompeius ingressus est? Nónne multæ urbes, quæ ad Sertorium propediem erant defecturæ, in fide permanserunt? Sed quid de confirmatis urbibus dico, cum Herennium ac Perpennam duos præcipuos Sertorij duces apud Valentiam uicerit, plusquam decem hostium millibus ferro absumptis? Atqui cum ipso Sertorio congressus, ut se in difficillimo prælio gesserit, ex eo docemur, quòd cum eorum uterque tanquam uictorem se à pugna extitisse prædicaret, Cn. Pompeius sequenti die iterum de uictoria certaturus constiterat, nisi tam accensi ad pugnam animi Metelli superuentu dirempti fuissent. Occiso uerò à Perpenna Sertorio, solus Pompeius ipsum hostium ducem, ac Sertorij proditorem uicit: uni Perpennæ post uictoriam implacabilis, erga cæteros adeò mansuetus, ut nihil suprà. Hæc cum gessisset, seruile'que subinde bellum radicitus extirpasset, secundum ~~triumphum~~ facillimè obtinuit. Post quem, consulatum cum Crasso potentissimo ijs temporibus ciue inijt: in quo tribuuatum à Cornelio Sylla plebi ereptum, renitente senatu atque collega restituit: optimum, tranquillitatique admodum conueniens fore ratus, si plebeij patricij'que æquali in patria iure uiuerent. Verum hæc & similia, quæ ad hominis probitatem spectant, aliàs: nunc cæteris militaribus factis immorari certum est. Cum'que ei tot terrestribus uictorijs insigni unica deesset occasio, quæ aliquod maritimum illi bellum offerret, ut non minus rebus mari quàm terra gestis illustris apud uiuos posteritatem'que haberetur, hoc quoque quasi à dijs immortalibus donum ei oblatum est, tanta piratarum multitudine subito excitata, ut plusquam mille naues habere, multa deorum fana spoliasse, quadringentas urbes occupasse dicerentur. Quas ob res prompte se ad hoc bellum instruxit Cn. Pompeius, à populo summa cum alacritate ad tam imminens Romanorum ciuium, eisq; subditarum prouinciarum iugulis periculum arcendum Imperator dictus, cum amplissima scilicet potestate. Sed quid uerbis opus est? Intra quadraginta dies (quod uix credibile dicas) nostrum mare à piratis prorsus expurgatum reddidit. Quod an à mediocri Imperatore fieri potuerit, Floridus uiderit. Ego enim & hoc factum diuinum existimo, & illud summæ laudi eidem uerto, quòd in superandis hostibus fortissimus, uictis supplicibus ueniam non minus dedit, nequaquam ut Sylla Marius'que hominum carnifex, sed ex captiuis quoque ac deditit ijs, ut in cæteris solebat, magnum patriæ totique Italiæ commodum parere doctus: quando uiginti, aut circiter piratarum millia in uacuos agros urbes'que distribuit, ut maritimæ uitæ penitus obliti, campos paulatim exercerent, domiciliáque sibi in oppidis construerent. Iam'que unicus superstat Mithridates, qui à Sylla atque Lucullo non semel uictus, terribilior postremo redditus, Romanas res non mediocri timore afficiebat. Manilio igitur Tribuno plebis legem ferente, uti eæ prouinciæ in quibus Lucullus, Tigranes, Mithridates'que commorarentur, nempe Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia superior, Colchis, & Armenia, cum omnibus maritimis terrestribusq; belli apparatibus Cn. Pompeio decernerentur, pauci qui ei in tanta urbe resisterent, reperti sunt. Sique

nimia tibi Floride in unum potestas collata fortè uidebitur, habes Marcum Tullium, Romanæ libertatis amantissimum, cui quantopere Manilij rogatio arriserit, non est diffusius explicandum. Quòd si nec Ciceronis hac in re sententiam probas, ex ipso rerum exitu iudicare debes, quicquid unquam in se honorum Cn. Pompeius conferri passus sit, id omne Romani Imperij propagandi gratia non ambisse, sed oblatum non recusasse. Quomodo enim tot potentissimos reges, tam strenuos Imperatores ei pro Romani populi dignitate conficere licuisset, si priuatus (ut ita dicam) regulus, cum unica, aut duabus tantum legionibus, quindecim'que myoparonibus hostes inuasisset? Neque porrò hæc de Pompeio dicerem, nisi plerosq; ante nos extitisse, & nostro quoque seculo esse scirem, qui magnam in Pompeio dominandi cupiditatem immeritò reprehendant, cum communi optimorum consensu omnia illius gesta nihil aliud quàm Romanæ reipublicæ magnitudinem gloriam'que spectarint. Quòd tamen hæc utcunque accepta fuerint, Floridus se fermè floccifacere ostendit, Mithridaticum bellum ita se habet. Postquam Cn. Pompeius, quæcunque tantæ rei necessaria essent, egregiè comparauit, ad Mithridatem Romanæ militiæ longa experientia maximè peritum, nec iam aut hominum multitudini, aut armorum fulgori, sed iusto exercitui, atque ut cum Romanis pugnaturum decebat armato, se credentem, cum copijs accessit. quem ubi per multos dies obsessum (nam muro eum circumcluserat) non sine magna suorum strage effugisse percepit, nunquã intermisso itinere iuxta Euphratem assecutus est, ac per noctem etiam eiusdem exercitum adortus, plusquàm decem hominum millia ex eius copijs interfecit, hostilibus quoq; castris eodem impetu potitus: parum'que abfuit, quin regem ipsum ceperit. Id quippe satis est conspicuum, Mithridatem, quum Pompeium fugeret, cum tribus tantum equitibus ad suum se regium oppidum recepisse. Post quæ Romanus uictor ad Tigranem Armenium, à quo accersitus fuerat, se contulit: eius'que rebus compositis, Ponti regem per Caucasi montis occulta fugientem, insectari non destitit. Atqui nec per asperrima ac remotissima à nostris regionibus loca iter faciens, ab hostium incursibus non lacessitus fuit. Ingens namque Albanorum, qui bellicosissimi perhibentur, multitudo, magno impetu in Romanum exercitum inuecta, temerarij consilij pœnas statim dedit, à Pompeio penitus fermè deleta. Et horũ exemplo Iberi, multo ferociores, eundem Imperatorem necare ausi, partim capti, partim etiam trucidati sunt: quos quidem Persarũ regibus nullo unquã tempore paruisse, magni'que Alexandri imperium tantisper dum ex Iberia discederet tulisse memorant. Pompeius tamen unum Mithridatem insequens, uix iam Iberos transierat, quum Albanos, à quorum Rege icto etiam fœdere ut amicus discesserat, rebellasse intellexit. Vehementi ergo iracundia percitus, ad eos quamprimum ulciscendos reuerti non dubitauit: qui unum in locum collecti, sexaginta peditum, duodecim'que equitum millia implentes, nullo quidem negotio à tanto Imperatore superati sunt, eorum Regis fratre comminus à Pompeio interfecto. Romanus inde in minorem Armeniam iter tenuit: in qua multorum Regum, ad quos illius in bello fortitudinis, continentiæ, humanitatis'que fama allata fuerat, legatos benignè excepit: Parthorum etiam, dum eas regiones peragraret, per Afranium Armeniæ præsidem relictum, eisdem temporibus uictor. Vt'que complures præterea regiones in Romanorum prouincias redactas, legesq; alijs gentibus impositas prolixiore oratione referre desinam, ipse demũ Mithridates, cum nihil usquam à Pompeio sibi tutum con-

tutum conſpicaretur, ueneno ſibi mortem conſciuit. Hocq; pacto diuturno Romaniſq; maximè funeſto bello finis Pompeio duce impoſitus eſt. Cuius equidem præclaræ in Aſia res geſtæ (ut alia omnia diſſimulem) maiora mihi uideri ſolent, quàm quæ Magnus Alexander Græcorum Imperatorum excellentiſſimus inuictiſſimuſq;, quàm diu uixit, proſperè fecit. Quòd ſi quemadmodum es pollicitus, Pharſalicam pugnam Cæſaris gloriæ, Pompeijq; dedecori ſubtrahas Floride, Pompeium abſque dubio & Cæſare, & omnibus alijs Romanis, Græcis, barbariſq; ducibus præponi debere fateberis. Tunc ego: Quoniam ea nobis (inquam) Lande, ſedatas aures præbentibus de Cn. Pompeio recenſuiſti, quæ pro animi tui ſententia abunde quod conaris comprobare queant, tu quoque ſi haud grauatè nos omnia aliquanto diligentius ponderantes audieris, non præter rationem id Cæſarem inter alios Imperatores, quod inter alias aues Phœnicem, nobis ſemper uiſum eſſe præclarè cognoſces. Vt autem hoc facilius ab omnibus alijs qui adſunt percipiatur, & nos ſingula Pompeij militaria geſta repetentes, quatenus laudem illa, quatenus reprehenſionem mereantur, declarabimus. Prima Cn. Pompei bellica facta, hoc eſt, futuræ eius magnitudinis ſigna, inquit Landus, periculoſiſſimis reipublicæ temporibus, quum tota Italia ciuilibus flagraret incendijs, cognita ſunt: eaq; non ab adoleſcente, ſed à maturo duce, à quo plurima bella feliciſſimè confecta ſint, emanaſſe uideri poſſunt, cum antè Imperator, quàm miles, multos aduerſariorum exercitus ſuperarit. Hæc ut uerè ait Landus, ita mihi non difficulter perſuadet, quæ per id tempus à iuuene Pompeio patrata ſunt, longe maiora eſſe atque illuſtriora, quàm eorum aliquod, quæ temporis ſucceſſu triumpho digna ſunt habita. Cum enim ab eo, à quo non magna expectes, magnum quid ac immortale geri uidemus, non modò conuenientibus, ſed multo maioribus, quàm res poſtulat laudibus illum ſine aliqua uituperatione ornamus. At cum ab eo qui egregius iam communi orbis conſenſu Imperator haberi cœpit, uel parum difficilia abſque labore, aut difficilia negligenter fortè imperitéue, ne dicam temerariè, perfecta aſſerimus, illis gloriæ nō multum, his etiam dedecus impertimur. elegantiſſimè namque Iuuenalis,

Omne animi uitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Quæ licet de moribus ille præcipuè ſcripſerit, quis noſtræ ſententiæ conuenire negarit? At ita ſe Pompeij res habuiſſe, ut non ſemper ſumma tentarit, aut ſummi ducis officium uſquequaq; exhibuerit, à nobis oſtendi poſtulabit Landus. Ego uerò utrumque, niſi fallor, quàm pauciſſimis potero docere enitar. Et ſanè cum primus in Africa uicto Domitio triumphus magno huic ueſtro Imperatori, uel diu renitente Sylla decretus ſit, ut totum illud ſiue Domitianum, ſiue Africanum bellum mediocre habendum fuerit, quis tamen inter magna illud & periculoſa recenſeat? An quod Domitius cum uiginti ſeptem, aut circiter fugitiuorum millibus Africam tenens, poſt Pompeij in eam aduentum à ſeptem eorum millibus deſtitutus eſt, Africani belli magnitudinem difficultatem'que auxit? Atqui uiginti tantum millibus Domitio relictis, quid erat timendum Cn. Pompeio, & hoſtium uiribus aucto, & copioſiorem meliorem'que exercitum ducenti? Scilicet infeſta ei erat Italia, & maius à patria quàm à Domitio periculum imminebat: aut rudem tyronem ab hoſte Cornelio Sylla acceperat, nec erat unde ſtipendia eidem ſuggererentur, cum Domitius his omnibus abundaret. Sed ut hæc belli præſidia Pompeio relinquamus (ſatis enim liquet,

non fa-

non facile ijs destitutum admirabile aliquod facinus edere posse, si Cæsarem, Annibalem, Sertoriũ, & si qui præterea simili fortuna usi sunt, excipias) quamnam in conflictu Domitij uirtutem æternum aliquod gloriæ præmium illi pollicitam putas? Nónne Domitiani milites antè ordines reliquerunt, antè se in fugam coniecerunt, quàm Pompeianus exercitus ad eos peruenerit? Quàm itaque arduum sit fugientes, aut certe subsistere nõ audentes uincere, tute Lande iudicaris: nam ego paucos à Romano senatu triumphos ob leuiorem ea uictoriam concessos fuisse arbitror, nisi forte L. Sylla, quicq; triumphandi ius illi concesserunt, eius rei rationem habuere, quod dissipatis militibus multos dies ad perquirendum dirutæ Carthaginis aurum, antequam in hostis conspectum ueniretur, ridens concessit, uel quod post debellatum hostem, leonum, elephantorumq; uenationibus operam dedit. Cum igitur ob eiusmodi uictoriam Pompeius primum triumphum duxerit, minimè nos mouere debet Syllæ de eo iudicium, qui scilicet & magnum eum appellarit, & uenienti caput nudauerit, cum alijs opertum haberet: quando tyranno summo studio erat contendendũ, ut quem suarum partium quasi columen delegerat, omnibus eundem honoribus, omnibus etiam cognomentis ornaret. Verum ad secundum Pompeij triumphum uenio, cuius magnitudinem duabus se de causis magnopere admirari dicet Landus: altera quòd ex Hispania, altera quòd à Sertorio hoste uictor reuersus, nulla laude minor habebitur. Atqui ut de Hispania sileamus, (non enim quo loco quis, sed contra quos hostes bellum gerat, inprimis est quærendum) si Cn. Pompeius Sertorium uicit, egregium sanè, ac maximè laudandum Imperatorem uicit. Tu tamen Lande, quum paulo antè Q. Sertorij res gestas commemorabas, aliter (si rectè memini) censebas, & me iudice optimè quidem. Cum enim primum in Hispaniam peruenit, fœdissimũ spectaculum, hoc est Lauroni amicæ urbis incendium spectare coactus fuit: deinde collatis iuxta Sucronem signis, non aliam ob causam, quàm ob aureas equi, ex quo ictus exciderat, phaleras mortem fugit. Quorum si quicquam simile Cæsari rectè obijceres, non modò eum Cn. Pompeio, sed quouis misero duce inferiorem decerni pateret. Ac ut rei summam paucis complectar, hic tuus magnus, & maximus etiam si mauis Cn. Pompeius, non solus, sed Meteli etiam præsidio ferox, aduersus unum Sertorium exulem nulla alia re, quàm propria uirtute fretus bellum gessit, omnia quæ uicti solent incommoda semper passus. Ac nisi Perpennæ scelere tam eximius dux trucidatus fuisset, quis dubitet Pompeium, ut de Hispania triumphauit, ita in Hispania ultimam perniciem fuisse accepturum? At Perpennam occiso Sertorio superauit hic magnus, inquis. Ego uerò, si exercitum Perpennis, aut Perpenna paulo melioribus constantem, uel solo intuitu extinxisset, non magis eius uictoriæ deferrem, quàm ei qui rapacissimis lupis ouium gregem uel lacerasset, uel conuertisset in fugam. Cum enim nihil sit compertius, quàm ualidissimas copias sine præstanti aliquo Imperatore in aciem productas non multum ualere, quòd eo priuatæ sint, cuius nutu cuncta feliciter prompteque administrantur: quanto minus sunt formidandæ, quæ impuri alicuius, ac sinistro Genio nati ducis stupiditati subijciuntur? Iccirco quum de summorum Imperatorum gestis agitur, non uideo Lande, cur ob huiuscemodi facinora Pompeij triumphos tantopere suspicias: aut admodum ipse sibi placuerit Pompeius, cum incolumi Sertorio sæpius uictus quàm uictor discesserit: fraude autem à domesticis oppresso, nihil tam leue fuerit, quàm Perpennam profligare. Superest itaque tertius triumphus, maximus ille

ximus ille quidem, & si Lando credimus, nunquam satis laudatus. At si rem diligentius intueamur, non talis, qui mediocrem (ut mihi uidetur) excedat. Quanti namque faciendus fuerit Mithridates hostis, & omnes fermè Asiaticæ nationes, de Lucullo agentes attigimus. Tum quicunque is rex fuerit, certè à Sylla primo, deinde à Lucullo ita fuerat contusus, ut minima opera non modò à Pompeio, sed à quouis non imperitissimo duce eum exercitum, easq; classes habente, quæ illi à Romano populo fuerant decretæ, omnibus regnis prorsus spoliari ualuerit. Quanquã ipse Pompeius, ut erat in omnibus unicus suarum rerum admirator, L. Luculli contra Mithridatem facta, quasi umbratiles pugnas uerbis extenuaret, sibiq; rei difficultatem prædicaret relictam. Sed cum Albanis, inquis Lande, & Iberis bellicosissimis populis non semel pugnauit, eosdemq; semper uicit. Pulchrè, si æqualis sit cum ferarum pellibus contectis, ac loricis, galeis, ocreis, alijsq; telorum generibus instructis, conditio. Verum & in quodam prælio cum Albanis (ut opinor) commisso, Amazones cõtra Romanos pugnasse dicuntur: ad quas domandas unum Pompeium, tanquam Græcis Herculem, per ea tempora rerum natura comparasset. Illud mirari non desino, quo'nam pacto in tanto pugnæ feruore nulla ex earum gente inter mortuorum cadauera extincta reperta sit, licet Amazonicæ peltæ, cothurniq;, qui illis exciderant, nõ pauci à Romanis uictoribus post pugnam inuenti tradantur. An fortè egregiæ bellatrices, ubi primum nostrorum uultus conspexère, abiectis parmis, atque ut expeditius etiam fugerent, relictis cothurnis euestigio nostris terga dedere? Næ si C. Cæsar post uictorias, quas ex plurimis difficillimis'que bellis retulit, muliebre aliquod spolium inter cæsorum corpora offendisset, cum mulieribus sibi, non cum uiris negocium fuisse supra modum ingemuisset: qui suum generum felicissimum aliquando dictitarit, quòd ex ijs nationibus eximiam sibi laudem peperisset, quas ipse solo aduentu in suam potestatem redegisset. Et hæc de tribus Pompeij triumphis: quibus si quæ præterea paruæ res gestæ accedunt, non sunt in memoriam reuocandæ, cum his quæ recensuimus longe cedant. Piraticam lauream (sic enim Lucanus eam uocat) multo plus difficultatis uulgi opinione, quàm reipsa habuisse arbitror. Quandoquidem si piratæ omne nostrum mare infestum reddiderant, si in prouincias etiam præ multitudine impetum facere audebant, non aliam ob causam, quàm ob ciuilia bella, quæ Romanorum mentes à maritimis rebus ad terrestres retraxerant, factum erat. At ijs sedatis, quid mirum si eius belli cura Cn. Pompeio cum tam ampla potestate demandata, ut quoscunque uellet Senatores, quócunque libuisset legatos mittere posset, non unum, sed multa piratica bella confecta fuerunt? An non omnia monstra uicisset, si ei cui quingenæ naues instructæ, centum & uiginti peditum, quinque equitum millia essent, uel centum piratarum myriades diutius restitissent? Imò uerò desinant iam Græci mille nauium, quæ ad Troiæ olim excidium missæ sint, numerum ad cœlum extollere: desinant eius classem admirari,

Ipsum compedibus qui uinxerat Ennosigæum.

Hæc enim omnia, & si quid fabulæ propius legimus, maritimus Pompeij contra piratas apparatus facile excedit. Sed enim Pompeius cum Piratarum optimis apud Coracesium Ciliciæ pugnans (dixerit Landus) non tam nauium multitudine eos, quàm naualis rei scientia superauit. Non nego. Cur tamen tot classes à Romano populo acceperat? An ut cum ijs omnibus fugiens, in diuersas'que regiones hostes distrahens, Romanis rebus

consuleret? Minime quidem. Cæterum hoc mihi inferre Landus uidetur, piraticum bellum Romanarum tantum classium fama fuisse extinctum: ac nescio quas eorum reliquias communi sociorum sorte non contentas, prælium, ut desperati solent, cum Pompeianarum nauium robore inire ausas, ueterum latrociniorum supplicia dedisse, quum unicam tantum paulò insigniorem pugnam toto eo bello cōmissam referre ualet. Quin confer cum hoc tam periculoso bello Lande, non omnia quæ Cæsar naualibus prælijs patrauit, sed primam tantum eius in Britanniam expeditionem: si'que eam non tam forte apud Romanos, quàm piraticum bellum celebrem habitam, uel quod in remotissimis locis, incognitoq; nostris nauibus mari, uel quod multo minori nauiū numero gesta est, difficiliorē certe, ac maioribus animis incoeptā perfectamq;, quàm integrum Cn. Pompeij contra piratas bellum non diffitebere. Quis enim nescit, facilius huic fuisse per Romanorum prouincias cum maximis terrestribus maritimisq; copijs aduersus dispersos hostes, quibusq; nec unus quidem esset dux, castra mouenti, quantumuis bellum intra paucissimos dies conficere, quàm C. Cæsari Galliam tanquam lupum auribus tenenti cum duabus legionibus, ac nō multis nauibus in Britanniam descendere, in qua neque portum, neque amicum quenquam haberet? Neque uerò aliter se habent terrestres utriusque pugnæ. Pompeius etenim primò (quod omnibus, ut dixi, eius gestis antefero) nescio quos obscuros Marianæ factionis duces uicit: deinde Domitium fugitiuorū manu stipatū, tum Perpennam, seruilisq; belli fecem, postremò Amazonas in Asia superauit. At Cæsar cum Hispanis, Heluetijs, Neruijs, alijsq; Galliæ nationibus, cū Germanis, Britannis, cum ipsius Pompeij in Hispania legatis, mox & cum Iberis prospero semper euentu congressus est. Et quoniam de Pharsalica pugna tacendum est, ac paulò ante à nobis Cæsaris res gestas explicantibus eum inuitum ad ciuilia bella pertractum fuisse non pessimis argumentis authorumq; testimonijs ostensum opinor, de Pompeio, cui patriæ libertatem semper præ oculis uersatam dicunt, hæc subijciam, credibile nō esse, qui Syllæ dominatum non modò æquo animo tulerit, sed omni studio defenderit, eundem æquali unquam iure cum alijs suis ciuibus uiuere uoluisse. Quin potius cum in quacunq; magistratuum petitione aliorum metam, uel per senatum, uel per populum excedere contenderit, dubium nō est, quin si tyranni nomen ut inuidiosissimum erat, fugerit, primum tamen in patria locum obtinere conatus sit. Vtq; ad bellicam Pompeij gloriam, misso tyrannidis uel studio, uel cupiditate redeamus, quid ergo? subiunget Landus. An omnes res ab illo gestas paruipendis? Ego autem nihil minus, quàm Pompeium deprimere nitor. tametsi eum Cæsari postponendum dicam. Si enim simpliciter omnia eius facta eleuarem, nō tam uni Pompeio, quàm cunctis Romanis Imperatoribus detraherem: cum pro certo habeam, inter Romanos Imperatores, qui alijs Græcis barbarisq; longo interuallo præstant, nō postremum Cn. Pompeio locum tribui debere. Neque multos, quibus is cedere deberet, numeraremus, si post eas de quibus mentionem fecimus uictorias, cum in Campania ægrotauit, naturæ concessisset. Longæ namque uitæ nihil aliud quàm innumeras calamitates, mortemq; cum maxima priscæ gloriæ iactura acceptam retulit. quod & Satyricus poeta hisce uersibus testatur:

Prouida Pompeio dederat Campania febres,
Optandas: sed multæ urbes, & publica uota
Vicerunt. igitur fortuna ipsius, & urbis,

Seruatum uicto caput abstulit. Sed & Iuuenalem hunc locum à M. Tullio, qui & ipse in eandem sententiā scripsit, duxisse existimo. Sic enim in primo Tusculanarum libro inquit: Pompeio nostro familiari cum grauiter ægrotaret Neapoli, melius est factum. Coronati Neapolitani fuerunt, nimirum etiam Puteolani: uulgo ex oppidis publicè gratulabantur. Ineptum sanè negocium, & Græculum, sed tamen fortunatum. Vtrum igitur, si tum esset extinctus, à bonis rebus, an à malis discessisset? Certè à miseris. Non enim cum socero bellum gessisset, non domum reliquisset, non ex Italia fugisset, non exercitu amisso nudus in seruorum ferrum & manus incidisset, non liberi defleti, non fortunæ omnes à uictoribus possiderentur. Qui si mortem tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset: is propagatione uitæ, quàm incredibiles hausit calamitates? Hactenus de Pompeio Tullius, quem non minus hæc concinne candidéque, quàm uerè scripsisse, uel mediocri iudicio præditi optimè dignoscunt. Senectus itaque plurima incommoda Cn. Pompeio attulit, cumq; sanguine militarem simul ardorem in eo restinxerat: eàque de causa cum aduersus socerum belli curam suscepit, Imperatoriarum uirtutum quodammodo oblitus, cum promptissimo, & cuius animi robur nullum senium erat extincturum, inæquali sorte concurrit. Quoniam uerò Lucanus utriusque, cum ciuile inter eos bellum excitatum est, conditiones pulcherrimè, ut mihi uidetur, aliquot carminibus complexus est, non præter rem fecero, si ea proferam, nempe ut senem Pompeium cum corporis uiribus, animi quoque dotes magna ex parte deperdidisse intelligamus: quamuis Cæsarem uergente iam in senium ætate mira contra generū perpetrasse, atque ad summum magistratum euectum, quum sexagenario proximus esset, de bello Parthis inferendo cogitasse, omnium ferè historicorum fide receptum sit. Sed ipsos tandem Lucani de Cæsare & Pompeio uersus uideamus. inquit enim,

Nec coiere pares: alter uergentibus annis
In senium, longóque togæ tranquillior usu,
Dedidicit iam pace ducem, famæq; petitor,
Multa dare in uulgus, totus popularibus auris
Impelli, plausuq; sui gaudere theatri,
Nec reparare nouas uires, multumq; priori
Credere fortunæ, stat magni nominis umbra,
Qualis frugifero quercus sublimis in agro,
Exuuias ueteres populi, sacrataq; gestans
Dona ducum, nec iam ualidis radicibus hærens,
Pondere fixa suo est, nudosq; per aëra ramos
Effundens trunco, non frondibus efficit umbram.
Sed quamuis primo nutet casura sub Euro,
Tot circum syluæ firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur. Sed non in Cæsare tantum
Nomen erat, nec fama ducis, sed nescia uirtus
Stare loco: solusq; pudor non uincere bello,
Acer & indomitus, quò spes, quoq; ira uocasset
Ferre manum, & nunquam temerando parcere ferro.
Successus urgere suos, instare fauori
Numinis: impellens, quicquid sibi summa petenti
Obstaret, gaudensq; uiam fecisse ruina.

Qualiter expressum uentis per nubila fulmen,
Aetheris impulsi sonitu, mundiq; fragore
Emicuit, rupitq; diem, populosq; pauentes
Terruit, obliqua perstringens lumina flamma,
In sua templa furit, nullaq; exire uetante
Materia, magnamq; cadens, magnamq; reuertens
Dat stragem latè, sparsosq; recolligit ignes.

Hæc de Cæsare & Pompeio Lucanus: quibus uerbum amplius non addam, nisi Landus aut debilibus me rationibus Cæsarem Pompeio antepofuisse, aut quicquam à nobis pessum data historicorum fide prolatum affirmet. Tum Landus: Ego quidem nollem, inquit, de Cn. Pompeio quod totis uiribus petebam, obtinuisse, ita me facti eius uestigio pœnituit, cum Pharsalica illi pugna condonata, uel si maxime in cæteris excederet, parum lætam uictoriam esset reportaturus. Quare dimisso iam Pompeio, alijsq; Romanis Imperatoribus in secundis, aut in tertijs consistentibus, ad duo me belli fulmina Africanos confero. Quòd nisi illi Cæsari primum locum adimant, inter Romanos, qui ad illius gloriæ magnitudinem aspirare ualeat neminem esse, me neutiquã reclamante uinces. Verum quem nam prius in campum producere debeam, nondum constitutum habeo. At tu, inquit Arlenius, cum duos habeas Africanos, si præclara utriusque gesta recensere pergas,

Antè diem clauso componet uesper Olympo,

quàm mihi externorum quempiam cum Cæsare comparare liceat. Quod si me audieris, cum Maiorem Africanum haud dubie Aemyliano excellentiorem fuisse non ignores, hunc præteribis, atque in eo qui Annibalem in Africa superauit, ad primum subsellium erigendo, omnes neruos intendes. Tum Landus: Non malè conijcis Arleni, inquit, cum Aemyliani Scipionis facta illustria sint illa quidem, uerum ad patris excellentiam eum nequaquam extulerint. Sequar ergo consilium tuum, & nostro Florido negocium profecto exhibebo. Et ego: Non me fugit Lande, inquam, te per Marcellos, Marios, Syllas, Lucullos, Sertorios, Pompeiosq; uagantem, ad Africanum postremò, tanquam ad triarios esse rediturum. quin id te unum agere uidebam, quum M. Marcello non eum qui eisdem temporibus uixit Africanum, sed qui multo pôst floruit Caiũ Marium subiungeres. Atqui si hoc ego te unico præsidio deiecero, bona mihi fide spondeas uelim, te Cæsari tam amicum futurum, quàm ei esse debes, qui omnium aliorum ducum gloriam, tanquam sol minora sidera, offuscat. Ego uerò, inquit Arlenius, de Romanis exterisq; una opera à Lando sententiam ferri nunquam tulero, quando ita inter nos negocium partiti sumus, ut Romanis sibi desumptis, mihi uni Græcos barbarosque relinqueret. Proinde de Scipione ipse uiderit, dum eum qui Scipione præstantior fortè inueniri poterit, non ideo alijs externis præponat, quòd primum inter Romanos locum sit sortitus. At enim nisi Scipio à primo gradu Cæsarem deturbarit, inquit Scæleius, non admodum feliciter tecum actum iri conijcio Arleni, cum Romanos Imperatores Græcis barbarisq; tanto præstantiores fuisse sit compertissimum, quanto aurum cæteris metallis est excellentius. Istuc potius suo loco discutiemus, inquit Arlenius. Interim tu Lande tuum institutum prosequere. Ego uerò in hoc sum, inquit Landus: ac si ante omnia Ciceronianam illam in Bruto sententiam protulero, quæ est, neminem bellica laude ad Africanum aspirare posse; non dubito, quin apud æquos iudices ipsum etiam Cæsarem illa uoce, quæ est, Ne-

est Nemo, esse includendum, sim obtenturus. Quod si ita res se habeat, non est cur pluribus uerbis Africani gesta explicem. Nec porrò M. Tullium Africani id auribus dare uoluisse suspicabimur, cum ita de eo scribat, qui plurimis antea lustris decesserat. Tunc ego: Non operam sanè, quod paucis orationem tuam absolueris lusisti Lande, inquam, cum non multa uerba proferens, leuiori patrocinio causam tuam tutari non ualueris. Sed si (ut superius quoque obiter dictum est) eiusmodi iudicijs credere operæprecium est, cur non Pescennio Nigro credimus, qui quid de Scipionibus sentiret interrogatus, felices illos magis quàm fortes fuisse respondit? Hic tamen idem Pescennius, Marium atque Annibalem præter alios omnes suspiciebat, cum Cæsarem eadem qua Scipiones lance libraret. Quid Caracallus? nónne unum Alexandrum tanquam deum in cœlo collocabat? dignus qui non Romæ, sed Vlubrarum imperium uiuens acciperet. Cæterum ne M. Tullij de ducibus censuræ non semper esse acquiescendum (si modo eorum principatum Scipioni absolutè detulit) ignoremus, idem Themistoclem Græciæ principem appellat: idque mehercle paucis persuadere ualet, qui meritò Alexandrum Themistocli præferre didicerunt. Sed de alijs uirtutibus, quæ in Africano clarius quàm in Cæsare effulserunt, Ciceronem sensisse minimè ambigo, in re tam manifesta tantũ uirum lapsum esse nunquam crediturus. Aut igitur Ciceronem, quũ de Scipione ita scriberet errasse, aut Cæsarem illo in bellica laude fuisse inferiorem colligemus, dicet Landus. Imò non de omnibus ducibus id tradidisse Ciceronem, sed de ijs tantum opinor, qui Africani temporibus floruerunt: cum de C. Lælio atque Africano loquens, eloquentiæ laudem maiorem penes Læliũ, bellicæ uirtutis penes Scipionem, non tantum communi aliorum, sed & ipsorum quoque consensu fuisse afferat. Eius uerba hæc sunt: Sed est mos hominũ, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. Nam ut ex bellica laude aspirare ad Africanum nemo potest, in qua ipsa egregiũ Viriati bello reperimus fuisse C. Læliũ: sic ingenij, literarum, eloquentiæ, sapientiæ denique, etsi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Lælio. Nec mihi cæterorum iudicio solum uidetur, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse. Sicut ergo & ante & post Lælium fuere, qui eloquentia illum prudentiaque superauerint: ita nihil prohibebit, fuisse & post Scipionem alios, eo in militari laude longe excellentiores. Atque ut Africanum omnes fortè, qui ante se fuerunt, superasse non abnuerim: sic eum tantum extitisse nego, qui Cæsari uel anteponendus, uel etiam æquandus sit. Nam Titus Liuius de Scipione atque Annibale scribens, ut eos ætatis suæ maximos duces, ac quibuscunque preteritorũ temporum regibus Imperatoribusque pares concurrisse ait: ita de his qui postea fuerunt, uerbũ nullum fecit. Sũmotis (inquit libro trigesimo ab Vrbe condita) pari spacio armatis, cum singulis interpretibus congressi sunt, nõ suæ modò ætatis maximi duces, sed omnis ante se memoriæ omniũ gentiũ cuiuslibet regum Imperatorúmue pares. Hæc Liuius. Nos uerò rationibus agentes, missa hæc faciamus: atque ad rem ipsam, hoc est maioris Africani gestorum magnitudinem, numerumque Lande aggredere, nisi nunc primulum Scipionis rebus diffidere incœptas.

Tum Landus: Vt à primis Scipionis militaribus rudimentis initiũ sumam, secundi belli Punici temporibus, non aduersus mediocrem quendam, aut abiectum ducem, sed aduersus Pœnũ Annibalem tale insitæ sibi uirtutis specimen ille exhibuit, inquit: quale uix à Dentato, aut à Sergio, bellicosissimis fortissimisque militibus quisquam expectasset. In maximo etenim equestris prælij fer

uore, cum P. Cornelius Consul eius pater saucius ab hostibus esset circumuentus, sola adolescentis filij uirtute seruatus est: quasi eximiũ ab eo facinus Dij immortales prima contra Pœnos pugna edi uoluerint, cui secundi belli Punici confecti gloriam seruauerant. Et hoc quidem nõ magis patriam, quàm patrem beneficio ornasse uidetur. At post Cannensem cladem, cũ in urbe Roma omnia pauoris plena essent, Cannusiumq́ cum duorum consularium exercituũ reliquijs confugisset, consternatis militum animis, ac de relinquenda Italia cogitantibus, nõ supplicantis habitu, sed stricto super consultantium capita gladio L. Cæcilium Metellum, quique cum eo erant, rempublicam à se desertum non iri, iurare coëgit. Quod quantum Romanæ rei emolumentũ attulerit, malo ex aliorum quàm ex meo iudicio æstimari. Si itaq; sequentibus annis, cum eius pater patruusq; in Hispania cecidissent, præter eum nemo repertus est, qui illam prouinciã deposceret, si inquam uni deposcenti illa à populo Romano demandata est, non tam mihi præter legitimos annos tantus ei honor delatus uidetur, quàm ipse tanta de se apud suos concitata expectatione id iure assecutus, quod nullo alio duce iam difficilibus temporibus perfici ualuerit. Qui ergo tam ingentem rerum molem prius animo secum peregisset, quàm à populo peteret, eos milites qui L. Martio duce duos Carthaginensium exercitus præter omniũ spem deleuerant, quique cum Cl. Nerone in eandem prouinciam traiecerant, decem peditum millia, mille equites adiungens, in Hispaniam concessit. Primoq; ueris tempore aliquid facturus, quod hostibus metũ, suis autem ardorem inijceret, Iberũ cum quinque & uiginti peditũ millibus, bis mille & quingentis equitibus traiecit: ac plerisq; hortantibus, ut in proximũ ex tribus Pœnorum exercitibus irrueret, quando alij in diuersissimas regiones profecti erant, aliam belli ijs in locis gerendi rationẽ inijt. Verebatur enim, ne si unũ hostium exercitũ confecisset, ac reliqui unum in locum coiuissent, maiorem in se ac suos hostium uim deriuaret, quàm quæ absq; maxima cum tempus postularet pernicie repelleretur. Quamobrem nemini (quod in peritis ducibus summopere est laudandum) quid animi haberet, præterquàm C. Lælio classi præposito indicans, antè nouam Carthaginem obsidere cœpit, quàm aut Romanus aut Pœnus quispiã coniectura id assequeretur. Cumq; is esset eius urbis situs, qui nec terra, nec mari aditum, nisi difficillimũ hostibus præberet, tam acriter munitissimi loci presidio relictos tũ uirtute tum astu pressit, ut breui nouam Carthaginem per uim ceperit. In qua plus spei, quàm in alia qualibet Pœnos Imperatores collocasse, hinc manifeste colligitur, quod in ea Hispanorũ obsides custodiebantur, tantusq; catapultarum, maiorũ minorumq;, balistarũ, scorpionum, armorum, telorum, signorum militariũ numerus, tanta præterea auri argentiq; uis, tot tritici hordeiq; modiorũ millia inuenta sunt, quot quantaq; in præsentia non sine molesta forte oratione recensere possem. Atqui & C. quoq; Cæsarem multas urbes expugnasse ostendit Floridus: fateor porrò. Sed ut uterq; par in simili opere ingeniũ paremq; item experientiam ostenderit, nemo sanus negarit, tum in redigenda in ærariũ integra auri argentiq; summa, tũ in eximiæ formæ adulta uirgine intacta suis reddenda, admirabilem Scipionis continentiã, morumq; integritatẽ, fuisse cognitam, cũ in Cæsare insatiabilis rapacitas, Venerisq; (à qua originem ducebat) studium fuerit reprehensum. Hic ego: Exiguum tibi Africani laudum campum patere arbitror, inquam, qui nõ modo singula tam superstitiose persequaris, uerum nescio quibus interdum conuicijs Cæsarem præter loci rationem incessas. Si præclara tui Scipionis gesta ea existimas, quæ purè prolata

Cæsari

Cæſari principatum extorquere ualeant, illa explicare perge: ſin unicum tibi in maledictis refugium poſitum eſt, nec quod tantopere expetis conſequeris, nec plura in Cæſarem quàm Scæleius dixeris. Tum Landus: Vera narras Floride, inquit: neque ego nunc id agebam, quod exiſtimas. Sed ſi quid eiuſmodi obiter, quo Scipionis uirtutes magis eluceſcerent, noſtris uerbis interſeruiſſem, neq; tibi admodum moleſtum eſſe, neque mihi uitio debebat adſcribi. Parebo tamen, quando ita uis, uoluntati tuæ, ac nuda rerum narratione contentus, nullum interim diuerticulum quæram. Et ego: Summè tibi Lande, inquam, quibuſuis argumentis rationibus'que militaria Africani facta ad cœlum extollere, licere puto. Parum tamen ciuiliter nobiſcum ageretur, ſi ubi ſingula egregia eius facinora explicaueris, non ob eas ſolum, ſed ob alias etiam uirtutes, de quibus quatenus ſolliciti ſimus non te fugit, Scipionem Cæſari anteponas. Sed enim ne ſuæ cuiquam gloriæ uel minimū neſcio quid adimatur, poſtquàm orationi tuæ finem impoſueris, ſic ego de utriuſq; excellentia nonnulla dicam, ut tibi uel ab eis recedere, uel quibuſcunque conatibus eadem impugnare integrum ſit. Tum Landus: Faciam ergo, inquit, quemadmodum tibi placere uideo, & mihi quoque animo antea inſederat: cumq; Scipione ipſo noua Carthagine diſcedens, in omnes Carthaginenſium exercitus caſtra mouebo. Intenderat autem animum in Aſdrubalem Barchinum Scipio, priuſq; cum eo prælio decertare conſtituerat, quàm Mago ei ſe & alter Aſdrubal coniungerent. Quapropter maximis itineribus ad eum propè Beſulam flumen caſtrametatum, adeóque ſuis copijs fidentem, ut prælium detrectaturus non uideretur, contendens, poſtquam eum qui prius in planicie conſtiterat, in tumulum natura munitum ſe recipere animaduertit, concitato propè curſu ſuas copias in Pœnos eduxit, quibus ferociſſimè tum pro ſua ſalute, tum pro patria, & ſuperiore loco in ſuccedentes pugnantibus, præclarè cognitum eſt, Pœnos tanto fuiſſe in acie deteriores, quanto Scipio Carthaginenſibus alijs'que omnibus Imperatoribus uirtute ſublimior eſt iudicandus. Nam tanto ardore hoſtium caſtra à Romanis capta ſunt, ut uix Aſdrubali cum paucis fugiendi copia fuerit. Qua ſuorum clade accepta, cum Mago atq; alter Aſdrubal (quod futurum eſſe Scipionem non latebat) continuo unum in locum copias adduxerunt, mox'que cum tertium ducem recepiſſent, ita inter ſe compararunt, ut Annibalis frater cum magno exercitu ad opem illi ferendam in Italiam tranſiret: ipſi uerò non prius prælium cum Scipione committerent, quàm omnia undique ad ſe auxilia conueniſſent. His rebus ita conſtitutis, quòd iam Aſdrubal ad fratrem cōtendebat, tertius à Carthaginenſibus dux in Hiſpaniam miſſus eſt. Sed hunc Hannonem (ſic enim uocabatur) primo aduentu Celtiberiam concitantem, M. Syllanus Scipione iubente adortus uictum cœpit. Hoc pacto rei ſumma ad duos redacta, confeſtim & hos Scipio eſſet adortus, niſi ſuperueniente hyeme, in ſequentem annum belli molem differre compulſus fuiſſet: quod tempus hoſtibus quantas uellent copias comparandi, omnibuſq; rebus comparatas inſtruendi ampliſſimam facultatem præbuit. Cum primum itaque bellandi tempus redijt, magnis utrinque animis ad renouandum bellum itum eſt, Scipione duabus uictorijs, Pœnis uerò ingenti militum numero, quo Romanum ſe imperium euerſuros ſperabant, ſuprà modum elatis. Verum qui hoſtium ſanguine ſuperiore anno ſuos imbuerat, longè maiori calamitate Carthaginenſium duces apud eundem Beſulam fluuium affecit. Enimuero cū ijs prælium committens, poſt diuturnum certamen illos fudit, fugauitq;: nec prius eorū

quemq; perſequi deſtitit, quàm utrumq; omnib. ferè copijs amiſſis, Gades perueniſſe accepit. Redacta ad hunc modũ in Romanã poteſtatem Hiſpania, quã poſt Annibalis in Italiam aduentũ nunquã illi integrã pacatamq; poſſederant, largiſſimisq; patri ac patruo inferijs miſſis, quoniã ad inuadendã iam Carthaginem animũ adiecerat, aliquem ſibi potentem in ea amicũ comparare decreuit, quo ad optatũ perueniret. cumq; Syphacem Maſeſulorũ celeberrimi per ea tẽpora nominis regem, in Romanorũ amicitiã per legatos adducere tentaſſet, eiusq; animũ ab illa nõ admodũ abhorrere intellexiſſet, omnib. rebus poſthabitis cũ duabus quinqueremib. in Africam ſoluit, coràm eum allocuturus, quem maximo in hoſtilibus regionib. adiumento ſibi fore ſperabat. Sed eodem tempore & Aſdrubal Giſgonis, qui æquè de Carthaginenſium rebus ac Scipio de Romanis erat ſollicitus, à Gadibus ad Syphacẽ nauigabat: ipſe quoq; in Pœnorũ, ſi fieri poſſet, amicitiã regem pertracturus. Cumq; uelut ex cõpoſito duo clariſſimi Imperatores illum adiſſent, comiter uterq; ab illo exceptus eſt: neúe alter alteri in honore prælatus uideretur, eadem menſa cubilíq; Romanũ Pœnumq; uti uoluit. Quid multa? Longe maior fuit iuuenis, quàm maturi Imperatoris apud barbarũ regẽ auctoritas. Quin Aſdrubalem, cũ omni ſpe Syphacẽ ad ſuos inclinandi decidiſſet, tanto pręſentis Scipionis ſtupore captũ tradunt, ut non tã doluerit, quòd re infecta à Syphace eſſet diſceſſurus, quàm tacitè ſecũ ingemuerit, cũ ingentẽ ineuitabilemq; toti Africæ ruinã ab uno iuuene imminere uideret, in quo nihil aliud quàm uirtutũ ornamẽta, teneros annos, indefeſſumq; Romanarũ rerũ ſtudiũ conſpiceretur. Reuerſo autem in Hiſpaniã Scipione, pleræq; eius prouinciæ urbes, quæ Romanis parêre grauabantur, partim eius imperio, partim L. Martij auſpicio receptæ ſunt. Quoniam uerò longe his illuſtriora animo iam conceperat, graui ægritudine occupatus, ſuis militib. apud Sucronem relictis, diſſoluendæ militaris diſciplinæ, atque in caſtris tumultuandi, multis uerò Hiſpaniæ populis, qui primò res Romanas fouerant, mox auctas iniquo animo ferebant, Mandonio atq; Indibili ducibus, nouis rebus ſtudendi anſam præbuit, quia negare non potuit. Ac ne quis aliquod his malis incolumi Scipione fundamentũ iactũ fuiſſe criminetur, certũ eſt, recepta ab eo ſanitate, omnes eiuſmodi motus ita ſedatos fuiſſe, ut qui duos ſibi gregarios milites Imperatores creauerãt, acerrimè pro caſtrenſi more puniti fuerint. Hiſpanorũ uerò reguli de uenia deſperantes, duobus & uiginti peditũ, duobus equitũ millib. aduerſus Romanos progreſſi, intra exiguũ tempus maxima copiarũ parte amiſſa, primo à Scipione prælio uicti fuerint, ueniam poſtremo ac pacem ſuppliciter petentes, quem bello inuictum experti erant, clementia facilitateq; non minorem cognouerint. Quod fecit, ut quæ urbes prius Romanorum aut imperiũ aut amicitiam receperant, optimè ſecum agi putauerint, quum ſub tali Imperatore potentiſſimæ totius terræ urbi partim reconciliatæ, partim recens additæ eſſent: quæ autem nullo ei fœdere unquam adiunctæ fuerant, auidiſſimè Scipione duce Romani populi amicitiam petierint. Quid dicam de iuuene Maſiniſſa, quem ſola Scipionis uirtus amicum reddidit? & hic certè, quàm diu cum Scipione uerſatus eſt, ſic illum admiratus dicitur, ut nunquam eum Romanũ Imperatorem aſpiciendi ſatietas cœperit. In eo enim præter alias eminentiſſimas uirtutes decora facies, in bello terribilis, eadem ad deuinciendos ſibi etiam inimicorũ animos aptiſſima fuit. Facilis præterea cuilibet ad eum patebat aditus. Sed hæc in præſentia miſſa facere, quàm parcè attingere præſtiterit. Iam enim Scipio compoſitis Hiſpaniæ rebus, Annibalem, cuius fortunam omnes ſimul

Carthaginensium uires secuturas apparebat, ex Italia eijcere cogitabat. Quare postquam Romam rediјt, acceptoq; extra urbem Senatu de rebus à se in Hispania gestis disseruit, nullus in tanto hominũ numero repertus est, quin triumphũ ei iustissimè deberi censuerit. Quoniam tamen eis, qui proconsules absq; magistratu fuissent, triumphandi ius pro republica bene administrata permitti Romanis erat inauditum, neq; patres ei triumphũ detulerunt, neq; ipse pro eo assequendo admodũ laborauit, cum talem se ex Africa uicto Annibale triumphũ relaturũ speraret, qualem nũquã antea Romani ciues aut uidissent, aut in posterũ essent uisuri. Iccirco in urbem ingressus, tanto totius populi fauore Cõsul declaratus est, quanto eũ par fuit, qui tot cõmodis laborantem rempublicã difficillimis temporib. adolescens ornasset. Consul proinde creatus, nõ eodem quo alij omnes fecerant modo cũ Annibale cõgredi, sed ipse potius cũ exercitu in Africã transmittere statuit: id quod usu postea uerissimũ cõpertũ est, maiori uidelicet Romanorũ cõmodo in hostilib. regionibus, quàm in Italia pugnatũ iri arbitratus. Verumenimuero nõ pauci optimates tam excellenti hominis consilio uehementer obstabant, in primisq; Q. Fabius Maximus, cuius opera superiorib. annis in eodẽ bello quàm clarissima cõtra Annibalem cognita fuerat, nullo pacto Africã prouinciam Scipioni decerni passurus, nisi is per maiorẽ senatus partem populumq; uniuersum se id tentaturũ pronunciasset, si quod paulo uiolentius obstaculũ ab eis tã salubri cõsilio fuisset obiectũ. Quo pacto uoti cõpos factus, nempe cui Sicilia ijs cõditionib. decreta fuerit, ut si ex usu reipublicæ ei fore uideretur, quod felix faustumq; populo Romano esset, in Africã traijceret, sic breui suorũ mentes, quibus post secundi belli Punici principiũ pauci dies læti illuxissent, erexit, ut qui pro defendenda Italia permultos annos maximè laborassent, decreta Scipioni Sicilia, de Africa subiuganda quamprimũ cogitarint, pro certo habentes, nõ magis Annibalẽ fortissimo felicissimoq; iuueni resistere posse, quàm Titus Flaminius, Terentius Varro, alijq; nõ pauci Romani Imperatores illi æquales esse ualuissent. Sed multæ magnæq; adhuc difficultates Scipioni se opponebant. Nã & ærariũ longa dispendiorũ serie propè exhaustũ, & iuuenũ qui ad id bellũ nomen darent penuria, militũ, nauiũ, cõmeatuũq; apparatũ impeditura uidebantur. Verũ sũma Scipionis industria intra quintũ & quadragesimũ diem necessariæ naues ædificatæ, arma, tela, frumentũ, cæteraq; bellum gesturis opportuna cõparata sunt. Cumq; idem equitatu nõ multũ ualeret, pulcherrimo cõmento trecentos in Sicilia equites absq; ullo reipublicæ sumptu cõscripsit, instruxitq;. Quib. rebus in Africa auditis, nõ multo pòst ad Scipionẽ allatũ est, præter Masinissam regẽ multas Africæ nationes, quib. Carthaginensiũ dominatus grauissimus erat, Romani exercitus aduentũ cupidissimè expectare, & sanè eorũ desiderio quamprimũ respõdisset Scipio, nisi cõponendarũ Siciliæ rerũ cura, Locrorũq; à Pœnis recipiendi studiũ e. us uoluntati aliquãdiu obstitissent. Huc accesserunt Pleminij, Locris ab eo legati relicti scelera: quæ cũ Locrenses diutius tolerare nõ potuissent, Romã ab eis missi sunt, qui de acceptis iniurijs cõquererentur, nõ tam in Pleminiũ, quàm in Scipionẽ ipsum detestabiliũ facinorũ culpã reijcientes. Sed & horũ quoq; malignitate uicta, è Lilybeo soluens, intra paucos dies omnes copias in Africã incolumes exposuit, ad cuius aduentus primũ rumorem ita Carthaginẽ perturbatã memorant, ut quasi iam ad eius muros cũ scalis Romanus exercitũ adducturus esset, ad arma cõclamatum sit, in ipsiusq; urbis muris portisq; præsidia disposita fuerint. Nec tam Carthaginenses mouebat, quòd post Attiliũ Regulũ ad illud usq; tẽpus, quod quinqua-

ginta aut circiter annorum spacium erat, nullæ Romanorum iustæ copiæ in Africam descenderant, quàm iuuenis ducis nomen, præsertim quod Annibali adhuc in Italia residenti, quem ei Imperatorem opponerent, non habebant: quem nec Asdrubal Gisgonis præcipuus nobilissimus'que ijs temporibus post Annibalem Pœnorum dux, cum duobus magnis exercitibus in Hispania, sustinere ualuerat. Verum ut in difficillimis rebus fieri solet. cum Carthaginenses summam rei eius Asdrubali Syphaciq; demandassent, Hannoni autem dedissent negocium, ut dum illi maiores copias cogerent, ipse proximam regionem tueretur, Scipio hostium agros populatus, Hannonem antè opprimere cogitauit, quàm maior ad eum militum numerus conflueret. Misso igitur Masinissa, qui hostem ad prælium eliceret, eum longius de industria circumductum adortus, cum copiarum parte occidit: reliquis'que in diuersas partes elapsis, ad Vticam obsidendam animum adiecerat, nisi Asdrubal Syphaxq; innumerabilem propè equitum, peditumq;, ut se conficerent, numerum ducere percepisset. Quocirca primò in proximo promontorio castra egregie communiuit, unde Vticam infestare, subductas naues defendere, & aduersarios commodè infestare posset: deinde si qua ratione regis animum à Carthaginensium amicitia abducere ualeret, tentandum existimauit. Atqui ubi eum de deserendis Pœnis nihil cogitare, sed de ineunda inter Romanos Carthaginensesq; pace sollicitum esse animaduertit, quo facilius hostibus insidias tenderet, ea se non aspernari ostendit. Dumq; eius rei causa internuncios in Pœnorũ castra mitteret, strenuissimos peritissimosq; milites, qui seruili cultu eos comitarentur, proficisci iussit, ut castrorum situs, aditus, exitusq; speculantes, omnia sibi renunciarent. Nec sanè irritum fuit consilium. Oratores namque cum data opera sermonem de pacis conditionibus longius produxissent, milites'que Imperatoris mandata diligentissimè perfecissent, explorata hostilium stationum conditione, tribunis militum conuocatis, ut suos quisque in armis sequenti nocte haberet præcepit. Dein Masinissæ Læliòq; iniunxit, ut Syphacis castra intempesta nocte aggressi, in arundineas casas ignem conijcerent, sese ex alia parte cum instructis legionibus castra inuasurum pollicetur. Sedenim cum Lælius ac Masinissa impigrè mandata perfecissent, hostes primò tantum incendium casu excitatum suspicati, ad ea quæ ignem extinguerent rapienda concurrerunt. Postquam uerò in instructas legiones incidere, tantus eos terror inuasit, ut hac atq; illac discurrentes, castra continuò reliquerint, deletis ex tanta multitudine plus quadraginta (nisi fallor) armatorum millibus. quod sine aliqua nostrorum strage fieri potuisse uix crederem, si alio quàm Scipione duce huiusmodi facinus patratum fuisset. Ea tanta clades Carthaginem perlata, prius pauidos, pauidissimos reddidit. quodq; in tam celebri urbe non mediocres erant factiones, cum quidam pacem à Scipione petendam dicerent, plures reuocandum ex Italia Annibalem censerent, Syphax interim atque Asdrubal nouis copijs citius quàm quisquam speraret collectis, aduersus Romanum Imperatorem castra mouerunt: quibus Scipio dum Romani milites duabus præcedentibus uictorijs elati, maximè feroces essent, resistendum ratus, non minorem quàm anteà perniciem facillime attulit: Masinissaq; ac Lælio cum expedito equitatu qui fugientes persequerentur missis, conserta pugna, barbarus rex uetus Masinissæ hostis, in Romanorum potestatem uenit. Carthaginenses autem amissis omnibus, quas in Africa habebant copijs, ad Annibalem, tanquam ad ultimũ præsidium redacti nuncios miserunt, qui eum Carthaginensis populi nomine

r. ad feren-

ad ferendam patriæ opem reuocarunt, quod unum P. Scipio maximè optabat: quippe qui belli tantum prælųdia se cum Hannone, Asdrubale ac Syphace pugnantē, perfecisse existimabat: Annibale uerò consummatissimo duce uicto, sibi quidem immortalem gloriam, patriæ uerò terrarum orbis imperium acquisiturum non dubitabat. At Annibal quamuis inuitus ex ijs regionibus decederet, in quibus intra paucos annos multos exercitus absumpserat, multosq; Imperatores partim uicerat, partim etiam occiderat, frendens'que & gemens, ac uix (ut Liuij utar uerbis) lachrymis temperans legatorum uerba audisse dicatur, in Africam tandem reuersus, quanti Scipionem fecerit, apertè ex eo colligi licet, quòd celeberrimus, ac cum maximo Romanorum malo notissimus dux, à iuuene pacem petere non erubuit, non dubie se eo inferiorem confessus: nisi fortè ideo ad pacis conditiones primus descenderit, quòd Romanis multis magnisq; à se prælijs uexatis respirandi, uiresq; recuperandi ocium misericordia ductus concedere uoluerit. Publius tamen Scipio & suarum uirium conscius, & hostilium non ignarus, cum prælio semel inter Romanos Pœnosq; de rerum summa contendendū esse pronunciasset, maximam profectò Annibali sollicitudinem iniecit. Qui igitur Romanum imperium diu perturbauerat, qui tertium inquam ab urbe lapidem castra quandoque posuerat, cum'que Romanis consulibus instructis ante patriæ portas copijs pugnare, si per imbres grandinesq; licuisset, maximè cupierat, ut domitis ultimo conflictu hostibus, Punica tandem signa in Capitolio collocaret, hoc est, ut tot exhaustorum laborum fructum quandoq; caperet, cum idem Scipione superato esset consecuturus, quamcunque sibi tam longo usu belli experientiam comparauerat, postrema illa pugna sine dubio ostendisse iudicatur: quam si omnium quæ unquam gestæ sunt maximam clarissimamq; fuisse dixero, ne minimum quidem à uero aberrem, tum quod neque ullæ ualidiores inter se ciuitates gentes'que Romanis Carthaginensibus'que arma contulerunt, tum quod nobilissimi earum duces tantum uno ex prælio damni si uincerentur se patriæ allaturos dignoscebant, quantum nullo unquam temporis interuallo resarciri posse credendum erat. Cum tamen in eo Pœnus longe fuerit Scipione inferior, quid aliud dicemus, quàm nullum ducem tantæ præstantiæ usquam gentium inueniri ualuisse, qui ab Africano uinci dedignetur? An etenim cladem Pœnis illatam, tanto Romanis detrimento fuisse dicemus (quemadmodum sæpe accidisse nouimus) ut præstiterit Scipionem non conflixisse? Atqui cum decem tantū uictorum millia ciciderint, Pœnorum (si Liuio credimus) supra uiginti: si Plutarcho alijsq; quibusdam, supra quadraginta millia in prælio cæsa sint, captis centum triginta eorum signis, undecimq; elephantis: cum octuaginta ab Annibale, quot nunquam alias in aciem produxerat, instructi fuissent. Ad quorū usum inutilem reddendum, sic militum ordines Scipio distinxerat, ut eos primò inter manipulos uelitesq; receptos, coniectæ undique hastæ nō tantum ex Romana acie eiecerint, uerū etiam in Pœnos telis propè confossos egerint: quod hostib. fugæ initium fuisse, maximè est perspicuū. Vtq; de hoc prælio sermoni finē tandem imponam, ipse Annibal, quem nō M. Marcellus, nō Fabius Maximus, nō Claudius Nero, non amissæ Hispaniæ infregerant, semel à Scipione superatus, quasi fulmine tactus in fugam se coniecit, pacemq; suis à Romanis quibuscunq; conditionib. petendam suasit: nunquam id facturus, si quid sibi ad uincendum quandoq; Scipionem ardoris, uirtutis, ingenijq; relictū esse sensisset: uel Scipione iudice omnes in postremo prælio imperatorias artes expertus, elephantis

qui nō

qui noſtrorum ordines perturbarent, in fronte collocatis: tum auxiliaribus poſt eos diſpoſitis, ne diuerſæ nationes, quæ à tergo Carthaginenſes Afros'que milites (quod erat totius exercitus robur) haberent, aliquid ſibi in fuga præſidij eſſe putarent: Italicis autem in ultimam aciem ſummotis, quaſi dubiæ fidei homines, hoſtes'ne an amicos eſſet habiturus Annibal ignoraret. Atque ut de Vermina Syphacis filio, qui poſt tam memorabile prælium Carthaginenſibus opem ferens, faciſlimè à Scipione fuſus fugatusq; eſt, multa non dicam, Pœni unica tantum Romani Imperatoris clementia innixi, cum ad petendam pacem oratores miſiſſent, ſatis duras leges à uictore accipere coacti ſunt. Sicq; ſecundo bello Punico Scipionis uirtute perfecto, cuiuſmodi ei triumphus à ſenatu decretus ſit, nemini ueſtrum obſcurum eſſe opinor. Vnus ſiquidem Annibal ſuperatus, Africaniq; cognomentum Scipioni poſt eam uictoriam conceſſum, qualis ille fuerit, ſatis ſuperq; indicant. Hæc ſunt diuina tanti Imperatoris militaria facta: poſt quæ multa tum domi, tum foris geſſit, licet his magnitudine nõ ſint comparanda. Porrò cæteras eius laudes, quod doctiſſimus fuerit, utpote ad quem Terentij Comœdias plurimi retulerint, quod ter propter ſingularem probitatem modeſtiamq; Senatus princeps dictus ſit, diffuſius non explicabo, niſi Floridus ſanctioris eum integriorisq; uitæ, ac erudiniorem denique quàm Cæſarem fuiſſe negarit. Nunc enim quid de bellica utriusq; excellentia ſentiat, audire uelim, cum cõtra Cæſarem productus ſit Imperator ſemper inuictus, cuiq; non cum Campanis, ſed cum Pœnis, Hiſpanisq;, & cum Annibale duce fuerit negocium. Hæc cum dixiſſet Landus, tunc ego: Ne poſtmodum inquam de Cæſaris Africaniq; ſiue continentia, ſiue probitate longius uerba facere cogamur, quid de eorum moribus cenſeam, dicam ut potero ſuccinctè. Ante omnia uerò, ſi de utriuſque caſtimonia loquimur, quamuis ueteres quoſdam ſcriptores de uirgine intacta in Hiſpania à Scipione ſuis reddita, nullam mentionem feciſſe ſciam, longè minus eum, quàm Cęſarem, Venereis rebus delectatum fuiſſe facile concedam. Vt tamen hoc non nego, ita facilius Scipioni quàm Cæſari ab alienis uxoribus corrumpendis abſtinere conſtantiſſimè aſſero: cum Scipio tetricam quandam aſperamq; uitam probaret, Cæſar autem ad Venerem amoris matrem genus referret. Rurſus ſi de utriuſque eruditione atq; eloquentia agimus, Cæſar primas ſibi in hoc genere uendicet neceſſe eſt, à quo plura quàm à Scipione monumenta inſignem reconditamq; doctrinam oſtendentia, in lucem data fuerint. Nam quod Terentij fabellæ propter elegantiam ad Africanum relatæ fuerint, non protinus eas Scipionis fuiſſe oſtendit. Quid enim ſi eæ fabellæ non Scipionem, ſed eo doctiorem Lælium, quod pluribus arriſit, ſapiant? Quid ſi neutrum, ſed ipſum Terentium? Fuerit ergo egregie doctus Scipio, Cæſarem certè eo multo doctiorem fuiſſe eius ſcripta indicabãt, cum iam non indicent præter ſeptem de bello Gallico libros. Tum ſi de duorũ eminentiſſimorum ducum (non enim Scipionem excellentiſſimum fuiſſe inficior) in publicis rebus adminiſtrandis induſtria diſſerimus, caue Lande Cæſari in hac parte Scipionem æquandum putes. Quando noſter in potentiſſima urbe, quicquid paulo grauius unquam præſens poſtulauit, ſemper obtinuit: Scipio non item, cui tam nobili raroq;, ut prædicas, triumpho inſigni, T. Quintius Flaminius à populo fuerit præpoſitus. Ac ſi Quintium pro germano fratre, quàm Scipionem pro patruele petentem, facilius ad optatum peruenire debuiſſe dixeris, tanto tamen Quintij fratre notior erat is, quem Scipio populo commendabat, Senatus'que optimum Romanorum iudicarat, quanto Africanus

canus ipse militari gloria Titum Quintium antecessit. Quin cum idem Scipio pro Caio Lælio fratre, propè dixerim chariore uehementissimè laborarit, ne in plebeio quidem Consule quicquam ualuit. Sed & cum à duobus Petilijs dies eidem dictus esset, magis uincendo hosti, quàm ciuilibus motibus sedandis assuetus, ex urbe in uoluntarium exilium concessit: quod quis C. Cæsarem credat fuisse facturum? An non potius omnia diuina humanáque permiscuisset, quàm se à duobus uilissimis tribunis plebis in patria, quam ipse seruasset, exagitari passus esset? At hæc omnia tentare sciuisset Africanus, inquis, nisi patriæ salutem propriæ prætulisset. Ego uerò, licet de Scipione optime semper senserim, locutusque fuerim, magis ad ciuilium motuum reprimendorum imperitiam id, quàm ad patriæ amorem referre soleo: cum idem ex Hispania reuersus, quòd Romanum populum suis rebus enixè fauentem uideret, inuito senatu se de Africa prouincia sortienda relaturum dicere non ueritus sit, si rogatio impediretur, quo sanè nihil unquàm à Cæsare insolentius factũ existimo. Neue multis, ut hoc cõprobem, argumentis utar, M. Porcius Cato sanctissimus, integerrimusque ciuis, quique plurimos accusauit, à plurimis que accusatus semper absolutus est, qui denique patriam magis quàm seipsum amauit, P. Scipionis magnitudinem sic allatrauit, ut ferè inter omnes receptum sit, Petilios eo authore illi uiuenti diem dixisse, mortuo autem durissimam rogationem promulgasse, uti de ea pecunia, quæ capta, (hæc sunt Liuij uerba) ablata, coacta ab rege Antiocho esset, quique sub eius imperio fuissent, quod æs in publicum relatum non esset, Seruius Sulpitius prætor urbanus ad senatum referret. Ex quibus & Scipionem plus potentiæ in libera urbe, quàm bonum ciuem deceret, ambisse, & auaritiæ notatum fuisse, dignoscimus: ut cuius fratrem (quem & ipse legatus iuuit) sex millia pondo auri, quadringentũm octoginta argenti plus ab Antiocho accepisse, quàm in ærarium retulerit, Valerius Antias author fuerit. Sed hæc magis attigi, ne omnino præterirem, quàm ut Scipionis gloriam ijs denigrare nitar. Licet Scæleius, cum quæcunque ad Cæsaris infamiam spectarent, à quouis authore, incerto etiam rumore credita singillatim recensuit, honestissimam mihi idem faciendi causam præbuerit. Verum his prætermissis, ad bellicam Cæsaris Scipionis que laudem deueniamus. Quo in negocio non ita me geram, ut alijs cui nam eam præcipue deferre debeant, sim præscripturus: sed cum meam de ea re sententiam ostendero, rationibus que quibus potero confirmauero, suo quemque arbitratu summum cui uolet inter omnes duces gradum tribuere, æquo animo sim laturus. Quoniam autem plurimum referre docuimus, quoties quis hostes fuderit, fugaritque, ac contra quos duces pugnarit, ut cum maximo semel aduersario Scipioni negocium fuisse non abnuam, in cæteris sanè quæ non mediocris sunt momenti, Scipio mihi Cæsaris laudes nequaquam æquasse uidetur. Vt que distinctius cuncta exequamur, summa Scipionis gloria ex uicto certè in Africa Annibale comparata est: & meritò sanè. Cæsar tamen Cneium Pompeium in Pharsalia uincens, æqualem Scipionis gloriæ, si non maiorem, sibi peperit. Hic Landum mihi subiuncturum uidere uideor, minime uero esse comparandum cum Annibale hoste hostem Pompeium, cum alter quidem Romanos bellicosissimos sæpe superarit, alter uerò ex debilioribus hostibus magnum decus lucratus fuerit. Hoc que nos etiam paulo antè asseruisse addet. Neque his etiam contentus, qualiscunque fuerit cum maximè antea floreret Cn. Pompeij in bellis præstantia, cum sanè is à Cæsare uictus fuit, quasi in senium cum ætate defluxisse subijciet. Ego

uerò us

uerò ut non ſimpliciter Pompeij res geſtas (quemadmodum etiam admonui) deprimebã, ſed cũ Cæſarianis collata leuia uideri poſſe aiebam: ita longe maiora, quàm Scipionis facta fuiſſe affirmare auſim, ſi unica ei Pharſalica pugna condonetur, ultimumq́ prælium in Africa contra Annibalem commiſſũ Scipioni ſubtrahatur: tantum abeſt, ut Pompeiũ minoris fieri debere, quàm Annibalem hoſtem unquam ſim crediturus. Pro quo quia Arlenium, cui externorum ducũ cura demandata eſt, diffuſè contra nos pugnaturũ perſuaſum habeo, plura in præſentia non dicã. Illud tamen nõ omiſero, Annibalis, quũ à Scipione ſuperatus eſt, in eodem ac peiore penè ſtatu, quàm Pompeij in Pharſalia pugnantis res optimorũ iudicio fuiſſe, cũ Pœnus multis calamitatibus aduerſisq́ prælijs fractus, fratris morte conſternatus, in ultimũ Italiæ angulũ à Romanis Imperatoribus detruſus, & quod alia omnia incõmoda anteibat, exercitus robore in uarijs pugnis priuatus, deſperatis rebus, ad ſingularem illum ut cenſes Lande conflictum deſcenderit, non ille Annibal, ueteranis Carthaginenſibus Hiſpanisq́ militibus horrendus, ſed diuerſarum nationũ auxilijs, Italicisq́ (quibus non multum fidebat) non tam uirtute quàm numero fretus: Pompeius autem nihil adhuc tam aſperum expertus, longe maioribus quàm Cæſarianæ eſſent equitum peditum que copijs ſuperbus ad pugnam prodierit. Quæ cum ita ſe habeant, uel Caium Cæſarem tantum gloriæ ex Pharſalico prælio, quantum ex Africano contra Annibalem Scipio, uel plus etiam retuliſſe colligo. Quòd ſi in reliquis par eorum gloria eſt habenda, pares in bellica præſtantia Scipionem Cæſarem que habendos dicemus. Sin cætera huius geſta longe plura, illuſtrioraq́, quàm quæ Scipio in Hiſpania aduerſus Syphacem, Aſdrubalemq́, & Hannonem patrauit, quis negarit Scipionem tanto fuiſſe Cæſare inferiorem, quanto ſolis radios lunaribus pulchriores ſplendidioresq́ eſſe uidemus? Scipio (inquit Landus) nouam Carthaginem, munitiſſimam Hiſpaniæ urbem, ui cœpit. Ego pro hac Carthagine plurimas, magisq́ munitas urbes à Cæſare expugnatas reponerem, niſi unica Alexia à Cæſare capta plus gloriæ noſtro attuliſſet, quàm ſexcentæ Carthagines Scipioni. Subſequuntur Carthaginem captam tres Pœnorum exercitus, quibus totidem nobiliſſimi Imperatores præerant, duobus prælijs à Scipione ferè ad internecionem contuſi: & his quaſi appendix accedit Hanno, ab eiuſdem legato in Celtiberia fuſus. Præter hæc nihil ab eo in Hiſpania geſtum memini. Sed his ego duo bella oppono, quæ Cæſar prima æſtate in Gallia contra Heluetios Germanosq́ perfecit: quãuis magis arduum fuerit, tam feroces nationes ob militum uel numerum, uel uirtutem, quàm Afros uiciſſe. Quæ enim per legatos geſſit, in controuerſiam non ueniunt, cum Cæſariana longo interuallo ſuperent. Reſtant quæ in Africa aduerſus Syphacem Aſdrubalemq́ edidit Scipio: quibus nulla ex parte cedunt, quæ Cæſar in eiſdem regionibus contra Catonem Scipionemq́ Pompeianos, & ijs fauentem Iubam regem geſſit. Vtq́ liberaliter tecum Lande, cumq́ ipſo Scipione agam, ijs adijcio, quæ in Hiſpania contra Afranium Petreiumq́, meliores Syphace atque Aſdrubale duces, à Cæſare patrata ſunt. Quid reliqua? An non ex uictoriæ, quas Cæſar in Gallia non primo anno (nam eas excepimus) ſed octo ſequentibus ſua ſibi uirtute induſtriaq́ peperit, omnibus ſimul Scipionis geſtis ſunt exæquanda? Equidem non uideo cur prælium, quod contra Neruios à Cæſare in Belgis commiſſum eſt, ei ſit poſtponendum, quo Scipio Annibalem uicit. Si porrò Annibalis nomen, qui nec unus pro omnibus pugnare potuit, è medio tollamus, qua nam in parte Pœni ducis exercitus diuerſis

uerſis

uersis nationibus constans, fortissimis Neruiorum copijs sit anteferendus non inuenio. Sed Neruij sine duce pugnarunt, inquis. Recte tu Lande: sed (ut alio loco dictum est) tam strenuè illi, tamque obstinatè aduersus Cæsarem sine duce pugnarunt, quàm aliæ unquam copiæ cuiuis Imperatori subditæ aduersus hostes fecerint. Si ergo hoc unum prælium cum Africano contra Annibalem commissum est conferendum, an non quæ aduersus plurimas Belgarũ myriadas, Vsipetes, Tenchterosque, ac alios Gallos, Britannosque perfecit, reliquæ Scipionis gloriæ parti æquabuntur? An non quæ in Aegypto facta sunt, maximis laudibus celebrabuntur? De Pharnace superato nihil dicam, nihil de eo prælio quod contra Pompeij liberos postremò in Hispania susceptum confectumque est, ne res per se amplissimas uerborũ præsidio, ut tales uideantur, egere putetis. Quid igitur inferemus? hoc nempe, Caij Cæsaris res gestas multo gloriosiores quàm Africani fuisse: cum ille plurima felicissimè, hic uerò multo pauciora felicissimè itidem patrarit. Dicet uerò quispiam: Tam mihi absolutus uidetur, qui aliquoties hostes uincendo exactum se ducem ostendit, quàm qui sæpissimè. At ego (ut supra etiam ostendi) multos audiui, cum aliquandiu prosperrimam in bellis fortunam habuissent, ita demum eandem aduersam expertos, ut partam anteactis temporibus gloriam, ultimis obscurauerint, quod Pompeio, Annibali, Mario, Marcello, & ipsi quoque Scipioni contigisse intelligimus: qui si post Africanũ triumphũ ilico perijsset, multo apud posteros gloriosior citra controuersiam habitus esset, cum in secundo consulatu nihil Annibalis uictore dignũ gesserit: Legatus autem fratri aduersus Antiochũ profectus, tum aduersa ægritudine inutilis ad id bellum redditus sit, tum quòd capto eius filio ab Antiocho, quæ antea egregiè gesserat, quodammodo deturpauit, satis indecentem ob remissum filiũ regi gratiam referens, quũ illum ne prius in aciem descenderet admonuit, quàm se in castra reuersum audijsset. Referrem & alia nõ pauca eodem pertinentia, si me Africani hostem professus essem. Sed non me fugit eorũ, qui iuuenes magnas res gesserint, fortunã ita se semper ferè habuisse, ut cum annis uirtus, & quæ uirtutem sequitur laus, maximam iacturam passa sit. Annibal enim, qui iuuenis multis uictorijs Romanum imperium penè euertit, quàm contrariã belli sortem procedente tempore sensit? An nõ si post Cãnensem cladem supremum diem obijsset, multo maior præstantiorque dux omnibus uideretur? Quid Pompeius? nonne similem casum pertulit? Quid Marius? in quem unũ & ipsum iuuenem plurimos honores intra paucos annos fortuna congesserat? An in senium declinans, eximium aliquod facinus edidit? At Sylla, cuius iuuenis res ab asperiore sorte afflictatę fuerant, in eadẽ gloria ac felicitate permansit, quam sibi iam senectuti propinquus, ne dicam senex, ea peperit. Caius quoque Cæsar, qui ætate iam profectus quæ diximus perfecit, nullũ nominis detrimentum sensit, quamuis in pugnam sæpius quàm alius quisquam descenderit. Quapropter fata humanarum rerum uicem ita compensare censeo, ut quoniam nihil eodem in statu diutius permanere solet, quos iuuenes ad maximam gloriam euexerint, in senectutem iam uergentes in multas miserias protrudant: rursus quibus primis temporibus obstiterint, postremis mitiora sint. De his tamen nõ ita loquor, ut hęc exempla sic in regulam reducam, quasi nunquam aliter factũ sit: uerũ cum quæ de fortunæ instabilitate retulimus, Scipionis conditionibus cõmodissimè conuenire uiderentur, omittere uisum non est. De quibus tamen finem faciemus, hoc (ut rei summam explicemus) dictis adnectentes, P. Scipionem C. Cæsari nec præferendum, nec æquandum ullo modo esse: cum alter

non admodum frequenter cum hostibus manus conseruerit, alter uero sæpissimè: Cæsaris'que res in nobilissima prouincia gestæ, si non triplo, duplo saltem ampliores sint, quàm omnia simul Scipionis militaria facta. Quæ nisi uera putas Lande, non recuso, quin me quoque in tuam sententiam pertrahas, si te id consequi speras. Cum'que magis rationibus, quàm ueterum testimonijs agamus, eas quot, quantas'que poteris in medium producito. Ac si quid forte etiam doctorum iudicijs tribuis, Plutarchus in C. Cæsaris uita, non modò neminem ei Romanorum ducum uel bellatori, uel Imperatori præponendum autumat, sed singulos illum particularibus quibusdam uicisse ait: uniuersos autem uel hoc uno, quod plura quàm alius quisquam prælia commisit, pluresque hostes, collatis in acie signis obtruncauit: qui per id tempus, quo in Gallia bella gessit, supra octingenta ui cœperit oppida, trecentas subiugauerit nationes, centum hominum myriadibus ferro cæsis, totidem'que uitæ reseruatis. Ac ne quem fortè eum excipere uoluisse censeas, nominatim Fabios, Scipiones'que, Metellos, Syllam, Marium, utrumque Lucullum, & ipsum Pompeium, Cæsare inferiores statuit: quæ si, ut sunt, de Romanis uerè dicta sunt, quanto uerius de Græcis, Barbarisque dicentur? Plutarchi uerba hæc sunt: τοιαῦτα μὲν οὖν λέγεται γενέσθαι τὰ πρὸ τῶν γαλατικῶν. ὁ δὲ τῶν πολέμων, οὓς ἐπολέμησε μετὰ ταῦτα, καὶ τῶν στρατειῶν, αἷς ἡμερώσατο τὴν κελτικὴν χρόνος, ὥσπερ ἄλλην ἀρχὴν λαβόντος αὐτοῦ, καὶ καταστάντος εἰς ἑτέραν τινὰ βίου καὶ πραγμάτων καινῶν ὁδὸν, οὐκ ἔστιν ὅτου τῶν μάλιστα τεθαυμασμένων ἐφ᾽ ἡγεμονίᾳ, καὶ μεγίστων γεγονότων ἀπολείποντα πολεμιστὴν, καὶ στρατηλάτην ἀπέδειξεν αὐτὸν, ἀλλ᾽ εἴτε φαβίους, καὶ σκιπίωνας, καὶ μετέλλους, καὶ τοὺς κατ᾽ αὐτὸν, ἢ μικρὸν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, σύλλαν καὶ μάριον, ἀμφοτέρους τε λευκούλλους, ἢ καὶ πομπήϊον αὐτὸν, οὗ κλέος ὑπουράνιον ἤνθει, παντοίας περὶ πόλεμον ἀρετῆς παραβάλλοι τις, αἱ καίσαρος ὑπερβάλλουσι πράξεις· τὸν μὲν χαλεπότητι τόπων ἐν οἷς ἐπολέμησε, τὸν δὲ μεγέθει χώρας ἣν προσεκτήσατο, τὸν δὲ πλήθει καὶ βίᾳ πολεμίων οὓς ἐνίκησεν, τὸν δὲ ἀτοπίαις καὶ ἀπιστίαις ἠθῶν ἃ καθωμίλησε, τὸν δὲ ἐπιεικείᾳ καὶ πρᾳότητι πρὸς τοὺς ἁλισκομένους, τὸν δὲ δώροις καὶ χάρισι πρὸς τοὺς συστρατευομένους, πάντας δὲ τῷ πλείστας μεμαχῆσθαι μάχας, καὶ πλείστους ἀνῃρηκέναι τῶν ἀντιταχθέντων. ἔτη γὰρ οὐδὲ δέκα πολεμήσας περὶ γαλατίαν, πόλεις μὲν ὑπὲρ ὀκτακοσίας κατὰ κράτος εἷλεν, ἔθνη δὲ ἐχειρώσατο τριακόσια, μυριάσι δὲ παραταξάμενος κατὰ μέρος τριακοσίαις, ἑκατὸν μὲν ἐν χερσὶν διέφθειρεν, ἄλλας δὲ τοσαύτας ἐζώγρησε.

FRANCISCI FLORIDI SABINI DE C. IVLII CAESARIS PRAESTANTIA LIBER TERTIVS.

HIC Landus leniter arridens: Non tam molestè fero, inquit, quòd post excellentissimos duces superius à nobis productos, Scipionem etiam, in quo quicquid spei reliquum erat collocaueram, uidenti mihi, minimeque renitenti extorseris, quàm quòd de Scipione, quem nemo cæteris omnibus ducibus præstitisse inficiatur, sententiam ferens, & nostrum Arlenium eadem opera iniuncto onere leuasti: ita de alieno magis, quàm de meo negocio sum sollicitus. Sed de suis ducibus ipse uiderit. Ego enim quod P. Scipionem summum Imperatorem non alia re, quàm continuata quadam felicitate, rerumque gestarum numero à Cæsare uinci falsus es, à tua opinione non recedam, quamuis C. Cæsari me paulo infensiorem, cum primum de Imperatorum præstantia disserere

cœpimus,

cœpimus,ostenderim. Proinde quantũ in me est, C. Cæsarem omnium nostrorum externorumq; ducum principem esse non negarim, nisi nostro Arlenio secus uidebitur. Tunc Arlenius: Tuo, inquit, Lande arbitratu de Romanis Imperatoribus Florido, si uidebitur, concedito. De exteris uerò si una opera pronuncies, qua'nam ratione eos de quibus nullum propè adhuc uerbum factum est, Cæsari postposueris? Ego porrò quid illorum optimũ quemq; producens sim consecuturus, nõ satis adhuc conijcere ualeo: omnia tamen prospera ac læta augurari malim. Quòd si quò maximè contendo peruenire nequiuero, non tam me negligentiæ, quàm externos duces ignauiæ oscitantiæq; reprehendam. Perge igitur, inquit Scaleius: nisi solis, qui medium iam cœlum conscensurus uidetur, ardore antea nos præueniri cupis, quàm de ducũ excellentia absolutè inter nos iudicatũ sit. Et ego id ago, inquit Arlenius. Quando autem de sole admonuisti, mediocres illos Græcorũ Imperatores, Periclem, Pelopidem, Aristidem, Timoleonem, Agidẽ, Cleomenem, Lysandrũ, Niciam, & his paulo illustriores Themistoclem, Xantippũ, & quicumq; in eorum ordinem ueniunt non nominabo: cum eorum gesta à Plutarcho Cheroneo magis ut suos debito prosequeretur officio, quàm ut uerè Romanis, quibus eos comparauit, pares fuisse crediderit, memoriæ tradita fuisse arbitrer, tantum abest, ut eorum quenquam Cæsari uel ipse si uiueret esset oppositurus. Incipiam itaq; à Pyrrho illo Epeirotarum rege, cuius in bello singularis uirtus experientiaq; non aduersus fugaces nationes ducesq;, sed aduersus Romanos Imperatores militesq; in Italia præcipue enituit: quiq; cũ puer apud Glauciam Illyriæ regem uixisset, nec sine maxima omnium de futura opinione eius in bellis excellentia in patrium solium esset restitutus, uix suas res confirmare cœperat, quum iterum à Molossis absens regno priuatus, ad Demetrium Antigoni se contulit: pro quo cum & ipse in celeberrima apud Hypseum pugna prælium inisset, longe inter alios bellatores eximius conspectus fuisse dicitur, ut qui oppositos sibi hostes facillimè superarit. Verùm cum ex alijs partibus Demetrium uictum fuisse intelligeret, eum (uti solent, qui fortunam sequuntur) nõ deseruit: quin multas ei Græciæ urbes fideliter custodiuit, idem in bello formidabilis, atq; in pace reliquis uirtutibus, quæ in summis Imperatoribus inesse debent conspicuus: qui quidem in Aegyptum pro eodem Demetrio obses ire nõ recusauerit, in qua omnia munera obeundo, quæ iuuenes solent, tantũ laudis inter cæteras est adeptus, ut unus è multis regijs iuuenibus, qui cum eo erant, dignus uisus sit, cui Berenice Antigonam filiam in matrimonium collocarit: ex quo cum summam sibi paterni regni recuperandi occasionem oblatam esse Pyrrhus intellexisset, quamprimum, ut in Epirum cum exercitu, ingentí que pecunia mitteretur, obtinuit. Id uerò cum à Neoptolemo occupatũ teneretur, ueritus ne is potentiori cuiquam regi se adiungeret, de regni societate cum illo fœdus inijt. Sed & hunc postea sibi insidias parantem occidens, solusq; regnum obtinens, maxima quæque iam animo concipere aggressus est. Animum siquidem ad occupandum Macedoniæ regnum appulit: in qua cum urbem non ignobilem, & maritimam oram præsidijs firmatam possideret, obtruncato à Demetrio iuuene Alexandro, ipso que Demetrio rege creato, breui ingens inter Pyrrhum nouum'que regem dissensio coorta est. Demetrius itaque Pantarcho duce cum copiarum parte in Aetolorum finibus relicto, non clanculum, sed palàm reliquas suas copias in Pyrrhũ duxit: Pyrrhus autem cui nihil æquè ac pugnandi studium cordi esset, ad hostem itidem contendere festinauit. Cum'que diuersis itineri-

bus alter aduersus alterū properaret, Demetrius quidem in Epirū peruenit, magnamq́ ex ea prædam abduxit. At Pyrrhus ubi ad Pantarchum progressus est, cōmissa cum eo pugna, quam acerrimam utrinque milites reddebant, singulari quoq; suam uictoriam certamine decorauit: dū à Pantarcho prouocatus occisurus eum fuerit, nisi illū iugulum iam porrigentem amici ei abstulissent. Eadem ergo se die Pyrrhus exactissimum Imperatorem ostendit, egregium hostem ex prouocatione uincendo, bellicosissimasq́ Macedonum copias partim ferro absumendo, partim uiuos capiendo. Sequentibus uerò temporibus Demetrium magni exercitus Imperatorem, non tam armis quàm astu omnibus militibus priuauit: cum Macedones Pyrrhi excellentia ducti suum regem deseruerint, atque ad illum se contulerint. quod fuit in causa, ut bonam Macedoniæ partem Pyrrhus sibi uendicarit: qui quoniam ocium nulla ratione ferre poterat, pulcherrimam cum Romanis belli gerendi causam à fortuna oblatam libentissimè arripuit. Tarentini namque, qui diu cum populo Romano contenderant, postquam Romanis seruituros se, nisi ultimam belli sortem experirentur, cognouerunt, unicum Pyrrhum, per quem seruitutis iugum repellere possent, per ea tempora floruisse declarauere. Ad eum itaque legatos mittentes, nouas res natura moliri solito haud difficulter persuaserunt, uti in Italiam nauigaret: in qua neque peditum ei copiæ, neque equitum essent defuturæ. Quamobrem præmissum Cyneā uirū eloquentissimū cum tribus militū millibus, ipse iusto exercitu, elephantis'que non paucis in naues impositis prosequens, cum post maximum quod passus est naufragium Tarentum peruenisset, seuerissima Tarentinos disciplina coërcuit, quos non Martis, sed Veneris sacris initiatos inuenit. Verum enimuero ubi Albinum Romanum consulem cum magnis copiјs contra Tarentinos ac seipsum aduentare cognouit, primo per caduceatorem de componendis inter Romanos Tarentinosq́ rebus tentauit. Deinde cum Romanos neque Pyrrhum iudicem delegisse, neque bellum inferentem timere intellexisset, ad bellicas artes animum intendit: sed ante omnia castrensem Romanorum disciplinam, quoad eius fieri posset, perspicere statuit. Romanis tamen primo quoque tempore cum externo hoste ac Tarentinis manus conserere festinantibus, Pyrrhus omisso Romanos tentandi consilio, consularem exercitum fudit, fugauitq́: quodq́ uictis turpissimū fuit, castris etiam spoliauit. Vtq́ summam in ea pugna Pyrrhi uirtutem cognitam fuisse credamus, Romani primo congressu non cessere. sed difficillimam ei uictoriam reddiderant, cum uictores septies ab hostibus pulsi, septies eosdem pepulisse tradantur. Cum hæc perfecisset Pyrrhus, non modò in propinquas regiones populabundus excurrit, sed proximè urbem Romam cum equitatu uictor processit. A qua cum neminem pacem petentem mitti uideret, ipse Cyneam pacem uictis oblaturum ad urbem proficisci iussit. Ea uerò à Romano Senatu neutiquam accepta, cum Fabricio Aemylioq́ COSS. apud Asculum prælium iniuit: cuius euentus uarius quidem fuit. Prima enim die, quòd iniquum in locum se compelli passus est, cum magna suorum clade, ad noctem tamen usque fortissimè pugnauit, sequenti uerò, post magnam Romanorum cædem editam, in fugam acerrimè obnitentes uertit: quod maximæ procul dubio Pyrrhi singularisq́ animi audaciæ est ascribendum. sicut nemo eum iure culpabit, quòd relicta Italia cum in Græciam ob Ptolemæi mortem, in Siciliam'que ad eijciendos ab ea Pœnos eodem tempore uocaretur, in Siciliam omissa Græcia nauigarit. Satis enim super'que experientia didicerat, Romanos in

d

nos in

nos in Italia ab externo rege propter ingentem hominum multitudinem, quam in Romanorum castris, in ipsa urbe, in Latio, in omnibus denique Romani nominis colonijs esse partim acceperat, partim præsens cognouerat, uinci non posse. Eorundem siquidem in prælijs roboris audaciæque cum in alijs, tum in postrema pugna ipse testis fuerat: cum amissis ex suorum ordinibus optimis ac fortissimis quibusque militibus, per iocum amicis dixerit, si alia pugna Romanos uicerimus, omnino perijmus. Et sanè (ut reliquas Pyrhi res gestas iam iam absoluamus) inter multas eius regis uirtutes, hanc quoque non ultimam commemorandam esse admonebo, Pyrrhum scilicet nunquam suis uiribus tantum credidisse, quantum eos fecisse uidemus, qui secunda fortuna semel aut iterum usi, nullum suo furori modum præfinierunt: sed omnia in temeritate posita existimantes, quicquid antea gloriæ multo sudore adepti fuerant, una hora deperdiderunt. Quin potius cum tunc maximè pacis conditiones Romanis ingesserit, quum ob insignem ipse uictoriam esset erectus, consultissimè fecit meo iudicio, quòd obstructas secundò Romanorum aures se esse inuenturum sciret, si magis pro tempore fortunæ cedendum duxit. Sed de his hactenus. Quandoquidem Pyrrhus ipse præmissum in Siciliam legatum consequi, Carthaginensiumque res uexare cupit. Quid cupit dico? cum prius propè eorum potentiam euerterit, quàm de illius in Siciliam nauigatione nuncius ad hostes peruenerit? Possem huius belli magnitudinem amplo uerborum circuitu uobis ob oculos ponere, nisi simplici succinctáque narratione tum te Floride, tum Landum egisse scirem. Illud tamen non præteriero, Pyrrhum in Erycis munitissimi Carthaginensiumque præsidio firmissimi oppidi expugnatione, talem suis operam nauasse, qualem Græcis non Sthenelus, non Idomeneus, non Diomedes, Aiaxúe Telamonius, sed eorum fortissimus Achilles præstitit, cui plus uirium, animíque ardoris Homerum quàm uniuersæ simul Græciæ tribuisse uideo. Ex poëtis enim, non ex historicis sumenda fuit huiusmodi comparatio: cum unica Pyrrhi uirtus effecerit, quod integer eiusdem exercitus sine Pyrrho nequiuisset. Capto per uim eo oppido, Mamertinis, qui circa Messanam incolentes Græcos uarijs incursionibus infestabant, ingentem stragem intulit, insigni cum ijs prælio congressus, ac omnia eorum præsidia ex oppidis arcibusque deiecit. Quid uerbis opus est? Ipsi Carthaginenses, qui tamdiu cum Populo Romano de orbis terrarum imperio, tot ac tantis exercitibus classibusque pugnarunt, primi à Pyrrho pacem petentes, pecuniamque cum classe pro ineundæ amicitiæ iure pollicentes, hoc responsum acceperunt, non esse quòd aliquam obtinendæ à se pacis spem haberent, nisi omnia quæ citra Libycum mare obtinebant, prorsus dimitterent. Ita factum est, ut id Pyrrho euenerit, quod nemo alius Imperator sibi contigisse gloriari potuit: hoc est, ut duas urbes omnium quæ unquam fuerunt nobilissimas bellicosissimasque, Romam scilicet, Carthaginemque, unus uicerit. Quem cum Tarentini in Italiam reuocarent, quòd post eius discessum omnia hostilia à Romanis passi fuerant, uix in terram expositum, quique non suos pro militari more ordinasset, Mamertini in itinere adorti non mediocriter perturbarunt, quando eorum qui Pyrrhi agmen claudebant partem cum aliquot elephantis interemerunt, ipsumque regem uulnerarunt. Ita tamen Pyrrhus ferocissimum militem ultus est, ut Turnus Troianorum castra ingressus, Pandarum, cui ob maximum uulneris authorem,

In partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit,

priuatus esset, Arleni, qui non Pyrrhum potius à te, ne excellentium externorum ducum numerum breuissimum extitisse declarares, quàm ut eo fretus, Cæsarem à primo loco dimoueri posse sperares, productum fuisse intelligeret. Hoc'que tacitè, nisi fallor, innuebas, quum quibusdam poëticis, hoc est fabulosissimis comparationibus, eum modò Achilli, modò Turno similem fuisse affirmabas. Verum non ut tibi, quem mecum sentire certò scio, sed ut alijs qui uerè id existimant satis faciam: quemadmodum quidem in alijs fecimus, Pyrrhi res gestas paulo accuratius inspiciemus: ut nihil minus uerendum esse credamus, quàm Pyrrhum aliquo nomine cum Caio Cæsare conferri debere, si corporis uires excipias. Neque enim adeò sum mente captus, ut proprias cuiquam uirtutes detrahere audeam: quin potius uti suas in cæteris dotes semper commendaui, ita Pyrrhi in prælijs ardorem, singularem'que manuum promptitudinem summopere admiror, nemini'que eum qui unquam fuerit Imperatori in hac parte postpono: ac ne in alijs quidem, si qui pugnacissimus habetur, omnibus idem Imperatorijs uirtutibus protinus erit ornatissimus. Quando tamen de hac re, cum de Marcello loquaremur, aliqua diximus, sic habeto: C. Cæsarem (quemadmodum superius etiam attigimus) tum corporis tum animi robore tantum ualuisse, quantum ab excellentissimo Imperatore exigas: id'que restituta sæpius pugna, tum in Gallia, tum in Hispania ostendit. Quòd si Pyrrhus plures milites suis manibus interfecit, quàm Achilles ipse, omnium tibi qui unquam fuerunt sit fortissimus, dum Cæsarem primum sibi inter cunctos duces locum uendicare fatearis. Nam Pyrrhus quidem is mihi dux fuisse uidetur, qui non dicam Cæsari, sed nec Pompeio, aut Marcello, aut Africano, alijs'que multis par sit existimandus: quippe qui iuuenili quodam gloriæ ardore accensus, plurima tentarit, quæ mox eorum magnitudine deterritus leuissimè reliquit: quod est in egregio Imperatore summopere uituperandum. Sed & idem frequenter uictus, quo'nam pacto inuicto Cæsari æquabitur? Ne'ue me nugas agere, aut pro meo iure hæc mihi confingere putes, nónne Lysimachus, ad cuius antea arbitrium Macedoniæ fines partitus erat, apud Edessam eum superauit? superatum'que Macedonia excedere coëgit? At prius Demetrium uicerat, inquis. Rectè, nisi quæ aduersa fortuna fiunt, præteritis, quamuis excellentissimè gestis, tenebras offunderent. Quando uerò de eius erga Demetrium amore ipse modò mentionem fecisti, quo pacto uir bonus esse potuit hic tuus Imperator, cum non aliam ob causam, quàm ob alieni regni cupiditatem ei bellum intulerit, ad quem è patrijs finibus eiectus confugerat, próque cuius gloria ac salute apud Hypseum fortissimè (ut ais) pugnarat? An forte datam fidem semel à Pyrrho seruatam non fuisse, tecum commentabere? Non'ne Tarentinos, à quibus contra Romanos in Italiam fuerat uocatus, sic tractauit, quasi sui suorum'que maiorum serui, ac non potius liberi fuissent? Non'ne cum Siculis ciuitatibus multa promisisset, ea tantum quæ sibi uisa sunt seruauit? Sed his perfidi Regis indicijs prætermissis, reliqua quæ à Pyrrho infeliciter gesta sunt, absoluamus: ut quo in loco qui frequenter aduerso Marte pugnauit sit ponendus, tute ipse Arleni iudicare ualeas. Primum in Italia prælium aduersus Albinum Romanum Consulem læto suorum euentu Pyrrhus commisit, inquis. Non inficior: sed cum Albinus inter tolerabiles Romanorum duces nullius iu-

fensam expugnare non ualuerit: Argos uerò noctu per proditionem ingressus, à muliere cæsus fuerit. Tunc Arlenius: Quasi instabilem quendam Imperatorem, inquit, Floride Pyrrhum reiecisti, quòd ex Italia bis, ex Sicilia semel re infecta inuitus discesserit. Ego uerò ut pro hoc Pyrrho diutius tecum non cōtendam, ad eum deueniam, qui licet à Scipione semel in Africa uictus fuerit, Cæsare tamen longe excellentior est habendus. Hic Scælius: Annibalem innuis, inquit, Arleni. Sed si qui eum uicit Scipio, Cæsari, Lando assentiente, non est æquandus, quónam modo ab illo uictus id assequetur? Et ego: Quandoquidem, inquam, plurimos id sentientes, quod Arlenius commonstrare nititur, noui, sic ei concessero, ut bellica Annibalis facinora recenseat, quasi de Scipione nullum uerbum factum esset. Nam & Arlenio me, & ijs omnibus qui illi assentiuntur, perfacilè ostensurum spero, Annibalem tam quòd in Africa à Scipione profligatus, quàm quòd ab alijs Romanis ducibus uictus fuit, non esse cum Cæsare conferendum. Tu itaq; quò incœperas perge Arleni: cumq; ea pro Annibale dixeris, quæ uehementer probes, ea fortè aduersus illum proferri audies, quæ pristinam eius gloriam non mediocriter imminuerint. Mox ista uidebimus, inquit Arlenius. Nunc quoniam plurimum referre inter nos conuenit, quæ nam eius fuerit de quo agimus puerilis in armis exercitatio, non eam tantum in Annibale maximè laudatam fuisse, sed ex patris (nam de alijs maioribus laborandum non est) in eum uirtute plurimum emanasse asseuero: cum non potuerit excellentissimo patre natus, & ipse excellentissimus non esse. Quamobrem cum alij in pueritia magna futuræ præstantiæ spe suos erexerint, Annibalem certè uixdum natum eminentissimum ducem futurum esse omnes existimarunt. Nec perperam: cum nonum annum agens, patri ut in Hispaniam duceretur blandiens, altaribus admotus iureiurando ab Amilcare obstrictus est, quum primum liceret, Romano populo se inimicum fore. Tunc ego: Magnum facinus incœptas Arleni, inquam: atque (ut Plauti utar uerbis) si ante lucem minutis hisce præsagijs te actuum Imperatorem inuoluere occipias, prius noctis concubium fit oporteat, quàm ad eorum calcem perueneris. cum ex optimis sæpè ac fortissimis uiris, perditissimos, maximeq; imbelles: contrà autem ex imbellibus sceleratisq;, bellicosissimos, summaq; probitate præditos natos legamus. ut uerissimè scripserit Satyricus poëta,

> Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
> Aeacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas,
> Quàm te Thersitæ similem producat Achilles:

pulcherrimeq; apud Homerum Glaucus Diomedi, quod nam eius genus esset perconctanti, responderit,

> Τυδείδη μεγάθυμε, τίη γενεὴν ἐρεείνεις;
> οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.
> φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
> τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη,
> ὣς ἀνδρῶν γενεὴ, ἡ μὲν φύει, ἡ δ' ἀπολήγει. Id est,
> Tydide, nostrum quare genus inclyte poscis?
> Namq; homines pacto, & frondes, nascuntur eodem:
> Has in humum fundit uentus, sed sylua recentes
> Producit, uerno crescentes tempore, semper.
> Sic hominum genus est: hoc nascitur, occidit illud.

Missa itaque tam altè repetita Annibalis genealogia, ad ipsius ducis, uel adolescentis

centis,uel etiam adulti res geſtas aggredere: niſi fortè de generis magis nobilitate,quàm de Imperatorum uirtute diſſerere malumus. Hoc quidem libenter agam,inquit Arlenius: nec mihi tam acriter ſuccenſere debebas, ſi quid ex patris gloria in filium deriuarem. Cæterum prima Annibalis rudimenta extra patriam,hoc eſt in Hiſpania ſub Aſdrubale fuere, & ea porrò adeò inſignia, adeò glorioſa, ut intra exigui temporis ſpacium ueteres Amilcaris milites Annibalem maiorem patre ducem futurum certiſſimis ſignis cognouerint. Siquidem cum nullos labores ille recuſaret; ob nullam periculi magnitudinem animo ſuccumberet, adeò ſibi & Aſdrubalem & milites omnes deuinxit, ut neque ille cuiquam libentius magnas res quàm Annibali crederet, neque hi quoquam alio duce promptius audaciusq; mandata exequerentur. Quocirca ſi poſt Aſdrubalis mortem tum à Carthaginenſi ſenatu, tum ab exercitu dux quamprimum creatus eſt,nihil ab ijs factum dicemus, quod non egregia Annibalis indoles per tres annos, quibus in Hiſpania ſub alieno imperio fuit, abunde promerita eſſet. Ac ne paruas illi res cordi unquam fuiſſe ſuſpicemur, ſtatim quaſi Italia ei prouincia à patria decreta eſſet,de bello Romanis inferendo cogitauit: efficaciſſimam eius cauſam inuenturus, ſi Saguntum maximè coniunctam ijs urbem per uim cepiſſet. Neque profectò aliter res habuit. Dum enim Saguntini Romam legatos ad petendam à ſocijs opem mittunt,dum Romani in Hiſpaniam ad Annibalem primò, mox in Africam ad Carthaginenſem ſenatum mittunt,iam Annibal ipſe Sagunti muros quatiebat. Vtq; diuturnam obſidionem paucis uerbis complectar, octauo poſtquàm eam urbem oppugnare adortus erat,menſe capta, cum in hybernis quantum per tempeſtatem opus fuit, quieuiſſet,in Italiam cum exercitu iter facere cœpit,ordinatis prius tam Africæ quàm Hiſpaniæ,ſuiq; exercitus rebus,miſſis ſcilicet in Africam Hiſpanis militibus, traductiſq; in Hiſpaniam Afris,ut utræque copiæ à ſuis regionibus remotæ,meliorem in alienis,Punicis rebus operam nauarent. Poſthæc præmiſſis qui Gallorum animos partim donis, partim nouarum rerum ſpe ſibi conciliarent,ipſe ſubſecutus ad Rhodanum flumen peruenit,cuius ripas Volcæ utrinque colebant. Ii uerò audito Pœnorum aduentu, quod iuſto ſe certamine ijs impares noſcebant, in alteram ripam cum omnibus copijs traiecerunt: difficillimumq; Annibali tranſitum reddituri uidebantur, niſi aſtu eos Pœnus magis quàm uiribus uiciſſet,miſſo Hannone Amilcaris filio cum exercitus parte,qui unius diei iter aduerſus fluminis curſum progreſſus,tranſmiſſo clanculũ Rhodano à tergo cum oppoſitis pugnantes adoriretur. Traiectis hoc modo copijs Pœnus, præmiſſiſq; quingentis Numidis equitibus, qui Romanorum caſtra ſpecularentur,eorumq; numerum conſiliumq; cognoſcerent, poſt anceps certamen, ubi ſuos à paucioribus tandem in fugam uerſos intellexit, non prius cũ hoſtibus prœliũ cõmittere decreuit,quàm Italiam attigiſſet: in quam tamen non ſine maxima ſuorũ clade eum tranſiturũ apparebat, propter altiſſimorũ montium,niuibusq; & perpetuo gelu rigentium inuia atq; inacceſſibilia iuga. Quòd niſi excellentiſſimus Imperator his difficultatibus territos ſuorũ animos multis rationibus bono animo eſſe, ac optima quæq; ſperare iuſſiſſet, nunquam tot tantaſq; calamitates per multos annos Romano populo inflixiſſet. Sed quòd Dij Romanam rem grauiſſimè affligtare conſtituerant,eum ad hoc ducem elegerunt,quem nulla unquam rei magnitudo à quauis re tentanda deterrere potuit. Denique ne eius tranſitum, inuictique & ſumma quæque cupientis animi indicia tam longa oratione, quàm res ipſa poſtularet, uobis exponam,

Hic

Hic est, quem non capit Africa Mauro
Perfusa oceano, Niloque admota tepenti,
Rursus ad Aethiopum populos, aliosque elephantos
Additur imperijs Hispania: Pyrenæum
Transilit: opposuit natura Alpemque, niuesque,
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto,
Iam tenet Italiam:

quam ingresso, cum primum Cornelius Scipio Romanos consul cum exercitu obuius in Insubrium agris factus est, commisso equestri prælio Annibal Romanos fudit, fugauitque, Scipione quoque Consule in ea pugna uulnerato. Quod prælium cum feliciter, pro'que animi sententia Annibali cessisset, magnum quidem Romanis terrorem attulit: Pœnis autem tantum ardoris addidit, ut ex unius pugnæ exitu omnia sibi in posterum prospera futura coniectantes, acerrimè semper pro sui Imperatoris gloria ad prælium ierint: quod & non multo post prope Trebiam uicinum Placentiæ flumen ostenderunt. Enimuero cum Scipio munitis in eius ripa castris, non antè pugnaturus esset, quàm collega ex Sicilia reuocatus, paribus secum auspicijs rempublicam administraret, is autem nihil moratus suas cum collegæ copijs coniunxisset, hoc est quicquid Romanarum uirium reliquum erat Annibali duo consules opposuissent, ne ita quidem imminentē cladem à patria suisque propellere ualuerunt. Quin cum Gallicum agrum Annibal equitatu peditatuque diu infestasset, quem Romani summopere defensum uellent, leuibusque hinc inde prælijs ea de causa aliquandiu certatum esset, iustis demum copijs signa inter se contulerunt. Verū Pœnus non tantum robore, sed & astutia hostes superauit, occupato per Magonem, delectosque ei additos milites, loco, ex quo in medio prælij strepitu, qui in insidijs erant Romanos, uirtute, non fraude manus conserere solitos, cum tempus postularet aggrederentur: adhæc ita ob aërem, qui tum ijs in locis frigidissimus erat, suis corpora curare ac ungere iussis, ut cum Romani nec capto cibo, nec aliquo ad arcendum frigoris uim remedio adhibito, in campum à Numidis prouocati exissent, eos nec dijs nec uiribus (ut ille ait) æquis congressos, facillimè è loco, quem instructi occupassent, propulerit, propulsosque interfecerit. Quid uerbis opus est? Vix decem Romanorū millia ex duobus consularibus exercitibus Placentiam effugerunt. Non addam tantæ uictoriæ, quanto terrore Romana urbs tam insigni suorum strage audita perculsa sit. Tot enim, tantæque Annibalis res gestæ adhuc supersunt, ut nisi summæ in singulis recensendis breuitati studeam, uix reliqua huius diei spacio ea sim absoluturus. Postquam Annibal tanta cæde in Romanos edita, nonnulla, quæ breuitatis causa prætermitto, circa Placentiā gessit, appetente uere ex hybernis mouit, quod Flaminiū nouū consulem Aretium cum exercitu peruenisse acceperat, tanto cum Romanis pugnandi desiderio captus, ut quo ad hostem celerius perueniret, cū cōmodius iter, quamuis aliquanto longius, suos ducere posset, breuius, tametsi asperius, & in quo ob aëris intemperiem, palustrisque cœni grauitatem, altero oculo captus est, elegerit, præsertim quò ad Flaminium gloriæ auidissimum, suos quamprimum ad certamen instructurum pro certo habebat. Igitur in Romani Imperatoris conspectū adueniens, inuento insidijs maximè opportuno loco, eos agros peruastare cœpit, qui inter Crotonē urbem Thrasimenumque lacū erant, ut temerarius Cos. illatas amicis iniurias rapinasque ulcisci cupiens, in paratos se laqueos indueret. Et quidem eius opinionem Flaminius nequaquā frustratus est.

Nihil enim

Nihil enim sani agens, in conclusum se lacu montibusq; locum præcipitem dedit, in eos tantum, quos à fronte in media planicie conspicabatur animum intendens. At ubi id animaduertit Pœnus, cum tanquam retibus obstrictos Romanos teneret, dato suis undiq; inuadendi signo, tanta celeritate in nostros concurrere, ut ante à fronte atq; à latere pugnare coacti fuerint, quàm acies pro ueteri Romanorum more instrui posset. Nec sum nescius, Romanos milites pro loci temporisq; conditione ita se gessisse, ut sub peritiore duce nullam difficultatem uincere nequiuerint: quid tamen incertis in orbem signis pugnantes aliud præstitisse credendi sunt, quàm quæ à desperatione ductis expectantur? hoc est, ne incruentam Pœnis uictoriam relinquerent? Proinde extincto Consule, ac quindecim Romanorum militum millibus ferro absumptis (cæteri enim per Ethruriam fugientes ad urbem reuersi sunt) quamuis Annibal Scipionem prope Ticinum, eundemq; cum Collega prope Trebiam notabilibus cladibus affecerit, longe tamen illustriorem prope Thrasimenum Romanis calamitatem attulit, cum eæ quidem funestæ habeantur, hæc uerò inter paucas Romani populi clades memoretur. Sed alia accipite. Ad Cannas namque, Apuliæ uicum, ut maiorem Romanorum stragem edat, Annibal festinat. Ad cuius aduenientis famam id Romæ, quod antea nunquam factum fuerat, imminente Annibale factū est, Q. Fabio Maximo dictatore, Minutio autem Rufo magistro equitum à populo dictis, quod legibus uetabatur, datoq; ijs negocio, ut quando de retinenda Italia omnem propemodum spem abiecissent, quæ ad defendendam urbem pertinerent, diligentissimè curarent. Eodem quoque tempore Cn. Seruilius Flaminij collega accepta eius calamitate, ne periculosissimis temporibus reipublicæ deesset, in patriam reuersus est. Sed enim Annibal rectà ad urbem proficiscens, cum à Spoletinis transitu prohiberetur, per Picenum agrum fertilissimum, ad reficiendumq; ex præteritis laboribus, uigilijs, inediáque militem maximè idoneum, suos duxit, superioribus uictorijs nequaquam contentus, sed in media urbe signa positurus. quorsum & illa Satyrici de eo,

Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, & media uexillum pono Subura.

Verum cum Fabius dictator ei se prope Argos opposuisset, adiunctis Seruiliano exercitui duabus legionibus recens conscriptis, continuo à Pœno pugnandi copia Romanis facta est, quanquam Fabius prælium detrectarit, omnes sociorum agros in suo conspectu incendi passus. Quoniam autem nihil minus Annibal optabat, quàm suos ocio ac torpore marcescere, cognito Fabij consilio, quē nulla res ut pugnam iniret protractura uidebatur, ad perturbandas populi Romani sociorū res, Campanosq; ac Samnites dubiæ fidei sibi deuinciendos contendit. Ne'ue ij Romano populo opem ferre possent, cū Casinatem saltum occupare decreuisset, per errorem à duce ad Casilinū ductus, ingentē prædam ex circumiacentibus regionibus abduxit: sedemq; ubi hyemaret quærens, à Fabio non tam ob rei militaris, quàm ob regionum ignorantiam angustum in locum conclusus, nouo commento quomodo se expediret reperit, ut planè callidissimo Punicisq; artibus utenti Fabio ostenderet, eum qui alijs dolos innectere nosset, nullis laqueis irretitum, se non facile quum uellet explicaturum. In tutum igitur locum egressus, Fabium sæpenumero (ut & antea fecerat) ad pugnam allicere tentauit: quo consilio parum procedente, nihil sibi æquè expectandum duxit, ac nouū magistratum, qui Fabij in bello gerendo rationem improbans, Flaminio, Sempronioq; esset quàm simillimus; idq; Dictatoris in

patriam

patriam reditus ei propemodū obtulit. M. namq; Minutius equitum magister, qui Fabium frequenter tanquam timidū apud milites populumq; traduxerat, solus in exercitu Imperator relictus, committendi cum Annibale prælij occasionem quàmprimum arripuit. Quem Pœnus suam prędam ratus, ita tractauit, ut prima pugna æqua ferè uictoriæ parte ab utroq; sit recessum, nempe ut cū obiecta esca hamum postea uoraret. Nec fefellisset eum rei exitus, nisi dictator undiq; oppressum magistrū equitum seruasset. Enimuero Minutius prospera pugna elatus, id suas uirtutes extollens est assecutus, quod Romanis auribus nouū erat, ut pari uidelicet cum Dictatore potestate à Romanis in magistrum equitum collata, ita inter se copias partirentur, quemadmodum COSS. solebant. Ideoq; suo iudicio cum Pœno præliū inire ausus, intra paucos dies suū agnouit errorem, unius dictatoris beneficio à morte reuocatus. Quibus gestis, cum duo COSS. L. Aemylius Paulus, Terentiusq; Varro Romæ creati essent, magno gaudio Annibal affectus est, quippe qui uiribus ingenioq; ualidissimus, nihil aliud sibi in euertendo Romanarū rerum statu, quàm Fabij consilium prudentiamq; obstare satis dignosceret: mutatoq; imperio, & belli gerendi consilium, si non in utroq;, in altero tamen Consulum mutatum iri speraret. Et sanè ita euenit. Nec enim duos magis discordes COSS. Romana respublica habuit, quàm eos, quos dixi, Aemylium, Varronemq;, cum alter uir prudentissimus Fabij uestigijs insistens, cautè omnia gereret: alter autem, ut uocibus, quas Romæ inter populares iactauerat, responderet, cum Pœno quàmprimum præliū committere gestiret. Quæ animaduertens Annibal, positis prope Cannas castris, obseruataq; die, qua Varronis esset imperium, & quod faciliorem ei uictoriam tribuit, Vulturni uenti natura, quem pugnantibus Romanis puluerem in oculos iniecturum præuiderat, suos in campum produxit: quamuis neq; Varroni monitore opus fuerit, qui prima eius diei luce orta, qua Cannensis clades accepta est, alacer cum suis, et collega etiam renitente, in aciem processerit. Nō optabitis (ut existimo) huius stragis magnitudinem, laudemq;, quam ex tam insigni uictoria Pœnus retulit, à nobis audire: cum nihil inter Latinorum monumenta notius sit, quàm Cannensis clades Aemylij Pauli Cos. duorum quæstorū, plurimorum tribunorum militum, non paucorum Consularium, Aedilitiorum, Prætoriorū, senatorijq; ordinis, quadragintaq; si Liuio credimus, sin Polybio plurium peditum millium, duorum millium septingentorumq; equitum morte nobilitata: ut eos mittam, qui uiui capti sunt. Iccirco quamuis secundi belli Punici confecti gloria penes Romanos fuerit, quis tamen negare ausit, uictores, quàm uictos propius periculo fuisse? Quando unquam tantam postea stragem Romani Pœnis reposuere? An si cum uictore exercitu post tantam ruinam Annibal ad urbem profectus esset, non eam solo æquare ualuisset? Cæterum cum Pœni omnes post tam celebrem uictoriā Annibali gratularētur, multiq; ei suaderent, ut & sibi & suis defatigatis, reliquum eius quo pugnatum est diei, & sequentem noctem ad quietem concederet, nemo mihi melius Maharbale Pœno equitū præfecto sensisse uidetur, qui Annibalem sic admonuit: Imò ut quid hac pugna sit actum scias, dic quinto (inquit) uictor in Capitolio epulaberis: sequere cum equite, ut prius te uenisse, quàm uenturū sciant. Atqui Annibale, maiorem uiam ad urbem restare, quàm ut ilico eam animo concipere posset, respondente: prudentissimè uerissimeq; ab eodem illa uox audita est, Vincere scis Annibal, uictoria uti nescis. Non modò enim in hoc Annibal peccauit, quòd Romam ire non maturauit, sed quòd cum uictore exercitu Capuam diutina felici-

tate, omnibusq; fortunæ beneficijs luxuriantem se contulit: cum nõ magis (ut uulgò aiunt) uictis Romanis Cannæ, quàm uictoribus Pœnis Capua obfuerit, eneruato in ea præ deliciarum affluentia ueteranorũ Annibalis robore, immutatisq; militum tam cultu, uiuendiq; genere, quàm colore, animorumq; affectibus. Cumq; Pœnorum res hoc in statu in Italiã essent, Philippus Macedonum Rex cum Annibale aduersus Romanos societatem inijt. Quod nisi Romanorum uires aliquantulũ bene gestarum in Hispania Sardiniaq; rerum lætitia recreatæ fuissent, addito ad priorem hostem hoste Macedonico, de eorum imperio proculdubio actum erat. Hæc tamen non tam ad rem nostram spectant, quàm quòd sequentibus temporibus M. Centerium, qui petito exiguo admodum à senatu exercitu Pœnorum res se afflictaturum spoponderat, cum omnibus ferè quas habebat copijs occidit, mox Fuluium prætorem insidijs circumuentum trucidauit, decem & octo Romanorum militum millibus cum eo deletis: quod summopere afflictam eorum rempublicam perturbarit, necesse est. Sed hæc omnia procul à Romanæ urbis muris gesta sunt. Id sanè incredibile propemodum uidetur, qui post Cannensem uictoriam, Romam cum exercitu proficiscendi opportunitatem omisisset, eòdem se illum cum minore suo commodo accedere non dubitasse: positisq; apud Anienem castris, ipsum cum delectis equitibus urbis muros obequitantem contemplatum esse. Quanquam manifesto postea argumento Romani simul Pœni'que non tam humanis uiribus, quàm deorum beneficio Romam ab extrema calamitate eo tempore seruatam fuisse cognouerint, cum Annibalem bis suos in aciem educentem, repentini imbres è cœlo immissi in castra redire compulerint. Hinc Annibalem ad suos conuersum, modò sibi uoluntatem Romam inuadendi, modò facultatem defuisse, indignabundum dixisse perhibent. Proinde ab urbe discedens, in Brutios ac Lucanos reuersus, ne suorum gladios rubigine absumi pateretur, non multo pòst Fuluium proconsulem apud Herdoniam sedentem oppressit, interfectis magna ex parte eius legionibus, reliquis'que in fugam uersis. Quin & cum M. Claudio Marcello, qui per ea tempora Romanis omnibus Imperatoribus publico consensu anteponebatur, usque ad noctem pugnauit, non modò cum mediocribus, sed cum excellentissimis quibusque ducibus manus conserendi peritus. Verum quid pugnasse cum Marcello Annibalem dicam, cum eundem ueteranum Imperatorem, multis'que uictorijs insignem interfecerit? Equidem si unicum Marcellum Annibal, quamdiu in Italia fuit, interfecisset, eo solo nomine C. Cæsari illum anteponeremus. Cum uerò plurima, de quibus sermonem fecimus, præter id aduersus Romanos patrarit, quemnam ei Imperatorem æquandum esse, nisi perfricata fronte dicemus? Et hæc quidem à Pœno duce in Italia gesta, raptim à nobis fuisse percursa inde cognoscitis, quòd neque multarum urbium quas expugnauit, neque omnium ducum quos uicit, mentionem fecimus. Quid quod bellica huiusmodi facinora in hostili solo, in sociorum populi Romani conspectu, procul à patria cotra Romanos edidit, nullos præter suos milites amicos habens, sed in diem rapto uiuens? Ad quæ incommoda & illud multò maximum accedebat, quod tantam Romanorum Latinorum'que multitudinem, hoc est, tot tantosq; Cõsulares ac Prętorios exercitus ferro absumens, pon semel ingentem suorum iacturam passus, uix iustis Romanorum copijs nost amissos ueteranos quàm plurimos semel obsistere posse uidebatur: cum tamen his omnibus difficultatibus uictis, semper uelut hydra plura contra hostes

capita

capita emiserit, quàm antè haberet. Atqui & illud (quod & Floridus attigit) uel inuidia fatente in Annibale admirabile fuit, quod ex diuersis nationibus, quippe ex Hispanis, Afris, Gallis, Italisq; exercitum habens dissonum linguis, diuersis legibus sacrisq; assuetum, ita semper tum in Italia, tum in Hispania rexit, ut non minor in eo quàm in Romanorum castris concordia fuerit. Idem quoque non in hostili tantum terra ab hostibus, sed in patria à diuersis factionibus impetitus est, summoq; cùm labore à suis uictor stipendia impetrauit. Sunt hæc, ut uerè dicam, singularissimi Imperatoris signa, & eius quem Cæsari longo interuallo putem anteponendum. Quòd si semel aduersam belli fortunam cum Scipione in Africa pugnans passus est, an iccirco quæcũq; sibi multorũ annorum spacio militaria ornamenta pepererat, effudisse censebitur? Id porrò maximè omnibus est perspicuũ, Annibalem semel ab Africano superatum, non protinus inutilem Romanorũ hostibus uel opere, uel consilio fuisse: ut egregiè à nostro Poëta scriptum sciamus,

Multa dies, uariusq; labor mutabilis æui
Retulit in melius, multos alterna reuisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

Dicet uerò nescio quis, Quæ'nã hæc sunt Pœni ducis edita, ab extrema pugna in Africa cõmissa, contra Romanos facinora? et illos forte mihi uersus accinet,

Exitus ergo quis est? ô gloria: uincitur idem
Nempe, & in exilium præceps fugit, atq; ibi magnus
Mirandusq; cliens sedet ad prætoria regis,
Donec Bithynico libeat uigilare tyranno.

Vtque eiusdem mortem, quasi in maximo duce uituperandam insectetur, & illos subiunget,

Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladij, non saxa dabunt, non tela, sed ille
Cannarum uindex, & tanti sanguinis ultor
Annulus.

At ego, ut huic (quicunq; fuerit) respõdeam, nõ inficias iuerim, Annibalem tam apud Prusiam regem, quàm apud Antiochũ bellũ Romanis inferre parãtem, exulis habitu fuisse conspectũ. Si tamen Antiochus peritissimo; Romanorumq; sæpissimè uictori duci credidisset, quin idem magna clade, ac ultima potius ruina ueteres hostes fuerit affecturus, negare non possumus. Opposuit autem tantis se conatibus omniũ humanarum rerũ perturbatrix inuidia, in intima Antiochi familiariũ præcordia suũ immittens uenenũ, per eosq; Pœnum regi suspectũ reddens, qui illi antea eundem summopere laudauerant. Victo itaq; à Romanis Antiocho, qui optimis consilijs uti nesciuerat, ad Prusiam se conferens, nauali prælio Eumenem uicit, magna serpentiũ ui fictilibus inclusa in hostium naues coniecta, ut nullas esse artes ostenderet, quarum ipse in terrestribus naualibusq; cõflictibus expers fuerit. Sed de Annibale satis multa. Quod enim ueneno seipse necauerit, nõ tam est reprehendendũ, quàm insigniter laudandum: cum multi præter Annibalem egregij Imperatores, uel in prælijs, uel in pace, aut etiam in exilio, uel se interfecerint, uel absumpti ab alijs fuerint. Nunc nisi nostræ subscribis sentẽtiæ Floride cur id facias, abs te doceri uehementissime cupio. Tunc ego: Egregiè sanè fecisti, inquam, Arleni, ac me non mediocriter delectasti, cũ omissis eximijs quidem, sed in summo gradu minimè collocandis Imperatoribus, ad Annibalem uenisti: quem non Africano, à quo uictus est solùm, sed C. Cæsari etiam præponendũ esse, multos autumare

pro comperto habeo. Quibus ego ut respondeam, non absurdum fortè fecero, si iustissima ex tuis uerbis occasione sumpta, quid ego semper de Annibale senserim, tibi ostendam. Vt ergo nostræ sententiæ declarandæ uelut fundamēta iaciam, idem ante omnia repetam, quod superius non semel dictum est, magni uidelicet momenti habendū esse, quibus'nam cum Imperatoribus prælia commiserit, cui omnium ducum primatū deferre nitamur. Quo in negocio parum mihi tuum Annibalem extulisse uideris, cum inter omnes COSS, quos ab eo uel superatos, uel etiam cæsos cōmemorasti, neminem egregij Imperatoris laude dignum nominaris, præter M. Marcellum, cuius quales fuerint res aduersus Annibalem gestæ, & Landus accuratè percurrit, & nos eorū aliqua repetemus. Nam Aemylius Paulus non tantum inuitus in pugnam descendit, sed cum oblato equo se proripere ac mortem fugere posset, in suorum militum strage expirare, quàm uiuus collegæ accusator existere maluit. Verum singula Annibalis bellica facinora propius consideremus. Annibal, inquit Arlenius, non ignobili sordidæq; nescio cui ciuitati, sed Romanis bellicosissimis populis iuuenis bellum intulit, multaq; incommoda tum Pyrenæos, tum Alpinos saltus cum exercitu transeundo pertulit. Probo ego id quidem, & magni ducis opus existimo: sed Alpes aceto atq; igne domitæ facessant interim, quando manus prope Ticinum cum Romano consule sunt conferendæ. At primus hic equestris conflictus (nam qui in Gallia inter Numidas Romanosq; editus est, minor uidetur, quàm qui in memorabilium facinorū ordinem ueniat, neq; aut Romano consuli uictori magnam laudem addit, aut Pœno duci detrahit) Scipioni parum secundus fuit, cū adolescentis filij uirtute seruatus, uictus discesserit. Satis hoc uerè secundumq; historicorum monumenta dicitur. Quæ'nam tamen adeò insignis hæc est gloria, si equestri prælio Annibal Romanum consulem uicit, cum decem equitum millia contra paucas Romanorū alas produxerit? Annon si omnes Annibalis uictorias propius intueamur, uel ab equitatu eas, uel ab ignobilium cōsulum temeritate emanasse inueniemus? Sed ea parte, dicet Arlenius, qua Romanos debiles esse intelligebat Pœnus, inuictus esse uoluit. Laudo & hoc quoq;. Verū cum de præstantissimo duce disserimus, nequaquam eum tanquam egregio alio patrato facinore ad cœlum extollemus, qui centū peditum, decemq; equitum millibus fretus eum profligarit, cui triginta peditū, duo equitum millia fuerint. At contrà qui uel pari, uel inferiore numero, quod Romanis ducibus ferè semper contigit, hostem fuderit fugaritq;, maximè admirabimur. Cæterum non semper ea conditione ab Annibale pugnatum, subiunget Arlenius, cum in prælio apud Trebiam cōmisso duo consulares exercitus ab eodem partim cæsi, partim capti, fugatiq; fuerint. Quasi uerò cum Sempronius Scipione, quem inter celebriores Imperatores referendum non duco, longe deterior, inuito ac renitente collega instructis copijs cum Pœno cōgressus, uictusq;, aliqua eximia gloria uictorem ornauerit: aut simili modo Flaminius apud Thrasimenum Dijs Romanoq; senatu à pugna reuocātibus, circumuentus, pluris fuerit faciendus, quàm leuissimus hostis, unico furore, temerarioq; impetu, Imperatorijs uerò artibus nullis præterea instructus. Hinc uarias eorum temporū calamitates, quibus à Pœnis Romani affecti sunt, non tam ad solam Annibalis uirtutem, quàm ad Deorum in Romanos indignationem referendas puto: cum hi non ante excellentem quenquam Annibali ducem opposuerint, quàm multos integros exercitus amiserint. Quod Cannensis ferè pugna perfecit, in qua quo maiorem hominū numerum cæsum fuisse recenset Arlenius, eo dementiorem

fuisse

fuisse Terentium Varronem prædicat, qui sordidis parentibus ortus, neq; collegæ monitis, neq; recentibus suorũ cladibus, quo minus Apuliæ uicũ Romanorum strage insigniret, deterreri potuit. Sed si quemadmodũ post uictos Sempronios, Flaminiosq; , ac Varrones, Annibalis se in Italia res habuerint proferemus, uerendũ tibi est Arleni, ne omniũ eum Imperatorum fortunatissimũ fuisse conuincamus, cui ex tam stupidis imperitisq; Imperatoribus occisis, fugatisúe, tam egregia laus cõmuni consensu deferatur. Antequam tamen ad id progrediamur, si huic singularissimo Imperatori nihil arduum fuit, ac ne alpes quidem equitibus antea elephantisq; inuiæ, cur Placentiã, quam oppugnare tentauit, re infecta reliquit? Cur Placentia minus celebre emporium oppidũ? cur à Spoletinis itinere prohibitus est? Et credemus, qui harum (ut ita dicam) uillarum (uillæ siquidem erant, Romanæ urbi comparatæ) nullam per uim capere potuerit, urbem Romam eundem fuisse capturum, si post Cannensem uictoriã cum exercitu ad eam ire maturasset? Scilicet interfectis Flaminio, Aemylioq; Paulo, Sempronio uerò ac Varrone fugatis, ueterani qui eam defenderent duces deerant. Quin ego ab eorũ qui tam impense Annibalis gloriæ fauent sententia sic absum, ut si unus Fabius Maximus cum non paucis in ea militibus fuisset, non tantũ non ab Annibale Romã, sed nec à multis Annibale melioribus per uim capi potuisse arbitrer. At milites omnes diuersis in locis ferro absumpti erant. quasi uerò complures urbes magis à fœminis, quàm à uiris defensas non legamus: aut qui populum Romanum hydræ antea capitibus comparauerat, rem ut erat, non æstimarit. Sed multa capita in urbe reperiebantur, quæ tamen bello inutilia erant: subdet Arlenius. Ego uerò nullam unquã nationem belli studiosiorem, quàm Romanã, uel à primis annis extitisse, affirmare possum. Quòd si fortè tam rei bellicæ non erant periti, quàm qui ad Thrasimenũ Cannasq; pro patria cæsi fuerant, quis tamen eos defendendæ urbi idoneos futuros neget? Tũ si ijdem tam erant militiæ expertes, ubi nam ij exercitus, quibus post Cãnensem cladem res Romana defensa est, inuenti fuere? Eos sanè in Italia esse oportebat. Id uerò quod nemo pudenter negare potest, si mihi concedatur, non modò Romanæ urbis muros à Pœno seruari potuisse, sed integros exercitus à Romano populo conscribi quiuisse concludam, quibus collatis etiam extra urbem signis Annibal uinceretur. Iam si Romani tanta militũ penuria laborabant, cur non ab offerente Pœno eos redemere, qui apud Cannas capti erant? Prætereo milites qui in Sicilia erant, quorum partem Marcellus Cannensi clade audita Romam remisit: mitto exercitus, qui in Hispania sub Scipionibus pro patria pugnabãt: taceo Annibalis authoritatem, qui melius rei euentũ, quàm nescio quis Maharbal expendisse creditur. Nam Pœnus Hanno, qui unicè, quo in statu post Cannensem stragem Romana res fuerit, mihi dignouisse uidetur, in Carthaginensi senatu, numnam adhuc suscepti cõtra Romanos belli pœniteret interrogatus, Cannensem uictoriam ita Pœnis se iudice usui fore respondit, si æquiorem eius gratia pacem impetrare constituissent. Post quæ ipse quoque ab aduersarijs primum quæsiuit, cum totam Italiam in defectione esse constaret, ecquis Latini nominis populus (hæc ad uerbum ferè è Liuio desumimus) ad Carthaginenses defecisset? deinde ecquis homo ex quinque & triginta tribubus ad Annibalem transfugisset? Cumq; legationis princeps utrumq; negasset, integrum fermè à Romanis periculum Pœnis impendere optimis rationibus ostendit: hac quoque tanquam præcipua Romanæ multitudinis animos aduersus hostes mordicus patriæ libertatem defensuros esse colligens, quòd nulla ab

eis in tam extremis rebus pacis mentio facta esset. Sed de his hactenus. Reliqua enim immensa Annibalis facinora persequi certum est, cum hæc paulò diffusius explicarim, ut uanam eorum coniecturam fuisse, planum facerem qui pro Maharbalis sententia multa ubique, ac quouis tempore ineptissimè effundunt. Inprimis autem postquam Annibal Sempronium, Flaminium'que, uel fudit, fugauitq́, uel pugnando interemit, si incomparabili idem uirtute præditus, quemuis Imperatorem superare poterat, cur non Fabium Maximum eadem qua alios astutia intercepit? cur plura semper ab eo damna passus est, quàm contrà ei attulerit? Cur tam turpiter, imperite'que in montium, fluminum'que angustias se obtrudi siuit? An quod locorum situm ignorabat, rectè excusabitur? Atqui cum & Annibal, & Pœnus esset, suos eum in locum, ex quo quum uellet, exire non ualeret, minimè ducere debebat. Nam & locorum ignoratio in causa fuit, cur ipse tam facilè Flaminium consulem apud Thrasimenum lacum circumuenerit: & eodem nomine T. Veturio Caluino, Sp. Posthumio à Samnitibus Caudinis anfractibus inclusis, quasi qui per ignorantiam deliquerint, ignoscemus. Sed sit huiusmodi semel admissus error: nónne uel id unum Annibalem Caio Cæsari minimè comparandum esse ostendit, quod quamprimum ille Fabij patientiam atque in continendo castris exercitu perpetuum institutum cognouit, Romanos malo doctos parem sibi ducem tandem elegisse confessus est? An Cæsar cum unquam sibi æqualem fuisset dicturus, quem consilio instructiorem, quàm manu promptiorem intellexisset? Atque ut Fabium prætereamus, à quo iterum uictum se fassus est, quam'nam Annibal cum alijs cordatis Romanorum Imperatoribus pugnans gloriam retulit? Pudet referre Annibalem tantum Imperatorem. Nolam cum exercitu profectū, non à Consule, non à Dictatore, sed à Marco Marcello legato unam tàntum legionem habente, etiam in æqua campi planicie uictum, cum magna suorum clade magno'que dedecore discessisse. At quid facias? dicet Arlenius: non ex uoto præliorum euentus Imperatoribus succedunt. quasi uerò non & secundò ad eandem urbem maxima indignatione profectus, eodem prælij exitu recesserit, amissis plus duobus ueteranorum millibus, cum ex Romanorum numero uix quadringenti ceciderint. An fortè in magnis conflictibus uincere solitus, leuiores hasce pugnas uolens aduersas accipiebat? An non potius qui imperitis temerarijs'que ducibus longe erat præstantior, ijs qui aliquanto celebriores habebantur erat inferior? Quoties deinde ab eodem Marcello consule superatus est? At eum insidijs circumuentum interemit. Ego uerò non tam id Annibalis uirtuti, qui multis prælijs domitus ad fraudes iam dolos'que animum conuerterat, quàm Marcelli dementiæ (ut ita dicam) assigno, cum in cæteris absolutissimus dux, extremo uitæ tempore uel momento potius id commiserit, quod nunquam Annibal à Terentio Varrone factum iri credidisset. Sed fuerit præcipua Annibalis prudentia factum, ipse quidem Annibal se ab eo sæpissimè uictum fugatumq́ fuisse negare non potest: quod tamen in eo summopere est uituperandum, qui Cæsari uel præferendus, uel etiam æquandus sit. Quid quòd præter hæc alia non pauca dedecora subijt, non paucis detrimentis in Italia affectus est? Nónne Capuam post diuturnam obsidionem à Romanis recipi passus est, postquam omnia frustra tentarat? An non Claudius Nero sic eum contudit, ut qui prius nihil magis quàm pugnas optabat, libentissimè totos eos dies cum suis intra castra uallosq́ constiterit, quibus Romanus consul cum delectis

ctis ad collegam uenit, cæso'que Asdrubale in castra rediit? Vbi tum ille erat Annibal, qui recusantem Fabium omni astu ad prælium elicere nitebatur? qui Sempronios, Flaminios, Varrones'que tam facile eluserat? Aliud erat sanè aduersus lanios, aliud aduersus bonos Imperatores rem gerere: & qui summam laudem stultos aliquot, temerarios'que uincendo sibi pepererat, ubi cum cautis fortibus'que Imperatoribus congressus est, nihil fermè memoratu dignum gessit, qui in ultimum postremò Italiæ angulum feliciter contra Romanos pugnandi spe amissa concesserat. Sed & cum in Africa ante patriæ propè muros superatus, non modò prælio se, uerum etiam bello quoque uictum non dissimulauit, suæ gloriæ plurimum detraxit. Quod facit, ut friuolam eorum opinionem existimem, qui multas ab eodem calamitates Romanis post exilium afferri potuisse censent, si eius consilium secutus Antiochus cum magno quem habebat equitum peditumque numero, ueterem populi Romani hostem in Italiam misisset. Quid enim? An qui cum numerosissimo Hispanorũ, Gallorum, Carthaginensium'que exercitu sæpissimè à Romanis uictus fuerat, Asiaticis copijs eorum euertisset imperium? An fortè Africanus illis deerat? an alij excellentissimi Imperatores? Fuerit itaque, ut hasce coniecturas missas faciamus, eximius Imperator Annibal: qui tamen Cæsari sit æquandus, nemini uidebitur, qui adductas à nobis rationes omnium penè historicorum testimonijs comprobari posse intelliget. Tuum proinde est Arleni, aut nostra hæc ualidioribus argumentis (si id te assecuturum speras) confutare, aut alium inuictum Imperatorem contra Cæsarem in campum producere. Tunc Arlenius: Hoc, inquit, prætextu semper Cæsarem reliquis omnibus anteposuisti, quod semper inuictus fuerit. Ego uerò quòd eam rationem prorsus reijciendam non esse concedo, cum Cyrum Persarum regem, qui clarissimas res in Oriente gessit, post Annibalẽ in hac arena sistere decreueram, quoniã à Tomyri Massagetarum regina uictus, cæsus'que fuit, minimè eum nominabo. Et ego: Non solum hanc ob causam, sed ob eam præcipuè Cyrum præterire debes, inquam, quòd quæcunque bellica eius facinora celebrantur, semper ferè contra imbelles populos, cum maximoque militum numero edita sunt: quod in summo duce non probamus. Tunc Arlenius: Ad Alexandrum, inquit, pergo: quem & rerum gestarum numero, & perpetua etiam felicitate Cæsarem anteire nemo dubitat. Per me uerò etiam ad Philippũ licet, inquam, qui enim Scipionem à Cæsaris subsellio reieci, neque Alexandrum, neque omnes simul exteros metuo. Ista sanè mox discutiemus, inquit Arlenius, postquã summa Alexãdri facta à nobis audieris. Tu ergo ad rem aggredere, inquam: neque tui Alexandri laudes longius differ. Tunc Arlenius: Id quamprimum agam, inquit, eo'que libentius, quòd Plutarchus Cheroneus, qui Græcos Imperatores cum Romanis contulit, Alexandrum potissimum delegit, quem Cæsari si non anteponeret, æquaret saltem: neque iniuria, cum iuuenis ea fecerit, quæ alij maturæ ætatis duces non potuere. Sui autem animi magnitudinis plurima sæpe signa exhibuit. Philippi bellicosissimi, prudentissimique ducis filius, Aristotelis'que eminentissimi philosophi discipulus. Nam pedum celeritate præstans, cum interrogaretur, nunquid in Olympico stadio cursu cum æqualibus cõtendere auderet: promptissimè se id munus subiturũ respondit, si cum regibus in eo esset decertaturus. Digna sanè magno Alexandro sententia. Dignũ uerò & illud, quod patris uictorijs, urbiumque ac oppidorum expu-

gnationibus nunquam lætatus dicitur, quasi omnia suæ prærepta existimans, quæ illius gloriæ accessissent. Sed & si omnia tantam pueri indolem declarantia exempla diligentius exequi nolim, illud unū silere nec possum, nec debeo, quòd empto à Philonico Thessalo Bucephalo equo, cum neque Philippus, neque alius quisquam Philippi amicorum, militum'ue, eum conscendere auderet, sed tanquam qui domari nunquam posset, omnes dimittendum censerent, non modò ipse in eum saltu se coniecit, sed cursu fatigatum tam mansuetum, quàm agnum reddidit. Cum igitur summam de se expectationem tam apud Græcos, quàm apud Barbaros concitasset, patrem amisit, uiginti annos natus, quod ei non admodum iniucundum fuisse opinor. Viuo si quidem Philippo nullā sibi bellicæ suæ excellentiæ ostendendæ occasionem oblatum iri sperabat, cui orbis imperium nimis exile uideretur, quod & hæc Iuuenalis carmina testantur:

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis,
Aestuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyari clausus scopulis, paruaq; Seripho.

Quamobrem quoniam regnum à patre non satis firmum acceperat (Barbaros enim non paucos ægrè Macedonum imperium ferre apparebat) antequam de bello Asiæ inferendo quicquam cogitaret, paternum regnum confirmare decreuit, non eo quo plerique suadebant modo, ut blanditijs scilicet eos qui desciuerant, ad pristinum iugum reducere conaretur, sed ui armisq; compesceret: ut alios, quam'nam fortunam, nisi in fide permansissent, essent passuri, manifestè commonefaceret. Cum exercitu ergo ad tumultuantes barbaros profectus, ad Histrum usque eos insectatus est, occiso etiam in celebri pugna Syrmo Triballorum rege. Dum autem hæc contra barbaros fierent, Thebani'que atque Athenienses ad defectionem concitarentur, per Thermopylas euestigio copias duxit, admoto'que Thebarum muris exercitu, facti, si modo uellent, ac Phœnicem Prochitem'que sibi dederent, Thebanis pœnitentiam obtulit, nihilominus postea eorum usurus amicitia, quibus libertatem concessisset. Verum cum duorum' hominum illi in primis deditionem recusarent, eorum urbem bello adortus Alexander, breui expugnauit. In cuius direptione, uel ut uerius dicam euersione, non modò deorum immortalium templis, Macedonumq; hospitibus pepercit, sed & Pindari poëtæ Lyrici stirpem seruauit: eodem tempore deorum religiosus cultor, amicitiæ quæ Macedonibus cum Thebanis fuerat memor, ac excellentissimi uatis penatum in tanto armorum fragore non oblitus. Quibus perfectis, pace'que cum Atheniensibus firmata, ut diro facinori humanissimum facinus adderet, à collectis in Isthmo, expeditionem'que in Asiam parantibus Imperator salutatus, cum triginta, ut quidam tradunt: ut uerò alij, cum quadraginta peditum millibus, cum'que coniuncto his equitatu Hellespontum traiecit, Ilium'que petijt. Ibi uerò perfectis Mineruæ aliorumq; deorum & heroum sacris, cum mollendarum rerum tempus iam sibi instare animaduerteret, Darijq; præfecti in Granici fluuij ripis cum magnis copijs consedissent, nec absque summa difficultate transitus ei esset occupandus, plerisque suorum rem differendam dicentibus: Ergo Hellespontus erubescet, inquit, si eo superato, Granicum non transmittamus. His dictis, aliquot equorum ordines sumens, in fluuium irrupit: in cuius transitu, & à uerticosi amnis impetu, & ab ijs qui in altera ri-

pa

pa sedebant, eodem tempore ei cauendum erat. Cæterum ad hostes haud difficulter peruenit: cum quibus commissa mox equestri pugna, multa uirtute Barbaros acerrimè resistentes partim trucidauit, partim in fugam coniecit. Et sanè cum hæc uictoria admodum est per se admirabilis, tum illud incredibilem fermè eam reddit, quòd qui in fluminis transitu cum equis simul fuerant defatigati, nulla se recreandi ac respirandi sumpta facultate integros hostes contuderunt. Cum'que circa Alexandrum cassidis iuba insignem atrox certamen fuisset coortum, alterum ipse Darij præfectum Trisalcem nomine gladio exanimauit, alterum autem in ipsum irrumpentem Clitus hasta transfixit. Ac si huius uictoriæ amplitudinem ex successu cognoscere cupitis, in tam extremis difficilibus'que pugnæ conditionibus uiginti Barbarorum peditum, duo equitum millia: ex Alexandri uerò copijs quatuor tantum ac triginta milites, quibus Rex ipse æreas à Lysippo statuas erigi curauit, cecidere. Conferat cum hoc tam egregio facinore Floridus, quoduis à Cæsare commissum prælium, ac eorum aliquod uel periculi magnitudine, uel prosperrimi successus felicitate huic si potest æquandum dicat. Nos enim iam ipse Alexander ad maiora bellica facinora rapit. Receptis namque post id prælium multis urbibus, ac oppidis, expugnatisq; Halicarnasso atq; Mileto, quamuis non satis secum constituisset, contra Darium'ne suos euestigio ducere, an maritimarum urbium imperium sibi confirmare deberet, audita Memnonis Darij classis præfecti morte, priorem sententiam magis est sequutus. Quare aliquandiu in Cilicia commoratus, magnum Dario pugnandi desiderium iniecit, ex eo potissimum animos sumenti, quòd Alexander non ea aduersus se, qua cœperat, celeritate properasset. Propterea regia urbe egressus, sexcentis hominum millibus timendus, castra deduxit, tam ad Alexandrum uenire gestiens, quàm Alexander ipse nihil magis quàm armis cum Dario prælio decertare optabat. Cæterum uictoriæ spes Darium frustrata est, Alexandrum non item: qui commissa pugna, magnam partem Darij copiarum ferro absumpsit, alias autem partim uiuas cepit, partim fugauit. Cumq; iure belli omnem Persarum regis auream, argenteam, linteam'que supellectilem occupasset, eius filias uirgines, uxorem'que omnium eo seculo reginarum formosissimam honorificentissimè tractauit, nulla neque facto, neque uerbo uel minima eas iniuria afficiens. Nec ego nunc Alexandrum aut ab auaritiæ, aut à crudelitatis crimine, sed à uenerearũ cupidinum nota uendico, quæ alijs fermè omnibus Imperatoribus peculiaris fuit. Victo semel Dario, cum Alexander ad maius maritimorum regnorum imperium occupandum animum adiecisset, breui omnes, tum regiones, tum urbes, præter Tyrum, uetustissimam Phœnicum sedem, situ'que atque operibus munitissimam, cepit. Hanc enim maiore belli apparatu oppugnare orsus est, ne quid Macedonum armis usquam gentium inuium fuisse quisquam uerè dicere posset. Itaque post aliquot menses, quos nec omnes in Tyri obsidione consumpsit, eam hostiliter ingressus est. Post quam & Syriæ urbem Gazam expugnauit. Homeri'que uersus sequutus, nobilissimam in Aegypto urbem, quæ ab eius nomine Alexandria dicta est, maximè opportuno loco condidit. Quod autem maximo omnia inaccessa loca peragrãdi cognoscendiq; studio detinebatur, dum urbs conderetur, ad Ammonis Iouis templum in latissimis arenæ campis ædificatum, cum paucis se contulit. Nec multo pòst, omnibus citra Euphratem

regio

regionibus ſubactis, aduerſus Darium decies centena militū millia habentem caſtra mouit: cum quo extemplo collatis ſignis pugnam commiſit, atrociſſimam illam quidem, & Alexandri militibus maximè difficilem: quòd tam pauci, contra tot hominum myriadas ducerentur. Vicit tamen omnem aſperitatem incomparabilis Alexandri uirtus. Cum'que præ hoſtium numero plerique noctu cum Dario confligendum exiſtimarent, non ſe uictorias furari, ſed meridie potius ſumma quæque audere ſolitum, Alexander reſpondit. Porrò autem quomodo tam celebrandum prælium ceſſerit, non dicam, cum nihil ſit manifeſtius, Darius'que ipſe abiectis armis ac relicto quo uehebatur curru, equum conſcenderit, fuga'que ſibi ſalutem compararit: cum denique hæc pugna Perſarum imperium penitus euerterit. Nam Alexander uictor distributis hoſtium ſpolijs, non præſentibus modò, ſed abſentibus etiam amicis, omnibus'que Perſarum præſidijs receptis, in Babyloniorum regionem conceſſit, eamq́ itidem occupauit, Sed adhuc Darius liber erat, Alexander ergo neque tot regnis quæ occupauerat, nec tantis opibus contentus eſſe poterat, niſi Darium uiuum cepiſſet. Proin tertiò contra eum pugnaturus, cum ſuis ad hoſtem feſtinabat, quum eum à Beſſo captum præter animi ſententiam audiuit. Quod quidem quàm ægrè tulerit, ex eo poſtmodum eſt cognitum, quòd eundem Beſſum in ſuam poteſtatem redactum, uiuum diſcindi uoluerit, præreptā ſibi ab eo oſtendendę regiæ clementiæ facultatem exiſtimans. Quicquid certè defuncto Dario præſtare ualuit, cumulatiſſimè exhibuit: quippe qui eius cadauer regijs ornatū inſignibus ad matrem deferre curarit, eiusq́ fratrem arctiſſima ſibi familiaritate deuinxerit, Inde uerò in Hircanos exercitum adduxit: quorum urbibus partim ui captis, partim amicitiæ ſibi iure coniunctis, in Parthorum regionem contendit, Scythasq́ fudit. Quid dicam de plurimis alijs regionibus, per quas armatus iter fecit? Quid quòd Indorum regem cum copijs aggredi non timuit? Antequam tamen in Indiam iter dirigeret, quòd ſuos milites auro, argento, ac hoſtilibus pleriſque ſpolijs oneratos, ad omnia tardiores futuros uidebat, optimi ducis more prius ſua ipſe impedimenta, omnemq́ ſupellectilem cōbuſſit, tum militibus ut idem facerent edixit. Et quidem quis non tam excellentis regis exemplū eſſet ſecutus? aut quis pro tam liberali, proq́ tam ſingulari duce ac bellatore mortem non libentiſſimè obiſſet? Cum igitur antequam quò cōtendebat perueniret, ſæpenumero in itinere collatis ſignis pugnare fuerit coactus, ad Hydaſpem tandem peruenit, in cuius altera ripa cum plurimis elephantis, infinitisq́ equitū ac peditum copijs, falcatisq́ curribus, Porus Indorum rex conſederat, facillimè quemuis præter Alexandrū tranſitu prohibiturus, cum Macedones admodum pauci, plurimos in muniro loco conſiſtentes incommodiſſimè per rapidiſſimi fluminis uertices eſſent impetituri, Sed quem Darij præfecti, quo minus Granicū cū ſuis traijceret, impedire non ualuerant, nec Porus quoq́, Pori'que copiæ ab Hydaſpis tranſitu deterruerunt: præſertim quòd Barbari uiribus tantum, Alexander uerò ac Macedones tam uiribus quàm ingenio pugnare didicerant. Hoc pacto præſtolantibus hoſtium aduentum Indis, atq́ in ijs locis, in quibus ipſi conſederant, Alexander noctis tenebris fretus, cum delecto equitatu, peditumq́ manu primò in exiguam quandam fluuij inſulam tranſijt, mox in aduerſam ripam uix quandoque præ Hydaſpis altitudine uadum tenens euaſit. Quod cum ab alijs eius militibus eſſet factum, ipſe per aliquot ſtadiorum ſpacium

eos cum equitatu præcedens, mille Pori equitibus, ac sexaginta falcatis curribus obuiam factus, eos fermè omnes uel uiuos cepit, uel ferro trucidauit. Porus autem ubi id cognouit, cum suis copijs in defatigatum iam præcedente pugna Alexandrum irruit, præmissis etiam, qui reliquos Macedones transitu prohiberent. Quare quòd Alexander suorum aciem ob temporis angustias instruere nequiuerat, ut potuit, quando ut uolebat non licuit, cum Indo rege prælium commisit. quod quàm pertinaciter utrinque gestum fuerit, inde perspicuum fit, quòd Barbari uix post octauam horam terga uerterint. Porrò cum captiuo rege tam benignè, tam'que humanè ab Alexandro actum est, ut non modò nihil ei ueteris regni abstulerit, sed alia non pauca adiecerit. Neque tamen hoc prælium postremum egregiorum Alexandri operum fuit. Constitutis siquidem Pori rebus, multas eius regno adiacentes regiones occupauit, plurima'que non oppida, sed oppidorum millia habitantes uicit, uictis'que Philippum æqualem suum satrapam imposuit. Deinde uerò cum etiam Gangem, cuius ab altera parte ripas infinitæ Gangaridarum equitum, peditum'que copiæ obsederant, transire uellet, nullis rationibus suis militibus, ut & illum quoque laborem subirent, persuadere ualuit. Quapropter cum ira se intra tentorium maceraret, nullam'que suis gratiam, nisi Gangem transmitterent se habiturum diceret, uix à plorantibus amicis à sententia abduci potuit. Inuitus tamen, militibus'que non satis placatus ita castra retroduxit, ut plurima antequam inde discederet, inuestigarit. Aedificatas enim naues, quibus ad Oceanum deueheretur, ad uicinos fluuios misit, ijs'que conscensis, bellis non caruit, quin multas Indorum urbes expugnauit. Vt'que finem dicendi faciam, tanta hæc quæ recensui, bellica Alexandri facta esse persuasum habeo, quanta non modò non Cæsar, sed ne cum Cæsare quidem Scipio ac Pompeius gesserint: nisi Floridus pro sui fortè instituti ratione, antea nobis dissentire cogitauit, quàm quicquam Alexandri facinorum attigissem. Tunc ego: Haud pessimè hæc tecum æstimasti, inquam, Arleni, cum quæcunque abs te in medium sunt adducta, sæpissimè legerim, relegerim, omnibus'que modis pensitarim: neque prius C. Cæsari de re bellica palmam deferre uoluerim, quàm quid Scipiones, quid Pompeius, quid Annibal, quid denique magnus Alexander memoria dignum patrassent, exactissimè discusserim. Ideo'que quoniam de alijs omnibus quid sentiam paulo antè audistis, itidem & de Alexandro faciam, sed parcè: quòd prolixum Liuij uobis locum ex nono ab Vrbe condita libro, qui Alexandri excellentiam quantacunque est patefacit, sum recitaturus: cum eorum coniecturam, qui illum, si in Italiam uenisset, Romanum imperium euertere potuisse autumant, ultimo loco reijciam: de qua consultò nullam ab Arlenio mentionem factam censeo, quòd nullis rebus minus, quàm tam friuolis nugis aures accommodare potest, licet Alexandri res gestas uerbis ad cœlum usque extulerit, ne exteros Imperatores indicta causa C. Cæsari postponi sineret. Nunc quæ ad eius cum Cæsare comparationem pertinent, (nam & Plutarchus, non minus prudenter eos inuicem comparat, quàm Agesilaum CN. Pompeio) expediam. Ac si quis quærat, uter'nam eorum maiora plura'que egregia facinora iuuenis patrarit: Alexandrum respondebo. At si quis idem absolutè à nobis intelligere laboret, nihil esse absurdius dicam, quàm Alexandrum Caio Cæsari uel anteferre, uel etiam æquare: cum ille ter, aut ad summum quater contra Indos, ac nescio quos imbelles Persas; hic autem

tem contra fortissimas, quas sæpe nominaui nationes frequentissimè pugnarit, semper (quod magis est quàm in Alexandro admirabile) uictor, semper eundem, hoc est prosperrimum præliorum euentum expertus. Ac ne multis uos detineam, quod Cæsaris res gestas, ac quanti singulæ eius uictoriæ sint faciendæ, à nobis audistis, Alexandri etiam facta accipite. Maximam puer Alexander indolem præ se tulit, inquit Arlenius. Ego autem hoc, & quæcunque de Alexandri magnanimitate, liberalitate, eruditioneque dici possunt, uera esse libentissimè fatebor. Sed bellica facta ita se habent. Mortuo Philippo, cũ quo uiuo Alexander acrius persæpe, quàm filium cum patre deceret, litigauerat, cuiusque mortis causa fuisse traditur, barbaros usque ad Histrum insectatus est, occiso Triballorum rege. Laudo id factum, & Thebarum direptionem: non ut summa, sed ut mediocria facinora, quibus'que gloriosiora non Cæsar tantum, sed infiniti Romani Imperatores patrarint. Iam quod Darij legatos trans Granicum flumen uicerit, quis aliquo loco ponat, cum nihil esset per ea tempora Persis imbellius? An si illi uel fœminis paulò audaciores fuissent, tam incruentam Alexandro uictoriam erant relicturi? Sed Darium, inquit Arlenius, innumeras propè militum myriadas habentem, bis profligauit. Egregiè sanè. Sed si quis aliquid unquam Sardanapalo indignum à Dario factum fuisse mihi ostendat, Alexandrum tanquam unicum Imperatorum iubar suspiciendum esse non denegabo. Quid, quòd Porus quoque, cum prælio ab eodem uictus est, elephanto insidebat? Mira me hercle ducis, qui absque summa difficultate uinci nequiuerit, prouidentia. At ego plus Indi regis elephanto ingenij, quàm ipsi Regi fuisse autumo. Hæ sunt admirabiles Alexandri res gestæ. nisi in maxima eius gloria ponamus, quod plurimis se periculis, quæ à priuatis militibus magis quàm ab Imperatoribus, Regibus'que subeunda sunt, ultrò se obtulerit: quòd demum Ammonis Iouis oraculum, quem patrem suum uocabat, pueriliter per arenæ campos petierit. Magna profectò fuit in eo uirtus. Sed ex ijs quæ contra pecudes magis quàm uiros gessit, non talis dignoscitur, qui non ab infinitis Romanis ducibus, uti Pyrrhus, uinci ualuerit. Proinde quod alijs multis eximijs'que Imperatoribus non contigit, tempestiuè diem obijt. Siue enim post domitam Asiam Carthaginensibus, siue Romanis intulisset bellum, aliud esse cum fugacissimis Persis, aliud cum Italis, Pœnis'ue bello contendere, didicisset. Verum ipsius Liuij uerba tandem recitanda sunt. Nihil minus, inquit Liuius, quæsitum à principio huius operis uideri potest, quàm ut plus iusto ab rerum ordine declinarem, uarietatibus'que distinguendo opere, & legentibus uelut diuerticula amœna, et requiem animo meo quærerem: tamen tanti regis ac ducis mentio, quibus sæpe tacitis cogitationibus uolutauit animum, eas euocat in medium, ut quærere libeat, qui'nam euentus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit. Plurimum in bello pollere uidentur, militum copia, & uirtus, ingenia Imperatorum, Fortuna, per omnia humana, maximè in res bellicas potens. Ea & singula intuenti, & uniuersa, sicut ab alijs Regibus gentibus'que, ita ab hoc quoque facilè præstant inuictum Romanum Imperium. Iam primum ut ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem ab nuo, egregium ducem fuisse Alexandrum: sed clariorem eum tamen facit, quod unus fuit: quòd adolescens in incremento rerum nondum alteram fortunam expertus decessit. Vt alios Reges claros, duces'que omittam, magna exempla casuum humanorum: Cyrum, quem maximè Græci laudibus celebrant,

celebrant, quid nisi longa uita, sicut Magnum modò Pompeium, uertenti præbuit fortunæ? Recenseam duos Romanos, nec omnes omnium ætatum, sed eos ipsos, cum quibus Consulibus aut Dictatoribus Alexandro fuit bellandum, M. Valerium Coruinum, C. Martium Rutilium, C. Sulpitium, T. Manlium Torquatum, Q. Publium Philonem, L. Papyrium Cursorem, Q. Fabium Maximum, duos Decios, L. Volumnium, M. Curium: deinceps ingentes sequuntur uiri, si Punicum Romano præuertisset bellum, senior'que in Italiam traiecisset. Horum in quolibet tum indoles eadem quæ in Alexandro erat, animi ingenij'que, tum disciplina militaris iam inde ab initijs urbis tradita, per manus in artis perpetuis præceptis ordinatæ modum uenerat. Ita reges gesserant bella, ita deinde exactores regum Furij, Valerijq́; ita deinceps Fabij, Quinti, Cornelij: ita Furius Camillus, quem iuuenes duo quibus cum Alexandro dimicandnm erat, senem uiderant. Militaria opera pugnando obeunti Alexandro (nam ea quoque haud minus clarum eum faciunt) cessisset uidelicet in acie oblatus par Manlius Torquatus, aut Valerius Coruinus, insignes antea milites, quàm duces? Cessissent Decij, deuotis corporibus in hostem ruentes? Cessisset Papyrius Cursor illo corporis robore, illo animi? Victus esset consilijs iuuenis unius, ne singulos nominem, Senatus ille, quem qui ex regibus constare dixit, unus ueram speciem Romani senatus cepit. Id uerò erat periculum, ne solertius, quàm quiuis unus ex ijs quos nominaui castris locum caperet, commeatus expediret, ab insidijs præcaueret, tempus pugnæ eligeret, aciem instrueret, subsidijs firmaret. Non iam cũ Dario rem esse dixisset, quem mulierum ac spadonum agmen trahentem, inter purpuram atq; aurum ornatũ fortunæ suæ apparatibus, prædam uerius quàm hostem, nihil aliud quàm bene ausus uana contemnere, incruentus deuicit. Longè alius Italiæ quàm Indiæ, per quam temulento agmine comessabundus incessit, uisus illi habitus esset, saltus Apuliæ ac montes Lucanos cernenti, & uestigia recentia domesticæ cladis, ubi auunculus eius nuper Epiri rex Alexander absumptus erat. Et loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit. qui si ex habitu nouæ fortunæ, nouiq́ (ut ita dicam) ingenij, quod sibi uictor induerat, spectetur, Dario magis similis, quàm Alexandro in Italiã uenisset: & exercitũ Macedoniæ oblitum, degenerantemq́ iam in Persarum mores adduxisset. Referre in tanto rege piget superbam mutationem uestis, & desideratas humi iacentium adulationes, etiam uictis Macedonibus graues, nedum uictoribus, & fœda supplicia, & inter uinum et epulas cædes amicorum, & uanitatem ementiendæ stirpis. Quid si uini amor indies fieret acrior? Quid si trux ac præferuida ira? (nec quicquam dubium inter scriptores refero) nulla'ne hæc damna Imperatorijs uirtutibus ducimus? Id uero periculum erat, quod leuissimi ex Græcis, qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriæ fauent, dictitare solent, ne maiestatem nominis Alexandri, quem ne fama quidem illis notum arbitror fuisse, sustinere non poterit populus Romanus: et aduersus quem Athenis, in ciuitate fracta Macedonum armis, cernente tum maximè propè fumantes Thebarum ruinas, concionari liberè ausi sint homines (id quod ex monimentis orationum patet) aduersus eum nemo ex tot proceribus Romanis uocem liberam missurus fuerit? Quantalibet magnitudo hominis concipiatur animo, unius tamen ea magnitudo hominis erat, collecta paulo plus decem annorũ felicitate. quam qui eo extollũt, quod populus Romanus etsi nullo bello, multis tamen prælijs uictus sit, Alexandro

lexandro nullius pugnæ non secūda fortuna fuerit: non intelligunt se hominis res gestas, & eius iuuenis, cum populi iam octingentesimum bellantis annum rebus conferre. Miremur si, cum ex hac parte secula plura numerentur, quàm ex illa anni, plus in tam longo spacio, quàm in ætate tredecim annorum fortuna uariauerit. Quin tu hominis cum homine, & ducis cum duce, fortunā cum fortuna confers? Quot Romanos duces nominem, quibus nunquam aduersa fortuna pugnæ fuit? Paginas in Annalibus magistratuum, fastisq́ percurrere licet Consulum Dictatorumq́, quorum nec uirtutis, nec fortunæ ullo die populum Romanū pœnituit: & quo sint mirabiliores quàm Alexander, aut quisquā alius rex, denos uicenosq́ dies quidam dictaturam, nemo plusquam annū consulatū gessit. Ab tribunis plebis delectus impediti sunt: post tempus ad bella ierunt, ante tempus comitiorū causa reuocati sunt: in ipso conatu rerum circumegit se annus: collegæ nunc temeritas, nunc prauitas impedimento, aut damno fuit male gestis rebus alterius successum est: tyronem, aut mala disciplina institutum exercitum acceperunt. At hercule reges non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerū temporumq́, trahunt consilijs cuncta, non sequuntur. Inuictus ergo Aexander cum inuictis ducibus bella gessisset, & eadem fortunæ pignora in discrimen detulisset. Imò etiam eo plus periculo subisset, quòd Macedones unum Alexandrum habuissent, multis casibus non solum obnoxium, sed etiam offerentem se: Romani mulo fuissent Alexandro uel gloria, uel rerum magnitudine pares, quorum suo quisq́ fato sine publico discrimine uiueret, moreretur q́. Restat ut copiæ copijs comparentur, uel numero, uel militum genere, uel multitudine auxiliorum. Censebātur eius ætatis lustris ducena quinquagena millia capitum. Itaq́ in omni defectione sociorū Latini nominis urbano propè delectu decem scribebātur legiones, quaterni quiniq́ exercitus sæpe per eos annos in Hetruria, in Vmbria, Gallis hostibus adiūctis, in Samnio, in Lucanis gerebant bellum. Latium deinde omne cum Sabinis, & Volscis, & Equis, & omni Campania, & parte Vmbriæ, Hetruriæq́, & Picentibus, et Marsis, Pelignisq́ ac Vestinis atq́ Appulis, adiunctaq́ omnis ora Græcorum inferi maris à Thurijs Neapolim & Cumas, & inde Antio atq́ Hostia tenus Samnites, aut socios ualidos Romanis, aut fractos bello inuenisset hostes. Ipse traiecisset mare cum ueteranis Macedonibus, non plus triginta millibus hominum, & quatuor millibus equitum, maximè Thessalorum: hoc enim roboris erat. Persas, Indos, aliasq́ si adiunxisset gentes, impedimentum maius quàm auxilium traheret. Adde, quod Romanis ad manum domi supplementum esset: Alexādro (quod postea Annibali accidit) alieno in agro bellanti, exercitus consenuisset. Arma, clypeus, sarissæq́ illis: Romano scutum maius corpori tegumentum, & pilum haud paulò quàm hasta uehementius ictu missuq́ telū: statarius uterq́ miles, ordines seruans: sed illa phalanx immobilis, unius generis. Romana acies distinctior, ex pluribus partibus constans, facilis partienti, quacunq́ opus esset, facilis iungenti. Iam in opere, quis par Romano miles? quis ad tolerandum laborem melior? Vno prælio uictus Alexander, bello esset: Romanum, quem Caudiū, quem Cannæ non fregerunt, quæ fregisset acies? Næ illæ sæpe, etiā si prima prosperè euenissent, Persas, & Indos, et imbellem Asiam quæsisset, & cum fœminis sibi bellum fuisse dixisset: quod Epiri regem Alexandrum mortifero uulnere ictum dixisse ferunt, sortem bellorū in Asia gestorum ab hoc ipso iuuene cum sua conferentem. Equidem cum per omnes quatuor et uiginti annos primo Punico bello classibus certatū cum Pœnis recordor, uix

ætatem

Alexandri suffecturam fuisse reor ad unum bellum, & forsitan cum & fœderibus uetustis iuncta res Punica Romanæ esset, & timor par aduersus cōmunem hostem duas potentissimas armis uirisq; urbes armaret, simul Punico Romanoq; obrutus bello esset. Non quidem Alexandro duce, nec integris Macedonum rebus, sed experti tamen sunt Romani Macedonem hostem, aduersus Antiochum, Philippum, & Persen, non modò cum clade ulla, sed ne cum periculo quidem suo: absit inuidia uerbo, & ciuilia bella sileant: Nunquam ab equite hoste, nunquam à pedite, nunquam aperta acie, nunquam æquis utiq;, nunquam iniquis locis laborauimus. Equitem, sagittas, saltus impeditos, auia commeatibus loca, grauis armis miles timere potest: Mille acies grauiores quàm Macedonum atq; Alexandri auertit, auertetq;, modò sit perpetuus huius qua uiuimus pacis amor, & ciuilis cura concordiæ. Hæc Liuius: quæ tam exactè magni Alexandri res gestas, quanti sint faciendæ aperiunt, ut mihi non parum ad id quod petebam facilius demonstrandum laboris ademerint: tam dilucidè eos, qui Alexandrum, si diutius uixisset, extremam Romanæ rei perniciem allaturū fuisse ariolantur, dementiæ coarguunt, ut nihil quicquam pro eo argumento absolutius desiderari liceat. Perbellè igitur feceris Arleni, si & ipse nostræ sententiæ in re manifestissima assentiaris. Ego uerò, inquit Arlenius, hac in re tibi libentissimè subscribo. Tum Landus: Non pauci, Floride, nostra nostrorumq; patrum atq; auorum memoria fuerunt, inquit, de quibus pulchrè hoc loco aliqua dici possunt, nisi aliò magis properas. Et ego: De his alij uiderint, inquam. At Scælcius: Id saltem pronunciare non grauaberis, inquit, quem'nam inter Romanos, quem'ue inter exteros post Cæsarem maximè excelluisse existimes.

Tunc ego: Romanorum, me iudice, à Cæsare præstantissimus fuit Scipio, inquam: externorum autem, Annibal. Quæ cum essent dicta, discessimus.

FRANCISCI FLORIDI DE C. IVLII CAESARIS PRAESTANTIA LIBRI TERTII ET VLTIMI FINIS.

RODVLPHO PIO

CARDINALI CARPENSI TIT. S. PRISCAE Piceni Legato, Franciscus Floridus Sabinus S. D.

Non sine summa animi uoluptate expertus sum humaniores literas tantum in se iucunditatis delectationisq; habere, ut quem semel ad se allexerint, uix tum etiam dimittant, quum certissimam illi libertatis spem ostenderint. Constitueram scilicet duobus nostris opusculis recognoscendis atque augendis, librisq; de Caij Iulij Cæsaris prestantia componendis aliquot menses dare, ut postquam summam eis manum imposuissem, alieno quasi ære solutus, integram operam in ea studia conferrem, quæ mihi plus omnibus à pueritia arriserunt: ac in eo totus eram, quum aliud se mihi nec opinanti quidem scribendi obtulit argumentum. Veterum enim recentiumq; scriptorum nonnullos percurrens, ut aliqua, quæ ad cætera locupletanda facerent, in promptu haberem, permulta partim improbanda, partim latius explicanda raptim adnotaui. Ea cum primò uelut aliud agens confuse collegissem, satis præmij mihi fore ratus, si illa solus mecum legere ualerem, mox tamen alia in lucem daturo, quæ haudquaquam tam admiror, quàm mihi (licet non satis exercitato) iuuenilis ardor, gloriæq; cupido dictare posset, hæc quoq; illis addere uisum est, ut præter Apologiã in M. Plauti & linguæ Latinæ calumniatores, uolumenq; de Iuris ciuilis interpretibus, ac tres de C. Iulij Cæsaris præstantia libros, Succisiuas quoque nostras lectiones in tres itidem libros diuisas, post grauiora negotia legeres. Neq; uerò mihi laborandum fuit, quemadmodum pleriq; omnes faciunt, ut magnificũ aliquem titulum, propter quem uadimonium deserere liceret, exiguo operi inderem. Paruum namq; (ut rectè ait Horatius) parua decent: & fumosæ lucubrationum inscriptiones ijs sunt relinquendæ, qui lectores dulcia utilibus miscentes erudire pariter ac delectare, & gallinacei lactis haustum in recessu polliceri queunt. Iam κέρας ἀμαλθείας, κηρίον, πανδέκται, λειμὼν, illis conueniunt, qui condignis uocabulis suos labores decorare nituntur: à quorum ordine non sunt excludendi, qui Musas, Memorabilium, Antiquarum lectionum, Noctium Atticarũ, Saturnaliorum, suæ lectionis Dierum Genialium, Antiquitatum, Exemplorum, Annotationum, Coniectaneorumq; libros, Miscellaneorum centurias, et Adagiorum chiliadas composuere: uiri sanè eruditi, et quorum autho-

ritati plurimum deferas. Ego porrò inter tot egregios proceres, ceu anser (ut aiunt) inter olores, inflatæ uocis inuidiam ex industria uitaui, ut nostra tantum prima facie ostenderent, quantum planè in adytis haberent: atque hoc tibi munusculum perpetui mei erga te, ac Piam gentem officij, sedulitatisque pignus offero. Quod si quæ tua est humanitas, nō aspernaberis, erit cur meliora à nobis propediem expectes, cū aliquandiu in Græcis Latinisque uersatus, assiduam posthac sacris Theologiæ studijs operam dare constituerim: in quibus ut cōmodius uersari possem, biennium iam Hebræorum literis uacaui, in futurumque uacabo, quoad sine cortice in illis natare ualeam. Quod me intra paucissimos menses, ut spero, consecutū intelliges. Vale. Bononiæ, IIII Cal. Maij.

Anno à Christi Natali millesimo quingentesimo trigesimo nono.

FRANCISCI FLORIDI SABINI
LECTIONVM SVCCISIVARVM
Liber primus,
AD RODVLPHVM PIVM CARDInalem Carpensem.

An pueri hodie à Græcis literis incipere debeant, & de patrum in filijs liberaliter instituendis auaritia. Caput 1.

M. Fab. Quintilianus in primo Orator. Institutionum libro, à quo sermone pueri auspicari debeant ostendens, ita scribit: A sermone Græco puerũ incipere malo, quia Latinus, qui pluribus in usu est, uel nobis nolentibus se perhibet, simul quia disciplinis quoq; Græcis prius instituendus est, unde & nostrę fluxerunt. Nõ tamen hæc adeò superstitiosè uelim fieri, ut diu tantum loquatur Græcè, aut discat, sicut plerisq; moris est. Hinc enim accidunt & oris plurima uitia, in peregrinum sonum corrupti: & sermonis, cui cum Græcæ figuræ assidua consuetudine hæserint, in diuersa quoq; loquendi ratione pertinacissimè durant. Non longè itaq; Latina subsequi debent, & cito pariter ire. Ita fiet, ut cum æquali cura linguam utramq; tueri cœperimus, neutra alteri officiat. Hæc cum pro suorum temporum conditione tam commodè, quàm uerè tradiderit Fabius, ita tamen omnes ferè hoc tempore in errorem induxerunt, ut ubiq; receptum sit, non minus hodie à Gręcis literis pueros auspicari debere, quàm cum uiueret Quintilianus: quod tamen maximè est absurdum. Neq; enim eadem est nostrorum, atq; Quintiliani temporũ ratio. Siquidem cum illo uiuente Latina lingua omnibus esset promiscua, Græcam autem tanquam peregrinam laboriosius discerent, rectè quidem Fabius à difficiliori incipiendum existimauit. Nunc porrò immutata temporum conditione, quòd Latina lingua penitus exciderit, nisi eam ex scriptorum qui supersunt lectione diuturno usu eruamus, quis dicat pueris à Græco sermone esse incipiendum? quis non uidet non minus laboris in Romano, quàm in hoc discendo perferri? quis nescit non modò Latinum nobis uel nolentibus se non offerre, sed uix uolentibus quidem, atq; ea una in re permultos annos insudantibus? Quamobrem nec est mirũ, si pauci reperiuntur, qui uel Græcè, uel Latinè docti meritò appellari possint, cum teneri puerorum animi duabus linguis maximè diuersis obruantur, immensoq; oneri cogantur succumbere. Sed utinam hoc solum eis offerretur incommodum, ac non patrum auaritia eò rem redegisset, ut liberos uel iuris ciuilis, uel medicinæ cognitioni, non scientiæ, sed lucri tantum gratia initient: cui dum dies noctesq; inhiant, magis quid auarum Chremetem deceat, quàm quo pacto pueri formari debeant, in animo uersant. Vix enim prima Latinitatis principia doctos, aut Iustiniano, aut Galeno addicunt: illos etiam Leoninos tam barbarè cõstructos, quàm uilissimæ sordidissimæq; sententiæ uersiculos insulsissimè canentes,

Dat Galenus opes, dat sanctio Iustiniana,
Ex alijs paleas, ex istis collige grana.

Ad hanc autem nequitiam, amplissimam à teneris filiorũ unguiculis fenestram aperiunt, dum referre negant, quali quisq; puer præceptore utatur. Heus bone Quintiliane, quorsum nã abisti? quorsum totis uiribus persuadere conatus es,

tales esse adulta ætate iuuenes, quales à primis annis essent formati? Hæc secula si uideres, tot labores tuos in Oratore instituendo frustrà susceptos esse ingemisceres. Clames enim quãtumuis licet, ærugo tamen pecuniæq; cura aliter hominibus, quàm tu olim docueris, ex usu esse ostendit. Quamuis autem surdis fabulam sim narraturus, aliquos tamen errores, qui ab imperitis patribus in liberorum educatione cõmittuntur, paucis attingam. Quorũ cum multa sint, ac adeò diuersa ingenia, qui opibus abundant, uixdũ natos filios omnibus deliciarum generibus eousq; assuefaciunt, ut nõ decere hominem diuitem literas scire, existimare uideantur. Ex horum sanè ordine tam rarò inuenias hominem eruditũ, quàm fidelem Pœnum. Sunt post hos alij, bonas quidem literas aliquo in precio habentes, in filijs autem ad illas promouendis adeò frigidi, ut nihil suprà. Quòd si in eam partem illorum fortè inclinarit animus, ut literatos cupiant liberos, nullũ prorsus in deligendo eis præceptore discrimen adhibẽt, sed initio pro magistris ad magistras pueros mittunt, & auspicatum tanto operi principium dari autumant, si prima literarum elementa à mulieribus docti fuerint: qua re nihil turpius excogitari potest. Sub hæc tam læta rudimenta, qui auaritiæ, ne magistrum domi habeant, Quintiliani præceptum prætexunt, malè cũ ijs, qui præceptorem domi alunt, agi proclamant, nam & solitudinem pueris obesse, contrà æqualium æmulationem quàm plurimum conferre puerorum studijs: quo nomine ad triuiales grammaticulos sub fornicibus, tenebricosisq; popinis latitantes, non consultius, quàm in intimam barbariã relegant. Nescio enim quãnam cœli iniquitate factum sit, ut omnis literarum, ciuilitatis, bonorumq; morum imperitia in ijs qui Latinas literas publicè docent, consederit, digitoq; commonstrari possint, quandocunq; rei domesticæ usu flagitante, uelut ex nemoribus lupi, plumis, oleo, sordibus, immũdicijsq; uermiculati in lucem prodeunt, tam inter alios uersari dociles, quàm inter cæteras aues noctuæ interdiu, aut bubones. A tam lepidis igitur doctoribus tantum rubiginis, insulsitatisq; discipuli contrahunt, quantum in reliqua ætate dediscere nunquam possint. Atq; ut aliquid pueris etiam in eo ludo uersantibus debeatur, nunquam non fieri uidemus, ut bono, honestoq; loco nati, à sutorum, ueteramentariorũ, aut similium filijs tales condiscant mores, quales ab hoc hominum genere expectare liceat, et ex hara producti, non ex schola uideantur. Itaq; hoc pacto Quintiliani præceptũ obseruatur: quasi Quintilianus non maiorem in morũ, quàm literarum disciplina diligentiã adhiberi iubeat, & bonæ literæ cum impuro animo stare sciant. Atqui ille de hac re agens, ita inquit: Nam si studijs quidẽ scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, potior mihi ratio uiuendi honestè, quàm uel optimè discendi uideretur. Sunt nonnulli præterea his contrarij, qui filios domi erudiendos censeant: quod tamen hominum genus toto cœlo itidem aberrat. Dum enim quantumuis deploratæ sortis homunculum nanciscantur, cui tantum dent stipendij, quantum famelicus ille dentibus molere queat, liberos suos præclarè institui augurãtur. Ex quibus officinis tales demum discipuli prodire solent, quales habuerint præceptores: ut uerè à nullo hominum genere plus periculi pueris, quàm à patribus impendêre dicamus. quos cum ipsi non admodum officiosos experti fuerint, talem postremò dant filijs suis formandis operã, qualem ipsi à parentibus acceperint. Neq; hoc ego tam liberè proferrem, nisi Fabium Quintilianũ, quem libenter sequor, haberem huius sententiæ authorem, uel quum ait: An Philippus Macedonum rex, Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele summo eius ætatis philosopho uoluisset? aut

ille suscepisset hoc officium? si non studiorum initia à perfectissimo quoq; optimè tractari, & pertinere ad summam credidisset? Hæc Fabius. Quæ si ijs quibus par erat, essent persuasa, hoc seculum felicissimorum ingeniorum maximè ferax, adeò excultum, adeò doctissimis uiris conspicuum uideremus, ut cum antiquis ferè, quorũ tam pulchra supersunt monumenta, certare possemus. Quid illud uerò, quod in aliquibus Italiæ ciuitatibus frequenter fit? ut si multos forte paterfamilias liberos habeat, si qui eorum bonam præ se indolem ferant, mercaturæ eos ilicò assignent, ut candida acutaq; ingenia ad liberales artes ab ipsa natura procreata, ad mentiendum, multiplicesq; usuras à miseris creditoribus exigendas sint paratissima? Si qui autem sint obœsæ Mineruę, aut aliquo membro capti, utpote Vulcani Erichthonijq; pronepotes, aut è Coclitum progenie, literariæ illos prouinciæ, tanquam insigne aliquod munus offerant? quasi non ea optimos quosq;, & cũ corporis, tum animi dotibus præstantes desideret: & non melius cum eiusmodi pueris ageretur, si cæmentariam pro literis, aut sutoriam artem discerent. Quòd si qui (ut inter tot hominum millia fieri necesse est) inueniantur, qui filiorum laudis studiosi in cõducendo præceptore liberaliores sint, ab his quoq; non mediocriter erratur, cum & Græcas & Latinas literas, uno eodemq; tempore nondum ferè natis ostendi curant, qua re nihil est quod pueris magis officiat, nihil quod molles adhuc animos, permagnisq; laboribus ferendis minimè assuetos, deteriores reddat. Quòd si illos forte cur nam hoc faciant, interroges: pulchrius esse hominem Italũ Græcè, quàm Latinè scire, tibi respondeant, nam Quintiliani præceptum nihil prorsus eorum adiuuare sententiam ostendimus. Quid ergo? Gręcas ne literas aspernabimur? Minimè quidem. Sed pueris interim Latinas prius, deinde cum in ijs mediocriter uersati fuerint, Græcas ostendendas opinor, post quintum porrò ac decimum annum, aut ut pueri seu adolescentis captus ingeniumq; tulerit. Quin omnes, qui Græcè hodie docti sunt, prius Latinè se, deinde Græcè didicisse, mihi confirmaturos confido. Quamq; (ô dij immortales) quàm pauci, ex ijs præcipuè qui Græcas literas profitentur, utriusq; linguæ uere periti reperiuntur? Sic enim ferè receptum est, ut Græcarum literarum prætextu inscitiam suam quàmplurimi inuolutam tueantur. Siquidem cum non omnes Græcè sciant, si cum illorũ quopiam Latinè fortè agere uelis, ad Græcas literas ilicò, tanquam in Asylum confugiunt: quarum tamen eò usq; sunt ignari, ut si à primis illos nominum uerborumq; inflexionibus detorquere uelis, non secus operam ludas, quàm si nauim ab echeneide detentam remulco trahere contendas. Vidi ego nuper hominem ad Græcos authores publicè interpretandos, honestissimo stipendio conductum, tam eius rei quam profitebatur ignarum, ut quoties sacrificulũ aliquem, aut eiusmodi imperitum conspiceret (hoc namq; hominum genus sui simile perfacile nouerat cauđex, ut uerum esset uetus prouerbium, Pares cum paribus facillimè congregari) dominicam orationem, aut angeli ad Deiparam uirginem salutationem, uno anhelitu satis intempestiuè explicaret: arbitrantibus ijs, qui pecudem illam audiebant, non esse ea quæ Aldus Manutius in suæ grammaticæ frontispicio pueris legenda impressit, sed aliquid forte ex Thucydidis concionibus, aut Homeri Iliade. At si stipitem illũ, uel mediocris literaturæ iuuenis allocutus fuisset, difficilius esse Herculi clauam, quàm eiusmodi nebuloni uerbum eripere, experiebatur. Cui & alium non admodum absimilem noui, qui cum tres linguas, Hebræorum, Græcamq; & Latinam, ut uenalior esset, se scire dictitaret, si quis illum ad Latinam prouocasset, ad Græcam è uestigio unguentatus hircus, tanquam

in aram se referebat: in qua cum calamistrati huius Nirei, madentesq́ cincinnorum fimbrias multa arte excolentis, periculum faceres, in Hebraicam se uelut in portum, quasi quæ piratas conspicata esset nauis, mira cum festinatione recipiebat. Hunc ego Acersecomem, cũ semel in literariam palæstram elicere uellem, & quædam paulo obscuriora Quintiliani loca ei proposuissem, tanquã legislator Moses, aut Zeno Stoicæ seueritatis pater, altero ad frontem usq́ sublato, depresso altero ad mentum supercilio, respondit non placere sibi, qui de alia re, quàm de Hebræorum literis loquerentur. At tu (inquam ego illi) barbate Epicure, dignus mihi unus uideris, qui inter olentes Iudæorum greges perpetuo uerseris. Nec quidem hæc scribo, quo minus illas ipse didicerim, aut aliquid liberi hominis lucubrationibus dignum uel hucusq́ ignorasse turpissimum putarim, uel in futurum, quantum in me fuerit, sim existimaturus: sed quod inciuile sit, quum aliquem in Latinam linguã prouoces, ad aliam cõfugere: tanquam non hæc maximè sit digna, in qua ingeniosissimus quisq́ perpetuo ferè uersetur: aut non singularem ei iniuriam faciant, qui ut summa Græcarum literarum cognitione celebrentur, omnis Latinitatis expertes & esse, & haberi uolunt. Iam &, si dijs placet, non desunt, qui cum uix annum in dialecticis rudimentis contriuerint, propediem absolutissimi philosophi futuri, ut aliquem eruditionis rumusculum apud indoctam plebem captent, negent quenquam ut aliquod Ecclesiæ institutum seruet cogendum esse, quòd nulla de his à philosophis mentio facta fuerit. Qui ut culeo sint insuendi, nónne luce indignos iudicabimus, qui ut bene Aristotelici dicantur, protinus animam simul cum corpore extingui se non dubitare prædicant? An eos solemnia insanire, nec medici, aut curatoris egere censebimus? An non eiusmodi portenta, ex sanctissimo Christianorum cœtu sunt stirpitus euellenda? Itaq́ ut ad rem redeam, quicunq́ aliquid se ab eiusmodi uappis candido animo dignum discere posse confidat, nihilo plus effecerit, quàm qui hircos mulgere, uulpesq́ ad aratrum iungere laboret. Atq́ ut rem absoluam, summa à patribus in præceptoribus liberis deligendis industria adhibenda est, & non minor morum quàm scientiarũ habenda ratio: tum cerei puerorum animi duas linguas, Græcam Latinamq́, non sunt (ut opinor) uno tempore docendi, nisi hoc quis expetat, ut non magis in hac, quàm in illa proficiant, assiduisq́ laboribus nihil minus quàm certã eruditionem acceptam referant. Erit enim commódius, utiliusq́ illud de quo dixi temperamentum, ut cum Latinos authores non oscitanter euoluere poterunt, Græcas literas feliciori auspicio discere incipiant.

Qui authores sint legendi, qui'ue imitandi. Cap. II.

SI de Latinis authoribus iudicare arduum unquam ac difficile fuit, hoc sanè tempore, meo iudicio, tam est periculosum, quàm quod maximè. Cũ enim noua quædam, priscisq́ Romanis in uerbis atq́ imitatione inaudita superstitio plerosq́ studiosos sic inuaserit, ut nihil Latinum existiment, quod non M. Tullius propria quasi nota signarit, si quis cæteros authores laudare audeat, dij boni, quantam in se inuidiam deriuarit? quot censorum, & quidem mordacissimorum latratibus (sic enim appellandæ sunt modestiæ sanitatisq́ expertes, quorundam miserè Ciceronianorum uoces) se opposuerit? Ea de causa, qui in alijs, quid sentiam, haud fermè dissimulare soleo, hanc partem silennio præterire decreueram, ne qui à maledicendi studio quàmlongissimè abessem, ad odiosas, uirulentasq́ concertationes inuitus protraherer. Verum enimuero illud mihi in animo frequenter obuersabatur, ignauum hominem, & ad corpus opiparè curandum

randum

randum à natura procreatum esse habendum, qui id proferre dubitaret, quod ei ratio, aut multa accurataq; lectione confirmatum iudicium suaderet. Quandoquidem nec in literis tyrannos quosdam natura constituit, à quorum nutu nobis dissentire sit inconcessum: nec aliquem in quoquam scientiæ genere tantæ præstantiæ uiuere existimo, ut sua orbi seu placita, seu decreta, tanquam prætor edicta proponere ualeat. Itaq; fremant licet, quorum sententiam de hoc negocio agentes non probauerimus, rem ipsam sic aggrediar, ut hæc nostra nemini tanquam legem aut regulam offeram: sed tantum, quód ipse de Latinis authoribus censeam, priuato iure quàm paucissimis explicem. Atq; ut aliqua de eorum excellentia, quasi mistim, cõfuseq; præmittamus, diuersa Latinæ linguæ tempora fuisse sciendum est. de quibus quoniam distinctè agere, cum pauca nobis relicta sint ueterum monumenta, superuacaneum uideri posset, omnes qui ante M. Tullium extiterunt (nisi Publius Terentius, Lucretiusq;, quasi medij inter duas ætates interiecti uixerint) ueteres appellemus: quorũ seculum tametsi multos singularissimos uiros, omniq; laũde maiores produxerit, quales Plautus, Cato, Næuius, Ennius, & multi id genus fuerunt: non pauca tamen habuit uerba, quæ C. Cæsaris, M. Tullij, Bruti, Crispi Sallustij, Valerij Catulli, & mox P. Virgilij, Titi Liuij, Horatij Flacci, ac similium æuum, tanquam nimis antiqua, & obsoleta, obelo non immeritò expunxit. Nam & Romanus sermo nunquam absolutior, quàm his quos modò dixi uiuentibus fuit. & quemadmodũ, qui illos ætate præcesserant, incultiores aliquanto extiterant: ita qui postea floruere, Seneca (ut opinor) faculam præferente, sic in omnia uitiati sermonis genera defluxerunt, ut pauci inuenti sint, qui temporũ labem tanquam charybdim superantes, ad felicissimos eos scriptores dictionis puritate, candore, lenitateq;, proximè accesserint. Proinde cum horum omnium tres quasi ætates considerari queant, earum unam Plauto, M. Tullio alteram, tertiam uerò C. Plinio auunculo assignemus, mediam perfectissimam, cuiq; nihil addere liceat appellantes: duas autem, quæ supersunt, eo pacto distinguentes, ut omnia antiquorum uerba, dicendiq; formulas, quas media ætas non antiquauit, pro maximè Latinis habeamus: à recentioribus autem, & ijs qui non infra Pliniũ, aut Quintilianum scripserint, (quanquam & inter hos adhibendus est delectus, ut nec Senecam oratorem, nec tragicum, nec Valerium Maximum, & eiusmodi Latinitatis authores aliquo in subsellio ponamus) tunc uerba sumamus, quum superioribus illa defuerint, si hoc nobis constiterit, Cornelio Celso, Moderato'que Columellæ plus fidei in linguæ ratione esse tribuendũ, quàm Suetonio Tranquillo, Cornelio Tacito, Fabio Quintiliano, Plinioq; Nepoti: maiorem enim, licet duriusculus plerisq; uisus fuerit, ab illorum ordine non excluderem: sicut ex Quinti Curtij, Vegetij, Vitruuij, Palladijq; uocibus in suo genere, nihil rectè tanquam barbarum explodi posse concesserim: cum Lucanum, Statium, Valerium Martialem, & ijs (quantum quidem ego conijcere ualeo) meliores, Persium, Iuuenalemq; Latinos esse concedam: licet nihil ad Ciceroniani seculi scriptores. Venient enim & in horum classem ueteres omnes Iureconsulti, alij'que, quos data opera prætereo. His quasi iactis fundamentis, cum de lectione loquimur, non his solis eam addictam esse debere credimus, quum sint multa præter hos scriptorum millia, quorum nemo non aliquid ad eruditionem conferre potest, alij etiam ad linguæ ubertatem: presertim quòd ij quos in primo loco collocauimus, non omnia argumenta tractarunt: & sæpenumero tacere cogemur, nisi Gellij, aut Macrobij, aut etiam deteriorũ uerbis utamur, quod tamen in extrema tan-

tum inopia ac egestate faciendum suaderem: ab ijs non medioeriter dissentiens, qui Asiaticorum more, quantumuis longo uerborũ ambitu quædam designare malunt, quàm Lactantij aut Boëtij uoces in sua scripta ingerere. Ea ratione in comparanda linguæ copia diligenter seruata, in imitatione cautiores erimus, si risum doctis mouere in uotis non habebimus. Heroicum namq; carmen scribere uolentes, magis Virgilium quàm Lucanũ, Statium, Valerium Flaccum, Sylliumq; Italicum imitabimur. Si comœdia magis arriserit, Plauto, aut Terentio similes fieri cupiemus. Si tragœdia, quoniam ueteres eius authores Accius, Pacuuius, Ouidij Medea, Varijq; Thyestes non supersunt, haud sanè habemus quem libenter sequamur, præter Græcos, Euripidem, Sophoclemq;. Si elegiam maluerimus, Tibullum, Propertium, Ouidiumq;, quamuis hic lasciuior sit habitus, sectabimur. Si satyram, Iuuenalem, aut Horatium, aut Persium. Si lyricos, Horatium. Si hendecasyllabos, iambicosq;, Catullũ, qui etiam in epigrammatibus candidissimus creditur. quos omnes in suo genere tam elegantes, absolutosq; esse puto, ut eos non oscitantèr imitari, in magna laude ponendum arbitrer. Neq; tamen cuiquam adeò alligata sit hæc de q̃ua agimus imitatio, ut non alium in eodẽ opere, si uidebitur, sequi liceat. Nullus enim adhuc inuentus est, qui omnia ubiq; exactissimè præstiterit, & Momo etiam in minimis satisfacere ualuerit. Longè tutius fuerit, cum quempiam nobis effingendum proposuerimus, quicquid in alijs optimum fuerit, in nostras scriptiones deriuare: quod M. Tullium, Virgilium, Liuium, nostrosq; complures factitasse non ignoramus. Sed quòd de Horatij lyricis mentionem fecimus, nõ eos solos in illo poëta uersus cõmendandos autumo, cũ sint & alia plura, in quibus is poëta excelluit, carminũ genera, è quibus hexametros miræ elegantiæ plenos non excipio, ut quidam faciunt: quod eis & Artem poëticam, & Sermones, & Epistolas præcipuè, tam uenustè condidit, ut in illis mihi egregius, in his autem propemodũ inimitabilis uideatur. Siquidem ut ad heroici carminis maiestatem, quam ne affectauit quidem, non assurrexerit, non altius quàm res postularet hexametris onus imposuit: sed de domesticis rebus ad amicos scribens, plurimaq; ex intima philosophia deprompta suis Epistolis intermiscens, quam nõ habet uenustatem? Eum ego porrò in illa scribendi ratione nõ illibentius æmulari cupiam, quàm Lucretium in philosophia uersibus tradenda, aut Catullum in Argonauticis: qui ex industria ipsum Horatium sermonem solutæ orationi uicinũ carminibus complexum fuisse, affirmare ausim. quod & author de se in secundo Sermonum libro innuere uidetur, quum ait:

Primum ego me illorum dederim, quibus esse poëtas
Excerpam numero, neque enim concludere uersum
Dixeris esse satis: neq; si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam.
Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atq; os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.

Igitur ut ad Homeri, aut Virgilij altitudinem non peruenerit, suũ tamen tenuit iter, & fortè in hoc genere apud nostros primus esse maluit, quàm in illo secundus: quamq; illi Heroicum metrum extulerunt, tam hic illud idem uolens comminuit. Iam oratoribus, quis neget Ciceronem, quasi luciferum quendam esse spectandum, ducemq; in ijs, quæ diuinum ingenium tractauit, eligendũ? quando & Latinos omnes superauit, & ex Cæsaris, Bruti, Calui, Pollionis, Messalæq; scriptis nihil est in manibus. Sed & huic non tam superstitiosè me deuinxe

ro, ut alios omnes Latinos authores floccifaciam, prout non pauci solent. Dignum sanè odio hominum genus, & in quo non multum eruditionis agnoscas. Quare Titi Liuij, Crispi Sallustij, C. Cæsaris, Varronis, Celsi, Columellæ, Plauti, Terentij, Virgilij, Horatij, & similium locutionibus tam libenter utar, quàm Ciceronianis, nisi nimiam alicubi deprehendamus licentiam. Quod facit, ut ijs non assentiar, qui Ciceronem Cæsaremq; tantum, quos in soluta oratione tutò imitemur, extare putant. At Sallustius, inquiunt, antiquior est (de Ciceronianis enim paulo pòst diffusius agemus) ueterumq; uerborum, & priscæ dictionis studiosissimus: Titus uerò Liuius, multa habet, quæ primus ipse Latio donauit: quorum utrumq; maximè est uituperandum. Vtinam tam facile hoc alijs persuaderent, quàm ipsi credere potuerunt. Nam apud alios ferè omnes receptum est, tantæ authoritatis & esse, & fuisse Crispum Sallustiũ, ut nouas, inauditasq; uoces tam culto seculo uiuens inducere, & alias, quæ damnatæ ferè exciderant, in usum reuocare potuerit, Asinijq; de Liuio iudicium, his uerbis in primo Oratoriarum institutionum libro refellit Quintilianus: Taceo de Thuscis, & Sabinis, & Prænestinis quoq;, nam ut eo sermone utentem Vectiũ insectatur Lucilius, quemadmodum Pollio deprehendit in Liuio Patauinitatem, licet omnia Italica pro Romanis habeam. Atqui si prauas eiusmodi calumnias aliquo in loco ponemus, ne M. quidem Cicero satis erit probandus, de cuius obtrectatoribus idem Fabius in duodecimo libro ita scribit: At M. Tullium, non illum habemus Euphranorem, circa plurium artium speciem præstantem, sed in omnibus, quæ in quoq; laudantur eminentissimum, quem tamen & suorum homines temporum incessere audebant, ut tumidiorem, & Asianum, & redundantem, & in repetitionibus nimiũ, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractũ, exultantem, ac penè (quod procul absit) uiro molliorem. Postea uerò quàm triumuirali proscriptione consumptus est, passim qui oderant, qui inuidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præsentis potentiæ non responsurum inuaserunt. Ille tamen, qui ieiunus à quibusdam atq; aridus habetur, non aliter ab ipsis inimicis malè audire, quàm nimijs floribus, & ingenij affluẽtia potuit: falsum utrumq;, sed tamen illa mentiendi propior occasio. Præcipuè uerò presserunt eum, qui uideri Atticorum imitatores cupiebant. Hæc manus quasi quibusdam sacris initiata, ut alienigenam, & uirũ superstitiosum, deuinctumq; illis legibus insequebantur. unde nunc quoq; aridi, & exucci, & exangues. Hi sunt enim, qui suæ imbecillitati sanitatis appellationem, quæ est maximè contraria, obtendunt: qui quia clariorem uim eloquentiæ uelut solem ferre nõ possunt, umbra magni nominis delitescũt: quibus quia multa, & pluribus locis ipse respondit, tutior mihi de hoc differendi breuitas erit. Reijciamus scilicet M. Tullium, quòd tot cauillationibus, maledictisq; uiuens ac mortuus fuerit exagitatus. Quum tamen illi ea potissimum uituperarent, quæ ipsi nulla industria consequi possent, exuperarunt eas omnes difficultates Ciceroniana opera, & Liuius itidem, Sallustiusq;, nullam ob frigidos diuersorũ strepitus gloriæ iacturam fecerunt. Iccirco eorum locutiones non magis, quàm si M. Tullij essent, abhorrebo. sed Liuium in scribenda historia, magis quàm Sallustiũ imitarer: nõ quin hic maior sit eius author, uerum quòd immortalem illam Sallustianam breuitatem, qua (si Quintiliano credimus) nihil apud aures uacuas atq; eruditas potest esse perfectius, anxiè affectantes, maximum in discrimen uenirent, ne pro tanti historici simijs breues, concisi, scabriq;, & ut paucis absoluã, nihil minus quàm Sallustiani fierent: quod in Liuiana phrasi multo uberiore pertimescendũ non esset,

esset. Diuersam ab his duobus uiam tenuit C. Cæsar: cuius quoniam omnia fcripta, præter feptem de bello Gallico libros, temporum nobis iniuria erepta sunt, plurimum rei literariæ incommodi attulerunt. Quæ tamen fuperfunt, purè fimpliciterq́;, & raptim exarata, omniq́; ornatu, quafi ueste detracta, tanti principis ingeniũ pulchrè patefaciunt. quanquam annaliũ conditoribus nõ tam prodesse ualeãt, quàm Liuij Salluftijq́; fragmenta: quod et ex authoris mente dignofcimus, quippe qui fimplices cõmentarios, ut parata haberent, unde fumerent qui fcribere uellent historiã, reliquerit. Multo præftãtiores, artificijq́; pleniores eius fuiffe orationes arbitror: in quibus præter cæteras uirtutes, uis præcipuè, ficut in Cœlio indoles, in Calidio fubtilitas, in Bruto grauitas, in Sulpitio acumen, in Caffio acerbitas, in Pollione diligentia, in Meffala dignitas, in Caluo fanctitas commendabatur. Sed cum illos, quos dixi Commentariorum libros, mundiffimos effe credamus, uirtutes tamen quæ ab hiftorico exiguntur, non exactè docent. Quid enim fi ducem apud milites cõcionantem exprimere cupias, an Cæfaris iter infiftas: nõ opinor, cum nulla apud eum abfoluta legatur oratio: quod eft hiftorico (ut fi quid aliud) neceffarium. Quid fi rei difficultatem, horrorem, perturbationem, & alia, quæ fefe fcribenti offerunt, uerborũ ftructura, feu contextu ob legentis oculos ponere, & facta (ut ait Salluftius) dictis exæquare labores: an in Cæfaris commentarios intueberis: an non potius in duo Romanæ hiftoriæ lumina, Titum Liuium, Crifpumq́; Salluftium? Nõ ob fimplicem uidelicet dictionem, bellicum canorem in Thucydidis fcriptis Græci Latiniq́; admirabantur: neque ob puram rerum geftarum narrationem, dulcis, candidus, effufusq́; Herodotus, dũ concitatos Thucydidis affectus remifit, conciones fermonibus, uim deniq́; uoluptate æquauit. Horum profectò in Cæfare nihil inuenias: quem his, qui apud noftros funt præcipui, parem effe potuiffe non ambigo, fi non ad maiora natus, magis ipfe fcriptoribus materiam præbere, quàm uel aliorum, uel fua gefta fcriptis confecrare cupiuiffet. Nec me latet M. Ciceronem in libro de Claris oratoribus de Cæfaris commentarijs optimè fenfiffe, de quibus loquens: Ineptis, inquit, gratum fortaffe fecit, qui uolũt illa calamiftris inurere, fanos quidem homines à fcribendo deterruit. Nihil enim eft in hiftoria, pura & illuftri breuitate dulcius. Sed hæc de uiuo loquebatur Cæfare, quũ & hoc fcriptionis genus apud Romanos non fatis ornatum effe quereretur. De qua re agens in primo de Legibus, à fe hoc munus expectari gloriatus eft, ne Latium hac in parte Græciæ cedere cogeretur. Eius uerba hæc funt, ex Attici perfona: Poftulatur à te iam diu, uel flagitatur potius hiftoria. Sic enim putant, te illã tractante effici poffe, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atque ut audias, quid ego ipfe fentiam, non folum mihi uideris eorum ftudijs, qui literis delectantur, fed etiam patriæ debere hoc munus, ut ea quæ falua per te eft, per eundem te fit ornata. Abeft enim hiftoria literis noftris, ut & ipfe intelligo, & ex te perfæpe audio. Potes autem tu profecto fatiffacere in ea: quippè quũ fit opus, ut tibi quidem uideri folet, unum hoc oratorium maximè. Quamobrem aggredere quæfumus, & fume ad hanc tempus, quæ eft à noftris hominibus adhuc ignorata, aut relicta. Et inferius: Quare tuum eft hoc munus, hoc à te expectatur. Quibus mox fic refpondet Cicero: Intelligo equidem à me iftum laborem iamdiu poftulari Attice, quem non recufarem, fi mihi ullũ tribueretur uacuum tempus, & liberum. Neq́; enim occupato res tanta fufcipi poteft. Et paulo pòft: Hiftoria uerò nec inftitui quidem poteft, nifi præparato ocio, nec exiguo tempore abfolui. Et ego animi pendere foleo, quum femel quid orfus, fi traducor

aliò:

aliò; neq; tam facile interrupta contexo, quàm absoluo instituta. Hæc M. Tullius: qui si oratorium præcipuè munus, historiam scribere uolenti necessarium esse contendit, facile indicat C. Cæsaris commentarios plenam absolutamq; historiam non complecti. non quin eorum author oratoria arte plurimum ualuerit: sed quòd bellicis rebus perpetuò, ex quo suarum rerum commentarios scribere cœpit, intentus, quod Cicero succisiuis temporibus assequi non potuit, neque ipse quidem præstitit. Alioqui Herodotum Græcæ historiæ patrem, Thucydidemq;, uiros eloquentissimos foro nunquam uacasse, sed assiduum ocium ad scribenda suorum gesta contulisse, satis constat: quod apud nostros non C. Cæsar, sed Crispus Sallustius, Liuiusq; fecerunt: ut meritò eorum opera Latina historia Græcæ comparari ualeat. de qua re agens Fabius Quintilianus, cũ hos duos impensè laudasset, Cæsarem ne nominauit quidem. Ipsum uerò M. Tullium aliqua Sallustij scripta legisse non ignoramus, quum ei respondens sic scribat: An illud mentitus sum, fortunatã natam me consule Romam? qui tantum intestinum bellum, ac domesticum urbis incendium extinxi? Neq; te tui piget, homo leuissime, quum ea culpas, quæ in historijs gloriæ mihi ducis? Sed nec de uiuente iudicare uoluit, neq; admodum ei in hac re fidei tribueremus, quum maximum inter eos odiũ flagrarit, quod ex Sallustij in Ciceronem inuectiua, ipsiusq; Ciceronis responsione planè colligitur. quas qui supposititias existimarũt, accipiant hoc Quintiliani in quarto Oratoriarum institutionum libro testimonium: Quid non Sallustius directo in Ciceronem, in quem ipsum dicebat, usus est principio, & quidem protinus: Grauiter & iniquo animo maledicta tua paterer M. Tulli. Et in nono quoq;: Et apud Sallustiũ in Ciceronem, O Romule Arpinas. Quod si Sallustij est criminatio, quis non Ciceronis defensionem esse fateatur? Liuium ergo, Sallustiumq; in Romana historia pręcipuè imitandos esse colligimus: quamuis (ut superius dictũ est) illius uestigia quàm Sallustij sequi, commodius ualeamus. Et tamen de hoc Valerius Martialis sic ait;

Hic erit, ut perhibent doctorum corda uirorum,
Primus Romana Crispus in historia.

Nam si quis puro sermone Cæsaris fortè candorem, aut (ut de Græcis quoq; agamus) inaffectatã, sed quam nulla affectatio consequi possit, Xenophontis iucunditatem, hoc præsertim tempore scribens, se æquare posse confidat, infelix operam non minus perdet, quàm Si quis asellum
In campum doceat parentem currere frenis.

Sed ut de his hoc loco plura non dicam, hoc adijciam, qui aut Virgilij seculo, aut suprà etiam uixerint, promiscuè Latinos esse habendos, nisi si aliqua habeantur obsolœta uerba: eorũ autem qui postea floruere uoces, seu loquendi formulas, ita admittendas esse, si hominũ excellentiam considerantes, non mediocrem in ijs delectum adhibuerimus. cum ijs minimè sentientes, qui imitationem uni tantum obstrictam esse debere autumant, ut nostri Ciceroniani faciunt, qui persæpe tacere, quàm Sallustij, aut Liuij uerbo uti malunt: tantum abest, ut Columellam, Celsum, Pliniumq; Latinos existiment. à quorum lectione nonnulli, qui in hac miseria consenuerunt, semper se abstinuisse gloriantur, ne mirificum loquendi scribendiq; genus Plinianis uocabulis cõmacularent: quasi aut Cicero cuiusquã se solius imitationi addixerit: aut uir doctus iure sit uocandus, qui unicæ Ciceronianorum operum lectioni semper uacarit. Quid uerò, quod nullum argumentum tractare norunt, si à quatuor eos epistolis ex M. Ciceronis centonibus malè contextis diuellas? Quid quòd uix unam epistolam trimestri

spacio

ſpacio abſoluunt? Sic enim aiunt, exiguo tempore nequaquam ſcribi

Poſte linenda cedro, & tenui ſeruanda cupreſſo.

Verum ijs ego nouem annos in ſingulas periodos concederem, niſi quum montes parturire uiſi eſſent, ridiculũ murem frequenter naſci uidiſſemus, aut ſi aliud Ciceroni furari noſſent, quàm, Non obliuione amicitiæ noſtræ, neq; inter miſſione conſuetudinis meæ ſuperioribus temporibus ad te nullas literas miſi: Et, Quanquam me nomine negligentiæ tibi ſuſpectum eſſe doleo: ac eiuſdem notæ, Hoc te uehementer etiam atq; etiam rogo: Et, Quicquid ei commodaris, erit mihi maiorem in modum gratum. Hoccine eſt Ciceronem imitari? Hoccine integra liberi hominis ætate dignum? Per me quidem, iſto pacto ſint non Ciceronis imitatores, ſed germani potius, & eam clauſulam, quandocunq; libuerit his uerbis, Eſſe uideatur, abſoluant, quam non longius, ſed longiſſimè circumduxerint, dum & mihi Romanis aliorum uocibus, quod uelim exprimere permittant. Cumq; aliquem mihi ueterum ſcriptorum, quaſi ducem in quopiam argumento propoſuero, ut in eo negocio quod agendum ſuſcepero, plus illi quàm cæteris deferam, nunquã tamen quominus multa ex alijs ſi uidebitur aſſumam, mihi interdictum putent. niſi fortè tantum ſibi in Stephano Doleto prçſidij eſſe autumant, quantum in ipſo, ſi uiueret, M. Tullio collocarent: quanquam longè modeſtius ille de hac re fuerit acturus, quàm cæritus noſter Alcmæon. qui cum dialogũ de Imitatione Ciceroniana ſuperioribus annis aduerſus D. Eraſmum uirum doctiſſimum ſcripſerit, lectorem in primis admonuit, omnia quæ in ſuo Dialogo Morus diſputat, & loquitur, ex Ciceroniano Eraſmi Dialogo ſumpta eſſe: ne Doletum ſui diſſimilem, id eſt ſtilo modò inflatiore, modò flaccido eſſe putet. Quænam obſecro Decijs, Magijs, Iubellijs, & ſi quid arrogantius protulit Campania, tanta unquam ſuperbia innata dicitur? Nõ aliter ſeipſum illic nominat Doletus, quàm Ciceronem, aut Demoſthenem ſolemus: cùm nouus heri ſub terra lumbricus erepſerit, qui modò nuſquam comparebat, nunc quum comparet perit. Formidat enim, ne quis Eraſmi ſtilũ Doleti eſſe putaret. Quis te Dolete unquam norat, ut te tui diſſimilem eſſe putaret? aut quid ad hanc diem tuum ſcripſiſti? Qualis qualis tamen ſit hodie, aut ſit poſtea futurus, neſcio quo pacto Eraſmũ flaccidum, ſe autem inflatiorem putat. Cũ enim utrumq; ſit uitioſum, Eraſmi tamen phraſis Doleti ſtilo cõparata, ſatis aperte in illo eruditionem ſummam cum quadam orationis facilitate coniunctã fuiſſe oſtendit: in hoc uerò uerborum non ſonitum, ſed inanem ſtrepitum, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia. Quandoquidem totus ille de Ciceroniana imitatione dialogus, nihil habet aliud, quàm perpetuas nugas, & uanæ inſulſæq; garrulitatis ſtudium indefeſſum. Quæ niſi uera ſunt, habebit ipſe ſe purgandi locũ, ſi & noſtro de uulnere ſanguinem ſequi credet, & eodẽ mihi quo illi precio ſal perhibetur: quanquam nõ ſale Doletus, ſed ueneno ſuos labores aſpergere didicit: quo imbutus, pulcherrimum Eraſmi Adagiorum opus, quod integra quantumuis excellentis uiri ætate compoſitũ uideri poteſt, adagiorũ farraginem appellat. Conferat cum illo ſi poteſt, nõ ſuum dialogũ, nec linguæ Latinæ cõmentarios, in quibus confarciendis tria ferè luſtra cõſumpſit, ſed Longolij tum epiſtolas, tum orationes: deinde frontẽ perfricans, impudentiſſimè in una Longolij epiſtola plus eloquij, plus artis rhetoricç, plus linguæ Latinç ſplendoris elucere, quàm in omnibus ad unam Eraſmi cõmentationibus pronunciet. An nõ uerius eſt, in unica Adagiorum pagina plus doctrinæ ineſſe, quàm in toto Longolio? At hic propius Ciceronem imitatus eſt, Quid tum? Illud potius expedi, quid nobis profuerit

rit Longolij imitatio, aut quid ex ea utilitatis percipiamus. Sit imitatus Ciceronem Longolius: sed plurimi multũ absunt à Ciceroniano scribendi genere. Nemo tamen insanior fuerit, quàm qui Longolium eorum cuiuis æquare uelit. In illo enim nihil inuenias, quàm frigidum imitationis nomen: in ijs uerò eruditionem miram, & scribendi genus, si non Ciceronianum, Latinũ tamen, & ad explicandum animi sensum satis perspicuum. Sed Ciceronianorũ miseriam paucis explicemus. Negant eius obseruantiores, quicquam Latinum esse, quod nõ sit in Cicerone. Iam hoc nihil impudentius dici potest. Cur nam etenim antiquorum hæc unquam insedit religio? aut quis hanc M. Tullio authoritatem tribuit? Fuit, inquiunt, omnium Romanorũ eloquentissimus. Rectè quidem. Sed non qui unus eminet inter omnes, cæteros eradit, ac supprimit. Cumq; singularem illius eloquentiam Græci, Romaniq; omnes semper sint admirati, ne minem tamen minus Latinũ censuerunt, qui Ciceronem sibi effingendũ non proposuisset. Quare si non ueteres, qui hoc consequi nõ potuerunt, sed uel eos, qui Cicerone uiuente scripserunt, uel qui eidem successere, hac de causa, quasi parum Romanè locutos, nouo more obstinatè asseramus,

Non est quod multa loquamur:
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

Quid enim? An Virgilius, Horatius, & similes, quod nullum in eorum scriptis apparet Ciceronis uestigium, barbari habebuntur? At poëtæ sunt. Quid tum? Longè maior est eorum in uerbis, quàm oratorũ licentia. Esto sanè. Sed si hanc ubiq; licentiam prætendamus, ipsos omnes integrè expungere cogemur. multa sibi permittunt, sed non ut barbaris utantur uerbis (nisi fortè Virgilium accusemus, quod gazam, magalia, & alias huiusmodi, licet paucas, uoces usurparit) non ut Latinitati minus conuenientia è triuijs capiant. Dixerit idem tertio Aeneidos libro,

Anchisem facio certum,

& si qua sunt similia, quæ orator non sit probaturus: at cætera & oratoribus, & poëtis, & historicis rectè cõueniunt. Sed de poëtis nõ loquimur. Hoc equidem scire uelim, num Cæsar, Liuius, Sallustius, cæteriq; eius præstantiæ latinè scripserint? At historici sunt. Soli'ne ergo oratores legentur? Quid sibi igitur uolunt Quintiliani præcepta, futuros oratores à poëtarum lectione auspicari iubentis? Si poëtæ oratoribus nihil conferunt, nihil historici, nihil deniq; cæteri omnes, extra unum M. Tullium, non oportebat de uerborum copia scribentem quempiam præter Ciceronem nominare. An nõ potius longa illa poëtarum, philosophorum, historicorumq; examinatio hoc innuit, unius lectionem, ei qui orator esse studet, nõ sufficere? Neq; hoc tam liberè proferrem, nisi ipsum M. Tullium huius sententiæ haberem authorẽ: qui primo de Oratore libro, non tantum per omne scriptorum genus eum quem informat uagari, sed quodcunq; in eis utile fuerit, sibi uendicare uult. Sic enim ait: Educenda inde dictio est, ex hac domestica exercitatione, & umbratili medium in agmen, in puluerem, in clamorem, in castra, atq; aciem forensem. Subeundus usus omnium, & periclitandæ uires ingenij, & illa commentatio inclusa in ueritatis lucem proferenda. Legendi etiam poëtæ, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores & legendi & peruolutandi, & exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, uituperandi, refellendi, disputandumq; de omni re in cõtrarias partes, & quicquid erit in quaq; re quod probabile uideri possit eliciendum, atq; dicendum. Perdiscendum ius ciuile, cognoscendæ leges, percipienda omnis antiquitas, se

natoria consuetudo, disciplina reipublicæ, iura sociorũ, fœdera, pactiones, causa imperij cognoscenda est. Libandus est etiam ex omni genere urbanitatis, facetiarum quidam lepos, quo tanquam sale perspergatur omnis oratio. His conueniunt, quæ libro tertio scribit. Sed omnis, inquit, loquendi elegantia, quãquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus ac poëtis. Sunt enim illi ueteres, qui ornare nondum poterant ea quæ dicebant, omnes propè præclarè locuti: quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latinè. Neq; tamen erit utendum uerbis ijs, quibus iam cõsuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa parcè, quod ostendam. sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur ijs, qui in ueteribus erit scriptis studiosè, & multum uolutatus. Hæc Cicero. Qui si in ueterum scriptis & studiosè & multum uolutari uult oratorem, quanto magis in recentiorum, & eorum præsertim, qui uel cum Cicerone, uel post eum fuerunt, uersari debebit? Ac ne quis ipsum M. Tullium aliud scripsisse, aliud obseruasse credat, non modò per omne scriptorum genus, quod eius opera ostendunt, uagatus est, sed nec unũ Demosthenem sibi imitandum proposuit: quippe qui & Platonis, & Isocratis præcipuas uirtutes sit assecutus. Quamobrem hanc seu superstitionem, seu religionem antiquis prorsus incognitã inauditamq; fuisse, necessariò fateri cogimur.

Sed hic reclamabit Doletus: Poëtas quidem à poëtis, historicos ab historicis imitandos esse: proinde cum unicus tantum supersit orator, necessariò eum unum oratori propositum esse debere. Equidem si Asinij Pollionis, Licinij Calui, Cælij, Caij Cæsaris, Bruti, & antiquorum omnium oratorũ scripta extarent, hanc palmam Ciceroni liberrimè deferre non uererer, ita quidem ut eum in scribenda oratione longè magis quàm illos sequeremur: quin tamen quicquid elegans mihiq; conueniens apud eos inuenirem, in mea scripta decenter deriuarem, ne ipse quidem mihi Cicero persuaderet. Nam quæ lex apud Rhetores, aut aliud scriptorum genus, tam tristis, tamq; dura habetur, quæ nos alicui rei sic obliget, ut ne latum saltem culmum ab eo quod præcipitur abesse ualeamus? At Cicero omnia eleganter scripsit. Sed alij fortè aliquid elegantius. Vtq; orationem, aut epistolam scribere uolentibus, maximè imitandus sit Cicero: in eisdem tamen, cur non multa ex bonis authoribus sumpta usui esse poterunt? Quid autẽ, quod non omnia tractauit Cicero? An si alium eo in opere authorem sequamur, minus Latini erimus? Imò maximè, sed non Ciceroniani. At ego dum Latinè loquar, nisi Ciceronem prorsus effinxero, non ita discruciabor, ut uni Longolio hanc laudem tribui iniquo animo feram: præsertim quod eos nõ numerat in Ciceronianis Doletus, qui aliquot loquendi formas ex Cicerone collectas ubique inculcant; grammaticorum elementorum interdum ignari: sed qui intus, & in cute Ciceronem nouerint: qui Ciceronem non uorarint, absorpserint, sed sensim delibarint, degustarint, regustarint, exhauserint, beneq; concoxerint: quorum iubar fuit Longolius, quem uerè Ciceronianum agnoscas, nec grammaticæ subsidijs destitutum, nec adeò attenuatum: demũ qui nominatus modò, summum Erasmo terrorem incuteret. Quin tu potius dic mihi bona fide Dolete, quid habet Ciceronis Longolius, præter exiguam imitationis imaginem? Vbi Ciceronis ingenium? ubi eruditio? ubi candida illa, & diuina phrasis? Sed in magnis uoluisse satis est. nihil enim aliud, quàm uoluit: nisi aliter censeat Doletus, aliud sonent Longolij epistolæ, orationesq;: quæ cum umbratiles mihi uideantur, Pontanum, Vallam, Politianum, Theodorum Gazam, & plurimos, qui se Ciceroni exprimendo tam impensè nunquam addixerũt, Longolio facile præ-

ponere

ponere ſoleo. Quòd uerò prudẽtiſſimè cenſet Eraſmus, quibuſlibet ingenijs nõ cõuenire Tullianã phraſim: quumq́ deſint naturæ uires, ad inimitabilem dicendi felicitatem aſſequendam, nihil eſſe ſtultius, quàm in eo diſcruciari, quod contingere non poteſt, Doleto parum probatur: quin potius ea qua ſolet pertinacia (nec enim ullã adducit rationem. & aliter res ipſa nobis oſtendit) quaſi aram tenens, quibuſlibet Latinæ linguæ ſtudioſis eam conuenire iurat, ſi modò purè, ſplendidè, ornatè, copioſè, grauiterq́ dicere in uotis habeant: cum nullus Ciceronis imitationi deditus fuerit, qui non ex ea aut uerborum elegantiam, & copiam, aut compoſitionis ſuauitatem, aut orationis acumen ſibi cõpararit. Quod quidẽ, niſi unius Doleti eſſet ſomniũ, falſò ſcripſiſſet Horatius in Arte poëtica,

Tu nihil inuita dices, faciesq́ Minerua.

Quid enim? ſi quis ad poëſim à natura formatus fuerit: num Ciceronem illi imitari expediet? an non Virgilium potius? Poëtas enim naſci, ipſe Cicero pro Archia poëta teſtatur, quum ait: Atqui ſic à ſummis hominibus, eruditiſſimiſq́ accepimus, cætera rerum ſtudia, & doctrina, & præceptis, & arte cõſtare, poëtam natura ipſa ualere, & mentis uiribus excitari, & quaſi diuino quodã ſpiritu afflari. Quare ſuo iure noſter ille Ennius ſanctos appellat poëtas, quòd quaſi deorum aliquo dono atq́ munere commendati nobis eſſe uideantur. An igitur ſic nato literarum ſtudioſo expediet Ciceronem imitari? Quid ſi hiſtoriam ſcribere in animũ induxerimus, Ciceronem'ne, an T. Liuium, aut Cæſarem, aut Salluſtium ſequemur? Ciceronem, inquit Doletus, & in ea ſcribenda ſe reliquum temporis inſumpturum pollicetur. Verũ ego nunquam adeò aſtutus fui, quin Liuio, aut Salluſtio in hoc opere, quàm M. Tullio ſimilior eſſe optarim. Sed quid mihi his opus eſt, ait Doletus, cum Latini omnes ad eruditionem nonnihil conferre poſſint: ad imitationem autem, & uerborum copiam nihil prorſus? Sic enim exiſtimat, ex M. Tullij uerbis omne ſcripti genus commodiſſimè conflari poſſe, ut ex eiſdem coloribus pictor uel Herculem, uel Achillẽ, uel Stentorem, uel Therſitem, uel Helenam, uel ceruum pingere ualet: quæ cum ſtultiſſimè & ſcribat, & credat Doletus, plena ſunt futilitatis, ſummæq́ leuitatis. Cum enim omne ſcripti genus proprios habeat limites, proprias etiam uirtutes, quo pacto Ciceronem in hiſtoria imitabimur, quam ille nunquam ſcripſit: niſi fortè tres libros, quos de ſuis temporibus carmine compoſuit, quiq́ multis iam ſeculis exciderũt, hiſtoriam appellemus? An idem eſt hiſtoriam ſcribere, quod orationem in cõcione habere? Aut Doletus nouo modo, inauditaq́ ratione hiſtoriã eſt conditurus? Nam id mihi præclarè polliceri uidetur, propoſita illa aurificum induſtria, qui eandem bracteam ſic immutare ualent, ut primæ formę nihil maneat, & ex catello leo, tum ex leone catellus cõfletur. Eadem enim ratione ſententias ex M. Tullio collectas ſic inuertere licebit, ut diruentes, ædificantes, & quadrata rotundis mutantes, ita omnia commiſceamus, ut ſua, ſi reuiuiſceret Cicero, non eſſet agniturus. Cumq́ ſententię lumina ſint gemmæq́ orationis, eas non ex ſtercore conquirendas, eliciendaſq́ putat Doletus, ſed ex ditiſſimo Ciceronis mundo, gemmis (ut ait) lectiſſimis, & undiq́ pellucentibus ſpectabili. Fecit hic ſuo more Doletus, dum omnes Latinos ſcriptores, præter M. Tullium, ſtercus appellauit. Reſponde mihi bellua, an ſtercus eſt Virgilius? an Cæſar? an Liuius? An non tu potius dignus, qui in ſtercore ſuffoceris? Aude furia tuos illos inſulſos Latinæ linguæ commentarios efferre, & dic Romanos authores excepto Cicerone omnes ad unum ſtercus eſſe. Quid mirum, ſi Eraſmus Doleto diſplicuit, cui tot excellentiſſimi ſcriptores ſordeant? aut quid aliud poteſt ne-

bulo, quàm innatum uirus non in Erasmum modò, atque uniuersam Germaniam, sed in Gallos etiam effundere? Iam nemo non execretur hominis improbitatem, si causam, ob quam Erasmum sibi omnibus conuicijs lacerandum proposuerit, explicemus. At ea hæc est, quòd cùm dijs hominibusꝗ incognitus è cœno emergere uellet, hoc se in animo præcipuè habere dictitabat, ut cum celeberrimum aliquem uirum acerbissimis, maximeꝗ inhumanis criminationibus ac maledictis impetijsset, non paruam sibi gloriam acquisitum iri speraret. Hos stimulos, seu rabiem potius, intra pectus uersans, & eum osurus, quem nec nouisset, nec sibi inimicum fuisset expertus, primò in doctissimum uirum (cuius nomen supprimam) Francisco Valesio excellentissimo Gallorum regi non mediocriter charum, quosdam uersiculos Archilochios (hoc enim genus supra modum diligit) aculeorum plenos conscribere adortus, ab amicis admonitus est, id regi iniucundum fore, cum singulari eius quem sibi hostem delegerat eruditione delectaretur: Proinde alium quæreret, cũ quo eiusmodi simultates exerceret. Sic uestiganti Erasmus Roterodamus in mentem uenit: qui cum à plerisꝗ iuuenis sollicitatus fuisset, nihil minus morti iam proximus extimescebat, quàm furentis Doleti tragœdias, quibus (sic enim eius dialogum appellare libet) quando non unum Erasmum, sed integram Germaniam conculcare nititur, indignum se esse ostendit, quem uel Itali, uel cæteræ nationes aliquo iudicio præditum existiment. Cum enim hoc ab ijs, qui bonas literas diligunt, exigatur, ut omnes earum adprimè peritos ubicunꝗ natos & ament, & laudibus efferant: contrà Doletus eorum qui uiuunt neminem pręter Budæum, Sadoletum, ac Bembum, alicuius eruditionis esse putat, neꝗ id quidem, quòd ita sentiat, sed ut Budæi gratiam frigida sibi cõciliet assentatiuncula: Sadoleti autem, Bembiꝗ nomen, in hoc nouo imitationis genere defendendo inuidiæ opponat. Nobis certè ij sunt Itali, qui de elegantioribus literis bene merentur: ut Hannibali, qui hostem ferirent, erant Carthaginenses. Iccirco quod Germanos omnes (loquar enim apertius) nullo hominum habito discrimine deridet, singulari hominis leuitati, ne dicam stultitiæ est ascribendum. Quòd uerò Erasmi nomen, sibi ex hominum memoria deleuisse uidetur, eius gloriam nihil omnino apud doctos ob tam friuolas nihili hominis calũniationes iacturæ fecisse intelligat. Atꝗ ut Zoilus Homeri poëmata non extinxit; neꝗ Virgilij Carbilius, licet omnes in hoc unum neruos intenderint: ita Erasmi Roterodami opera, qualemcunque de eis eruditi sententiam tulerint, Doleti maledictionibus ex hominum manibus non excident. Sed ut ad imitationem redeamus, cum omnes Latinos sese ad unicum Ciceronem effingendum conuertisse hic noster philosophus mentiatur, isꝗ nullum imitatus sit, sua sponte omnibus numeris absolutus & perfectus, satis deinde inconstanter ei qui res sacras Ciceronem imitari cupiens tractare uelit, desintꝗ apud M. Tullium nomina nostræ ætati cognita, concedit, ut suo ea iudicio aliunde quærat, Ciceronis autem neruos, prudentiam, acumenꝗ imitetur. Hoc loco optimo iure de te cum Horatio dicere possum,

Quo teneam uultus mutantem Prothea nodo?

Si enim unicum Ciceronem, qui nulli se nec Græco, nec Latino addixerit, sed suo potius more scripserit, imitandum esse tantopere contendis, uerba quidem, quæ apud illum non sunt, ac theologica præsertim nostris operibus interserentes, nihil minus erimus, quàm Ciceroniani. Illius namꝗ phrasim selectissimis uerbis constructam, nullo pacto theologicis uocibus, hoc est à barbarie nõ multum (ut plerisꝗ omnes M. Tullij studiosiores autumant) distantibus, Ciceronem

exactè

exactè exprimemus. An forte Ciceroniano more ſcribere uolentes, quotieſcunque uerbum Ciceroni incognitũ uſurpabunt, præfari oportebit? an non totum opus præfationibus conſtabit? Ad hæc ſi ſingulas uoces, quæ apud Ciceronem non inueniuntur, non ſine timore proferemus, ut ille, quum de philoſophia ageret, noua uocabula inducens facere ſolebat, nihil aliud quàm manum ſemper intra pallium habentes, formidabimus. Quanto melius, elegantiusꝗ Iacobus Sadoletus, qui cum Ciceronem ſibi imitandum delegerit, nõ tamen ita ſe illi addixit, ut ab eo recedere quum opus fuerit nefas eſſe ducat. An cum de Theologicis diſſerit, aliquam theologorum uocem reformidat? An Iouem optimum maximum Deum patrem appellat? An Chriſtum Apollinem, aut epiſcopos, prouinciarum præſides? Sed quàm eſt illud falſum, quòd omnes Latinos Doletus ad Ciceronis imitationem ſe contuliſſe interpretatur? An ſtercora tantum oratorem imitari potuerũt? Atqui tu potius non parum es ineptus, quum modò Latinos ad M. Tullium ſe effinxiſſe pronuncias, modò aliquem negas inuentum eſſe M. Tullij imitatorem, præter unum Longolium: qui optimè (ut inquis) inſtitutus, & perfectè planèꝗ literis eruditus, atꝗ ad excelſa natus & aptus iuuenis, ſincerus, purus, politus, acutus, concinnus, ſui ſemper ſimilis, grandis, mollis, mitis, maturus, pellucens, non aſper, non hiulcus, humilia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperatè dixit: Ciceronis germanus, ac eidem in dicendo par, addere debebas: quanquam id quoque tibi uoluiſti, cum ita ſcriberes, Terſè & uenuſtè ſcripſit Cicero, ad illã ſe uenuſtatem compoſuit Longolius. Terſus igitur uterꝗ, & uenuſtus: laudabilis uterque, & magnus. quæ uerba, quàm ſint puerilia, ipſe uiderit eorum author. Tum quòd quandam adhuc reſtare Ciceroniani ſeculi imaginem nobis perſuadere laborat, quum ſuum ſenatum habeat Roma, habeat Gallia, habeat Britannia, habeat Hiſpania, in quibus Ciceronem imitari poſſimus. Præterea non deeſſe Pompeios, Cæſares, Vatinios, Ligarios, Cluentios, Clodios, Catilinas, Salluſtios, quos uel laudemus, uel defendamus, uel accuſemus: non eſt aliud quàm purum Doleti figmentum. Habeant ſanè illæ prouinciæ ſuum quæꝗ ſenatũ: quis tamen eorum ſenatuum tres habet ita eruditos ſenatores, ut orationis elegantia artificioꝗ uel minimum commouere poſſint? An non potius ferè ubiꝗ loquentes Latinè hoc prætextu reijciunt, quod Ligarium iam condemnatum Cicero Caio Cæſari extorſerit: re autem uera, quòd indocti eruditos audire nolint? Atqui totum genus iudiciale uendicant ſibi Bartolus, Balduſꝗ, ab oratore ſatis quidem remoti. Deliberatiuum autem nuſquam ferè locum habet, niſi ſummũ Pontificem, aut Carolum Cæſarem, aut Gallorum regem uulgatiſſimo odioſoꝗ iam argumento ad bellum Turcis inferendum adhortari uelimus. Itaꝗ duo illa genera, in quibus regnauit Cicero, nobis prærepta ſunt. Reliquum eſt, ut in demonſtratiuo nos exerceamus, in eoꝗ fiamus Ciceroni quàm ſimillimi. Hic totas ſuas uires experiatur Doletus, deꝗ tam mutila imitatione pleraꝗ ſibi confingat. Et cum ei deſunt maledicta, doleat tantum eſſe in Eraſmo garrulitatis ſtudium, ut inepta quouis loco fundat, & abſurda impudenter loquatur: deinde ſenem delirum ex hypocauſto protrahat: deniꝗ cum Chriſtophorũ Longolium M. Ciceroni exæquauerit, Batauum ſenem, fractum, attenuatum, aridum, ſtrigoſum, imminutum, corruptum, puerile ac putidum dicendi genus probauiſſe doceat. Nam quod alibi ait, corpus bene curatum, liberiuſꝗ educatum, uictum autem paulo delicatiorem, unctioremꝗ poſtulare literas: non à Ciceronis imitatore, ſed à coquo dici credas; cuius etiam perſonam ſuſtinuiſſe creditur, cum horas aliquot cæte-

ris Latinis authoribus tribuendas asseruit: primùm ut quid à Cicerone (hęc sunt ex eius dialogo) tum uerborum, tum sententiarum uel sumant, uel surripiant, uel mutuentur, deprehendamus, & ad illius imitationem alacriores efficiamur, à quo magni nominis scriptores multa sumpserint: deinde ut quemadmodum, qui de recta declinant, ubi in deuia aliquantum aberrarint, & per salebrosos minimé que planos locos iter languentes fecerint, optatius in uiam redeunt, atque recta attentius inambulant, sic per omnia authorum scripta satis prima ætate diuagati, errore tandem percepto, nos ad Ciceronem cupidius recipiamus, totos que conferamus. Postremò ut sicut obtusum quotidiani cibi suauitate palatum aceto aut acerbiore aliquo iure irritamus, gustatui que consulimus, ita assidua Ciceronis lectione contractum, si quod contrahi potest, fastidium, authorum crudiorum acerbitate depellamus: aut quasi oscitantes & obdormientes incondito aliorum scriptorum strepitu & murmure excitemur, ac nouæ relictæ uoluptatis, id est intermissæ Ciceronianæ lectionis cupiditate subsiliamus. Alia enim re nulla, quàm ista alacritatis renouatione scriptores omnes magis conferre, aut prodesse opinatur. Obsecro te diuine aruspex, censeas ne aliquid esse in Latinis scriptoribus M. Tullio surreptũ? Sed quid te obsecrem, cùm apertissimè id affirmes, & nihil tuis auribus gratum, nihil præter Ciceronis phrasim iucundum accidere posse profitearis? Age uerò, quoniam furti omnes scriptores Marco Tullio addicis, an ei aliquid surripuit Plautus? an Terentius? an Cato? Non opinor, quia plurimos ante illum annos uixerint. Ergo hi abijciendi sunt, in quibus nihil tale deprehendas? An uerò M. Terentius Varro, an Cæsar, an Sallustius, an Brutus, an Valerius Catullus, an Antonius, an alij, qui Ciceronis ætate uixerunt, aliquid ab eo sumpsere mutuum? Minimè quidem. Iam hi omnes tanquam barbari eijcientur, Doleto authore. Ac ut alios nominem, qui post eum protinus floruerunt, quid in Virgilio, quid in Liuio, quid in Horatio, quid in Ouidio, Tibullo, Propertio, alijs que Ciceroni ereptum uidemus? an non uerba & sententias ex eisdem fontibus sumpserunt? An omnia uerba noua induxit Cicero, ut inaudito sermone cum Romanis ageret? Vtinam animaduerteres Dolete, quàm sis fatuus, aut quantam præ se ferat impudentiam secunda illa ratio, qua Latinos authores nonnunquam legendos esse autumas: quippe ut qui per salebrosos, minimé que planos locos iter languentes fecerint, errore tandem percepto ad Ciceronem se cupidius recipiant. Væ capiti tuo, qui errare eos censeas, qui per optimos autores uagantur. Ergo errat qui Terentium legit? qui Virgilium è manibus nunquam deponit? At tu non erras bestia, sed stultissimè hallucinaris: nec plus habes sanitatis, quàm Virgilianus ille Pentheus, cùm credit

Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas:
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes;
Armatam facibus matrem, & serpentibus atris
Cùm fugit, ultricésq; sedent in limine diræ.

Nam quis unquam Virgilium salebrosum, minimé que planũ appellauit præter Carbilium, & eo magis insolentem Doletum? Quid opus fuit Marullum nostrorum poëtarum iniquum censorem carpere? quid Pacæum? quorum nemo eos errare existimauit, qui Virgilium legerent? Cùm Latinæ linguæ calumniatores nomino, unius omnium uicem subire potest hic noster uæcors, mente captus, & unctioris uictus unicus amator: quo obrutus, tertiam subdidit causam, cur horas aliquot Latinis authoribus tribuamus? Pro qua si accipito,

pito mi Dolete, nihil te nec tetrius nec pestilentius ab inferis unquam emissum fuisse, nec Zoilum Homeri obtrectatorem crucem melius fuisse meritum. Vni cum siquidem ille Homerum impetebat: at hic tot Latinos proceres, quasi acidos, acerbos'que, & incondito murmure strepentes insectatur. Illud conijcere non possum, cur'nam in Gallia, candidissimorum ingeniorum altrice, aliqua huic scurræ sedes concedatur, in qua cum plurimi sint in bonarum artium studijs celeberrimi, quædam tamen inter doctos modestia regnare solet: quando & Lutetiæ, & in alijs urbibus non modò ueteres authores suspiciunt, atque admirantur, sed plerosque etiam recentiores pluris fortè faciunt, quàm sint illi æstimandi: neque id sanè, quòd iudicio fallantur, sed quòd summè colendos putant, quorum egregiam in Latinis literis excolendis industriam fuisse animaduertunt. Sic enim bene nata aluntur ingenia, sic inflammantur iuuenes ad humaniora studia libentius amplectenda: in quibus licet primum locum sibi sumant Marci Tullij scripta, nemo tamen modò non stupidus (Longolium semper excipio) eis contentus, cæteros authores aspernatus est, prout Doletus noster pro suo arbitratu censet, id enim comprobare uidentur. quæ de copia uerborum scribit, quum ait: Copiam autem uerborum sordere prorsus scimus, nisi in ea delectus habeatur: cuius & ducem, & principem esse Ciceronem, non negaris. Rectè quidem, sed nullo ostendit argumento, eum qui summus est, unicum esse uel legendum, uel imitandum. Et sequitur: Etenim Liuium Andronicum, Appium Cæcum, Cornelium Cethegum, Ennium, Næuium, Plautum, Cæcilium, Pacuuium, Accium, C. Lælium, P. Scipionem, Gracchos fratres ante perfectum illud Latinæ linguæ tempus, omnia antiquè, pleraque durè locutos memoriæ proditum est, quorum asperiorem sermonem, uerba que tritis auribus, & eruditæ Romæ intolerabilia, elimauit posterior ætas, duram'que & ieiunam sermonis formam sustulit, atque unctiorem quandam, & splendidiorem loquendi consuetudinem induxit: qua felici ætate floruit ille disertorum & eloquentium uirorum cœtus, Hortensius, Cæsar, Domitius, Marcus Claudius, L. Torquatus, Brutus, Cœlius, Seruius Sulpitius, P. Lentulus. At quis in tanta clarissimorum eruditorum multitudine primas tenuisse dicitur? Ciceronem nemo ultro non respondet, in quo Latinæ linguæ lumen, splendor'que eluxit: cuius nomen non hominis est, sed eloquentiæ, in quo uerbum nullum asperum, nullum durum, nullum horridum, nullum insolens, nullum humile, nullum in longius ductum, nullum impropriè translatum, nullum desitum, nullum obsoletum, nullum antiquatum. Scilicet nisi repente hic unicus Ciceronis uirtutum admirator in medium prodijsset, in maximum discrimen uenisset summi illius uiri nomen. Verum non uideo qua'nam ratione, qui in Marci Tullij scriptis plus alijs omnibus est uersatus, Liuium Andronicum, aut Cornelium Cethegum, cum Plauto, Cæcilio, ac reliquis nominet, cum Liuij fabulas nullius neque elegantiæ, neque lepôris fuisse omnes existimarint. Cethegi autem etiam Ciceronis temporibus nulla extaret mentio, nisi ab Ennio fuisset celebratus. At hoc nihil ad rem, dicet. Ego uerò illud potius discere uellem, cur Terentium inter eos non nominarit, cùm de Lælio ac Scipione, quorum utrique ille fuit familiarissimus, fecerit mentionem? An eum tanquam uetustum obsoletum'que scriptorem reijcit? Sed hoc imprudens fortè omisit. Illud quæro, num ij, qui eodem tempore quo Cicero uixerunt, Latinè sint locuti? num excellentes fuerint? Hoc cum satis per se sit conspicuum, etiam nolentes in multis quandoque imitandos esse, fateri cogimur.

Atqui de ĳs qui ſub Ciceronem uixerunt, quales ſunt, Aſinius Pollio, Virgilius Maro, Titus Liuius, Horatius, & quotquot fuerunt eius ſeculi ſcriptores,, ne uerbum quidem fecit Doletus. An illi fortè candidiſſimũ Latinæ linguæ uſum non retinuerunt? Quin potius cum hi nullis ſint ſecundi, plurimum nobis, non ad palatum aceto, aut acerbiore aliquo iure irritandum, ſed ad imitationem conferent: præſertim quòd uni addicta imitatio, in uitium incidet, his uerſibus ab Horatio in Arte poëtica deſignatum: Breuis eſſe laboro,

Obſcurus fio: ſectantem leuia, nerui
Deficiunt, animiq;: profeſſus grandia, turget,
Serpit humi tutus nimium, timiduſq; procellæ.

Veniet enim in diſcrimen, qui beatam illam M. Tullĳ in dicendo copiam imitari uolet, ne languidus, mollis, & ſine uiribus fiat: rurſus qui effingendæ eiuſdem altitudini nimis miſerè ſe addixerit, tumidus euadat, ac dum humum uitat, nubes ridiculus, atq; inania captet. Succurrit hic mihi Aeſopicus de rana Apologus, cuius abſentis pullos cũ uitulus pede preſſiſſet, ac unus qui ſupererat, matri narraret, ingentem beluam cognatos eliſiſſe, illaq; quaſi uituli, ſi ſe inflaſſet, magnitudinem poſſet exprimere, quum iterum atq; iterum Tanta' ne beſtia fuiſſet, interrogaſſet, commodiſſimè ranula, Non ſi te ruperis, inquit,

Par eris. Quod non multũ ab ĳs abludit, qui ſeptem turgidis inflatiſq; uerbis, altam ſe neruoſamq; M. Tullĳ uim atq; excellentiam conſecutos autumant. Iccirco qui Ciceroniano ingenio uel proximũ, uel propinquum ſaltem naturæ non debet, quiq; non eandem quam ille, aut non multo minorem (quod mihi temporibus noſtris uix fieri poſſe uidetur) ſibi eruditionem cõpararit, qui non ſtilum æquè atq; Cicero exercuerit, non infelicius aliud meo iudicio argumentum deligere poteſt, quàm ſi in hanc Ciceronianorum ſuperſtitionem ſe conferat: cui, aut cuius ſimili ſingulariter deditos, non dubium eſt Horatium notare uoluiſſe, quum in Epiſtolis ita ſcriberet,

O imitatores ſeruum pecus, ut mihi ſæpe
Bilem, ſæpe iocum ueſtri mouere tumultus.

Nullum enim hominũ genus tam miſerè ſeruitutẽ ſeruire, quàm hos Ciceronianos, re ipſa uidemus. Nec me latet, Doletũ hoc loco ita reclamaturũ: Qualecũq; tibi uideatur noſtrũ hoc imitationis genus, mihi quidem certũ in eadem ſententia permanere. At mea, uel ſi te ſuſpendas, nihil refert. Qui tamen Ciceronem rectè exprimes, cũ multa (ut alibi diximus) eius opera deſiderentur: quæ uerò habentur, aut pluribus in locis ſint lacera, & mutilata, aut ita corrupta, ut in unaquaq; pagella tria uel quatuor deprauata loca legantur? Facit enim ſe dignũ Doletus, cùm de eorũ reſtitutione ita ſcribit: Deprauatũ uerò antea, & librariorum incuria, inſcitiaq; corruptũ Ciceronem, ſic reſtituit uirorum doctiſſimorũ, tum Gallorum, tum Italorũ diligentia, & aſſiduus in literis labor, ut omnia in illo niteſcant, atq; ſplendeant, ut in illo nihil iam offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poſſit, aut ut mendoſum notari. Incubuit in eam curã ante omnes Gellius, quem ſecuti Valla, Politianus, & noſtrorũ aliquot, Budęus, Longolius, eum ita expurgarunt, ut ſi reuiuiſcat, illis gratiã relaturus ſit, nihil in ſuis ſcriptis mutaturus. Quæ cum falſa eſſe omnes intelligant. qui Ciceronẽ diligentius legerunt: hoc oſtendunt, Doletũ in ĳs tam oſcitanter fuiſſe uerſatũ, ut quiuis locus, quantumuis malè reſtitutus, ab ipſo Cicerone illi repoſitus uiſus fuerit. Sed Gelliũ neſcio quo pacto cũ Valla, Politianoq; commiſcet, quaſi eadem fuerit horũ atq; illius in expurgandis M. Ciceronis operibus conditio. Alĳs ſanè nominibus ma

gnus fuit Gellius. Nam quæ in Cicerone reposuit, cuiusmodi sunt, in potestatẽ esse, pro in potestate esse, & similia, nimiæ fortasse diligẽtiæ reprehendi possunt, si cũ ijs cõferantur, quæ in eodẽ authore hodie sunt corruptissima. Extabãt Gellij temporib. maximẽ castigata non M. Tullij tantũ, sed Latinorũ omniũ scripta, utpote nullã adhuc à barbaris iniuriã passa. Nunc uerò, post multas Italiæ calamitates, præter eos quos integros amisimus authores, quot loca non in M. Tullio, qui plurima scripsit, sed in Virgilio etiam nostrorũ poëtarũ principe sint immutãda, Pierij Valeriani nõ inutiles Castigationes indicãt. Si igitur Maro, qui pauca scripsit, nondũ est integrè restitutus, adiuuante etiam carminis structura, nũ pudenter Ciceronẽ ita expurgatũ dicere potuit Doletus, ut si ipse reuiuiscat author, nihil sit in suis operibus mutaturus? Vigilarunt quidem in hoc negotio Valla, Politianus, Budæus, Erasmus, & omnes uicit Aldus Manutius: uigilant & hodie nõ pauci, neq; ab hac diligentia unquã cessabitur, donec uetera exemplaria in mediũ proferentur. Itaq; (disrũpatur licet Doletus) cùm plurima Ciceronis amiserimus, cętera & mãca sint, et deprauata, totũ Ciceronẽ effingere nũquã ualebimus. Quid quòd eidẽ plurima falsò assignant? Nec enim eius existimãdi sunt quatuor Rhetoricæ ad Herenniũ libri, ut uerissimè cẽset Erasmus: cui ut in omnib. aduersetur Doletus, in hanc sententiã inclinare propè eloquentiũ partẽ asserit, ut ne diutius, tanquã spurij illi à patris sedibus amandẽtur, & inter M. Tullij lucubrationes numerentur. Eius sententiæ, quia aliquos habet authores, sed Antoniũ Mancinellũ præcipuè, qui dijs hominibusq; reclamantib. falsò in eã nos trahere conatus est, de his libris inferius à nobis diffusius differet. Nũc reliqua de imitatione peragamus: de qua cũ omnia frustra ariolatus fueris Dolete, audi quid scribat M. Fabius Quintilianus x Orat. institutionum libro: Itaq;, inquit, ne hoc quidẽ suaserim, uni se alicui propriè, quẽ per omnia sequatur addicere. Longè omniũ perfectissimus Grçcorũ Demosthenes, aliquid tamen aliquo[illegible] in loco melius alij. plurima ille: sed non qui maximè imitandus, etiã solus imitãdus est. Quid est ergo? Nõ est satis omnia sic dicere, quomodo M. Tullius dixit? Mihi quidẽ satis esset, si omnia cõsequi possem. Quid tamen noceret, uim Cęsaris, asperitatẽ Coelij, diligentiã Pollionis, iudiciũ Calui quibusdã in locis assumere? Nam præter id, quod prudentis est, quod in quoq; optimũ est, si possit suũ facere, tũ tanta rei difficultate unũ intuentes uix aliqua pars sequitur. Ideoq; cum totũ exprimere, quẽ elegeris, penè sit homini incõcessum, pluriũ bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio hæreat, & quo quodq; loco conueniat aptemus. Hæc Fabij uerba, tã apertè nostrã sententiã confirmant, q; meros Ciceronianos, meros blaterones esse ostendũt. Sed & apud quẽ non est receptũ uel orationẽ, uel poëma, uel etiã historiã scripturũ, Zeuxidis Heracletæ exemplum propositũ esse debere? Qui cũ Crotoniatis excellentissimũ Helenæ simulachrũ pingere uellet, nec omnia quæ perfectã pulchritudinẽ comprehendũt unico se in corpore inuenturũ putaret, ex pluribus uirginib. quinq; fama præstãtissimas delegit, ex omnib. simul colligens, quod ex nulla earũ sola poterat. Ipse quidem Tullius Zeuxidis factũ in libris de Inuentione recenset, probatq;: uerũ Doletus multa loquacitate illud idẽ, sed stultè reijcit. Ait enim, si post exactũ illud, & ad tot elegãtes formas effictũ Zeuxidis opus aliud quisquã muliebre simulachrum pingere uoluisset, an collectũ Zeuxidis iudicium ex tot uirginũ pulchritudine in lineis ducendis & imitãdis sequi tutò nõ potuisset? an de integro cõducendæ fuissent forma æquè præstanti uirgines? an nõ facile, qua quiduis parte in corpore muliebri pulchrũ & uenustũ sit, in Zeuxidis exemplo nõ perspexisset? an omnia

nia diligenter à Zeuxide obseruata, & cōprehensa nō etiā obseruasset? Ita in Cicerone, qui ex Græcis oratoribus, quicquid ad ornatè dicendū pertinet, sedulò & accuratè collegit, an omnia artis oratoriæ lineamenta cōtemplari, obseruare, notare, deligere, & quasi manu tractare, cōprehendereq́ difficile sit, aut operosum? Vilius est & abiectius Zeuxidis exemplū, qui unā tantū mulieris formā expressit. Amplior Cicero ad imitationē, & copiosior, qui nullū dicēdi genus, nullā causæ speciē omisit, qua ingeniosè & penè diuinè nō sit usus. Sed enim hæc, & quæcunq; in eandē sententiā garrit noster Doletus, producta modò à nobis Quintiliani uerba funditus euertunt, cū multos post annos illa scripta fuerint, quàm M. Tullius ab Antonij satellitibus cęsus est. ex quo manifestè colligimus, nō pictā à Zeuxide Helenā, tanquàm unicū atq; ineuitabilē scopū, sed Zeuxidis potius in ea pingenda exemplū nobis propositū esse debere, cū nunquā sum ma quæq; cōsequendi spes sit abijcienda, Fabiusq́; Quintilianus alio loco eodē modo de egregijs pictorib. agat: hoc est, in omnib. quidē omnia, in nullo autē simul cūcta cōmendans, ipsūq; M. Ciceronē nō dubiè ab ea laude excludēs. Hinc Lucianus quoq; cū absolutissimā imaginē sibi perfici uellet, non ab uno aut Apelle, aut Polygnoto, aut Euphranore, aut Aetione, sed ab ijs simul omnib. diuiso inter se opere sibi depingi optauit: ita ut Euphranor comā, Polygnotus decora supercilia, cōuenienteq́; malarū rubore, amictūq;: Aetion labia: Apelles autē reliquū corpus absoluat, cum tamen Apelles (ut de tribus alijs nihil dicā) nō minus egregius pictor fuerit, quàm Cicero orator. Quin potius quasi quatuor ij, quos nominauimus, pictores id opus omnib. modis consummatū reddere non possent, Homerū etiā in eius negocij partē suscepit, plurima quæ ille diuersis excellentissima tribuit, in una exprimi gestiēs: nempè quòd licet quis aliquo in negocio maximè excellat, fieri tamen nō potest, quin alij peculiarib. quibusdā uirtutibus magis q̄ ille emineat. Luciani uerba hæc sunt, ex dialogo qui inscribitur εἰκόνες. πόθεν οὖν καὶ ταῦτα ποιησαίμεθ' ἄν, ἢ παρακαλέσαμεν δηλαδὴ τοὺς γραφέας, καὶ μάλιστα ὁπόσοι αὐτῶν ἄριστοι ἐγένοντο, κεράσασθαι τὰ χρώματα, καὶ εὔκαιρον ποιῆσαι τὴν ἐπιβολὴν αὐτῶν. καὶ δὴ παρακεκλήσθω πολύγνωτος, καὶ εὐφράνωρ ἐκεῖνος, καὶ ἀπελλῆς, καὶ ἀετίων. οὗτοι δὲ διελόμενοι τὸ ἔργον, ὁ μὲν εὐφράνωρ χρωσάτω τὴν κόμην, οἵαν περ ἥρας ἔγραψεν. ὁ πολύγνωτος δὲ ὀφρύων τὸ εὐπρεπὲς, καὶ παρειῶν τὸ ἐνερευθὲς, οἵαν τὴν κασσάνδραν ἐν τῇ λέσχῃ ἐποίησε τοῖς δελφοῖς. καὶ ἐσθῆτα δὲ οὗτος ποιησάτω, ἐς τὸ λεπτότατον ἐξειργασμένην, ὡς συνεστάλθαι μὲν ὅσα χρὴ, διηνεμῶσθαι τὰ πολλὰ, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα, ὁ ἀπελλῆς δειξάτω, κατὰ τὴν πακάτην, μάλιστα μὴ ἄγαν λευκὸν, ἀλλὰ ἔναιμον ἁπλῶς. τὰ χείλη δὲ, οἷα ῥωξάνης, ὁ ἀετίων ποιησάτω. μᾶλλον δὲ τὸν ἄριστον τῶν γραφέων ὅμηρον, παρόντος εὐφράνορος, καὶ ἀπελλοῦ, δεδέγμεθα. οἷον γὰρ ἐν τοῖς μενελάου μηροῖς τὸ χρῶμα ἐκεῖνος ἐπέβαλεν, ἐλέφαντι εἰκάσας ἠρέμα πεφοινιγμένῳ, τοιόνδε ἔστω τὸ πᾶν. ὁ δὲ αὐτὸς οὗτος, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς γραψάτω, βοῶπίν τινα ποιήσας αὐτήν. συνεπιλήψεται δὲ τοῦ ἔργου αὐτῷ καὶ ὁ θηβαῖος ποιητὴς, ὡς τὸ βλέφαρον ἐξεργάσασθαι. καὶ φιλομμειδῆ δὲ ὅμηρος ποιήσει, καὶ λευκώλενον, καὶ ῥοδοδάκτυλον, καὶ ὅλως, τῇ χρυσῇ ἀφροδίτῃ εἰκάσει πολὺ δικαιότερον, ἢ τὴν τοῦ βρισέως. Verum ut ad Doletum redeamus, quò non erumpit, dij boni, huius ardelionis insania? aut quem authorem non aspernatur? Omnes porrò qui de rhetorica arte scripserunt, non posse esse oratorem, qui non esset itidem uir bonus, scriptum reliquere. At hic nihil ad eloquentiam conferre putat hominis probitatem, ut quæ nec morum integritate, nec uitæ existimatione adiuuetur. Maximæ dijs gratiæ sunt agendæ, quòd cum hucusque omnes, tum ueteres, tum recentiores in hac re decepti fuerint, hunc tandem ad nos interpretem miserint, quem ne diu quidem cogitantem ipsa ratio in hanc potissimum opinionem duceret, quare ueteres probitatem cum eloquentia coniunxerint, scilicet

ne

ne eloquentia commodorum aut incommodorum plena instructus orator, probitatem & iustitiam nisi sequeretur, odio, aut ultionis cupiditate, aut ambitione incensus, in eam potius partem propenderet, qua reipublicæ obesset, quàm suã dicendi uim ad omnium utilitatem conferret. Non est hæc melior ratio, quàm quę ne diu quidem cogitanti in mentem uenire potuerit. Quid tamen facias? ea certè distinguit Doletus: nisi ueteres fortè ideo oratorem uirum bonum necessariò esse oportere censuisse credidit, quod uitę integritas ipsam eloquentiam diuinitus largiatur. Quàm etiam absurdum, quàm ridiculum est illud, quòd cùm Erasmus Gellij authoritatẽ secutus, M. Ciceronem ab his uocibus, nouissimus, & nouissimè, abstinuisse scripserit, licet eis uti non ueriti sint M. Cato, & Crispus Sallustius, ita excusat Ciceronem Doletus, quòd sicut in Italia, in Gallia, in Britannia, in Hispania, uel quauis etiam urbe, multa uerba, multosq; loquendi modos esse sæpe intelligimus, quos elegantiæ cupidiores, aut duros, aut malè proprios, aut ut recenter natos, aut ut insulsos, & uenustate carentes negligunt: sic prorsus multas quondam uoces Romę percrebuisse, plebi & rudi multitudini gratas, oratoribus tamen, & exactiorum aurium iudicio uiris, minimè arridentes non ambigit: quas si Catonem obsoletæ dictionis peramantem, aut si Sallustium audacem uerborum architectum opificemq; imitemur, non reijciemus: si Tullium locutionis mundæ & puræ obseruantissimum sequemur, uelu ti fecem, aut ex lacuna aliqua erutas sordes respuamus. At te potius dij omnes, deæq; perdant Dolete: Quantulus enim quamq; sordidus, Sallustium admirabilem Romanæ historiæ authorem, audacem uerborum architectum appellare audes? An te Pollionis æqualẽ esse censes? qui cùm te in uno Cicerone uersatũ profitearis, si hanc uocem Nouissimus, Ciceroni non incognitam fuisse considerasses, nunquam ad recenter natos, aut insulsos, & uenustate carentes loquendi modos cõfugisses. Licet autem Gellium authorem prætendas, nos certè non tam Ciceroniani, aliter apud M. Tulliũ obseruauimus. Namq; pro Roscio Comœdo scribẽs, sic ait: Itaq; perbreui tempore, qui ne in nouissimis quidẽ erat histrionibus, ad primos peruenit comœdos. Et in epistola ad Octauianũ: Nam ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum, et nouissima conferam primis, quæ non posterior dies acerbior priore? & quæ non insequens hora antecedenti calamitosior populo Romano illuxit? Demum subijcit Doletus noster, cuiusdam Galli doctissimi (ut ait) distichon, quod & ipse apponam, ut nõ minus puerile illud esse, quàm reliqua Doleti scripta, omnes diiudicare possint,

Desine, inquit, mirari, quare postponat Erasmus
~~Budæo Badium~~: plus fauet ille pari. Alij Budæum Badio.

Mirum in eo agnoscimus acumen, mirum candorem, & epigrammate quod à Doleto commendetur dignum: quod si Marullo Byzantio legere contigisset, nunquam epigramma cultum teste Rhallo adhuc nulli debere pronunciasset. An non potius illius author, sic de se commodissimè quidem uaticinari potest?

Vnà Cum scriptore meo capsa porrectus aperta
Deferar in uicum uendentem thus, & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Quis enim est tã stupidus, qui Budæũ Badio cõparandũ ducat? An fortè, quod Erasmus magis hunc, quàm illum, ad Ciceronianam facilitatem accedere existimauit, ilico Budæũ Badio postposuit? Quid si eam laudem tribus aut quatuor epistolis ambisset Badius, & eandem fugisset Budæus? Aut quis Erasmi iudicium, si doctiorem Budæo Ascensium affirmasset, erat secuturus? Non ita quidem

dem

dem instituti sumus, ut de Erasmo dicamus, quod de Pythagoreis traditur: quos aiunt, si quid differentes affirmarent, cũ ex ijs quare ita esset, quæreretur, respondere solitos, αὐτὸς ἔφα. Neq; tantũ apud nos opinio præiudicata potest, ut etiam sine ratione ualeat authoritas. Quin cum Erasmum summum uirum fuisse censeam, ab eodem tamen, & in iudicio præsertim, quod de scriptoribus protulit, non timidè soleo dissentire. Vt uerbum igitur ijs, quæ ad Erasmum & Longolium pertinent, amplius non addam, si quid in se inclementius dictum arbitrabitur Doletus, meminerit qualem ipse ubiq; notam Latinis authoribus inusserit. Quòd si solis iurgijs, ut solet, nulla autem ratione, nullis'que ueterum testimonijs mecum aget, ut seuerit, ita metet: & si quam maledicendo capiet uoluptatem, eandem (nisi fallor) pessimè audiendo deponet. Interim sequens caput legere non grauabitur.

An Remulcus nauis genus sit, & de quibusdam Stephani Doleti erratis. Cap. III.

LAzari Baysij doctissimi, honestissimiq; uiri non pauca scripta uariæ eruditionis referta in lucẽ uenere: quib. sanè hoc apud doctos est promeritus, ut inter eos qui Latinã linguam nõ uulgariter adiuuerunt, iure collocetur, quippe qui difficillima nostris temporibus, intactaq; argumenta, multa cũ laude tractarit. Nã et de Re uestiaria, Vasculisq;, tam elegãter egit, ut ferè nihil quicquã desideres, & de Re nauali cõmentarium peritè admodũ, ingeniosèq; compositũ, rei literariæ obtulit. Cuius elegantiã hoc nomine laudare soleo, quòd abstrusa, ignotaq; nauiũ uocabula eo aperuerit, & (quod difficillimũ erat) plurimas nauium formas sic ob oculos posuerit, ut qui alia de illis quærat, nimiæ propemodum diligentiæ sit accusandus. In eo libro ita scriptum est: Remulco autem trahere latinum est, & à Liuio, & Cæsare usurpatum. Liuius quartæ decadis libro septimo: Contemplatus Eudemus hostes claudas mutilasq; naues apertis nauibus remulco trahentes, uiginti paulo amplius integras abscedentes, è turri prætoriæ nauis silentio facto, Exurgite, inquit. Cæsar in secũdo de Bello ciuili: Hũc secutus M. Rufus Quæstor nauibus duodecim, quas præsidio onerarijs nauibus Curio ex Sicilia eduxerat, postquam relictam in littore nauim conspexit, hanc remulco abstraxit. Ipse ad Curionem cum classe redijt. Idem in tertio: Ad Oricum uenit, submersamq; nauim remulco, multisq; funibus abduxit. Hæc ille facile doctis persuasit, & uera esse arbitror, nisi quòd libros de Bello ciuili C. Cæsaris non esse censeo: alterumq; Liuij locum addo, cùm uigesimo quinto ab Vrbe condita libro ita scribat: Itaq; Marcellus nocte nauem onerariam cum armatis remulco quadriremis trahi ad Acradinam iussit. Stephanus tamen Doletus, Baysium de remulco concisè imperfecteq; scripsisse existimauit, cum remulci definitionem prætermiserit, quã ipse ex Roberti Stephani Thesauro desumptam ita tradit: Remulcus est parua nauis, siue scapha. Sed neq; aliquod ullius authoris testimoniũ producit, quo remulcum nauis genus esse comprobet. Et cum aliquot secũdi Latinæ linguæ commentariorũ tomi folia ad Carolum Stephanum, Baysio maximè familiarem, antequam integrum opus prodisset in lucem, allata fuissent, quòd Doletus ferè quæ ad rem naualẽ pertinerent, à Baysio mutuo sumpsisset, iure officij, tum Doleti furta, tum etiam aliquot errata in ijs quæ Baysio impudenter surripuerat, cõmonstrauit. Quo factum est, ut Doletus librum de Re nauali librum separatim ederet, quasi hoc pacto insignem tueri impudentiam potuerit: aut perperam à Carolo Stephano, quem nunc criminatorem, nunc blateronem, nunc Baysij emissarium, nunc nebulonem, barbarum,

barum, obtrectatoremq; uocat, fuerit reprehensus. Itaq; ut de remulco primum differamus, cum Bayfij familiaris ad hunc modū scripsisset: Aduertant diligenter nostri adolescentuli, ne in id uitium cum quodā incidant, ut falsò existiment remulcum esse paruam scaphā, qua grandiores naues protrahantur. Et si quando in commentarijs linguæ Latinæ deprehenderint, remulcum pro naui descriptum, sciant eum qui rem naualem ex Bayfio traduxit, minus intellexisse Græcas authoritates, quæ tum ex Polybio, tum etiam ex Diodoro Siculo in contrarium sensum adductæ sunt: nempe quæ probent remulco trahere naues, esse magnis nisibus conari, ut uel depressa, uel submersa, uel clauda, uel mutila nauis in tutum reducatur, sic se defendit: Tu in tuo de re Nauali libro (Bayfium alloquitur) remulco trahere, benè Latinum esse, & à Liuio & Cæsare usurpatum adnotasti. sed tamen quid sit remulcus, silentio pręteris. Tuo isti compendiario, remulco trahere significare uidetur, magnis nisibus conari, ut nauis in tutum reducatur. Id ne remulci significationem tradere est? Nos eam tradidimus, ut remulcum paruam nauem, siue scapham esse uelimus, qua grandior nauis trahitur. Eam significationem ex Festi uerbis primum collegi: tum meam sententiam confirmauit sequens Plauti exemplum in Bacchidibus, Actu secundo, ubi Nicobolus senex & Chrysalus seruus colloquuntur,

Interea è portu nostra nauis soluitur,
Vbi è portu eximus, homines remulco sequi,
Neq; aues, neq; uenti citius.

Hæc Plauti uerba nostram ne remulci interpretationem improbant? pro scapha poni non demonstrant? Nunc iactet tuus blatero, remulco trahere esse magnis nisibus conari: qua interpretatione, quid quæso ieiunius? quid magis ridiculum? Dicat blatero, si in alto accidat, ut nauis uel clauda, uel mutila sit, quo modo magnis nisibus trahetur? ubi innitentur qui trahent? ubi remis incumbent, ubi pedem firmabunt? in aqua, nō in scapha? Stoliditatem tui blateronis non percipis? Plauti locum perpende,

Vbi, inquit, portu eximus, homines remulco sequi:
Neq; aues, neq; uenti citius.

Id est, neq; aues citius uolant, neq; uenti rapidius flant, quàm nos sequebantur remulco homines. Remulcum scapham esse nunc dubitas? Dubitare non arbitror. Quare in re tam certa longiorem orationem non affectabo. Addam hoc tantum, à tuo blaterone Robertū Stephanum debuisse antea reprehendi, qui antea in suo Dictionario remulcū pro parua naue, uel scapha posuerat. Addam hoc etiam obiter, in blateronis tui criminatione non ferendam uideri mihi barbariem, quum authoritatem pro exemplis, uel locis appellat. Sed quis miretur barbarum barbarè loqui? Hactenus Doletus: quem cū nullius doctrinæ iudicijq; hominem semper, & esse, & fore duxerim, quòd (ut Horatij utar uerbis) pudens prauè nescire malit, quàm discere, tam supinè hic errasse nō mirarer, nisi ex Marij Nizolij Brixillensis, Bartholomæi Ricij, Robertiq; Stephani lucubrationibus, tā pulchros Latinæ linguæ cōmentarios, penè Ambrosio Calepino par, insulsissimè cōpilasset. Si enim Plauti locū, quē pro remulci definitione citat, nō ex Latinæ linguæ Thesauro furatus esset, sed ex ipso sumpsisset authore, nunquam suam sententiā Plauti testimonio confirmasset, à quo remulco sequi, non pro nauicula, sed pro remigio, siue remigatione positum est. quemadmodum remulco trahi dicuntur naues, quæ uel plus æquo oneratæ, uel fractæ, uel mutilæ, paruis nauibus remigum plenis alligatæ ducuntur, ut quò simpliciter à nautis duci non possunt, aliorum nauigiorū adminiculo perueniant, alioqui si remulcus scaphæ genus esset, cum nulla sit ma-

ior nauis, quæ non pluribus nauiculis siue scaphis trahatur, non remulco, sed remulcis naues trahi dicerentur. Qua de causa Lazarus Bayfius remulcum inter naues non retulit, quia porrò referendus non erat, quemadmodum sibi absque aliquo authore confingit Doletus. At Robertus Stephanus, inquit, antea erat reprehendendus, qui antea in suo Dictionario remulcum pro parua naue, uel scapha posuerat. Rectè quidem. Sed tu quum ad eiusmodi defensionem confugis, & te furti (ut est res) alligas, & cum Roberto Stephano errare pulcherrimum putas, Equidem Robertum Stephanum uirum doctum, nec minus diligentem semper existimaui. Quòd si in remulci definitione lapsus est, quid mirum? An si quis ei erratum commonstrasset, nō erat illud ex suo Thesauro dempturus? An dijs hominibus'que reclamantibus, prout tu facis, in sua erat sententia obstinatè permansurus? Remulci, inquis, significationem ex Festi uerbis primùm collegi. At Festi uerba tam tibi non prosunt, quàm tuam sententiam cassa nuce inaniorem esse nemo sanus dubitat. Festi uerba hæc sunt: Remulco est, cum scaphæ remis magna nauis trahitur. Si Festus (ut opinaris) remulcum nauem esse tradit, non remulcum illam, sed remulconem appellabimus. Tum ea nauis non semper dicetur remulco, sed tantum quum magnam nauem trahit. Vellem tam stupidus, indoctus'que non esses Dolete: quando quidem Festi uerba ita prolata cognosceres, ut remulco, subaudis trahi, aut duci nauis diceretur, quum scaphæ remis magna nauis trahitur. Quid quòd Nonius Marcellus de nauibus agens, remulcum non nominat? Sed Plauti locus nostram sententiam adiuuat, ait Doletus: & rem, multis uerbis excandescens, ac furenti similis, seu furiosus uerius, explicat. Optimè, si caudicibus, non ijs qui frequenter Plautum legunt, illa scribis, cum eius poetæ testimonium alio modo se habeat, ita senem alloquente Chrysalo seruo,

Postquam aurum abstulimus, in nauim conscendimus,
Domum cupientes, fortè ut adsedi in gesta
Dum circumspecto, atq; ego tum lembum conspicor.

Non hic locus remulcum, sed lembum nauigij genus esse ostendit, quo illi uehebantur, quos Chrysalus herili filio aurum auferre uoluisse confingit. & subdit Plautus ex Nicoboli persona,

Perij hercle, lembus ille mihi lædit lætus. Et Chrysalus,
Is erat communis cum hospite, & prædonibus. Et mox,
Is nostræ naui insidias lembus dabat.

Clamet iam Doletus: Hæc Plauti uerba nostram'ne remulci interpretationem improbant, pro scapha poni non demonstrant? Et, Remulcum scapham esse nunc dubitas? dubitare non arbitror. Quin potius, Dolete, nónne si hæc semel tantum legisses, lembum nauigium esse, remulcum non esse, asseres? Sed subiungit Plautus,

Interea è portu nostra nauis soluitur,
Vbi portu eximus, homines remulco sequi,
Neq; aues, neq; uenti citius.

Ergo remulcus nauis genus est. At tu excelentissimus mihi uidere dialecticus, quū tam astrictè concludere didicisti. An non si remulcus nauis est, idē esset remulcus, quod lembus? nisi fortè qui aurum Mnesilocho auferre uolebant, lembum primo habuissent, tum ex lembo conscendissent remulcum, quum illius ratem in portu turbare occœperunt. Verum remulco sequi eodem modo à Plauto positum est, quo remulco trahere dicimus; nempe ut, qui in lembo erant, non minus studiosè properanter'que remigio

migio operam darent, quàm qui quaſſatam nauem remigio trahunt. Vt'que Doletus remulcum à Plauto pro naui poſitũ non eſſe porſus dignoſcat, idem author de eodem lembo ſic inquit,

Scitè herclè, cedò quid illi? triſtes ilicò,
Quum extemplo à portu abire nos cum auro uident,
Subducunt lembum capitibus quaſſantibus.

Non remulcum, qui pro naui nuſquam inuenitur, ſubducunt: ſed lembum, ait Plautus. Et inferius idem Chryſalus, quum ſua facta recenſet, remulci nullam facit mentionem, ſed lembi tantum. inquit enim:

Paria item tria tribus eis ſunt nunc fata, noſtra huic Ilio:
Nam dudum Priamo, ut dixeram noſtro ſeni mendacium.
Et de hoſpite, & de auro, & de lembo, ibi ſignum ex arce iam abſtuli.

Sed hoc tam eſt perſpicuum, ut pudeat me de re tam clara pluribus uerbis diſſerere. Quocirca diſcat Doletus, ſummos uiros tam frigidis rationibus nõ impetere: & ſi quid ſibi gloriæ comparare ſtudet, ex aliorum cõmentarijs omnia minimè furetur. Plerumque enim fit, ut qui ex proprijs fontibus loca non hauriunt, pueriliter labantur. Hæc tamen floccifaciet Doletus: cum quo ſi Latinè ſaltem ageretur, obiurgationem fortè tolerare poſſet. quum autem criminator authoritates pro exemplis, uel locis appellet, quis ferat hominis imperitiam? Et nimirum non eſſe nouum, inquit, ſi barbarus barbarè loquatur. Igitur neq; à Doleti ſententia ipſe quoque recedere auderem, niſi ad eundem modũ locutus fuiſſet Marcus ipſe Cicero: quem cum ſenſim ille guſtarit, reguſtarit, atq; in ſuccũ & ſanguinem conuerterit, quàm ſtultè nõ aduertit in primo de Oratore ita ſcriptum eſſe? Num deſtitit uterq; noſtrûm in authoritatib. in exemplis, in teſtamentorum formulis, hoc eſt in medio iure ciuili uerſari? Authoritatib. pro locis, aut teſtimonijs dixit Cicero, quibus quidem ſcriptorum præſtantia, utilitas'ue authoritatem dare ac adimere ſolet. Nã aliter teſtimonia, aliter exempla apud Iureconſultos capi ſi Doletus ignorat, ij tamen ſciũt, qui in iure ciuili uerſati ſunt. Sed & hic nõ minus frontem perfricabit ille, quàm quum ſibi uni Hircij locum in Latinæ linguæ cõmentarios, Iulio Cæſari aſcribere licere arbitratur. Quid non poteſt, dij boni, hominis ueriſſimè impudentis audacia? An & hoc rectè factum deierabis, diuine commentator? et maximè quidem. Sic enim inquis: Quàm mihi mirum multo magis accidat, uix credas, nebulonem tuum, tanta ſtoliditate, & ingenij ſtupiditate eſſe, ut me ignorantia, non de induſtria locos Hircij pro Cæſarianis citaſſe putet.: Non ego uniuerſos Cæſaris commentarios legi? non quæ Hircio, uel Oppio aſcribuntur noui? Ita citare placitum eſt. Grauiſſimum tui nebulonis ſententia flagitium, perinde ac ſi commentarij Cæſaris non dicerentur, ſed Hircij, aut Oppij. Lepida mediuſfidius defenſio, Ita mihi uiſum eſt. Atqui mihi quoq; ita uidetur, te impuratam beluam omnes mortales audacia ſtoliditateq; ſuperare. An enim ab inferis quaſi Autolycus Mercurij filius emiſſus es?

Qui facere aſſuerat, patriæ non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra?

Iam & nobis eodem iure concedetur Plauti Bucolica, Horatij Amphitryonem aut Mænehmos, Virgilij Metamorphoſim, Terentij Georgica, Ciceronis libros de Arte amandi, Catulli Iugurthinum, Salluſtij Epithalamia, Liuij Epigrammata, Ouidijq; libros ab Vrbe condita, citare. Proinde ſi noſter Doletus per imperitiam hoc cõmiſit, omnes bardos ſtultitia uincit: ſi ſciens, teme-

ritatis eſt arguendus, quum in eo peccat, in quo à nemine ueniam poſſit impetrare. Eiuſdem propè notæ eſt, quòd uerba, quæ Bayſius ab Vlpiano deſumpta, titulo de Exercitatoria actione in commentario de Re nauali recenſuit, Doletus Plinio libro decimo nono tribuat, quum in eo libro à Plinio non de nauibus, ſed de hortorum cura agatur. An hoc aliud eſt, quàm manifeſtiſſimum inſcitiæ documentum? At pulchrè ſe excuſat: Quod Plinio, inquit, falſò, ut iſte ait, attribuimus, ſciat à ſe uel ab alio in Theſauro linguæ Latinæ antea Plinio attributum. Sed enim alij quodcunque lubuerit ſciant. Ego ſanè hoc ſcio, tuos linguæ Latinæ commentarios præter unicũ titulum nihil tuum habere: quamuis, quæ ab alijs ſumpſiſti, ita peruerteris, ut nec Ciceronis, nec aliorum uoces, locutiones'que diſtinxeris, ſed omnia promiſcuè, uelut in confuſam ſyluam conieceris, & in Ciceronem obſeruationes ab alijs melius petamus, in reliquis commodè ſatiſfaciat is de quo dixi Roberti Stephani Theſaurus. Et mox Doletus: Videlector, quàm hoc ſit diligenter Latinã dignitatem tractare. Quaſi uerò grammaticis inſtitutionibus (grammaticas inſtitutiones uoco, dictionum interpretationes) conſtet uel linguæ Latinæ, uel alius cuiuſlibet dignitas. Conſtat nõ grammaticis inſtitutionibus, ſed ornatè, uariè, copioſè, aptè, numeroſè, exactè ſcripta aut oratione, aut epiſtola, aut carmine. Ad quæ quoniã tuus ardelio nõ aſpirauit, Latinam dignitatem in grammaticis tricis poſitam arbitratur. Hæc uerba non Doletum, ſed quendam eloquentiæ deum, qui nullis uel grammaticæ, uel aliarum obſeruationum præſidijs fultus, omnia ſibi commentari ualeat, ſapere uidentur. Sed his minutijs non conſtat, ait, Latina lingua. An ſi in grammaticis rudimentis impingas, aut orationem, aut carmen, aut epiſtolam ſine lectorum riſu ſcripſeris? Quòd uerò nunc quicquam ſe à Bayſio ſumpſiſſe neget, modò ſic eos facere aſſerat, qui commentarios & dictionaria ſcribũt, uel aliquid interpretantur, ut nihil ferè à ſe promant, ſed omnia mutuo ab alijs ſumere cogantur, quantam inconſtantiã inſcitiamq́ præ ſe fert? Sed ipſum ſe de furtis defendentem audiamus. Breuis eſt, ait, qua ad huius criminis diſſolutionem uti uolo, defenſio. Tuũ de Re nauali librum cum noſtro conferat diligenter lector. Quid uerbis opus eſt? Facilè cõtinuò uel furtum noſtrum deprehendet, uel falſam & ſceleratam emiſſarij tui (depoſitæ de te ſuſpicionis iterum oblitus ſum: compendiarius mihi in labris erat) criminationem cognoſcet. Quid tu de re nauali ſcribis? quid explicas? tantum nauium genera. Intelligo pueris gratas, & admirabiles, paulo doctioribus non neceſſarias repreſentatas à te (confictas dicere nolui) neſcio quas biremium, triremium, nauium tectarum, ſiue conſtratarum, nauium fluuiatilium, ſcapharum antiquarum ad uinum circumferendum, ſcapharum fluuiatiliũ ad merces conuehendas, pontium nauibus fluuiatilibus conſtratorum formas: oſtentationis nomine, prætereà rem ambitioſius uerſos quamplurimos ex Græcis ſcriptoribus locos, qui ſi detrahantur, pauca de re nauali ſcripſeris. Quid ego? Sanè (ut & meus ordo, & in dictionibus rei militaris, & in rei ruſticæ uocibus eſt) re nauali tractanda, quædã uelut fundamenta iacio, à minimis incipio, & ſenſim ad grauiora prouehor. In quibus qui fieri poteſt, ut cum nauium appellationes et partes conſector, multa tecum iiſdem penè uerbis, uel iiſdem prorſus uerbis non enucleem? Atq; qui commentarios & dictionaria ſcribunt, uel aliquid interpretantur, ſic factos eſſe non ignoras, ut nihil ferè ex ſe promant, omnia ab alijs mutuari neceſſe habeant. Quòd ſi id furtum à te, ut à tuo compendiario appelletur, furti in tuis omnibus libris accuſaberis: furti accuſabitur Galliæ no-

ſtræ

ſtræ lumen Gulielmus Budæus: furti accuſabitur Germaniæ ſempiternum decus Eraſmus Roterodamus: furti acuſabitur Angelus Politianus, furti accuſabitur Cælius Rhodoginus, furti accuſabitur Volaterranus, furti accuſabitur Sipontinus: deniq; furti accuſabuntur omnes, quotquot cõmentarios fecerunt, uel interpretationes reliquerunt. In iſtiuſmodi lucubrationibus ordinem nouũ inducere, multa uel ingenioſius, uel fuſius, uel enucleatius interpretari, & tractare certè licet: ab his omnino abſtinere, quæ uel ab alijs uel æqualibus, uel antiquis ſcriptoribus tractata ſunt, nemini cuiquam integrum eſt. Quid hic ad garrulitatẽ reliqui ſibi fecit Doletus? aut quàm nõ breui (ut fuerat pollicitus) defenſione uſus eſt? Negat primo quicquam ſibi cum Bayſio eſſe commune, tum neceſſe fuiſſe, ut eiſdem penè uerbis multa cum eo enunciaret, ſatis inconſtanter fatetur: quemadmodum & Bayſium, quaſi qui pauca de re nauali, eaq; ambitioſius oſtẽtationisq; nomine ſcripſerit, ineptiſſimè arguit. Quid mirum? tot enim ipſe de eadem re primus protulit, ut non Bayſio ſolum, ſed omnibus cuiuſcunq; ordinis ſcriptoribus ſua claritate tenebras offuderit. Enimuero, quum Bayſius naues longas, actuarias, biremes, triremes, quadriremes, quinqueremes, aliasq; non uerbis teſtimonijsq; ſolum, ſed forma quoque repreſentarit, non eſt hoc de re nauali ſcribere, ſed illud potius, quod Doletus agit, quum inquit: Fluxus aliquando pro largo, & minine aſtricto ponitur. Lucanus,

Illis & laxas ueſtes, & fluxa uirorum
Velamenta uides.

Aliquando fluxi dicũtur libidinoſi, molles & effœminati. Suetonius in Tiberio: Druſus animi fluxioris, remiſſioriſq; uitæ erat. Sæpius uerò fluxa dicimus momentanea, inſtabilia, & cito peritura. Cicero ad Brutum: Bellũ ad Mutinã gerebatur, nihil ut in Cæſare reprehenderes: nõnulla ut in Hircio huius belli fortuna, ut in ſecũdis fluxa, ut in aduerſis bona. Salluſtius in Catilina: Diuitiarũ & formæ gloria fluxa & fragilis habetur. Plautus in Captiuis,

Fac fidelis ſis fideli, caue fidem fluxam geras.

Virgilius,

Nos tibi nec fluxas Troiæ res uertere fundo
Conamur.

An hoc eſt rem naualẽ tractare? quid res fluxæ ad rem naualẽ? Sed alia pauca percurramus. Riuus, ait Doletus, eſt locus depreſſus per longitudinẽ aquę currentis. Cicero de Fato: Quid autem magnũ & naufragũ illum ſine nomine in riuo eſſe lapſum? Tranſlatè perſępe ponitur. Cicero pro Cœlio: Si mihi ad hæc acutè, arguteq; reſponderit, tũ quæram deniq; ex quo iſte fonte ſenator emanet. Nam ſi ipſe orietur & naſcetur ex ſeſe, fortaſſe ut ſoleo cõmouebor: ſin autem ut riuulus accerſitus & ductus ab ipſo capite accuſationis ueſtrę, lætabor, quũ tanta gratia, tantiſq; opibus accuſatio ueſtra nitatur. Idem de Oratore ſecundo: Tardi ingenij eſt riuulos conſectari, fontes rerũ non uidere. Idẽ in Topicis: Partiũ diſtributio ſæpe eſt infinitior, tanquam riuorũ à fonte deductio. Riuales à riuo dicũtur. Et ſunt propriè, qui per eundem riuũ aquam ducunt: inter quos ſæpe cõtentio eſt, de aquæ uſu. Tranſlatè uerò dicũtur, qui eandem amant, quã tranſlationem nonnulli ſumptã uolunt à beſtijs, quæ ſitientes, quũ ex eodem riuulo hauſtũ petunt, prælium contra ſe inuicem cõcitant. Vel à re ruſtica, nam riuales etiã propriè dicuntur ij, quorũ agros riuus aliquis determinat, qui incertitudine & mutatione crebra curſus, lites ſępe inter eos ſuſcitat. Hæc ſit tranſlationis ratio. Sequũtur modò exempla. An & hoc quicquã cum re nauali habet cõmune? Verũ pauca ſunt, & non admodũ præter rem, ſicut & hæc ad rem naualẽ ſpectant: Aqua intercus eſt, quã hydropiſim uocamus. Cicero Officiorũ tertio: Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam inter-

eſt: in alijs aliquot puppes legitur. quod ideo placet, quia uti eo loco ſuperiore dicebamus, proræ pelago obuertuntur, ſtant littoræ puppes. Hactenus ille. cuius ſententiam in tertio Aeneidos libro confirmat Virgilius, quum ait,

Anchora de prora iacitur, ſtant littoræ puppes. Et in ſexto,
Obuertunt pelago proras, tum dente tenaci
Anchora fundabat naues, & littora curuæ
Prætexunt puppes.

Puppes ergo, nõ proræ in Virgilij uerſu eſt legendũ. Cumq; quid ſit remulco trahere ſuperius oſtenderimus, hoc addam ex Nonio Marcello: Remulcare dictũ eſt, quaſi molli & leni tractu ad progreſſum mulcere. Siſenna hiſtoriarũ lib. 11. Si quæ celeriter ſolui poterat in altũ remulcare trahit. Atque aliud non diſſimulabo: naues plerunq; integras, nullãq; iniuriã paſſas, remulco trahi ſolere, quo quietius ad conſtitutum locum perducantur. Venetijs quoque ſolenni die Buccentaurus nauis maxima ornatiſſimaq;, Venetorum ducem, ſenatumq; uehens, multis nauigijs remulco trahitur.

Rhetoricos ad Herennium libros non eſſe M. Tullij. Cap. IIII.

INualuit iam diu, neque adhuc ex hominũ animis penitus euelli poteſt falſa de quatuor Rhetoricis ad Herenniũ libris opinio. De quorũ authore, q̃uis nihil certũ, uel per coniecturã aſſequi liceat, diu tamen tam ſtupidè ij Ciceronis crediti ſunt, quàm nullã diuini illius, & (ut Plinij utar uerbis) extra omnẽ aleam poſiti uiri micã præ ſe ferũt. Cumq; de inſignis huius erroris cauſa Grammatici tragicè planè inter ſe rixentur, magnũ ei fomitẽ plerięq; haud aſpernandi ſcriptores addidere. Siquidẽ & diuus Hieronymus ad Pammachiũ ſcribens, M. Tullij ſe ad Herenniũ libros legiſſe ait, & ex eiſdẽ tanq; Ciceronianis Priſcianus grammaticus, eoq; meliores Laurẽtius Vallenſis, Angelusq; Politianus, egregij candidioris literaturæ profeſſores, nõnulla teſtimonia ſumpſerunt. Quamobrẽ horum authoritate freti ſcioli quidã, paucas etiã, eaſq; leuiſſimas rationes ſecũ confingentes, nihil ſibi cõpertius eſſe prædicant, quàm libros illos M. Tullij eſſe, & ſanè omniũ maximè genuinos. Quod quia ſemper mihi intolerabile uiſum eſt, operæpreciũ fortaſſe fecero, ſi eorum ſomnia confutans, hoc opus eius non eſſe oſtendã, cuius nomine adumbratũ paſſim circũfertur. Cui rei, ut aliqua dicã argumenta, parũ ad rem facere arbitror, ſi Hieronymus, alij'que de quibus modò mentionẽ fecimus, pro Ciceroniano illud citarint. Neq; enim ullã in perquirendo eius authore diligentiã adhibuerunt: ſed cõmune uulgi iudiciũ ſecuti, id perſuaſum habuere, quod per multa ſecula (ut de poſterioribus loquar) nunq; in dubium fuerat reuocatũ. Quanquã ut Hieronymũ, Priſcianumq; impenſè doctos fuiſſe concedã, non tamen eos exiſtimo, qui nunq; dormitare ualuerint. Quorũ alter in ſacris literis perpetuò occupatus, nõ aliud quàm operis titulũ ſcrutatus eſt: alter nõ ſe indignũ facit, ſi quando hallucinat, quippe qui literarũ, dictionũ, ſyllabarũ, accentuũq; aucupio intentus, hæc minima, quæ ne Prætor quidẽ curat, ſciens uolenſq; prætermiſit. Multo hercle pluris facio Vallæ, Politianiq; de hoc negocio, quàm Hieronymi, Priſcianiq; cenſuram: ſed & ipſi homines fuere: à quibus, ſi libros ad Herennium M. Tullij eſſe aram tenentes iuraſſent, ut in alijs quibuſdã facere ſoleo, liberrimè diſſentirem. Enimuero cum Valla hoc ſe in Ciceronis epiſtolis admirari ſolitum referat, quòd cum à pluribus ex ſcriptæ fuerint, ab unico omnes, ſi nomen auferat, Cicerone emanaſſe uideri poſſint, id mihi nullo pacto probari poteſt: ſicut nec Politiani de Priapeij carminis authore ſententia. Dum ergo aliæ ſint, multoq; ualidiores rationes, huiuſmodi coniecturæ tanquam friuolæ proculdubio ſunt reijciendæ. Sed & hæ

conſcriberemus, ne aut tua cauſa noluiſſe, aut nos fugiſſe laborem putares. Et eo ſtudioſius hoc negocium ſuſcepimus, quòd te non ſine cauſa uelle cognoſcere Rhetorica intelligebamus. Non enim parum habet in ſe fructus copia dicendi, & commoditas orationis, ſi recta intelligentia, & definita moderatione animi gubernentur. Ridicula ſanè, & malè cohærentia hæc uidebuntur, ſi cum primis iuuenilium de Inuentione librorum uerbis conferantur: cum & pueriles, ſeu triuiales potius ſint ſententiæ, quæ iјs exprimuntur. Licet que non ea felicitate de arte, qua ex arte ſcribi poſſit, aliquid tamen in huius operis procemio Cicerone dignum legeremus, niſi noſtri ardeliones toto coelo aberrarent. Quid quod multo libentius philoſophiæ ſe, quàm eloquentiæ operam dediſſe fatetur, quicunque illius operis author extiterit? Equidem ut Ciceronem egregium philoſophum fuiſſe non negem, multo tamen magis in eloquentia is, quàm in philſophia profecit. Et mox ille: Nunc ne nimium longa ſumatur oratio, de re dicere incipiemus: ſed ſi te unum illud monuerimus, artem ſine aſſiduitate dicendi non multum iuuare, ut intelligas hanc rationem præceptionis accommodari ad exercitationem oportere. Simillima ſunt hæc uerba, iјs quæ in opuſculo Catoni perperam ſtupideꝙ adſcripto leguntur: Nũc fili chariſſime docebo te, quo pacto mores tui animi componas. Igitur præcepta mea legito, ita ut intelligas: Legere enim, & nõ intelligere, negligere eſt. Nec ſanè felicius primus liber inchoatus eſt, quàm ſecundus abſolutus, cuius ultima uerba ſint: Hæc ſi ut conquiſitè ſcripſimus, ita tu diligenter fueris conſecutus, & nos induſtriæ fructus ex tua ſcientia capiemus, & tute noſtram diligentiam laudabis, tuaꝙ perceptione lætabere. Tu ſcientior eris præceptorum artificio, nos alacriores ad reliquum perſoluendum. Verum hęc futura ſatis ſcio, te enim nõ ignoro. Sed nos deinceps ad cætera præcepta tranſeamus, ut quod libentiſſimè facimus, tuæ uoluntati rectiſſimè morẽ geramus. Quid habet hæc dictio Ciceronianũ? Neꝙ tam ſum impudens, ut quæ in medium adduxi, quaſi barbara inſecter. Aliј de iјs liberius pronuncient, dum mihi nullam in eis eſſe Ciceroniani ingeniј ſcintillã ſatis liqueat. Sed & in peroratione idem ſic inquit: Nunc identidem noſmetipſi nobis inſiſtemus: res enim cõmunis agitur, ut frequenter, & aſſiduè conſequamut artis rationem ſtudio & exercitatione. Et paulò pòſt: Nã & ſimul libenter exercemur propter amicitiam, cuius initiũ cognatio fecit, cætera philoſophię ratio cõfirmauit. Quæ ſanè, hoc opus à iuuene, necdũ ſatis exercitato ſcripta fuiſſe præclarè oſtendunt, cum iuuenis, ſed adoleſcens Cicero non hos, ſed duos de Inuentione compoſuiſſet, quos ſibi excidiſſe in primo de Oratore queritur. Proinde ſi poſt eos de eadem re alios compoſuiſſet, non adoleſcens hos illis ſubſtituiſſet, ſed ætate prouectus, quum ad Marcum Ciceronem filium ita ſcriberet: Orationem autem Latinam efficies profectò legendis noſtris pleniorem. Nec uerò arroganter hoc dictum exiſtimari uelim. Nam philoſophandi ſcientiam con- concedens multis, quod eſt oratoris proprium, aptè, diſtinctè, ornatè dicere, ſi mihi aſſumo, uideor id meo iure quodammodo uendicare. Non parum quid ſe in eloquentia profeciſſe gloriatur Cicero, neque ſi quid ſibi daretur ociј, id ſe in philoſophia libentius conſumere conſueuiſſe perhibet, ut Rhetoricorum ad Herennium ſcriptor à ſe factum eſſe prædicat. Aut ergo utrumque opus à iuuene Cicerone conditum fuiſſe, aut duos de Inuentione Marco Tullio rudes (ut ipſe ait) excidiſſe, hos uerò ad alium eſſe referendos, neceſſariò fateri cogimur. Quid quod illi, tametſi ab adoleſcen-

tulo

tulo ſcripti elegantiſſimi ſunt, & his quo ad phraſim ſpectat, longo interuallo anteponendi? An artem didicerat Cicero, & nitidiſſimæ, eminentiſſimæ'que dictionis oblitus fuerat? Huc accedit, quod ipſe Cicero ſuorum operum (ut multi aiunt) præco uocaliſſimus, quum de omnibus ſuis ad oratoriam artem ſpectantibus operibus ad amicos frequenter ſcribat, horum nunquam meminit. Hæc mediuſſidius unica ratio (uel ſi nulla præterea proferri poſſet) cordatis, minime'que oſcitantibus, hos libros ei aſſignari perſuaderet, cuius nec fuerint, nec ullo pacto eſſe quiuerint: præſertim quòd Marcus ipſe Cicero, quum rudes (ut diximus) de Inuentione libros imperfectos reliquiſſet, nihil de hac re antè ſcripſit, quàm Quinti Fratris uoluntati obtemperans, tres diuinos de Oratore libros in eorum locum ingeſſerit: poſt quos quicunque Rhetoricos ad Herennium libros ab eodem authore compoſitos fuiſſe ſomniet, uix oppidò aſinos ab oloribus ualeat dignoſcere. Ciceronis de eo negocio uerba hæc ſunt: Tibi uerò frater, inquit, neque hortanti deero, neque roganti. Nam neque authoritate quiſquam apud me plus te ualere poteſt, neque uoluntate. Ac mihi repetenda eſt ueteris cuiuſdam memoriæ non ſanè ſatis explicata recordatio, ſed ut arbitror apta ad id quod requiris, ut cognoſcas, quæ uiri omnium eloquentiſſimi, clariſſimi'que ſenſerint de omni ratione dicendi. Vis enim, ut mihi ſæpe dixiſti, quoniam quædam pueris aut adoleſcentibus nobis ex commentariolis noſtris inchoata, atque rudia exciderunt, uix hac ætate digna, & hoc uſu quem ex cauſis, quas diximus, tot, tantis'que conſecuti ſumus, aliquid eiſdem de rebus politius à nobis perfectius'que proferri. Hic locus, niſi fallor, ſatis indicat, Marcum Tullium, quòd in primis illis duobus libris ſuo animo non feciſſet ſatis, quantum in oratoria arte poſſet, tribus editis de Oratore palàm facere uoluiſſe: poſt quos Brutum Oratorem'que, qui ferè eòdem ſpectant, pro ſuis agnouit, cum libros ad Herennium nunquam nominarit. Sed nec Victorinus Rhetor celeberrimus, qui de Inuentione libros interpretatus eſt, imperfectum opus ſuſcepiſſet interpretandum, ſi hos M. Tullij eſſe credidiſſet: quem cum Hermetis auditorem fuiſſe nuſquam legatur, huius tamen operis author Hermetis diſcipulũ ſe eſſe profitetur, inquit enim: Cauſarum conſtititutiones alij quatuor fecerunt, noſter doctor Hermetes tres putauit eſſe. Fabius etiam Quintilianus id ſcripſit, unde hos libros Ciceronis nõ eſſe manifeſtè doceamur. In tertio enim Oratoriarum inſtitutionum libro de Romanis rhetoricæ ſcriptoribus agens, ſic ait: Romanorum primus, quantum ego quidem ſciam, condidit aliqua in hanc materiã M. Cato ille Cenſorius, pòſt M. Antonius inchoauit, nam hoc ſolum opus eius, & idipſum imperfectum manet. Secuti minus celebres: quorũ memoriam, ſi quo loco res poſcet, non omittam. Præcipuũ uerò lumen, ſicut eloquentiæ, ita præceptis quoq; eius dedit unicum apud nos ſpecimen orandi docendiq; oratorias artes, M. Tullius: poſt quem tacere modeſtiſſimum foret, niſi & rhetoricos ſuos ipſe adoleſcenti ſibi elapſos diceret, & in oratorijs hæc minora quæ plerique deſiderant, ſciens omiſiſſet. Scripſit de eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio, accuratius uerò priores Gallione Celſus & Lenas, & ætatis noſtræ Virginius, Plinius, Rutilius. Sunt & hodie clari eiuſdem operis authores, qui ſi omnia complexi forent, conſuluiſſent labori meo. Sed parco nominibus uiuentium. Veniet eorum laudi ſuũ tempus: ad poſteros enim uirtus durabit, nõ perueniet inuidia. Hæc Fabius, à quo cum omnes, qui de hac arte, uel eo uiuente, uel etiam antea ſcri

pſerunt, nominentur, ut certè libri ad Herennium aut Cornificij, aut Stertinij, aut Lenatis, aut Virginei fuerint: ad Ciceronem quippe referri nō poſſunt, cum duos Rhetoricos ſibi adoleſcenti elapſos ipſe dicat: & in oratorijs minora ea, quę pleriq; deſiderāt, ſciens omiſerit, quod nemo in libris ad Herenniū factum dicat: quandoquidem eorum author in operis calce ita ſcriptum reliquit: Et uiam quam ſequamur habemus, propterea quod in his libris nihil præteritum eſt rhetoricæ præceptionis. Et mox: Ergo in arte rhetorica nihil eſt amplius. Idem quoq; Quintilianus de ſtatibus diſſerens, ita inquit: Sed non ſuſtineo eſſe conſcius mihi diſſimulanti, in eo prętertim opere, quod ad bonorū iuuenum aliquam utilitatem componimus in ulla parte iudicij mei. Nam & Hippocrates clarus arte medicinæ, uidetur honeſtiſſimè feciſſe, quòd quoſdam errores ſuos, ne poſteri errarent, cōfeſſus eſt: & M. Tullius non dubitauit aliquos ſuos libros iam editos, alijs poſtea ſcriptis ipſe damnare, ſicut Catulum, atq; Lucullum, & hos ipſos, de quibus modò ſum locutus artis rhetoricæ. Hactenus ille. Quocirca non dubito, quatuor illos libros, ſi loqui poſſent, M. Tullij, ut diu creditum eſt, Nō ſumus, apertiſſimè exclamaturos. Denique ſi Cicero ipſe hoc opus ſuū eſſe aſſereret, uix ut ei crederem, in animum inducere poſſem: tantum abeſt, ut Georgium Vallam Placentinū aliquo iudicio præditū fuiſſe exiſtimem, cui mirum non uidetur, ſi Fabius Quintilianus nullā eius operis fecerit mentionem. In præfatione namq; cōmentariorum in oratorias M. Tullij Partitiones ita ſcribit: Aiūt etiam ideo Ciceronis nō uideri, quod Quintilianus id opus nūquam nominarit. Quàm id acutè? Nemo certè negauerit multos eſſe Ciceronis libros, quorū nullam prorſus facit mentionē Quintilianus. Quid ni? quaſi uerò hanc ſibi Quintilianus ſuſceperit prouinciā, Ciceronianos libros nominandi. Quos ergo non nominauit, aſcititios, adulterinos'que dicamus. At tu Valla aſcititio, (ſi modò hæc uox Latina eſt) adulterino, inepto, friuolo'que ingenio mihi fuiſſe uideris, qui eiuſmodi argumentis uti non erubeſcas. Nō omnes M. Tullij libros Fabius recenſet, inquis: rectè, ſi de Vniuerſitate opus, aut Arati phænomena in Latinū ſermonem uerſa quæras, nō ſi ea quæ ad rhetoricā artem ſpectant. Quid tamen facias? Quintiliani teſtimoniū reijcit, & cū Antonio Mancinello ſentiēs, Priſcianum, Marcellū, Hieronymū, Auguſtinumq; pro eo ſubſtituit. Heus docte augur: non te pudet Fabium improbare, ac ad eiuſmodi in hoc negocio teſtes confugere? Quòd ſi Aſpri, aut Cornuti locum pro tua ſententia mendicare ualuiſſes, maximum tuæ gloriæ decus acceſſiſſet. Vtq; rem abſoluam, illud etiam ſubiungam, non magis eos Ciceroni, quàm Cornelio Celſo eſſe aſſignandos: quē ego tam excellentem ſcriptorē fuiſſe reor, ut paucos ei anteponendos Latium protuliſſe cenſeam, cum medicinam tam candidè, eleganterq; Romanis literis illuſtrauerit, quàm potuit, qui ingenium ſic ad omnes ſcientias uerſatile habuit, ut ad id unum à natura formatus uideretur, quod uir præſtantiſſimus tractare conſtituiſſet. Itaque cum eius, quæ extant, lucubrationibus nihil ſit pulchrius, nihil elegantius, quàm ornatè philoſophica explicaſſe credendus eſt? De quibus non pauca ab illo Sceptios imitato ſcripta fuiſſe, memoriæ prodidit Fabius Quintilianus, in ijs etiam Celſo perſæpe (ut eius de Oratoria inſtitutione libri teſtantur) aduerſatus, quæ ad oratoriam artem ſpectantia, utinam cum infinitis aliorum uoluminibus commune naufragium paſſa non fuiſſent. Nam & Celſi ingenium latius agnoſceremus, & Rhetoricos ad Herennium libros non modò non ad Celſum, ſed ne ad mediocrem quidem Celſi auditorem eſſe referendos, tanquam in ſpeculo (ut eſt in prouerbio) conſpicaremur.

Defenſa

Defensa in Terentij Adelphis à Politiani censura M. Varronis lectio, & de Catulli passere, item de scrutis. Cap. V.

DIuinū Angeli Politiani ingeniū, summamq́; eruditionē, magnopere semper sum admiratus, & quoties in eius mentionē incidi (incidi autē quàm sæpissimè) satis per se commendatum uirum ijs laudibus ornaui, quibus maximè potui. Cuius sententiæ tam me non pœnitet, ut illum cum præstantissimis scriptoribus, quos recentiores uocamus, optimo iure collocandū, multisq́; antiquioribus uel æquandū, uel præferendum ducam. Siquidē & plures egregij uiri præclaræ lucubrationes extant, & doctis omnibus (quod est procul dubio nasuto nostro seculo mirū) uehementer probantur. Eas cum ipse quoq; non semel animi gratia lectitarim, candidissima Miscellaneorum centuria, tum ob argumenti uarietatē, tū ob multiplicem doctrinam, & accommodatū in plurimis rebus hominis iudiciū suprà quàm credi potest, delectatus sum. Quanquā enim pauca in literis inueniantur, quæ illum ignorasse dicas, tanta tamen ubiq; modestia utitur, ut nō temerè quicquam proferre audeat: quippe qui neq; molestus suorum operum (quod plerique scioli ineptè faciūt) admirator extiterit, & quemadmodum de alijs frequenter pronunciauit, ita criticorum censurā subire non recusarit: iudex non minus sincerus, quàm eruditus, & à quo non libenter dissentirem, nisi sua ipse tum demum admissum iri sperasset, quum non aliæ illis aduersantes rationes in mediū adduci ualerent. Quamobrem quòd quædam in eius operibus adnotaui, sic mihi in ijs moderabor, ut nō cauillandi, sed ueritatis habendæ studio, hæc qualiacunq; à nobis exarata fuisse, uel pueri dignoscant. Eius igitur in Miscellanis hęc sunt uerba: M. Varro in libris de Lingua latina sic ait: Apud Terentiū, scortatur, potat, olet unguenta de meo: Scortari est, sæpius meretriculam ducere. Hæc ille, ac deinceps alia in eandem sententiā. Cæterum Terentiani omnes ad unum codices, non scortatur habent, ut Varro legit, sed obsonat. Locus autem in Adelphis est, Obsonat, potat, olet unguenta de meo. Quam lectionem etiā Donatus agnoscit. Quid hic igitur dicemus? mendúmne esse in omnibus Terentianis codicibus? an (quod uix credere ausim) memoriola uacillasse Varronem quoq; ipsum, πολυγραφώτατον à Cicerone appellatū, sicut eundem Ciceronem Gellius reprehendit? ut fateamur etiam maximis quibusq; ingenijs officere incuriam nonnunquam, prodesse usquequaq; diligentiam? Hæc Politianus: in quibus ipsum, Donatumq́;, nō Varronem falli opinor. neq; dubito, scortatur in Terentio esse legendum: quod ut credam, facit in primis M. Varronis omnium Romanorum doctissimi authoritas, cui quis neget multo plus fidei, quàm sexcentis Donatis esse præstandum? Quòd si ex unico Senecæ testimonio idem Politianus Priapeium carmen Virgilij creditum, Ouidio restituit: si Vergilium, non Virgilium dici debere, contra omnium ueterum exemplarium fidem, ex unico muto lapide collegit: cur non ex Varronis lectione Terentij locum restituendum asseruit? Sed & Varro homo fuit, dixerit ille: et pro ut Cicero fecit, errare commodè potuit. Non inficior: sed manifesta ac meridiana luce clariora esse oportet, quibus summos uiros erroris conuincere nitimur. Satis aperta sunt. subiunget ille, si in codicibus omnibus obsonat legitur, non scortatur: quam quasi genuinam lectionem agnoscit Donatus. At ego magis arbitror, Donatum omnes codices pro suo arbitratu corrupisse, quàm Varronem fuisse hallucinatum: quem cum Terentij uerba citarit, ut ex ijs quid esset scortari definiret, non ea prout in mentem uenerunt, sed ex ipso authore cum illa scriberet, sumpsisse credendum est. Id confirmat & hoc quoq;, quòd sex tan-

tum

tum sunt Terentij fabellæ, & breues quidem: in quarum lectione cum Varronem ipsum frequentissimè uersatum, & in Adelphis præsertim, quorum principium Menandri principio prætulit, sciamus, quis uerbū pro uerbo ab illo sumptum coniectetur? Huc accedit, quòd obsonat Terentianum sensum plenè nō explicaret: quum in Adelphis magis de scortationibus, quàm de obsonationibus agatur: quorum primum argumentum sit Aeschini, qui mulierculam lenoni per uim eripuerat, facinus: de qua re multis uerbis agitur inter Mitionem, Demeamq́ fratres, quorum hic indignatus,

Fores effregit, ait, atq; in ædes irruit
Alienas: ipsum dominum, atq; omnem familiam
Mulctauit usq; ad mortem: eripuit mulierem
Quam amabat.

Non de compotationibus, neq; de obsonijs Demea, sed de mulieris raptu queritur: quod & apertius Mitio Demeam lenire cupiens ostendit. inquit enim,

Non est flagitium (mihi crede) adolescentulum
Scortari, neq; potare: non est neq; fores
Effringere.

Quid manifestius hęc ostendūt, quàm uerba à Varrone citata, eum ab eodem Mitione paulo pòst prolata sint, iuxta illius sententiam esse restituenda? Hoc ego solo argumento, uel si Varronis authoritas pro nobis non esset, Donatum adulterinam lectionem pro uera agnouisse crederem. Quid quòd idem Mitio, quum iratum fratrem dimisisset, non de conuiuijs, quæ Aeschinus amicis dederat, sed de scortationibus agit, quum ait,

Etsi Aeschinus
Nonnullam hac in re nobis facit iniuriam,
Quam hic non amauit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid?

Ad hæc exigui sumptus in compotationibus fieri ijs uidebuntur, qui comœdias legunt, si meretricum, lenonumq́ insatiabilem auaritiam ob oculos ponant, quum plures minæ illis dari soleant, quàm in compotationibus oboli ferè erogari. Porrò autem Terentium eam loquendi formulam, sicut alia plurima, à ~~Plato~~ sumpsisse autumo, apud quem leno in Pseudolo sic loquitur, Plauto

Venus mihi hæc
Bona dat, quum hos huc adijcit lucrifugas, damni sui cupidos,
Qui se suamq́ ætatem bene curant, edunt, bibunt,
Scortantur.

Proinde hoc in loco Politiani cōiecturam reijcerem, nisi fortè alicui secus uideretur. Idem politissimus Politianus, Catullianū passerem non simpliciter, sed allegoricè accipiendum esse, atq; obscœniorem quendam celare intellectum arbitratur, quem salua uerecundia enunciare nequeamus. quod & innuere uideatur Martialis epigramma, cuius hi extremi sunt uersiculi:

Da mi basia, sed Catulliana.
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

Nimis enim, inquit, foret insipidus poēta (quod nefas credere) si Catulli passerem deniq́, ac non aliud quippiam, quod suspicor magis, donaturum se puero post oscula diceret. Hoc quid sit, equidem pro stili pudore suæ cuiusq́ coniecturæ de passeris natiua salacitate relinquo. Subtiliter quidem Politianus, sed Catulli uersus aliter illū interpretatum existimo, quàm Catullo unquam in mentem uenerit. Enimuero si eius passer obscœnum aliquid in se contineret, ut non multum salis ex eo Martialis uersibus accederet, sequens certè Catulli epigramma omnes sales, omnemq́ leporem amitteret, & Alpina glacie esset frigidius.

Quid enim obscœnum, quod subintelligitur, ad mortuum Lesbiæ passerem? & tamen Catullus eius mortem ita deplorat,

Lugete ô Veneres, Cupidinesq;,
Et quantum est hominum uenustiorum,
Passer mortuus est meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat. Et mox de eodem,
Qui nunc it per iter tenebricosum,
Illuc unde negant redire quenquam.

An Catulli amica, aut potius Catullus ipse eũ passerem, quem subintelligit Politianus, extinctum amiserat? An nõ melius de passere aue intelligitur? Sed Martialis, ait, aliud quiddam, quàm quod ea uoce signatur, puero promittebat. Imò ego poëtarum esse morem scio, ut amicos, amicas ue, nõ ueste, aut argento, sed uersibus remunerentur: quibus diues Propertius, quum alia munera Cynthiæ dare non posset, carminibus ei immortalitatem pollicebatur, sic scribens,

Fortunata, meo si qua es celebrata libello,
Carmina erunt formæ tot monumenta tuæ.

Cuius ferè germanus Ouidius, non in diuitũ libros de Arte amandi, sed in pauperum gratiam condidit, quia & ipse pauper amarat: & cum dona non posset, uerba utiq; pro eis dabat. Nam & uersibus ijdem illos insectantur, à quibus aliqua iniuria fuerint affecti, cum Lycambem Archilochus, Bubalum Hipponax uersibus confoderint. Quid quod & is de quo agimus Catullus Acmen, quę eũ decem millia poposcerat, deuorare uidetur, quum in hæc carmina prorumpit?

Adeste hendecasyllabi quot estis,
Omnes undiq; quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat mihi uestra redditurum
Pugillaria, si pati potestis.

Nulla est ergo in Martialis, siue Catulli passere allegoria: alioquin Catullianis etiam basijs aliquod subesset mysterium, quod tamen nemo affirmaret. Posuit autem ille nimirum Catulliana basia pro infinitis, quot & qualia Catullus Lesbiam poposcerat duobus Epigrammatibus, quorum alteri hoc est principium,

Viuamus mea Lesbia, atq; amemus. Alteri,
Quæris quot mihi basiationes.

Quæ si mihi dederis, inquit Martialis, nõ minus te laudabo, quàm Lesbiam Catullus, cuius etiam passerem defleuit. Neq; nouum est, si Catullum in omnibus imitari uoluit, cuius etiam in passere, ac basijs æmulus esse cupierit: quandoquidem eundem sibi præponere non ueretur, ad Marcum scribens,

Nec multos mihi præferas poëtas,
Vno sed tibi sim minor Catullo.

Possem addere, Catullum passerem ad Virgiliũ, qui Parthenias uocabatur, misisse: sed huiusmodi coniecturis non est opus, quum apertę se offerunt rationes. Suum tamen cuiq; & in hac re, & in alijs omnibus est iudicium. Ego sanè quod sentiebam, non dissimulaui, ipsum Politianũ imitatus: cuius aliud est in eodem opere Caput de uocabulis inuentu raris, nec tamen singularibus, qualia sunt, cucuma, proseucha, scruta: quorũ ultimum Horatium quidem semel dixisse putat in hoc uersiculo, Vilia uendentem tunicato scruta popello. Quod iterũ dixerit Sidonius Apollinaris libro Epistolarum VII per hæc uerba: Nũc quędã friuola, nũc ludo apta uirgineo scruta donabat. Sed cũ hęc scriberet,

nõ meminerat apud Gelliũ Noct. Atticarũ libro tertio hos Lucilij uersus legi,

Quid ni?& scruta quidem, ut uendat scrutarius, laudat,
Præfractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.

Defensus ab eodem super Oaxe fluuio Seruius, & de Priapeij carminis authore. Cap. VI.

P. Virgilius ex Melibœi persona in prima Aegloga ita loquitur,

At nos hinc alij sitientes ibimus Afros,
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ ueniemus Oaxem,
Et penitus toto diuisos orbe Britannos.

Hos uersus enarrans Seruius, de Oaxe sic ait: Rapidum Cretæ, hoc est, lutulentum, quod rapiat cretam. creta terra alba dicitur. Nam Oaxis fluuius est Mesopotamiæ, qui uelocitate sua rapiens albam cretã, turbulentus efficitur. Vel Oaxis fluuius est Scythiæ: in Creta insula nõ est, sed aqua cretei coloris est. Oaxem Philisthenes ait, Apollinis & Anthilenæ filium: hunc Oaxem in Creta oppidum condidisse, quod suo nomine nominauit, ut Varro ait,

Quos magno Anchiale partus enixa dolore,
Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis Scindere dicta.

Politianus autem sic: Sed enim ego Oaxem Cretæ fluuiũ intelligi crediderim potius. Nam Vibius quoq; Sequester Oaxem Cretæ fluuium dicit esse, à quo et ciuitas Oaxia. Quare Apollonius Cretam quoq; insulam tellurem Oaxida uocauit in primo Argonauticon, his uerbis,

Δάκτυλοι ἰδαῖοι κρηταιέες, ὅς ποτε νύμφη
Ἀγχιάλη δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρῃσι
δραξαμένη γαίης οἰαξίδος ἐβλάστησε.

Hoc autem postremum ita Varro transtulit, ille arbitror Atacinus, alieni operis interpres, Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis.

Neq; uerò nõ conuenit rationi, ut qui dispersum iri toto orbe suos populares uellit ostendere, de insula quoq; in medio uelut nostro mari sita, tũ autem & de altera toto penitus orbe diuisa meminerit, Hactenus ille. Quę tamẽ mihi nõ probãtur. Quandoquidẽ si Creta extra anni solisq; uias posita esset, si uelut Britãnia, Thyle, aut Taprobana non admodũ antiquis fuisset peruia, rectè fieri potuisse concederẽ, ut neq; Ptolemęus, neq; Strabo, neq; Plinius, neq; Mela, quiq; orbis sitũ descripsere, Oaxem in ea fluuiũ inueniri per negligentiã propè dixerim me minissent. Quũ uerò nõ alia sit in tota Græcia insula celebrior, ut ex qua omnes ferè superstitiones emanarint, quis neget, tot excellẽtes scriptores facturos fuisse Oaxis fluminis in descriptione Cretæ mentionẽ, si in Creta is fluuius esset, ac nõ potius id sibi confinxisset Vibius Sequester? Nõ est hoc unicũ, aut Melam, aut Pliniũ, sed quatuor præstantissimos scriptores in re manifestissima demẽtiæ arguere. Quapropter mallem hac in re Ptolemæo, Plinio, Strabone, Melaq; ducibus errare, quàm Vibio magistro erudiri. Rectè igitur iuxta Seruij sentẽtiam exponetur Virgilij locus, ut rapidũ cretę intelligamus fluuiũ, hoc est turbidum. Quin si in Creta esse Oaxem fluuiũ pro comperto haberẽ, ei tamen nõ conuenire Virgilianũ sensum, prout Politianus censet, assererẽ. Qui enim ex proprijs finibus eiecti fuerant, nõ in Cretã insulam propinquã, maximè cõmodam, fertilemq;, & centũ urbibus habitatã se ituros, sed in deserta loca, nempe in Scythiã, Britanniam, sitientemq; Africã sperabant, in quibus regionibus nulla esset aëris benignitas, nulla hominũ humanitas. Nam quod Cretam Oaxĩ terram, ab Oaxe fluuio dictam cõminiscitur Politanus, atq; id (ut existimat) confirmantes

Nec liber indicium est animi, sed honesta uoluntas.

Et eodem libro diffusius. Nos tamen ea citabimus, quæ ad nostros poëtas pertinent, inquit autem:

Vtq; suo Martem cecinit grauis Ennius ore,
Ennius ingenio maximus, arte rudis:
Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis,
Causarumq; triplex uaticinatur opus:
Sic sua lasciuo cantata est sæpe Catullo,
Fœmina, cui falsum Lesbia nomen erat.
Nec contentus ea, multos uulgauit amores,
In quibus ipse suum fassus adulterium est.
Par fuit exigui, similisq; licentia Calui,
Detexit uarijs qui sua facta modis.
Quid referam Tindæ, quid Memmi carmen? apud quos
Nomen adest rebus, nominibusq; pudor?
Cinna quoq; his comes est, Cinnaq; procacior Anser,
Et leue Cornifici, parq; Catonis opus.
Et quorum libris modò dissimulata per illos,
Nomine nunc legitur dicta Metelle tuo.
Is quoq; Phasiacas, Argon, qui duxit in undas,
Non potuit Veneris furta tacere suæ.
Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Serui
Carmina: quis dubitet nomina tanta sequi?

Hæc & alia multa in eandem sententiam Ouidius. Iam Catalecta à Virgilio condita fuisse, quis inficias eat? Sunt tamen in eis in Hellespontiacum deum lusus. Quòd si quis id in dubium reuocaret, accipiat Fabij Quintiliani in octauo Institutionum oratoriarum libro testimonium: Quædã, inquit ille, adhuc uetera, uetustate ipsa gratius nitent, quædam etiam necessariò interim sumuntur. Enuncupare, & fari, & multa alia etiam audientibus grata inseri possunt: sed ita demum, si non appareat affectatio, in qua mirificè Virgilius,

Corinthiorum amator iste uerborum,
Iste iste rhetor, namq; quatenus totus
Thucydides tyrannus Atticæ febris
Tau Gallicum spiræ ipsemet male illisit,
Isti omnia, ista uerba miscuit fratri.

Hos aũt uersus, quis nõ uidet in Catalectis legi? Fuit siquidẽ moris ueterib. poëtis, ut omnes ferè aliquos huic deo uersus offerrẽt, quod uel illa carmina indicãt:

Quisquis uenerit huc, poëta fiat,
Et uersus mihi dedicet iocosos:
Qui non fecerit, inter eruditos
Ficosissimus ambulet poëtas.

Cæterum non tantum hortorum, sed agrorum etiam custos fuit Hellespontiacus deus: ad quem Val. Martialis multa scripsit epigrammata, sed illud in octauo præcipuè, cuius hoc est principium, Non horti, neq; palmitis beati. Porrò Iunius Columella eius dei imaginem in hortis poni debere præcipit, libro decimo de Re rustica, his uersibus:

Neu tibi Dædaleæ quærantur munera dextræ,
Neu Polycleteæ, nec Phragmonis, aut Ageladæ

Arte laboretur, ſed truncum fortè dolatæ
Arboris antiquæ, numen uenerare Ithyphalli,
Terribilis membri, medio qui ſemper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.

Imitatus ut opinor Virgilium, qui in quarto Georgicorum ſic ſcribit,

Inuitent croceis halantes floribus horti:
Et cuſtos furum, atq; auium, cum falce ſaligna,
Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi.

Omnibus uerò qui illud de quo agimus opus non oſcitanter legerint, diuerſorum authorũ farinam eſſe apparet, cũ plurima Virgilianũ ingenium ſapiant, nõ pauca ad Ouidianã facilitatem accedant, deniq; multa ineptè ac inſulſe ſcripta in ijs epigrãmatibus inueniantur. Proinde optimè meo fecerit iudicio, qui Priapeium carmen ad diuerſos referet authores, ut multa in illud contulerint, Virgilius, Ouidius, alijq; cõplures, totiusq; operis titulus Virgilio tanquam noſtrorum poëtarũ eminentiſſimo fuerit aſſignatus. Vix hæc abſolueram, quũ quandam Politiani epiſtolã ça ſu relegens, quod prius (deos teſtor) me latuerat, Hermolaum Barbarũ neſcio quid de Oaxe, de Catulli paſſere, & de Priapeij carminis authore ſcripſiſſe animaduerti, an contrà quàm ſenſerit Politianus, ipſe nequeo cõijcere. Nec ea enim recens me legiſſe in memoria habeo, & eius lucubrationes feſtinanter percurrens, ne ſcintillam quidem earũ rerum reperire potui. Qui tamen iſthæc priuata iam opera adnotaſſem, nullo pacto hæc mihi prætermittenda uiſa ſunt. In quibus ſi quid fortè cũ Hermolao dixero, uitio mihi non eſt uertendũ: quippe qui neq; hæc qualiacũq; prolaturus fuerim, niſi primus illa quod ſciã obſeruaſſem: neq; alienæ laudi quicquã detrahere, ac Aeſopicæ cornicis more alienis pennis ueſtiri cõſueuerim. Cũq; Angelum Politianũ ſummopere laudare ſim ſolitus, ſic in hiſce eius iudicium improbaui, ut cum uiuente de illis agere non fuiſſem reformidaturus: & peſſimo exemplo quoſdam facere opinèr, qui in uita functorum ſcripta impudentiſſimè debacchantur, uiuentem autem reſponſurumq; neminem ſi opus fuerit arguere audeant.

De uerbis Reperio & Inuenio. Cap. VII.

LAurentius Valla in quinto de Latina elegantia libro ita ſcribit: Excogitare eſt, per cogitationem inuenire: idq; ad res tantum incorporeas pertinet, ut excogitaui argumenta, rationes, figuras, cauſas. Eſt igitur excogitare & inuenire, conſilij: reperire uerò, fortunæ. Ouidius,

Tu non inuenta, reperta es.

Sed iam uſus obtinuit, ut idem ſit reperio, quod inuenio. Hæc Vallæ ſententia, quibus uerbis à triuialibus grammaticulis explodatur, recenſere, nõ eſt huius loci. Ea tantum quæ in Vallam primo Genialium dierũ libro Alexander ab Alexandro, uir meo iudicio impenſe doctus, cõmentus eſt, in mediũ adducã. Cũq; duos de hac re ludimagiſtros inter ſe diſceptantes proferat, quæ ab eo qui Vallæ partes tuebatur dicta fuerint, prætenbo, ut ipſius Alexandri ex grammatici perſona cenſuram audiamus. Hæc, inquit, cum ille & pleraq; legiſſet, reclamabat alter, doctorẽ iſtum nec uerba, nec mentẽ Ouidij intelligere quiuiſſe, labiq; errore manifeſto. Siquidẽ reperire eſt, cũ labore aliquid quæſitum aſſequi, deductum ex re & pario. parere enim, eſt cum labore quærere: unde pecunia parta, cum labore quæſita dicitur. Imò eundem Ouidium, quem in medium ille adduxerat, eodem uerſu ſignificantius contrà demonſtrare, Tu non inuenta, ſed reperta es, inquit: quaſi, ego te non caſu & fortuna nactus ſum, ſed ſtudio & labo

re quæsitam reperi. quod & alio uersu eundem exploratius significare aiebat:

Exanimesq; artus primo, mox ossa requirens,
Repperit ossa tamen.

Præterq; hanc Ouidij authoritatem, idem apud authores probatissimos usu obseruari. Quintus Curtius: Quippe Euphrates, inquit. altum limum uehit. quo penitus egesto, uix sufficiendo operi firmo reperiunt solum. Et idem: Quia duces asseruati profugerant, misit qui conquirerent, nec reperti. Suetonius in Cæsare: Id'que eo studiosius facerent, quòd aliquantum uasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant. Vides, inquit ille, reperire esse operæ, & consilij, non autem fortunæ? Atq; alter cum contrà tenderet, & uoce immodica obstreperet, eadem sæpius, & quædam nugalia repetendo, cupidus ego istius doctoris mentem plane perspicere, accipio libellum à manibus magistri, atq; in eo lego pleraque audacis doctrinæ & confidentis. Cum non his solum, sed multis alijs, de duobus uerbis reperio & inuenio disserat Alexander, nec tamen quantum illa inter se differant explicauit, & Vallæ sententiam nimis subtiliter, ne dicam malignè cauillatus est. Ac primum quidem licet in hoc usu uentum esse, ut idem sit reperio, quod & inuenio, uerè affirmet Valla, quàm ridiculè hic Ouidij locū interpretatur, ut filiam sic repertam, & nō inuentam diceret, quòd post multos labores Inachus uoti tandē compos factus fuisset? Nónne si rectè eum locū exponit Alexander, id inuenire dicemur, quod nullo labore assequimur? Id tamen si quis affirmaret, apertè falleretur: cum nemo in Latinis authoribus tam parum sit uersatus, quin has uoces apud eos frequentissimè in eo significatu poni dicat, ut casu quid reperiamus, quod multo labore inuenire possimus. Equidem quia Vallam optimè sensisse arbitror, id sibi uelle Ouidij sententiam censeo, ut ex uero, maxime'que proprio significatu reperire fortunæ sit: quamuis hæc differentia cum à cæteris authoribus, tum ab ipso etiam Ouidio plerumque confundatur. Cuius rei ita subijciam testimonia, ut quoniam reperire ad casum, ac inuenire ad laborem industriamq; frequentissimè referri inter doctos constat, hæc uerba nihil prorsus inter se differre ostendam, si quod quærimus reperire, & inuenire quod minimè quæramus, Latinè dicere possumus. Ante omnia autem ipsum Ouidium hæc duo uerba absq; discrimine ponentem audiamus, qui in tertio Fastorum libro de Baccho loquens, ita canit:

Liba deo fiunt, succis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Et de eodem paulo pòst:

Colligit errantes, & in arbore claudit inani
Liber, & inuenti præmia mellis habet.

Scilicet Ouidius mel modò à Baccho inuentum, modò repertū asserit. an idem casu, & industria, quæri potest? aut reperire, est cum labore aliquid quæsitum assequi, prout frigidè conijcit Alexander? At hoc uerbum, inquit, ex re & pario dicitur: cumq; Vallensis iste doctor, nec Ouidij uerba, nec mentē utiq; intelligere quiuerit, manifesto errore lapsus est. An nō obsecro te Alexāder, tam rem iterum parimus, quū eam fortè inuenimus, quàm quum per summū laborem reperimus? Verum pario, respondet, est cum labore acquiro. Rectè quidem, mulieres cum labore ac dolore quoq; parere concesserim. Sed si in tam frigida argutia delitescis, cum re et pario idem significent, quod iterum cum sudore acquiro, nisi quod quærens offendis, primo pepereris, hoc est cum algore lucratus fueris, iterumq; uel inediā uel uigilias passus recipias, iam id nullo pacto reperire diceris. Quid si equum dono ab aliquo acceperis, cumq; amittas, num si illum

perquiras,laborioſeꝗ tibi uendices,cum reperies? Minimè arbitror. Si enim uocum, ex quibus hoc uerbum componitur, proprietatem reſpiciamus,quod ab aliquo tibi donatum fuerit, peperiſſe dici non potes. Sit igitur friuola Alexandri ſententia:nosꝗ interim alia loca ex Plauto,Terentio,Cicerone,Cæſare, Liuio,Virgilio,Salluſtio,& alijs id genus proferamus. Idem Ouidius ſecundo Triſtium libro:

> Hoc precium uitæ,uigilatorumꝗ laborum
> Cepimus: ingenio eſt pœna reperta meo.

Cui ſimile eſt Salluſtianũ illud in Catilina:Nã ſi digna pœna pro factis eorũ reperiretur,nouum conſiliũ probo.Nõ caſu,ſed multũ,ut opinor,diuꝗ cogitantes,nouũ penè genus inuenire nitimur. Plautus in Aulularia:Ibi intrò perſcrutabor phanum, ſi inueniam uſpiam aurũ,dum hic eſt occupatus. Sed ſi repero,ô Fides,mulſi congialem plenã faciam tibi fideliam. Pro eodem poſuit Plautus reperio & inuenio,ac Alexandri figmentum deriſiſſe uidetur. Idem in Trinummo:Quid uerbis opus eſt? quamuis malam rem quęras,ibi reperias. Terentius in Eunucho:Eunuchum porrò dixti uelle te, quia ſolæ utuntur his reginæ, reperi. Sunt autem hæc Phædriæ uerba,qui quidẽ munus Thaidi nequaquam cõmendaſſet,ſi caſu illud,ac non quærens potius reperiſſet. Cæſar primo libro de bello Gallico: Hoc ſi quærerent, reperiri poſſe diuturnitate belli defatigatis Gallis,Ariouiſtum,cum multos menſes caſtris ac paludibus ſe continuiſſet,neque ſui poteſtatem feciſſet, deſperantes iam de pugna, ac diſperſos ſubito adortum,magis ratione ac conſilio,quàm uirtute uiciſſe.Et in ſecundo:Eorum fines Neruij attingebant, quorum de natura,moribusꝗ Cæſar cũ quæreret,ſic reperiebat.Cicero libro ſecũdo de Oratore:Vt enim quęras omnia,quomodo Græci ineptũ appellent,nõ reperies.Et in eodem:Iam illud uideamus,nequaquã ſatis eſſe reperire quid dicas,niſi id inuentum tractare poſſis. Et in tertio Tuſculanarum quæſtionũ:Nam ut medici cauſa morbi inuenta, curationem eſſe inuentam putant,ſic nos cauſa ægritudinis reperta,medendi facilitatem reperiemus. Virgilius in quarto Aeneidos,de Didone,

> Oculisꝗ errantibus alto
> Quæſiuit cœlo lumen,ingemuitꝗ reperta.

Inuenimus uerò,quod non quærimus.Liuius libro quinto: Hic Capitoliũ eſt, ubi quondam capite humano inuento,reſponſum eſt eo loco caput rerum,ſummamꝗ Imperij fore.Quid minus,quàm humanum caput quærebant Capitolinæ arcis fundatores? Terentius quoꝗ Varro in quarto de lingua Latina,de eodem humano capite ſic ait: Sunt & nomina ab tot montibus, quos poſtea urbs muris comprehendit,è quis Capitoliũ dictum,quòd hic cum fundamenta foderentur ædis Iouis,caput hominis inuentũ dicitur. Sed & Plinius libro Naturalis hiſtoriæ uigeſimooctauo, de eadem re ſic ait: Cum in Tarpeio fodientes delubro fundamenta,caput humanũ inueniſſent, miſſis ob id à Senatu legatis, Hethrurię celeberrimus uates Olenus Calenus præclarũ id fortunatũꝗ cernẽs, interrogatione in ſuã gentẽ transferre tentauit, ſcipione prius determinata tẽpli imagine in ſolo ante ſe. Hoc ergo dicitis Romani, hic templũ Iouis optimi maximi futurum eſt? hic caput inuenimus? conſtantiſſima Annalium affirmatione tranſiturum fuiſſe fatum in Hethruriam, ni præmoniti à filio uatis, legati Romani reſpodiſſent: Non planè hic, ſi Romæ inuentum caput dicimus. Plautus in Epidico, quum de Periphanis filia caſu inuenta, ſeruus intelligeret: Vinctus(inquit)aſto,cuius huic hodie opera eſt inuẽta filia. Virgilius item in ſecun

do Aeneidos, quum diu quæsita coniuge ad suos reuersus esset Aeneas, sic ait:

Atq; hic ingentem comitum affluxisse nouorum
Inuenio admirans numerum.

Admirans etiam subiūxit, ut nullam eius rei suspicionē Aeneā habuisse credamus. Idē ergo est quærere, quod reperire. Nec *inuenire* sine si Alexandri de his uerbis iudiciū improbo, doctissimi uiri authoritati quicquam detractū uelim. Quin potius summā fuisse in eo rerū cognitionem fateor. Nam si quid in eius Genialibus desiderare liceat, distinctius eū scripsisse, ac nostra ab externis seiunxisse cuperē, ne postquā plenoseru d itionis libros legimus cōfusam quandam rerū in animo syluam conciperemus: quam id quoq; magis cōmiscet, quod eisdem de rebus diuersis in locis agit, cū aliqua, quæ antea illi forte in mentem nō uenerant, addit. Fuit is Iurecōsultus, iisdéq; temporibus uixit, quibus illa doctorū turba, Ioannes Iouianus Pontanus, Theodorus Gaza, Nicolaus Perotus, Pōponius Letus, Domitius Calderinus, Hermolaus Barbarus, Ioannes Platina, Franciscus Philelphus, & Raphael Volateranus, quorū certè non multos ei anteponendos ducas. Imitatus est Aulū Gellium, licet eo minus elegans (ut aiunt) atq; in scribendo ut breuior, ita etiam aliquanto durior.

De uerbo Deprecor. Cap. VIII.

PVlcherrimum est Auli Gellij in sexto libro Noctium Atticarum caput, in quo Catulli ad Lesbiā epigramma sic interpretatur, ut ita dictū sit: Deprecor, quasi detestor, uel execror, uel abominor. Q. q; Ennij ex Erechtheo hos uersus citat,

Quibus nunc erumna mea libertatem paro?
Quibus seruitutem miseria mea deprecor? Et in Cresphonte,
Ego cum meæ uitæ parcam, letum inimico deprecor.

Et præter hæc aliqua Ciceronis loca, quæ breuitatis causa prætereo. Valla tamen à Gellio dissentiens, ita deprecor dici putat, ut precor & imprecor. Precor, inquit, tibi bonum, precor tibi malum: sic deprecor liberationem, & deprecor pœnam, illam ut potiar, hanc ut uitem. Ouidius in primo libro de Ponto,

Sæpe precor mortem, mortem quoq; deprecor idem,
Ne mea Sarmaticum contegat ossa latus.

Deprecor dixit, quasi precor mortem nō dari mihi in hac terra. Et inferius: Deniq; deprecor magis significat uel facto, uel dicto recuso, quàm illa quæ Aulus Gellius attigit. At Alexander ab Alexandro ita se inter hos duos arbitrū constituit, ut pro quo steterit uix dignoscas, licet in Vallam maledicta, Gellij patronū indicare uideantur. Sic enim scribit quarto Genialium libro: Quid in mentem uenerit nonnullis Grammaticis, qui nō temperantes maledictis, multa nec perpenso iudicio, nec examinato modo digesta præcipere non uerentur, non satis coniicio. Nuper cum in cōmentariolos Grammatici cuiuspiā, quos de Latina dicendi norma uiuens ediderat, fortè incidissem, in quibus graui censura antiquissimū quemq; authorem taxat, ita ipsum locutū offendimus, ut diceret Aulū Gellium male sensisse, quod deprecari, abominari uel detestari esse dixit: censuitq; deprecari nihil esse aliud, q; dicto uel facto recusare, quasi multū discriminis foret inter abominari, & recusare. Quæ tamen mox pronūciat, eū neutro eorum illū sensisse ostendunt. Ait enim: Multū longeq; distat deprecari à recusare: quippe deprecari est, precibus rogare, & subnixè obtestari ne quid fiat: recusare uerò, iure & manu contendere, & quadam mentis uæcordia minaciter magis quàm precibus exposcere. Cæsar commentario quinto: Hedui nec deprecandi, nec recusandi causa legatos ad Cæsarē mittere uolebant. Cicero Tusculanarū quæstionū II. De Anaxarcho, inquit, Democritio cogitet, qui cū Cypri in

manus Nicocreontis regis incidisset, nullū genus supplicij deprecatus est, neq;
recusauit. Sed nimis subtilis est hæc Alexandri interpretatio. An cum Cicero in
sexta Verrina ita scribit, Illi ad deprecandū periculū proferebant alij purpuram
Tyriā, thus alij atq; odores, uestēq; linteā, gēmas alij, & margaritas: hoc intelli-
gebat, ut illi periculū deprecarentur, scilicet precibus enixè peterent, ne id eis pe
riculum fieret? An nō melius ad deprecandū periculum, hoc est, refellendū, uel
recusandū exponemus? Si tam enixè Siculi rogabant, quid purpura Tyria, odo
ribus, lintea ueste, gemmis, margaritisq; opus erat? quæ omnia à rapaci prætore
nō aliquid humiliter impetrare, sed extorquere possent? Sed aliud est, inquit, de-
precari, aliud recusare. Deprecamur enim supplices, recusamus autē quasi iure
& min ıciter cōtendētes. An Anaxarchus, qui Cypri in regis manus inciderat,
minaciter apud eū tormenta recusare poterat, in cuius manibus eius uitæ mor-
tisq; ius esset? Leuis itaq; est hæc inter deprecor ac recuso differētia: et M. Cicero
ni duo uerba aut idē significantia, aut non multum diuersa ponere, minimè no
uum est. An cū de Catilina ita diceret, Abijt excessit, euasit, erupit: aliud esse abi
re, aliud excedere aliud euadere, aliud erūpere eo in loco uolebat? Nā apud Cæ
sarem, cū legatos Hedui ad eū nec deprecandi, nec recusandi causa mittere uel-
lent, hoc sibi uoleb~t, ut Cæsaris amicitiā, non pluris quàm inimicitiā facerent.
quò in loco deprecor. pro ualde precor, sine dubio est accipiendū. Siue igitur
cū Gellio, siue cū Valla (namq; haud multū inter se differunt) sentiamus, depre-
cari duo significat: unū quod est ualde precor, quale est illud M. Tullij in secūdo
de Finibus, Primū inquam deprecor, ne me tanquam philosophū putetis scho-
lam uobis aliquam explicaturū: alterū uerò. quod est detestari, uel recusare, qua
le hoc est eiusdē M. Tullij pro C. Rabirio, Non suppliciū deprecarer, sed premi
um postularē. De enim præpositio, licet sæpe uerbis, quibus adiūgitur, nihil ad
dat, plerumq; tamen auget: ut deamo, quasi ualde amo. Terentius in Heautonti
morumeno: Næ ego sum fortunatus, deamo te Syre: & deprecor, quod est ual-
de precor Nonnunquā etiam uerbi significatū prorsus immutat, ut deprecor,
cū pro depello ponitur: ut deiuuo, quod est nō adiuuo, sed deprimo, aut derelin
quo, Plautus in Trinummo: Deserere illū, & deiuuare in rebus aduersis pudet.
Idem præterea Alexander in tertio Genialiū, Vlpianum Iureconsultū aduersus
eundem Vallā defendit, quod pulsare sine dolore, uerberare autē cū dolore esse
dixisset: cū Valla etiā sine dolore quem pulsari ostenderit. Alexandri uerba hæc
sunt: Rursus, inquit, eundem Vlpianū taxauit, quod ex authoritate Offilij Iu-
reconsulti censuit pulsare & uerberare eo differre, quia uerberat quis cū dolore,
pulsat uerò sine dolore: propterea Vlpiani definitionem inuidiosè criminatur,
tanquā possit aliquis cū dolore pulsari, & sine dolore uerberari. Et paulo post:
Sed cū istius authoris uenia dixerim, Vlpiani mens aliò spectat, quippe si mentē
ipsius pensitamus, procul dubio intelligemus, illum uerberare dici propriè, qui
animale corpus uerbere affligit: illumq; signatè et appositè loqui, qui hominem,
uel pecus uerberatū dixit, non pulsatum. Cum uerò ad rem sensu carentē ictus
inferuntur, tunc pulsare dicimur, non uerberare, ut pulso hostium, lanam, aut
uestem: uerbero hominem, uel pecus. Sed nimis Genio indulgebat, quū hęc de
liria, siue (ut uerius dicam) ægrotantiū somnia secū hic scriptor confingeret. An
enim si legem Corneliam, quæ ei actionem dabat, qui se pulsatum, uerbera-
tum'ue diceret, interpretabatur Iureconsultus, illud uerbum ad inanimale cor-
pus, hoc uerò ad animale referebat? An pulsatis hostijs cōtra pulsantes actio da-
batur an uestibus? Sed de hac re in libro de Iuris Ciuilis interpretib. diffusius, ubi

hominés

hominesanimales pulsari, & muros, qui nullam habent animam, à tormentis uerberari, Vallam defendentes ostendimus. quem itidem calumniatus est in sexto libro noster Genialium dierũ conditor, quod de Latina elegantia scribens, tantum & quantũ uerbo & positiuo, tanto & quanto comparatiuo iungi oportere docuerit: ut, Quanto es doctior, tanto & melior: Quantum potes, tantum elabora. quasdamq́ ipse ex Lucio Floro locutiones adducit, cuiusmodi sunt: Numantia quantum Carthaginis, Capuę, Corinthi opibus inferior, ita uirtutis nomine & honore par omnib. Et, Quanto est efficacior fortuna, quàm uirtus, tantum esse uirtutem. Sed ipse sic se in eo capite tutatur, in quo de per & quàm absolutissimè agit. Nec tamen, inquit, in hoc toto opere tam licentiam poëtarum consector, quàm usum oratorum. Neque si quid aliter penes authores reperiatur, mihi obesse debet, qui non legem scribo, quasi nunquam aliter factum sit, sed quod frequentissimè factitatum est, præsertim à Marco Tullio, M. que Fabio Quintiliano. Huc spectat, quod eundem taxat, quia ædem in singulari numero pro domo, aliter quàm Valla præceperit, bis apud Quintilianum, semel autem apud Ciceronem legamus, Poterat addere & Plauti locum, in quo cum ædes sæpissimè seruus in Mostellaria Simonis domum appellasset, semel tamen ait,

Capitalis ædis facta est. Rursum lena in Asinaria:
Itidem apud nos, ædis nobis area est, auceps sum ego.

Atqui idem Valla alibi ita inquit: Benedicus autem non inueni, quia nec benedico inuenitur, licet eo Priscianus utatur. cũ Plautus in Mostellaria sic scribat, Pergo illò, subagito blandis & benedicis dictis. Et in Asinaria, benedicè non abhorruit, inquit enim,

Aliam atq; olim quum illiciebas blandè ad te benedicè.

Ac ne quæ ad Alexandrum spectant, pluribus explicem, non ipse modò Vallam odio habuit, sed et omnes, qui in eadem Neapolitanorum schola, seu educati, seu uersati sunt: ita quidẽ, ut nec Iouianus Pontanus temperare sibi potuerit, quo minus acerrimè in Vallam debaccharetur: licet satis æquam illius mordacitatis causam suis in eum maledictis prætendat. Inquit enim libro primo de Sermone: Laurentius Vallensis in grammaticis, rhetoricis, dialecticisq; ita & scripsit, & disputare est solitus, ut minimè uideretur uelle præcipere, nec appareret tam contendere illum de ueritate, proprietateq́, aut docere uelle, quàm maledicere, obiectareq́ uetustis scriptoribus, atq; obloqui. Itaq; Ciceronẽ uellicabat, Aristotelem carpebat, Virgilio subsannabat: quippe qui propalàm sit asseuerare ausus, siue Pindarus quispiam author is suo nomine fuerit, siue alio (de hoc enim ambigitur) qui Homericæ libros omnis Iliados non multos admodum in uersus contractos Latinè conuertit, qui propalàm sit inquam asseuerare ausus, Pindarum eum Virgilio anteferendum. Est autem carminis illius principium,

Iram pande mihi Pelidæ diua superbi,
Tristia qui miseris iniecit funera Graijs.

Tali igitur iudicio hominem, ingenioq́ tam siue retrouerso, siue præpostero, (quippe qui maximis quibusq; ringeret authoribus, uni tantũ Epicuro assurgeret) quam ob cõmunem utilitatẽ cõtendere, aut cognitionẽ dicas, atq; altercari: qui nec aliud uelit, curet, studeat, quàm ut detrahat, quibus minimè par est, ac maledicat? Quando qui cum Laurentio familiarius uixerunt, affirmant illum eo nequaquam consilio in grammaticis scripsisse, ac dialecticis, quo doceret, disciplinasq; ab ignoratione uendicaret, atque à sorde, uerum ut malediceret,

obloquendoq;

obloquendoq; detraheret de fama atque authoritate rerum scriptoribus, tum illis qui exemplo sunt ad scribendum alijs, propter antiquitatem maiestatemq; dicendi ac præcipiendi, tum illis ipsis, qui tunc uiuerent: qui ne dubitauerit ipse quidem dicere, profiteriq; palàm, habere se quoq; in Christum spicula. Sed nobis propositũ minimè est detrahendi homini maximè studioso, quem senem adolescens ipse nouerim: cumq; è Roma se Neapolim contulisset ad Alphonsum regem, & inuiserim etiam reuerenter pro illius meaq; ætate, & plures post congressiones maximè familiates, ita ab eo discesserim, uti ex eo de me, nisi pleno atq; amico ore locutus fuerit nunquã. Et hęc quidem de omnib. Vallæ conatibus Põtanus: in multis autẽ locis sub grammaticorũ nomine plurima eiusdem de Latina elegantia pręcepta improbat: ea qua Alexander, ut uidimus, ratione.

De area. Cap. VIIII.

QVanta sit Andreæ Alciati hoc seculo penes doctissimum quemq; authoritas, tam orbi est perspicuum, quàm à ueteribus illis Iureconsultis quorum fragmenta in quinquaginta malè digestorum libros à Domino Iustiniano (ut cum eius numismatibus loquar) coniecta sunt, nullus iuris ciuilis professor extitit, quem illi in Latino candore comparandum existimem. Cuius cum plurima scripta, & uariæ quidem eruditionis plena circumferantur, uel ea mihi elegantissima uisa sunt, quibus omnia, quæ ad uerborũ significationem spectant, sic est complexus, ut & Iureconsulti in scribendo morem grauitatemq; retinuerit, & Latina puritate seruata illa explicans, quę adhuc barbaris uerbis inuoluta possidentur, quibusdam uelut flosculis ex Romanæ linguæ authoribus excerptis, pulchrum suæ scriptionis genus non mediocriter illustrarit. Ea cum auidè mihi semel atq; iterum legere cõtigerit, uix dici potest, quàm me ad id studium, ad quod non facile pertrahi posse uidebar, quondam inflammarint. Quæ enim Bartolus, Baldusq;, & id genus excellentissimi legum interpretes exoticis uerbis, ob seculi quo uixere squallorem tractarunt, puro sermone expoliri posse apertius, quàm antea credideram didici: ut illud etiam uitemus, quod plerique ferè omnes faciunt, qui dum uerborum student elegantię, abstrusiora (ut ita dicam) iuris ænigmata floccifacientes, nihil quàm meras nugas garriunt, paucas Auli Gellij obseruationes magno impendio ubiq; resonare docti. Quoniam autem aliqua in ijs adnotaui, quæ parum (nisi fallor) sunt probanda, eorum nonnulla in libro de Iuris interpretibus recensui: aliqua etiam in hoc opusculo, si res postulabit, ita referã, ut nisi manifestas rationes producere ualeã, ab Alciati sententia nõ sim temerè recessurus: quem & multiplex doctrina, & morũ probitas immortalem sine dubio reddiderint. Cum itaq; Florentinus in libro de Verborum significatione ita scripserit; Locus sine ædificio in urbe area, in rure autem ager appellatur: aream in urbe impropriè, seu metaphoricè dici censet Alciatus. qui Iureconsulti uerba enarrans, ita inquit: Area locus sine ædificio est, ab ariditate dictus, uel quòd in ea fructus arescãt. alij, quòd solo sit nimio solis ardore arido: quidam, quòd sicut ara in templis pura est, ita hæc ab ædificijs pura, nec obtecta sit. sunt et, qui ab aëre dictam credant. Ego priorem etymologiam probo, & aream propriè pro rustico loco interpretor: de quo P. Virgilius,

Area quàm primum ingenti est æquanda cylindro.

Nec in urbe sibi nomẽ uendicare arbitror, nisi μεταφορικῶς. Videtur enim quod ueteres impluuiũ, cohortem, plateam, hypæthriumq; dixerint, unico nomine per translationem aream appellari posse. Hæc Alciatus. At ego, quòd nullam hic nec de proprietate, nec de translatione à Florentino mentionem factam uideo,

deo, cur'nam latè prolata uerba ad proprietatem aut improprietatem reducat Alciatus, non intelligo: quin potius cum Iureconsultus locum sine ædificio in urbe aream, in rure agrum appellari affirmet, nescio quàm rectè priorem etymologiã probet Alciatus. Si enim area inde dicta sit, quòd arida, uel quod in ea fructus arescant, iam Florentinus nimis ineptus est, qui areã in urbe omnem locũ sine ædificio appellet, in qua nulli omnino fructus arescant. Denique nihil magis est diuersum, quàm Iureconsulti Alciatiq; sententia. Proinde & illa deductio uerior erit, quod sicut ara in templis pura est, ita hæc ædificijs uacet: quæ & Florentini definitioni, & rei ueritati melius conueniret. Nec me latet, Terentium Varronem de area ita scribere: Vbi frumenta secta terantur & arescant, area, propter huiusmodi similitudinem loca in urbe pura areæ. à quo potest etiã ara deûm esse, quod pura: nisi potius ab ardore, ad quem ut sit fit ara, à quo ipsa area nõ abest, quod qui arefacit, ardor est solis. Et Sextum Pompeium sic: Area propriè dicitur locus uacuus, quasi exaruerit, & non possit quicquam regenerare. Sed quum Horatius Fusco Aristio scribens ita canit,

Viuere naturæ si conuenienter oportet,
Ponendæq; domo quærenda est area primum,
Nouisti'ne locum potiorem rure beato?

non propriè mihi, sed maximè propriè locutus uidetur: nempe ut quicunque locus sine ædificio, siue in urbe, siue extra urbem sit, is rectè area dicatur. Quòd si uerior esset M. Varronis, quàm Iureconsulti sententia, Alciatum tamen Florentini partes tutari æquum erat, cum eundem, cæterosq; eius ordinis ueteres nunquam uel tantillum dormitasse censeat: quippe qui ut Vallæ aduersaretur, multis in locis eos defendit. Idem Horatius in primo Carminum areas uocat plateas, quæ in urbibus sunt. ait enim:

Nunc & campus, & areæ,
Lenesq; sub noctem susurri,
Composita repetantur hora.

Liuius itidem sæpissimè in urbe aream nominat, cum in nono sic scribat: Aedem Concordiæ in area Vulcani summa inuidia nobilium dedicauit. Et uigesimo quinto: Cuius certandæ cum dies aduenisset, concilium'que tam frequens plebis adesset, ut multitudinem area Capitolij uix caperet, perorata causa, spes una uidebatur esse. Et trigesimo nono: Supplicatio extremo anno fuit prodigiorum causa, quòd sanguinem per biduum pluisse in area Concordiæ satis credebant. Et quadragesimo: In area Vulcani & Concordiæ sanguinem pluit. & Ouidius in sexto Fastorum,

Prospicit à tergo summum breuis area circum,
Est ubi non paruæ parua columna notæ.

Eodem modo loca ubi prius ædificia fuerint, hoc nomine significantur. Liuius libro quarto: Domum deinde, ut in monimento area esset, oppressæ nefariæ spei dirui extemplò iussit. Et libro septimo: Senatus duumuiros ad eandem ædem pro amplitudine populi Romani faciendam creari iussit. Locus in arce destinatus, quæ area ædium M. Manlij Capitolini fuerat. Cicero ad Terentiã scribens: Quòd de domo scribis, inquit, hoc est de area, ego uerò tũc demũq; mihi uidebor restitutus, si illa nobis fuerit restituta. & ad Q. fratrem: A puero ut discessi, in aream tuam ueni. res agebatur multis structoribus. Atq; ut hæc in urbe M. Tullium scripsisse credamus, mox ait: Luceium conuenire non poteram, quòd abfuerat, uidere autem uolebam, quòd eram postridie Roma exiturus. Idem ad Atti-

cum libro quarto: Nos tacemus, & eo magis, quòd de domo nostra nihil adhuc Pontifices responderunt, qui si sustulerint religionem, aream præclaram habebimus. Et in sequenti epistola: Quum Pontifices decreuissent, ita si neque populi iussu, aut plebiscitis, id facere iussus esset, uideri posse sine religione iam partē areæ mihi restitui, mihi facta statim est gratulatio. Et alibi: Armatis hominibus ante diem tertium No. Nouemb. expulsi sunt fabri de area nostra. In his & alijs propè infinitis locis, si aut improprietatem, aut translationem inesse contendat Alciatus (licet uix credibile uideatur) Iureconsulto se aduersari negare non potest, cuius generaliter prolata uerba, generaliter sunt accipienda. De area Valla sic ait: Campus est planicies terræ ampla & grandis, ideoque spaciosæ plateæ, areæ'ue, campi nomen acceperunt, unde Romæ campus Martius. Nam locus huiusmodi angustior, uocatur area. Ponitur & frequentissimè pro eo terræ spacio, in quo frumenta teruntur. ut apud Virgilium in primo Georgicorum,

Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.

Et in tertio eiusdem operis,

Cum grauiter tunsis gemit area frugibus. Et Tibullum,

Area dum messes solecadente teret.

Ea autem quomodo fieri debeat, ita docet Cato de Re rustica: Aream, inquit, sic facito. Locū ubi facias confodito, postea comminuito bene glebas, deinde coæquato, & pauiculis uerberato. postea denuo amurca conspergito, finitoque arescat. Si ita feceris, neque formicæ nocebunt, neque herbæ nascentur. Et inferius de eadem re: Aream ubi frumentum teratur, sic facies. Confodiatur minutè terra, & amurca bene conspergatur, ut combibat quàm plurimum. Vbi bene comminuta terra fuerit, & amurcam combiberit, cylindro, aut pauicula coæquato. ubi coæquata fuerit, neque formicæ molestæ erunt, & cū pluet lutum nō erit. Sed huiusmodi areæ lapidibus quoque muniuntur: à quibusdam etiam pro locorum natura teguntur. Varro libro primo de Re rustica: Quidam, ait, aream ut habeant solidam muniunt lapide, aut etiam faciunt pauimentum. Nonnulli etiam tegunt areas, ut in Bagiennis, quòd ibi sæpe id temporis anni oriuntur nimbi. Palladius quoque de area silicibus sternenda sic inquit: Fit autem uel strata silice, uel saxo montis excisa, uel sub ipso trituræ tempore ungulis pecorum, & aquæ admistione solidata. Dicuntur etiam areæ purgata prope mare loca, in quibus sal fit. Columella libro secundo: Nisi fortè in eo fallor ipse, quòd non putem, aut in solo limosæ paludis, & uliginis amaræ, aut in maritimis areis salinarum gigni posse iacta frumenta. Eius diminutiuum areola, pro eo spacio sumitur, in quo aliquid serimus. Idem libro quinto de satione cythisi: Cum terram bene subegeris, areolas facito, ibi'que uelut ocymi semen cythisi autumno serito. Plautus aream pro eo spacio, quod aucupes ad aues decipiendas concinnare solent, in Asinaria ponit, ait enim,

Non tu scis? hic noster quæstus aucupij simillimu' st,
Auceps quando concinnat aream, effundit cibum, aues
Assuescunt: necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt: semel si sunt captæ, rem persoluunt aucupi.
Itidem apud nos: ædis nobis area est, amatores aues.

Ponitur & metaphoricè. ut quemadmodū dicimus, Nimis patentem campū ingrediar, si tuas uirtutes enumerare uelim: sic etiam nō sit nouū, maxima in tuas laudes area patet, & maiorem areā terunt nostri equi. Ouidius in III Fastorū,

Quæ decuit primis sine crimine lusimus annis,

Nunc

Nunc teritur nostris area maior equis. Idem in quarto Tristium,

Et patet in laudes area magna tuas.

Et hæc de area: cuius appellatione nescio an impluuiũ (ut censet Alciatus) contineatur. nam eam uocem in hoc significatu, nunquam memini me legere, nec hypæthriũ quidem. Enimuero quãuis area locus sine ædificio dicatur, uix tamen ad impluuiũ, hypæthriumq́ alia iam nomina sortita deducetur, quod de plateis & de cohortib. nõ dicerem: idq́ non tam ratione, quàm ueterum usu, cuicunq; rationi hoc tempore præponendo, colligitur. Idem Alciatus, quid sit utrobi declarans: Eadem, inquit, ratione dicimus utrobi utro in loco, qua alibi alio in loco, et inibi in eo loco, necubi ne quo in loco, et sicubi si quo in loco. Ouidius,

Sicubi Colchorum memini regina uacaui: Ita enim censeo legendum.

Nuncubi, num quo in loco. Terentius in Eunucho: Nuncubi meam benignitatem sensisti in me claudier? Cõcisa autem sunt hæc ex dictione alicubi, ut etiam Vallæ placere uideo. Hic sanè Ouidij locum pro suo iure restituit Alciatus, & pro, at tibi, sicubi reponit. Sed eius lectio à uera plurimũ abest. Quis enim esset eorum carminum sensus, si ita legeremus, Sicubi uacaui tibi quũ opem à me peteres, tum parcæ suos fusos euoluisse debuerant? Non utiq; manifestissimũ, quo Iasonem seruauerat beneficium, mulier præsertim maximo dolore accensa in dubium reuocaret, & conceptum in Iasonem odium parum effunderet, si à sicubi uoce epistolam inchoasset. Quid, quòd & Medeæ sententia nimis esset ridicula? Vera est igitur, & maximè genuina lectio,

At tibi Colchorum memini regina uacaui,

Ars mea quum peteres ũt tibi ferret opem.

Incipit autem Medea ex abrupto, et præcedentem ostendit indignationem. cui simile est Virgilianũ illud de Priamo; qui quanq̃ media iam in morte teneretur,

Non tamen abstinuit, nec uoci iræq; pepercit, sed subito furore percitus,

At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis,

Dij. si qua est cœlo pietas, quæ talia curet,

Persoluant grates dignas, & præmia reddant

Debita. Et mox,

At non ille satum quo te mentiris Achilles,

Talis in hoste fuit Priamo. Sunt nonnulli codices, qui duos uersus his præmissos habeant, non modò non Ouidio, sed ne quadrimo quidem uersificatore dignos.

De Littore & Ripa. Cap. X.

Littus, inquit Celsus in libro de Verborum significatione, est, quóusque maximus fluctus à mari peruenit: id'que M. Tullium aiunt, cum arbiter esset, primum constituisse. Alciatus autem Celsi interpres, sic: Littus propriè maris est. ripa fluminum. Veteres tamen μεταφορικῶς littus de qua cunque extremitate dixerunt, qua ratione Virgilius: Iacet, inquit, littore truncus. Hoc, salua Alciati pace, tam falsum est, quàm nullus antiquorum littus hoc modo definiuit. Nec enim Virgilius, quum de Priami corpore ita scriberet, de extremitate intellexit, sed de littore maris propriè. quod & Seruius illius uerba explicans, ostendit, quum ait: Pompeij tangit historiam. Quòd autem dicit, littore, illud, ut suprà diximus, respicit, quod in Pacuuij tragœdia continetur. Quòd autem Donatus dicit, littus locum esse ante aras, à litando dictum, ratione caret. nam à litando li breuis est, & stare non potest uersus. Hæc Seruius. Eodem modo secundo Aeneidos libro sub Sinonis persona Virgilius C. Marij fugam attigit,

Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus,
Triginta capitum foetus enixa iacebit,
Alba solo recubans.

Quem locum sic interpretatur Seruius: Littus dicitur, quicquid iuxta aquam est; unde nũc ripam fluminis, littus uocauit. Quin apud poëtas pro ea parte usurpatur, quæ littori est uicina: ut sit etiam littus, quod nõ hybernus fluctus maximus elidat. Virgilius libro Aeneidos primo,

Foemina, quæ nostris errans in finibus urbem
Exiguam precio posuit, cui littus arandum,
Cuiq; loci leges dedimus.

Et in septimo,

Dijs sedem exiguam patrijs, littusq; rogamus
Innocuum.

Et ripa maris: Horatius,

Hostium uxores, puerięq; cæcos
Sentiant motus orientis Austri, &
Aequoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas.

Et lacus: Ouidius in quinto Metamorphoseos,

Sæpe super ripam stagni considere, sæpe
In gelidos resilire lacus.

Et fontis: Martialis libro septimo scribens ad fontem Hiantidos,

Cum tua tot niueis ornetur ripa ministris.

Sed & torrentis: Ouidius in secundo Fastorum,

Ecce uelut torrens undis fluuialibus auctus,
Aut niue, quæ Zephyro uicta tepente fluit,
Per sata, perq; uias fertur, nec ut ante solebat,
Riparum clausas margine finit aquas.

M. Tullius in Topicis de littore sic ait: Solebat igitur Aquilius collega & familiaris meus, quũ de littoribus ageret, quæ omnia publica esse uultis, quærẽtibus ijs ad quos id pertinebat, quid esset littus, ita definire, qua fluctus eluderet. Iabolenus uerò: Littus, inquit, publicũ est eatenus, quatenus maximè fluctus exęstuat.

Quid sit in Horatij epistola, Trans pondera dextram porrigere. Cap. XI.

Q. Horatius Flaccus, absolutissimus omnium iudicio scriptor, & Latinæ lyræ princeps, in primo Epistolarũ libro ad Numiciũ scribens, ita inquit,

Si fortunatum species & gratia præstat,
Mercemur seruum, qui dictet nomina, sæuum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere: hic multum in Fabia ualet, ille Velina,
Cuilibet hic fasces dabit, eripietq; curule
Cum uolet importunus ebur: frater, pater, adde,
Vt cuiq; est ætas, ita quemq; facetus adopta.

Horum carminum quis sit sensus, omnes Horatij interpretes facile colligunt. Si, inquit, non uirtute, sed gratia, honoribus, populariq; fauore felicitatem constare arbitraris, cum innumeros habeas seruos, mercare tibi nomenclatorem, qui omniũ dictet nomina, quo præeunte omnes tibi de uia decedant, qui te dextram trans pondera porrigere cogat, qui que demum omnium ciuium mores, authoritatemq; cognoscat. Nec mediocris est inter eos dissensio, an sæuum ad seruum, an ad latus sit referendum. Quid sit tamen dextram trans pondera porrigere, aut prætermittunt, aut tam ridiculè explicant, quàm ignobilibus ex nostrorum commentatorum ordine ingenijs conueniebat. Et cogat trans pon-

dera dextrã porrigere, ait nescio quis, hoc est, qui porrecta dextra dominũ ab al tera uiæ parte in alterã trans pondera, aut lapidũ, aut magnæ materiei trãsire iu beat: ut per hoc procerũ, robustumq; seruũ ad ambitionis ostentationem intelligas. Quid hoc est, si nõ est mera impostura? Quid quæso te, unice Horatij arcanorũ scrutator, lapides in media uia positi ad honores assequẽdos, cõciliandũq; sibi populi fauorem spectant? quid trunci, aliaq; materies? Quid si non lapidũ, sed cœni, aut pinguis fimi cumulus in uia esset, num ponderis appellatione con tineretur, ut lapides? an pondera omnem materiam appellas? Et certè, ais. Ergo qui eiusmodi seruũ habuerit, omnes honores facile consequetur? Iam qui Polyphemum secũ duceret, quibusuis honoribus ornaretur. Non enim trans lapides tantũ, sed trans altissima palatia dominũ uel nolentem dextrã porrigere cogeret. Nõ uides pecus, quàm stultè Horatio id impingas, quod omnib. somnijs est inanius? Sit igitur hic uerus poëtæ sensus, ut pro ponderibus lecticã interpretemur: Si populi gratiã, ait, honoribus deditus captas, seruũ tibi emito, tam tuo commodo aptũ, ut te etiam inuitũ, cum lectica per urbem ueheris, manus trans eam iubeat porrigere, nempe ut ciues salutes, manuq; prehendas. Vocat uerò lecticam pondus satyrico more, ut Romanorũ corruptelã reprehendat, qui non mediocribus lecticis cõtenti, ita magnis utebantur ijs, ut meritò pondera uocari possent. Hacq; ratione Horatiũ nihil à sua sententia discrepans tradidisse intelligemus, præsertim quòd ita subdit: Hic multũ in Fabia ualet, ille Velina. Enimuero aut antè aut pòst, quàm seruus dominũ prætereuntibus dextrã extra lecticam porrigere coëgisset, ijs uerbis utebatur, hic in Fabia tribu multũ ualet, ille in Velina: hic nisi eius rationẽ habueris, nõ tibi modò, sed & omnib. fasces ac ebur curule dare, itidẽq; importunus eripere poterit. Quod nisi sic exponamus pondera, quid sibi uelint Horatiani uersus, cõijcere nescio: quamuis ridiculos interpretes meras ineptias balbutire non ambigã. Decuit potius eiusmodi nebulones, omni inter se industria de præpositione trans, ac si dicas, de lana caprina disceptare: cũ alij simpliciter eam, alij cõpositè ab Horatio usurpatã contendant, quasi grauissima quæq; nõ leuiter tractent, ac in leuissimis aliud quàm puras nænias crepent. Nostrã mediusfidius interpretationem tantisper probari cupio, dum meliorem alius quispiam comminiscatur. Neq; enim tam sum meis addictus, ut si quod semel protuli falsum esse sciero, mordicus idem sim defensurus. Quin potius ingentes ei gratias agam, referamq;, si licuerit, qui de aliquo me errato amicè commonefecerit: cum omnes mortales, quantumuis immortalitate dignos, iudicio aliquando lapsos fuisse, mihi non sit incognitum.

Aliter agnosci à C. Plinio Auunculo Virgilianum carmen, quàm in omnibus, qui in manibus sunt, codicibus habeatur. Cap. XII.

PVblius Virgilius Maro nostrorum poëtarum facile princeps, in II Georgicorũ libro, in quo de arboribus diuinè agit, de insitione loquens ita inquit:

Inseritur uerò ex fœtu nucis arbutus horrida,
Et steriles platani malos gessere ualentes,
Castaneæ fagos, ornusq; incanuit albo
Flore pyri, glandemq; sues legere sub ulmis.

Cum in hisce carminib. diuersæ à plerisq; agnoscantur lectiones, de quibus Seruius, & Pierius Valerianus copiosius, omnes tamen in postremo carmine glandem legunt. Verũ Caius Plinius libro Naturalis historiæ XV, nõ glandem, sed cerasum in eo probat. Ait enim: Præterea dixit uolema Virgilius à Catone sumpta, qui & sementina & mustea nominat. Pars hæc uitæ iã pridẽ peruenit ad culmen,

men, expertis cuncta tēporibus: quippe cū Virgilius insitā nucibus arbutū, malis platanū, cerasis ulmū dicat. Hæc uerba quàm à recepta nostris temporib. lectione dissentiant, quis nō uidet? Nec alius est in Georgicis locus, cui Plinianus sensus cōuenire possit, si in glandis uoce mendū non esse cōtendamus. Seruius neq; glandis, neq; cerasi utiq; meminit. Pierius uerò exemplariū tantū fidem secutus, locū hunc nō leuis quidē momenti, prorsus omisit. Quid ergo? An Pliniū in re tam manifesta errasse dicemus? Et sanè cū de aliarū arborū quas in præcedentibus uersibus attigit Virgilius, insitione nominatim fecerit mentionē, uix credas eū in diuersissimis uocibus memoria uacillasse. Contrà mirū dixeris, si rectè sentit Plinius, omnes ad unū codices glandē habere. Quod facit, ut quæ lectio magis sit probanda, nō facile dignoscas: presertim quod Virgilij tēporibus in minori honore erant glandes, quàm cerasa. Et ideo reperta est insitio, ut steriles, agrestesq; arbores feraces reddantur, syluestrēq; (ut Virgilij utar uerbis) animū exuentes, utiles percelebresq; fructus, nō glandem producant, quā ferentiū arborū infinitæ syluæ sues pascunt. Ad hæc quòd Virgilius sues nominat, glandem in eius uersu legi debere apparet, cū porci nō cerasis, sed glande præcipuè uiuāt. Nā quòd fregere ait, utriq; lectioni cōuenit, cū frangātur glandes, & frangantur uerius cerasorū ossicula. Demū si glandis cerasorumq; nobilitas cōsideretur, de Virgilij temporibus intelligentes, cerasis eā trbuemus, quam diu olim sibi glandes uendicarūt, nempe quibus humanū genus diu uictitarit. Hinc Virgilius in primo Georgicorum: Vos ô clarissima mundi

Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres, uestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista. Et inferius,
Prima Ceres ferro mortales uertere terram
Instituit, cum iam glandes atq; arbuta sacræ
Deficerent syluæ, & uictum Dodona negaret.

Atqui & quercus legimus à Græcis oracula habitas, unde & fatidicam ratem alius appellauit. Ego quod ad me attinet, suum unicuique iudicium hac in re libentissimè relinquam: si hoc præterea adiecero, nec nouum, nec inauditum uideri posse, quòd Virgilius ulmos ex cerasis inseri præcipiat, cum & lauris olim eas insitas fuisse sciamus, de qua re idem Plinius de octo cerasorum generibus loquens, sic ait: Minus quinquennium est, quod prodiere quæ uocant laurea, non ingratæ amaritudinis insitæ in lauro.

Varia de Pythagoræ temporibus, & Numæ Pompilij doctrina ab antiquis credita & scripta fuisse. Cap. XIII.

TAm diuersa à scriptoribus de Pythagorę Samij temporibus tradita sunt, ut quo seculo uixerit, quo'ue Romæ regnante in eā Italiæ orā, quæ magna Græcia dicebatur, appulerit, uix dignoscas. Cumq; nō pauci Numam Pompilium eius discipulū fuisse perhibuerint, plurimi Pythagoram Seruij Tullij ætate ad Italos transisse contendunt. Itaq; Titus Liuius de Numa agens, tanquam nugatores deridet eos, qui illius doctrinam ad Pythagorā referebant. Ait enim primo ab Vrbe cōdita libro: Inclita iustitia, religioq; ea tēpestate Numę Pompilij erat. Curibus Sabinis habitabat cōsultissimus uir, ut in illa quisquā esse ętate poterat, omnis diuini atq; humani iuris. Authorē doctrinæ eius, quia nō extat alius, falsò Samiū Pythagorā edunt, quē Seruio Tullo regnāte Romæ C, amplius post annos in ultima Italiæ ora circa Metapontū, Heracleamq;, & Crotonā, iuuenū æmulantiū studia cœtus habuisse cōstat. Ex quib. locis, & si eiusdē ætatis

fuiſſet quæ fama in Sabinos, aut quo linguæ commercio quenquã ad cupiditatem diſcendi exciuiſſet: quo'ue præſidio unus per tot gentes diſſonas ſermone, moribusq́ perueniſſet: Suopte ingenio temperatũ animum uirtutib. fuiſſe opinor magis, instructũq́, nõ tam peregrinis artibus, quàm diſciplina tetrica ac triſti ueterum Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit. Hæc Liuius. Plinius tamen Caſſiũ Heminam, Caiumq́ Piſonem aliter ſenſiſſe oſtendit libro Naturalis hiſtoriæ decimotertio: quamobrem & ipſius uerba, ut cũ Liuij loco facilius quiſq́ ea cõferre ualeat, ſubiungã. Ingentia quidẽ, inquit Plinius, exẽpla contra Varronis ſententiã de chartis reperiuntur, namq́ Caſſius Hemina uetuſtiſſiſſimus author Annalium, quarto eorum libro prodidit, C N. Terentiũ ſcribam agrũ ſuum in Ianiculo repaſtinantem offendiſſe arcã, in qua Numa qui Romæ regnauit ſitus fuiſſet. In eadẽ libros eius repertos P. Cornelio L. Filio Cethego, M. Bebio Q. Filio Pamphilo COSS. ad quos à regno Numę colliguntur anni D. XXXV. & hos fuiſſe è charta, maiore etiã miraculo, quòd tot infoſſi durauerunt annis. Quapropter in re tanta ipſius Heminæ uerba ponã. Mirabantur alij, quomodo illi libri durare potuiſſent. Ille ita rationẽ reddebat: Lapidem fuiſſe quadratũ circiter in medio arctè uinctũ candelis quoquouerſus. In eo lapide inſuper libros impoſitos fuiſſe, propterea arbitrarier eos nõ computuiſſe: & libros cedratos fuiſſe, propterea arbitrarier tineas nõ attigiſſe. In his libris ſcripta erant philoſophiæ Pythagoricæ: eosq́ combuſtos à Q. Petilio prætore, quia philoſophiæ ſcripta eſſent. Hoc idem tradit C. Piſo Cenſorius, primo commentariorũ libro: ſed libros ſeptẽ iuris Pontificij, totidemq́ Pythagoricos fuiſſe. Et paulò pòſt: Antias ſecundo, duos Pontificales Latinos, totidẽ Græcos præcepta philoſophiæ cõtinentes. Idẽ tertio, ponit, quò cõburi eos placuit. Hactenus quidẽ Plinius. Sed et Liuius libro quadrageſimo, eorundẽ librorũ mentionẽ facit, ita ſcribens: Eodẽ anno in agro L. Petilij ſcribæ ſub Ianiculo, dũ cultores agri altius moliuntur terrã, duæ lapideæ arcæ octonos fermè pedes longæ, quaternos latæ, inuẽtę ſunt, operculis plũbo deuinctis. literis Latinis Græcisq́ utraq́ arca inſcripta erat: in altera, Numã Pompiliũ Pomponis filiũ regem Romanorũ ſepultum eſſe: in altera, libros Numæ Pompilij ineſſe. Eas arcas cum ex amicorũ ſententia dominus aperuiſſet, quæ titulũ ſepulti regis habuerat, inanis inuẽta ſine ullo ueſtigio corporis humani, aut ullius rei, per tabẽ tot annorũ omnibus abſumptis. In altera duo faſces candelis inuoluti ſeptenos habuere libros, nõ integros modò, ſed recentiſſima ſpecie: ſeptem libri Latini de iure pontificio erãt, ſeptẽ Græci de diſciplina ſapiẽtiæ, quæ illius ætatis eſſe potuit. Adijcit Antias Valerius, Pythagoricos fuiſſe. Vulgatæ opinioni, quia credit Pythagoræ auditorẽ fuiſſe Numã, mendacio probabili accõmodat fidẽ. Primò ab amicis, qui in re præſenti fuerũt, libri lecti: mox plurib. legẽtibus cũ uulgarẽtur, Q. Petilius pretor urbanus, ſtudioſus legẽdi eos libros, à L. Petilio ſumpſit. Et erat familiaris uſus, quòd ſcribã eũ quæſtor Q. Petilius in decuriã legerat. Lectis rerũ ſummis, cũ animaduertiſſet pleraq́ ad diſſoluendã religionẽ eſſe, L. Petilio dixit, ſeſe eos libros in ignẽ coniecturũ eſſe: priuſquã id faceret, ſe ei permittere, uti ſi quod ſeu ius, ſeu auxiliũ ſe habere ad eos libros repetendos exiſtimaret, experiretur, id integra ſua gratia eũ facturũ. Scriba Tribunos plebis adit, ab Tribunis ad ſenatũ res eſt reiecta. Pretor ſe et iuſiurandũ dare paratũ eſſe aiebat, libros eos legi ſeruariq́ nõ oportere. Senatus cenſuit ſatis habendũ, quòd prætor iuſiurandũ polliceretur: libros primo quoq́ tẽpore in Comitio cremandos eſſe, preciũ pro libris quantũ Q. Petilio prætori, maioriq́ parti Tribunorũ plebis uideretur, domino eſſe ſoluendum.

uendum, id scriba nō accepit. Libri in comitio igne à uictimarijs in conspectu populi cremati sunt. Quid igitur in tanta scribentium uarietate dicemus? præsertim cum Plutarchus in Numæ Pompilij uita, quæ ille de deorum immortalium simulachris statuit, Pythagoræ documentis quàm simillima fuisse, & sacra ab eodem instituta Pythagoræ ritum, sanctimoniam'que uehementer attigisse perhibeat? Tum quo pacto credibile erit, septem Numæ libros, & Græcè scriptos fuisse, & habuisse præcepta philosophiæ, si nullum, ut Liuius libro primo affirmat, linguæ commercium inter Græcos Sabinosq; erat? Nam cum de philosophia loquimur, ut de Græcis sileamus, quæ'nam in Italia philosophia ante Pythagoricam fuit? Non sit proinde mirum, si magna apud ueteres de hac re dubitatio uiguit, cum alijs peregrinis coniecturis niterentur, qui Numam Pytagoræ familiarem fuisse uolebant, quarum non postrema erat, quòd Romani suæ reipublicæ Pythagoram adscripsissent, sicuti Epicharmus Comicus in quadam ad Antenorem oratione docebat, uetustissimus quidem ille poëta, & Pythagoricæ philosophiæ nō expers. Sed enim addebant & alij, Numam, cū quatuor habuisset filios, Mamercum unum propter Pythagoræ filiū appellasse. Ab illo autem & Aemyliorum familiam patritijs admistam, nominatam ferebant: sic rege blandiloquiū uiri illius, quod αἱμυλίαν Græci uocant, & in dicendo gratiam appellante. Atqui hæc non ignorasse Liuium crediderim, & tamen pro cōperto asserit, Pythagoram centū et amplius pòst annos in Italia fuisse, quàm Romæ regnarit Numa Pompilius, à quo non dissentit Plinius libro primo Naturalis historiæ, Inquit autem, de Veneris sidere loquens: Quam naturā eius Pythagoras Samius primus deprehendit, Olympiade circiter quadragesima secunda, qui fuit urbis Romæ annus centesimus quadragesimus secūdus. M. quippe Cicero, Superbo regnāte Pythagoram in Italiā uenisse uult, primo Tusculanarum quæstionū libro hisce uerbis eā rem explicans: Hanc opinionē discipulus eius Pythagoras maximè cōfirmauit, qui cū Superbo regnante in Italiā uenisset, tenuit magnā illam Græciā cum honore & disciplina, tum etiā & authoritate. Multaq; secula postea sic uiguit Pythagoreorū nomen, ut nulli alij docti uiderentur. Idem quoq; quarto eiusdē operis libro de eadem re sic ait: Erat enim illis penè in conspectu præstanti sapientia & nobilitate Pythagoras, qui fuit in Italia temporibus ijsdem, quibus Iunius Brutus patriam liberauit, præclarus author nobilitatis tuæ. Sed & in secundo de Oratore: Nam & repleta quondā Italia Pythagoreorum fuit, tum cum erat in hac gente magna illa Græcia: ex quo etiam quidam Numam Pompilium illum regem nostrum fuisse Pythagoreum ferūt, qui annis permultis ante fuit, q̃ ipse Pythagoras: quo etiam maior uir habendus est, cum illam sapientiam constituendæ ciuitatis duobus propè seculis ante cognouit, quàm eam Græci natam esse senserunt. Quæ si uera sunt, falsò Ouidius libro tertio Fastorum ita canit:

Primus oliuiferis Romam deductus ab aruis
　Pompilius, menses sensit abesse duos.
Siue hoc à Samio doctus, qui posse renasci
　Nos putat, Egeria siue monente sua. Et in tertio de Ponto,
Præmia nec Chiron ab Achille talia cœpit,
　Pythagoræq; ferunt non nocuisse Numam.

Dissentiunt ab hoc poëta, non illi modò, quos modò nominauimus authores, uerum & Aulus Gellius, qui decimo septimo Noctium Atticarum, Pythagoram Samiū Tarquinij filio, cui Superbus cognomentū fuit, Romæ regnū obtinente

nente, in Italiam uenisse refert: secutus, ut opinor, M. Tullium, à quo perrarò solet dissentire. Cæterum quòd Liuius, ut dictum est, non tantum temporum rationibus, sed et coniecturis Numam non potuisse Pythagoram audire, ostendere nititur, ut de temporibus ei concessero, ita non admodum uerè coniectatus est, cum ita scriberet: Ex quibus locis & si eiusdem ætatis fuisset, quæ fama in Sabinos, aut quo linguæ commercio quenquam ad cupiditatem discendi excitasset? quo'ue præsidio unus per tot gentes dissonas sermone, moribus'que peruenisset? Hanc enim coniecturam contraria coniectura reijcit Marcus Tullius, quarto Academicarum quæstionum libro sic scribens: Quis est enim qui putet, quum floreret in Italia Græcia, potentissimis & maximis urbibus, ea quæ Magna dicta est, in hisq; primum ipsius Pythagoræ, deinde postea Pythagoreorum tantum nomen esset, nostrorum hominum ad eorum doctissimas uoces aures clausas fuisse? Quin etiam arbitror propter Pythagoreorũ admirationem, Numam quoq; regem Pythagoreum à posteris existimatum. Nam cum Pythagoræ disciplinam & instituta cognoscerent, regisq; eius æquitatem, & sapientiã à maioribus suis accepissent, ætates autẽ & tempora ignorarent, propter uetustatem eum qui sapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuisse creditum. Diogenes etiam Laertius in Pythagoræ uita, plurimos passim per Italiam ab eo doctos uiros redditos, Zaleuchumq; atq; Charondam legum latores inter cæteros ab eo eruditos fuisse tradit. Non sum nescius, multo plura testimonia apud alios scriptores, & apud hos ipsos fortè, quorum loca recitauimus, pro utraque sententia reperiri. Sed nos interim paucis tantum rem attigisse uoluimus.

Nullam à M. Tullio in Bruto P. Sempronij Tuditani mentionem factam fuisse, quamuis à Tito Liuio facundissimus appelletur. Cap. XIIII.

M. Cicero in eo libro qui Brutus, seu de Claris oratoribus inscribitur, diligentissimè omnes, qui Romæ aliquã in dicendo laudem meriti sunt, persecutus, cum multorum etiam (ut ita dicam) indoctorum fecerit mentionem, de P. Sempronio Tuditano, qui facundissimus à Liuio dicitur, nullum uerbum fecit, licet de M. Cornelio Cethego, qui ijsdem temporibus uixit, cum'que Tuditano decimoquinto belli Punici anno Consul fuit, diffusè scripserit, non alia de causa, quàm quòd ab Ennio carmine celebratus fuerit. Quare eius de Cethego iudicium proferemus, tum Titi Liuij de P. Sempronio uerba subijciemus, ut uel Marcum Tullium memoria (si modò de tanto uiro id existimare fas est) uacillasse, uel ab eorum, quos Liuius secutus est, opinione, data opera dissentire uoluisse intelligamus. Quem uerò, inquit Cicero, extet, & de quo sit memoriæ proditum eloquentem fuisse, & ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiæ est author, & idoneus quidem mea sententia, Q. Ennius, præsertim cum & ipse eum audiuerit, & scribat de mortuo. Ex quo nulla suspicio est, amicitiæ causa esse mentitum. Est igitur sic apud illum in nono (ut opinor) Annali,

Additur orator Cornelius suauiloquenti
Ore Cethegus, Veturio collega Philoni
Filius.

& oratorem appellat, & suauiloquentiã tribuit, quæ nunc quidem non tam est in plerisque. Latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur. sed est ea laus eloquentiæ certè maxima,

Is dictus ollis popularibus olim,
Qui tũ uiuebãt homines, atq; æuũ agitabant, Flos delibatus populi.

Probè uerò. Vt enim hominis decus ingenium, sic ingenij ipsius lumen est eloquentia, qua

qua uitum excellentem præclarè tum illi homines florem populi esse dixerunt.

Suadæq; medulla, πειθὼ quam uocant Græci, cuius effector est orator, hanc Suadam appellauit Ennius, eius autem Cethegum medullam fuisse uult: ut quam deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitauisse, huius hic medullam nostrũ oratorem fuisse dixerit. At hic Cethegus Consul cũ P. Tuditano fuit bello Punico secũdo: Quæstorq; his coss. M. Cato modò planè annis CXXXX ante me Consulem. Et idipsum nisi unius esset Ennij testimonio cognitũ, hunc uetustas, ut alios fortasse multos, obliuione obruisset. Hæc Tullius. Titus autem Liuius trigesimo ab Vrbe condita libro sic ait: CN. Seruilius Cepio, & CN. Seruilius Geminus coss. (sextusdecimus is annus belli Punici erat) cum de repub. belloq; & prouincijs ad senatum retulissent, censuerunt Patres, ut coss. inter se compararent, sortirentur'ue, uter Ethruriam ac Liguriam prouinciam haberet: cui Brutij euenissent, exercitũ à P. Sempronio acciperet, P. Sẽpronius (ei quoque enim procõsuli imperiũ in annum prorogabatur) P. Licinio succederet; is Romã reuerteretur. Bello quoq; bonus habitus ad cætera, quib. nemo ea tẽpestate instructior ciuis habebatur: cõgestis omnibus humanis à natura fortunaq; bonis. Nobilis idẽ ac diues erat, forma, uiribusq; corporis excellebat, facundissimus habebat. seu causa oranda, seu in senatu & ad populũ suadendi ac dissuadendi locus esset: iuris Põtificij peritissimus. super hæc bellicæ quoq; laudis consulatus cõpotem fecerat. Hactenus ille. Cæterum ego, ut miror prorsus à Cicerone de oratoribus agente prætermissum fuisse P. Semproniũ, quamuis eius cum Cethego consulatum nominarit: ita non ab re eundem Tuditanũ à Tito Liuio excellentem oratorem designatum fuisse reor, quem & facundissimum, & suadendi, dissuadendiq;, quod est proprium oratoris, maximè peritum uocarit. An ergo Liuiũ hoc sibi confinxisse dicemus? An M. Ciceronem alteri intentũ, alterum per incuriã omisisse, in animũ inducere poterimus? Sed de his loquebatur (respondebit M. Tullij defensor) qui non modò oratores fuere, sed etiam ab hominibus habiti sunt. Rectè quidem. Verũ & Tuditanus facundissimus habebatur, seu causa oranda, seu in senatu & ad populũ suadendi ac dissuadendi locus esset, ait Liuius. cuius uerba idem mihi inferre uidentur, quod de Cethego tradit Ennius. Vt enim hic Suadæ medulla dictus fuerit, ac ore suauiloquenti celebratus, qui tamen aliquid uel suadere uel dissuadere poterat, nec Cethego, nec ipso Pericle, meo iudicio, inferior est habẽdus. Quòd si de oratore melius iudicare credetur orator quàm historicus, mecum sentiret, qui id assereret, si M. Tullius Cethegi Tuditaniq; orationes, aut alia quæuis scriptorum genera legisset. Cum uerò obliuioni eum ademerit unius Ennij testimonium, si fortè de P. Sempronio Q. Ennius nihil memoriæ prodidit, alios certè illius eloquentiã scriptis consecrasse, uero simillimum uidetur. Nec enim Liuium absque authore tam egregij ciuis facundiam celebraturum fuisse, nec à se, sed ab alijs historias sumpsisse opinor. Equidem hac in re meam sententiam nõ interponam, neq; inter tantos authores dijudicabo: ijs potius, qui bonos malosq; scriptores eodem in loco ponunt, hanc litem (si modò lis est) dirimendam reliquero.

De Tragœdiæ, Comœdiæ, Satyræ, aliorumq; poëmatum inuentoribus, ac de Lyricis Græcorum poëtis. Cap. XV.

Tragœdiam antiquissimum esse poëma, testantur nõ tantum Donatus, qui de ea, et comœdia non pauca scripsit (si modò Donati ea, ac non Aspri, aut Cornuti sunt) sed & alij pleriq; authores. At quis eam primus inuenerit, nondum inter eruditos conuenit. Licet enim Fabius Quintilianus Aeschylum pri-

mum eam in lucē protulisse tradat, Horatius tamen ad Thespim eius originem refert: quamuis Aeschylum palla personaq; reperta eam excoluisse addat, quum ait in Arte poëtica,

Ignotum tragicæ genus inuenisse camœnæ
Dicitur, & plaustris uexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent, agerentq; peruncti fecibus ora,
Post hunc personæ, pallæq; repertor honestæ
Aeschylus, & modicis instrauit pulpita tignis,
Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.

Plato tamē in eo dialogo, qui Minos, uel de Lege inscriptus est, neq; Aeschylū, neq; Thespidem, neq; Phrynichum eius inuentorem, sed longè antiquissimum Atheniensium inuentum id esse testatur, quum ait, ἡ δὲ τραγῳδία ἐστὶ παλαιὸν ἐνθάδε, οὐχ ὥσπερ οἴονται ἀπὸ θέσπιδος ἀρξαμένη, οὐδ' ἀπὸ φρυνίχου, ἀλλ' εἰ θέλεις ἐννοῆσαι, πάλαι παλαιὸν αὐτὸ εὑρήσεις ὂν τόδε τῆς πόλεως εὕρημα. Sed quæ Plato ait, ad prima illa nascentis tragœdiæ principia sunt referenda, cum simplex tantum chorus in deorum honorem hymnos caneret, postquam primus Thespis id poëmatis genus ornare cœperit, mox & Aeschylus illud magis excoluerit, donec ad Sophoclem, atq; Euripidem, qui summam illi manum imposuerunt, uentum sit. Atq; idipsum innuit Diogenes Laërtius in Platonis uita, quum philosophiam iisdem penè incrementis ad perfectissimum gradum, quibus & tragœdiam peruenisse doceat. Sicut enim in tragœdia solus olim chorus agebat, Thespis deinde unicum, ut chorus interdum quiesceret, histrionem ei adiunxit, tum alterum Aeschylus, tertium uerò Sophocles adiecit, hocq; pacto ea consummata est: ita & philosophia, cum circa unicam tantum Physicæ speciem uerteretur, Ethice à Socrate, Dialecticaq; postmodum à Platone aucta, atque perfecta est. ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν, ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορὸν, καὶ δεύτερον αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον σοφοκλῆς, καὶ συνεπλήρωσαν τὴν τραγῳδίαν, οὕτως καὶ τῆς φιλοσοφίας ὁ λόγος πρότερον μὲν ἦν μονοειδὴς, ὡς ὁ φυσικὸς, δεύτερον δὲ ὁ σωκράτης προσέθηκε τὸν ἠθικὸν, τρίτον δὲ πλάτων τὸν διαλεκτικὸν, καὶ ἐτελεσιούργησε τὴν φιλοσοφίαν. Ex his itaq; primā tragœdiæ originem etiā supra Thespidem fuisse colligimus, cū antea solus chorus deorum laudes caneret. Id uerò quo'nā pacto fieret, diffusè à Donato explicatū est: qui etiam tam tragœdiā, quàm comœdiam ab Homero initium sumpsisse asserit, quū ait: Quamuis autē retrò prisca uoluentibus reperiatur Thespis tragœdiæ primus inuentor, & comœdiæ ueteris pater Eupolis cum Cratino Aristophaneq; esse dicatur, Homerus tamen, qui ferè omnis poëticæ largissimus fons est, etiam his carminibus exempla præbuit, & uelut quadam suorum operum lege præscripsit: qui Iliadem instar tragœdiæ, Odysseam ad imaginem comœdiæ fecisse monstratur. Sed hoc, Donati pace, nihil aliud est, quàm nullius ponderis commentum. Cum enim tragœdia, comœdiaq; in hoc præcipuè differant, quòd tragœdiæ finis semper funestus esse solet, comœdiæ contrà lætus, hilarisq; quis nescit utrumque Homeri opus in mœstitiam, hoc est cædes, aliaq; immanitatis exempla desinere? Quare Aristoteles in Arte poëtica cum Iliada ita se habere ad tragœdiam, quemadmodū Margitem ad comœdiam asseueret, si uidisset Odysseam comœdiæ esse similem, misso Margite, qui dubia fide Homeri creditus, ex nobiliori opere sumpsisset exemplum. Nec tamen negarim, ex Homeri poëmatibus, sicut aliarum scientiarum, ita etiam tragœdiæ, comœdiæq; uelut seminaria quædam esse desumpta. Sed quod Donatus asserit,

hoc

hoc est, Iliada Odysseamq́ue ad tragœdiæ comœdiæq́ue imaginem ab authore fuisse compositas, sine dubio falsissimum esse uidemus, cum illud Plutarchus in Homeri uita confirmet, hoc autem ex his quæ diximus fiat manifestum. Post tragœdiam inuenta est uetus comœdia, ab ijsdem penè principijs profecta à quibus & tragœdia, cum ab incunabulis simplex carmen & ipsa fuerit, quod teste Donato chorus circa aras fumantes, nunc spaciatus, nunc reuoluens gyros, cum tibicine continebat. Cuius prisci authores, quoniam nõ de fucis, sed ueris rebus agebant, cum nimium in maledicendo processissent, lex aduersus eos lata est, ne cui quenquam uiuentem perstringere liceret, eoq́ue pacto ab illa cessatum est. Vnde Horatius postquam Tragœdiæ repertores ostenderat, hæc eis subdit:

Successit uetus his comœdia, non sine multa
Laude, sed in uitium libertas excidit, & uim
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusq́ue
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.

Ab hac ergo comœdia & aliud poëma effluxit, quod Satyram dixerunt. de qua Donatus: Et hinc deinde aliud fabulæ genus, inquit, id est Satyra sumpsit exordium, quæ à Satyris, quos illotos semper, & petulantes deos scimus esse, uocitata est, & si aliunde nomen traxisse prauè putent alij. Rectè opinor sensit de satyræ nomine Donatus, cum alij de Satyra lance, atque alijs quibusdam eiusmodi tricis non pauca nugentur: facileq́ue id poëma ab ijs Satyris sic uocari potuit, qui primo in tragœdijs, ut eorum qui aderant animos ad seria semper audienda impatientes, tam uultu, quàm faceto & mordaci quandoq́ue sermone recrearent, exhibebantur. De qua re Horatius,

Carmine qui tragico uilem certauit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudauit, & asper
Incolumi grauitate iocum tentauit, eo quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusq́ue sacris, & potus, & exlex.

Verum qualis fuerit prisca illa Satyra, ex eiusdem Donati uerbis manifestè discimus. Hæc, ait, quæ Satyra dicitur, eiusmodi fuit, ut in ea quamuis duro & uelut agresti modo de uitijs ciuium, tamen sine ullo proprij nominis titulo carmen esset. Hæc ille de Satyra: in qua, ut Laertius in Demetrij Phalerei uita docet, Demetrius Tharsensis, qui ex ea Satyricus dictus est, floruit. Nam de Menippo, quem noster Varro imitatus est, satis constat, quàm in ea fuerit celebratus: Et hæc quidem Satyra ipsa quoque comœdia dicta est. Cumq́ue ea quibusdam poëtis obfuisset, qui multorum propter nimiam dicacitatem in se odia, inimicitiasq́ue deriuarunt, sicuti apud Græcos relicta ueteri comœdia, noua inuenta est: ita apud Latinos noua Satyra Lucilium patrem habuit, ab Horatio Flacco, Persio, ac Iuuenale postea ad summum perducta, quanquam Flaccus Lucilij hostis, totum eius negotium ad Eupolim, Cratinum, Aristophanemq́ue referat, mutatos tantum illi pedes, numerosq́ue, primo Sermonum libro tribuens, ait enim,

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesq́ue poëtæ,
Atque alij, quorum comœdia prisca uirorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Infamis, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus
Mutatis tantum pedibus, numerisq́ue facetus.

Nam alio loco, non Lucilij, sed Eupolidis, sicut Archilochi se comitem profitetur, nempe tertia secundi libri Satyra, his uersibus:

Quorsum pertinuit, stipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, socios educere tantos?

Hic tamen, qui in Lucilium plurimis locis debacchatur, alio loco eundem primum nouam satyram finxisse, probumque uirum fuisse, cum summis denique urbis Romanæ ciuibus familiarissimè uixisse, negare non est ausus, cum primo eiusdem libri Sermone ita canat:

Quid quum est Lucilius ausus,
Primus in hunc operis componere carmina morem?
Detrahere & pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis? num Lælius, aut qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi? aut læso doluere Metello?
Famosisque Lupo coopertо uersibus? atqui
Primores populi arripuit, populumque tributim:
Scilicet uni æquus uirtuti, atque eius amicis.
Quin ubi se à uulgo, & scena in secreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia Læli,
Nugari cum illo, & discinctè ludere, donec
Decoqueretur holus, soliti.

Hoc pacto se habet Tragœdiæ, Comœdiæ, & subinde Satyræ origo. Alia porrò quæ de illis copiosius dici possunt, in Donati de eis commentario sunt legenda. Nos enim hoc dictis subijciemus, eum pedem, qui ab Archilocho repertus est, iambũ scilicet, tam in Tragœdia, quàm in Comœdia frequentissimè fuisse usurpatum: cuius quidem rei rationem reddit idem Horatius,

Archilochum proprio rabies armauit iambo,
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.

Is'que primis temporibus religiosè in metris, suis locis est appositus: mox tamen, quoniam uersus nimis celeres reddebat, spondeum in trimetros admisit, quod is pes stabilis sit, ac tardus, nempe ad temperandam iambi celeritatem idoneus:

Syllaba longa breui subiecta, uocatur iambus,
Pes citus, unde etiam trimetris accedere iussit
Nomen iambeis: cum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi, non ita pridem.
Tardior ut paulò, grauiorque ueniret ad aures,
Spondeos stabiles, in iura paterna recepit,
Commodus & patiens.

Ne'ue id ubique fieri licuisse crederemus, hæc subdidit:

Non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta, socialiter: hinc & in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.

Iam quo modo Archilochus eo pede Lycambem socerum suum propter negatam sponsam disciderit, adeò notũ est, ut nihil magis. Cum autẽ is antiquissimus poëta fuerit, multique eiusdem uestigijs institerint, mirum est neminem ad eius in

suo

ſuo genere amplitudinem aſcendiſſe: niſi illud fortè maius dicamus miraculũ, ex tanta imitatorum turba duos Ariſtarcho teſte immortali laude dignos euaſiſſe, quos etiam Fabius Quintilianus, de Archilocho libro decimo loquens, non nominat. Sic enim inquit: Itaque ex tribus receptis authoribus iamborũ, ad ἕξιν maximè pertinebit unus Archilochus. ſumma in hoc uis elocutionis, cum ualidæ, tum breues uibrantesq́ ſententiæ, plurimum ſanguinis ac neruorum, adeò ut uideatur quibuſdam, quod quidem minor eſt, materiæ eſſe, nõ ingenij uitium. Huius tam eximij poetæ iambos effingere conatus eſt Horatius, non ut ab eo acerbitatem, ſed ut numeros, animosq́ ſumeret. de qua re ipſe in Epiſtolis ſic gloriatur, ut Alcæi Sapphusq́ exemplum prætendat, qui illius Muſam temperarint: ne quis eum, ut noua atque intolleranda auſum, minori gloria dignum cenſeret:

Libera per uacuum poſui ueſtigia princeps,
Non aliena meo preſſi pede. qui ſibi fidit,
Dux regit examen. Parios ego primus iambos
Oſtendi Latio, numeros animosq́ ſecutus
Archilochi, non res, & agentia uerba Lycambem.
Ac ne me folijs ideo breuioribus ornes,
Quod timui mutare modos, & carminis artem.
Temperat Archilochi Muſam pede maſcula Sappho:
Temperat Alcæus, ſed rebus & ordine diſpar.
Nec ſocerum quærit, quem uerſibus oblinat atris,
Nec ſponſæ laqueum famoſo carmine nectit.

Sed de Iambis ſatis multa. Ad Heroici nanq; carminis inuentorem eſt deueniendum, illudq́ ante omnia proferendum, quod Plinius libro ſeptimo Naturalis hiſtoriæ tradit: Verſum heroicum Pythio, inquit, oraculo debemus. Cæterum huic ſententiæ aduerſatur Ioſephus de Antiquitatibus Iudæorũ libro ſecundo, qui hexametrum carmen à Moſe, ut illo gratias Deo ageret, inuentum putat. Idemq́ libro ſeptimo eiuſdem operis, tam latè repertorũ omnis ferè generis uerſuum palmam Hebræis tribuit, ut is apud illos Dauid fuiſſe ab eo putetur, qui apud Græcos Pindarus: quod D. Hieronymo facilè perſuaſit. Sed quando Hebraicorum carminum ratio à nemine eorum qui uiuant, puto, nec ab ipſo Hieronymo cognita fuit, illis præteritis, quæ Græci Latiniq́ de eiſdem ſcripſerunt, leuiter attingemus. Si ergo heroicum carmen Apollini debemus, quum Horatius de Homero in Poëtica ſic ſcriberet,

Res geſtæ, regumq́, ducumq́, & triſtia bella,
Quo ſcribi poſſent numero monſtrauit Homerus:

non eius principium à diuino illo poëta profectum oſtendere uoluit, ſed ab illo primum res geſtas hexametris uerſibus fuiſſe mandatas: ita quidem, ut ſuſcepto muneri par fuerit. Cum enim quorundam teſtimonio ante Homerum, Heſiodumq́ Orpheus (licet Ariſtoteles, ut alio loco diximus, eum unquam fuiſſe negarit) Corinnusq́, atque alij quidam poëtę floruerint, quis aſſerat à nemine eorum res ab Heroibus geſtas, heroico carmine fuiſſe explicatas? Præſertim cum Marcus Cicero ante Homerum poëtas fuiſſe aſſeueret, Plinius etiam ante Troianum bellum? Sed enim cum de his nihil certi prodi queat, hexametrum carmen ab oraculo profectum, ab Homero conuenienti ei onere impoſito illuſtratum dicemus. Nec mehercle illud, in quo de magnorum ducum, regumq́ factis non agatur, propriè heroicũ appellari poſſe autumo, cum quod Heroicum

uocamus, heroum res gestas continere debeat. Qua in re neque tam essem religiosus, ut quemadmodũ Horatij hexametros ab ea uoce reijcio, ita eos quibus quindecim Ouidij Metamorphoseon libri constructi sunt, ab eadem excluderem: cum me iudice, nemo Latinorũ præter unum Virgilium, eos magis extulerit: nisi fortè aut Lucanus, aut Sillius Italicus, qui arma ordirur, quibus Aenea dum gloria cœlo se tollit, melius eos quàm Ouidium condidisse, satis impudenter affirmemus. De elegorũ quidem carminũ repertoribus, nihil quis certi afferre in mediũ potest: tametsi primus eius usus in mœstis rebus, hoc est in querelis ac luctibus fuerit. Proinde Ouidius in Elegia, quam in Tibulli mortẽ lusit, rectè,

Flebilis indignos Elegeia solue capillos,
Ah nimis ex uero nunc tibi nomen erit.

At postmodum non tantum dolores, sed quæcunque in animum uenissent, elegis exprimere licuit, quod Horatius in Arte testatur, de primo eius authore nihil inter Grammaticos constare docens:

Versibus impariter iunctis, querimonia primum,
Mox etiam inclusa est uoti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit author,
Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Vbi animaduertendum est, poëtam maximè propriè elegos exiguos appellasse, cum præcipua eorum uirtus ea sit, ut admodũ leues tenuesq́ reddantur. Iccircò & Propertius, cũ Callimachi Philætæq́ manes inuocasset, protinus subiunxit:

Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro.

Neque tamen sola illa in ijs uirtus requirit̃, sed ut in heroicis carminibus summa laus est, si alta, si sonora, grauitatisq́ plena sint: ita in elegis non minor, si suam illã mediocritatẽ, seu exiguitatẽ tueant̃: qua in re ut Callimachus inter Græcos, ita inter nostros Tibullus, alios omnes, nisi fallor, superauit. nam (ut de ultimo tantum loquar) longè mihi Propertio in inuentione uideatur inferior. Sed quid facias? Ille ipse Callimachus, qui elogorum princeps apud Græcos est habitus, arte admodum, ingenio uerò nõ multum ualuisse Ouidio uisus est: ut aut nulli, aut paucissimis omnia à Dijs tributa fateamur. Ouidij de Callimacho ex primo Amorum libro hæc sunt:

Battiades toto semper cantabitur orbe,
Quamuis ingenio non ualet, arte ualet.

Atqui & is quem nominauimus Naso, elegantissimus poëta, tam Tibullum, quàm etiam Propertiũ ingenio uicit, cum ut plerique autumant, ornata dictione eorum utrique in elegia cedat, quam sibi cum Tragœdia certantem adstitisse, alterumq́ pedem longiorem habuisse, diuinè, ut solet, fingit libro eiusdem operis tertio: paucis quidem uerbis elegantem illius formam depingens, ait enim,

Venit odoratos Elegeia nexa capillos,
Et, puto, pes illi longior alter erat.
Forma decens, uestis tenuissima, uultus amantis,
In pedibus uitium causa decoris erat.

Supersunt Lyrici poëtæ, qui cum diuersi fuerint, diuersos rythmos eorum unusquisque ferè sibi fecit: ut Sappho Sapphicos, Alcæus Alcaicos, & sic alij: licet ijs proprijs utentes, alios cum ijs coniunxerint. Quæ nam tamen eorum in scribendo materia fuerit, ab Horatio docemur, quum inquit,

Musa dedit fidibus Diuos, puerosq́ Deorum
Et iuuenem uictorem, & equum in certamine primum,

Et iuuenum curas, & libera uina referre,

Huius poëmatis nouem authores egregij apud Græcos habiti sunt, quorum nomina tribus hisce uersibus comprehenduntur:

λυρικοὶ πάντοι ἐισὶν ἐννέα, ἀλκαῖος, σαπφὼ,
στησίχορος, ἴβυκος, βακχυλίδης, σιμωνίδης,
ἄλκμαν, ἀνακρέων, καὶ πίνδαρος.

Porrò autem non modò de eorũ, patrumq́ ac patriæ nominibus, sed & de dialecto, nobilissimi illi circumferuntur (ut Græci uocant) ἐρωτολογοῦσι,

ἐννέα τῶν πρώτων λυρικῶν πάτρην γενεήν τε
    μάνθανε, καὶ πατέρας, καὶ διάλεκτον ἄθρει.
ἦν μιτυληναῖος μὲν ἐὼν γεραρώτερος ἄλλων
    ἀλκαῖος πρότερος, ἠχητὸς αἰολίδος.
ἡ δ' αὐτὴ, ξύνην πάτρην φωνήν τε δαεῖσα
    σαπφὼ, κλεΐδος καὶ πατρὸς εὐρυγύρου.
στησίχορος σικελὸς, πάτρη δέ οἱ ἱμέρα ἐστὶν,
    εὐφήμου πατρὸς, δωρικὸς ἁρμονίην.
ἴβυκος ἰταλὸς αὖ ἐκ ῥηγίου, ἐκ μεσσήνης
    ἠλίδα πατρὸς, δωρίδα δ' ἡρμόσατο.
παρθενίου δὲ πατρὸς. λιγυρὸς παῖς ἐκ τηΐου
    ἦν ἄρα μελπόμενος τήϊος ἀνακρέων.
πίνδαρος ἦν θηβαῖος, ἀτὰρ πατρὸς σκοπελίνου,
    δώριον αὐλήσας ἁρμονίην ἐπέων.
ἦ δὲ σιμωνίδην κεῖον δωρικεῖ λαλοῦντος
    τὸν πατρὸς αὐλήσας ἴδοι λεωπρεπίδα.
ὡσαύτως, καὶ κεῖος ἐὼν γηγενὴς μελοποιὸς,
    μείλωνος πατρὸς ἔπλετο βακχυλίδης.
ἄλκμαν ἐν λυδοῖσι μέγα πρέπει. ἀλλ' ἀδάμαντος
    δὲ, καὶ ἐκ σπάρτης, δωρίδος ἁρμονίης. Hoc est,

Disce nouem primos lyricos, patriamq́, genusq́,
    Atque horum linguas aspice cum patribus.
His Mitylenæus cunctis prælatus honore
    Alcæus, Musam temperat Aeolicam.
Agnoscens patriam Sappho, & dialecton eandem,
    Cleide prognata est, Eurygyroq́ patre.
Himera Stesichorum Siculum sibi uendicat, atque
    Euphemus genitor: Doricum at is cecinit.
Rhegium habet patriam Italus Ibycus, atq́ Messenam,
    Eelidemq́ patrem: doricum & ipse sonans.
Necnon Parthenij proles pulchra Eetiei,
    Cantans dulce fuit Teius Anacreon.
Thebano natus Scopelino Pindarus ingens,
    Sublimis pulsat Dorica fila lyræ.
His similem Cij musam adde Simonidis, inde
    Patrem commendans illius egregium.
Fortis erat, pariter Cius, pariterq́ poëta,
    Milonis proles inclyta Bacchilides.
In Lydis Alcman dehinc eminet: ast Adamantis
    Filius, ex Sparta Dorica plectra mouet.

De his nouẽ multa à plerisq; tum Græcis, tum Latinis scriptoribus tradita sunt, At nemo eorum unus melius exactiusq; singulorũ uirtutes expendit, quàm Fabius Quintilianus lib. x. cuius ego de reliquis iudicium prætermissurus, de uni co Pindaro, qui cæteris eiusdem generis poëtis maximè præstat, eius uerba subdam: Nouem Lyricorũ, ait Fabius, longè Pindarus princeps, spiritus magnificentia, sententijs, figuris, beatissima rerum uerborumq; copia, & uelut quodam eloquentiæ flumine: propter quæ Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem. Quibus uerbis cum in Horatij de Pindaro sententiã ierit Quintilianus, nullæ penè rarissimo poëtæ laudes tribui possunt, quibus ab illo Pindarus nõ sit ornatus: cum Horatius quarto Carminũ libro sui ingenij in eis explicandis uitium periculũ fecerit. Vtq; eiusdem ubiq; sententia dignosceretur, lib. 1. Epist. ad Iulium Florum scribens, Tityum, qui Pindarũ imitari ausus est, tacitè notat:

Quid Tityus? Romana breui uenturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus & riuos ausus apertos.
Vt ualet? ut meminit nostri? fidibus'ne Latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?

Et profectò qui Pindaricũ ad melos se componens, optatum cursum cum laude se expleturũ sperat, Horatio Flacco, qui omnem de illo dignè perficiendo spem abiecit, multò ingeniosiorem, exercitatiorem, ampliorem q; se apertè profitetur.

De Electro, & an in Eridani ripis repertum sit. Cap. XVI.

SI aliqua fides poëtis in plurimis, quę pro suo iure sibi confinxerunt, esset adhibenda, inter cætera uel illud uerissimum esse crederemus, Phaëtontem Solis filiũ fuisse: qui cum à patre petijsset, ut sibi eius equos regendi per unius diei spacium facultatem concederet, uotiq; compos factus, quoniam aurigæ munere rectè fungi nescisset, fulmine à Ioue prope Eridani ripas fuisset deiectus, non prius à sororibus quæri desijt, quàm illæ in arbores populos mutatæ, pro lachrymis in eum amnem electra stillarint: Ouidiumq; de illis uti se res habet cecinisse fateremur, quum secundo Metamorphoseon libro sic inquit,

Inde fluunt lachrymæ, stillataq; sole rigescunt
De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

Sed quandò Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,

nihil ijs magis esse uanum compererunt, qui res ipsas paulo diligentius scrutari uoluere. Licet enim Nicolaus Leonicus non semel de hac re in suis de Varia historia libris egerit, Aristotelisq;, ut opinor, testimonio electrum in insulis, quę quondam in mari Adriatico fuerint, & ad quas Padus flueret, repertum ostendat: Plinius tamen de eo agens, ridiculos qui id credunt esse arbitratur, Græcorumq; super huiusmodi rebus non tantum nimiam audaciam, uerum etiam inscitiam, doctè admodum grauiterq; confutat, trigesimo septimo Natur. historię libro ita scribens: In succinis causam ne deliciæ quidem adhuc excogitauerunt. Occasio est, uanitas Græcorum diligentiæ: legentes modò æquè perpetiantur, me de ortu eorum, cum hoc quoq; intersit uitæ scire posteros, quicquid illi prodidere mirandum. Phaëtontis fulmine icti sorores, fletu mutatas in arbores populos, lachrymis electrũ omnibus annis fundere iuxta Eridanũ amnem, quem Padum uocamus, & electrum appellatũ, quoniam sol uocitatus sit Elector, plurimi poëtæ dixere, primiq;, ut opinor, Aeschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides,

des, Satyrus, quod esse falsum, Italiæ testimonio patet. Diligentiores eorũ Electridas insulas in mari Adriatico esse dixerunt, ad quas dilaberetur Padus: qua appellatione nullas unquam ibi fuisse, certũ est: nec uerò ullas ibi appositas esse, in quas quicquã cursu Padi deuehi possit. Nam quòd Aeschylus in Iberia, hoc est, in Hispania Eridanum esse dixit, eundemq́ appellari Rhodanum: Euripides rursus, & Apollonius, in Adriatico littore cõfluere Rhodanũ & Padum, faciliorem ueniã facit ignorati succini in tanta orbis ignorantia. Modestiores, sed æquè falsum prodidere in extremis Adriatici sinus rupibus inuijs arbores stare, quæ canis ortu hoc effunderent gummi. Theophrastus in Liguria effodi dixit. Phaëtontem in Aethiopia Ammonius obiisse, id delubrum ibi esse, atque oraculum, electrũq́ gigni. Philemon fossile esse, & in Scythia erui duobus locis, candidum, atque cerei coloris, quod uocaretur electrum: in alio loco fuluum, quod appellaretur sualternicum. Hæc illi: post quæ, & aliorũ infinitas propemodum de eo sententias explicat. Nobis autem satis sit, grauiorum Græciæ scriptorum mendaciũ Plinij præsidio deprehendisse. Nam poëtica figmenta de eodem electro, ex arboribus populis secus Eridanum quotannis cadente, etiam Lucianus Herodotusq́, ab euidentissimis fabulis persæpe non abhorrentes derident. Lucianus etenim in opusculo περὶ τοῦ ἠλέκτρου, ἢ τῶν κύκνων, quæ Phaëtontis sororibus à poëtis cantata sunt, se aliquando credidisse memorat: cum'que summo electri apud Eridanum inueniendi desiderio captus, ad eius ripas peruenisset, omnia'que diligenter oculis perlustrasset, neque populos unquam, neque electrum in his locis uidere potuit. Quamobrem nautas quando'nam ad optatas arbores esset peruenturus interrogans, risisse eos, ac rem apertius cognoscere optasse testatur. Inquit autem, ἠλέκτρου πέρι καὶ ὑμᾶς δηλαδὴ ὁ μῦθος πέπεικεν, αἰγείρους εἶναι ἐπὶ ἠριδανῷ ποταμῷ δακρύειν αὐτὸ, θρηνούσας τὸν φαέθοντα, καὶ ἀδελφάς γε εἶναι τὰς αἰγείρους ἐκείνας τοῦ φαέθοντος, εἶτα ὀδυρομένας τὸ μειράκιον, ἀλλαγῆναι ἐς τὰ δένδρα, καὶ ἀποστάζειν ἔτι αὐτῶν δάκρυον, δηλαδὴ τὸ ἤλεκτρον. τοιαῦτα γὰρ ἀμέλει καὶ αὐτὸς ἀκούων τῶν ποιητῶν ᾀδόντων, ἤλπιζον, εἴ ποτε γενοίμην ἐπὶ τῷ ἠριδανῷ, ὑπελθὼν μίαν τῶν αἰγείρων, ἐκπετάσας τὸ προκόλπιον, ὑποδέξασθαι τῶν δακρύων ὀλίγα, ὡς ἤλεκτρον ἔχοιμι. καὶ δὴ οὐ πρὸ πολλοῦ κατ' ἄλλο μέν τι χρέος, ἧκον δὲ ὅμως ἐς τὰ χωρία ἐκεῖνα, καὶ ἔδει γὰρ ἀναπλεῖν κατὰ τὸν ἠριδανὸν, οὔτ' αἰγείρους εἶδον πάνυ περισκοπῶν, οὔτε τὸ ἤλεκτρον, ἀλλ' οὐδὲ τοὔνομα φαέθοντος ᾔδεσαν οἱ ἐπιχώριοι. ἀναζητοῦντος γοῦν ἐμοῦ, καὶ διαπυνθανομένου, πότε δὲ ἐπὶ τὰς αἰγείρους ἀφιξόμεθα, τὰς τὸ ἤλεκτρον ἐκδιδούσας, ἐγέλων οἱ ναῦται, καὶ ἠξίουν σαφέστερον λέγειν, ὅ, τι καὶ θέλοιμι. Herodotus uero antiquissimus historicus, nempe ad quem ab Homero quadringentorũ solum annorũ spacium interfuit, in Thalia de electro stannoq́ loquens, nequaquam probat, fluuium quendam esse Eridanum à barbaris appellatum, è quo electrum afferretur: Cassiteridasq́ insulas, in quibus stannũ nasceretur, sibi cognitas esse inficiatur. Nam quo minus quæ de electro narrabantur crederet, ea se ratione maximè moueri docet, quod Eridanus neutiquã barbara uox, sed ab aliquo Græcorum poëtarũ ficta dignoscitur. Eius uerba hæc sunt: ὅτι γ' ἔγωγέ τι ἐνδέχομαι ἠριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν, ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν τὴν πρὸς βορέην ἄνεμον, ἀπὸ τοῦ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾶν λόγος ἐστὶ, ὅτε νήσους οἶδα κασσιτερίδας ἐούσας, ἐκ τῶν ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ. τοῦτο μὲν γὰρ ὁ ἠριδανὸς αὐτὸ κατηγορέει τὸ ὄνομα, ὡς ἐστὶ ἑλληνικὸν, καὶ ὅτι βαρβαρικὸν, ὑπὸ ποιητοῦ δέ τινος ποιηθέν. Hactenus Herodotus, qui etiam quũ diligenter quæsisset, quo'nam pacto mare ad illam Europæ partem, quæ septentrionem spectat, se habeat, à nemine qui id uidisset se quod uolebat accipere quiuisse subdit. Cæterum quomodo fabulæ Pado annexæ occasio sumpta sit, à Plinio ultimo Naturalis historiæ libro

declaratur, his uerbis: Pado uero annexa fabulæ uidetur cauſa, hodieq; Tranſpadanorum agreſtibus fœminis moniliũ uice ſuccina geſtantibus, maximè decoris gratia, ſed & medicinæ. Eodem quoque loco, ſed paulò ſuperius, ubi nam ſuccinum uerè naſcatur, docet, quum ait: Certum eſt gigni in inſulis ſeptentrionalis Oceani, & à Germanis appellari gleſſum. Itaq; & à noſtris unam inſularũ ob id Gleſſariam appellatam, Germanico Cæſare ibi claſſibus rem gerente, Auſtraniam à barbaris dictam. Naſcitur autem defluente medulla pinei generis arboribus, ut gummi in cerasis, reſina piceis. Erumpit humoris abundantia. Denſatur rigore, uel tepore autumnali. Cum intumeſcens æſtus rapuit ex inſulis, certè in littora expellitur, ita uolubile, ut pendere uideatur, atq; conſidere in uado: quod arboris ſuccum eſſe priſci noſtri credidere, ob id ſuccinum appellantes. Et hæc quidem de eo electro, quod gummi eſſe, & ex arboribus ſtillare ſcimus, dicta ſunt. Alterum namq; electri genus eſt, quũ auro quinta argenti pars ineſt, hocq; apud ueteres ſummo in honore fuiſſe legimus. De quo idem Plinius lib. trigeſimotertio ita ſcribit: Vbicunq; quinta argenti portio eſt, electrũ uocatur. Scrobes eæ reperiunt̃ in Canalienſi. Fit & cura electrum, argento addito. Quod ſi quintam portionem exceſſit, incudibus non reſiſtit. Et electro authoritas Homero teſte, qui Menelai regiam auro, electro, argento, ebore fulgere tradit. Mineruæ templum habet Lindos inſulæ Rhodiorum, in quo Helena ſacrauit calicem ex electro. Adijcit hiſtoria, mammæ ſuæ menſura. Electri natura eſt, ad lucernarum lumina clarius argento ſplendere. Quod eſt natiuũ, & uenena deprehendit. Namque diſcurrunt in calicibus arquus cœleſtibus ſimiles, cum igneo ſtridore, & gemina ratione prædicunt.

An credendum ſit, regiones, eodem ſemper animi corporiſq; robore præditos homines producere. Et de Elementorum ſecundum Pythagoræ ſententiam mutatione. Item de quibuſdam, quæ contra naturam facta ſunt. Cap. XVII.

QVoniam plurimum referre putarunt ueteres tum Romani, tum Græci, à quibus militaris diſciplina omnis effluxit, ex quibus nam regionibus eos deligerent, quos bellicis rebus aſſuefacere uolebant, non tantum aliquas regiones meliores milites quàm cæteras produxiſſe fatebimur, ſed in ijs ipſis nonnullas nationes eſſe, in quibus ferociores quàm in alijs uiri naſcantur, negare nõ audebimus. Quæ enim ratio, Italos (uerbi cauſa dixero) Græcis in bello præſtantiores effecit, eadem ut Marſi ac Peligni Campanos animi uigore antecederent, ſine dubio in cauſa eſſe credet̃. Cum enim cœli plagæ ad corporum, animorũq; robur plurimũ conferant, eaſq; diſſimiles eſſe conſtet, quis dubitet Italiam, quæ tota uarijs, ut reliquæ regiones, cœli tractibus ſubeſt, eiuſdem ſtudij, ardoriſq; homines non producere? Ac ne quis, quæ de cœli plaga diximus, falſa putet, & ipſa nobis rerum natura illa ita ſe habere oſtendit, & plurimi celebres authores eadem confirmant, quorum omniũ teſtimonia, ut hoc loco non proferam, Flauij tantum Vegetij de ea re uerba ex primo libro de Re militari in mediũ adducam, cum quod uolumus uerißimo quoq; exemplo confirment. Inquit autem: Rerum ordo depoſcit, ut ex quibus prouincijs, uel regionibus tyrones legendi ſint, prima parte tractet̃. Conſtat enim, in omnibus locis & ignauos & ſtrenuos naſci. Sed tamen quia gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli nõ ad robur corporum tantum, ſed etiam animorum plurimum ualet, hoc loco ea quæ à doctißimis hominibus comprobata ſunt, non omittam. Omnes nationes, quæ uicinæ ſunt ſoli, nimio calore ſiccatas amplius quidẽ ſapere, ſed minus habere ſanguinis dicunt: ac propterea conſtantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi,

gnandi, quia metuunt uulnera, qui se exiguũ sanguinem habere nouerũt. Contrà Septentrionales populi, remoti à solis ardoribus, inconsultiores quidem, sed tamen largo sanguine redundantes, sunt ad bella promptissimi. Tyrones igitur de temperatioribus legendi sunt plagis, quibus & copia sanguinis suppetat ad uulnerum mortisq́ contemptum, & non possit deesse prudentia: quæ & modestiam seruat in castris, & non parum prodest in dimicatione consilijs. Cum itaq́ sub qua'nam cœli parte quis natus sit, maximi ad uirtutem sit momenti, cœliq́ plagæ in eodem semper statu nõ permaneant, eas regiones, quæ strenuos quandoque milites protulerunt, imbelles quandoque producere necesse est. Sed hoc tibi nunquam concesserim, dicet, qui cœlum licet assiduè moueatur, intra constitutum tempus ad sua reuerti spacia censet. Imò nihil facilius est cognitu, quàm cuncta mutari: & ita quidem, ut nemo præter Deum optimũ maximum an in pristinum statum sint reuersura sciat. Nam Moderatus Columella, ex multorũ excellentium Astrologorũ authoritate, tempus uenturum esse, quo cœli status prorsus mutetur, his uerbis libro primo de Re rustica docet: Multos enim iam memorabiles authores comperi persuasum habere, longo æui situ, qualitatẽ cœli, statumq́ mutari: eorumq́ consultissimum Astrologiæ professorem Hipparchum prodidisse, tempus fore, quo cardines mundi loco mouerentur, idq́ etiã non spernendus author Rei rusticæ Santerna uidetur adcredidisse. Nam eo libro quem de Agricultura scriptum reliquit, mutatum cœli statum sic collegit: quod quę regiones antea propter hyemis assiduam uiolentiam, nullam stirpem uitis, aut oleæ depositam custodire potuerint, nunc mutato iam & intepescente pristino frigore, largissimis oliuitatibus, Liberiq́ uindemijs exuberẽt. Hæc ille. quibus (ut de postremis agam) nihil esse compertius, omnes perfacile intelligere ualent. Vtq́ de Italia loquar, plurimę in ea partes sunt, quæ olim à frequentissimis populis habitabantur, nunc autem fermè desertæ uidentur. Plurimæ item, quas ueterum Romanorũ temporibus pauci admodum incolebant, ita sunt immutatæ, ut nihil suprà. Quod & alijs omnibus orbis partibus fieri non est ambigendum. Proinde si aërem plerunq́, qui olim saluberrimus erat, nostris temporibus pestilentem uidemus, cur non multas regiones, quæ diu bellica gloria celebratæ sunt, immutata aëris qui à cœli statu qualitatem sumit, conditione, in hominum uirtute degenerasse affirmabimus? At quæ'nam eæ sint, explicatius nõ dicam, ne quam cuiquam iniuriã faciam. Suo enim in ijs dignoscendis iudicio quiuis uti poterit. Nos enim ut ea persequamur, quæ ab excellentibus scriptoribus de rebus in pristino statu non durantibus tradita sunt, tantam esse rerũ, temporum successu mutationem asseueramus, ut quæ loca ad dextram uiæ partem quondam posita fuerant, ad sinistram transierint: quæ contrà in sinistra, in dextram fuerint translata: quod suo tempore factũ refert C. Plinius libro decimo septimo. Super omnia, ait, quæ unquam audita sunt, erit prodigium in nostro æuo Neronis principis ruina, factum in agro Marrucino, Vectij Marcelli è primis equestris ordinis oliueto uniuerso uiam publicam trangresso, aruisq́ inde è contrario in locum oliueti profectis. Hactenus ille. Verum ut de hoc oliueto miraculum editum non immeritò inquit Plinius, ita magis rerum naturæ consentaneum est, quod de Sicilia quondam Italię coniuncta, cum nunc prorsus ab ea disiuncta sit, à multis scriptoribus, sed à Virgilio pręcipuè tertio Aeneidos libro scribitur, his carminibus:

Hæc loca ui quondam, & uasta conuulsa ruina,
(Tantum æui longinqua ualet mutare uetustas)
Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus

Vna foret

Vna foret, uenit medio ui pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, aruaq; & urbes
Littore diductas, angusto interluit æstu.

At hoc nouum non uidebitur ei, qui hæc Strabonis de eadem re uerba ex ultimo Geographicorum libro eruditionis elegantiæ'que plena desumpta non oscitanter legerit. εἴρηται δὲ περὶ τούτων διὰ πλειόνων ἐν τῷ πρώτῳ ὑπομνήματι τῆς γεωγραφίας, καὶ νῦν δ' ἐπὶ τοσοῦτον ὑπομνηστέον τῆς φύσεως ἅμα, καὶ τὸ τῆς προνοίας ἔργον εἰς ἓν συμφέροντας. τὸ μὲν τῆς φύσεως, ὅτι τῶν πάντων εἰς ἓν συννευόντων τὸ τοῦ ὅλου μέσον, καὶ σφαιρουμένων περὶ τοῦτο, τὸ μὲν πυκνότατον, καὶ μεσαίτατον ἐστὶ ἡ γῆ. τὸ δ' ἧττον τοιοῦτον καὶ ἐφεξῆς τὸ ὕδωρ. ἑκάτερον δὲ σφαῖρα, ἡ μὲν στερεά, ἡ δὲ κοίλη, ἐντὸς ἔχουσα τὴν γῆν. τὸ δὲ τῆς προνοίας, ὅτι βεβούληται, καὶ αὐτὴ ποικιλοτέρα τις οὖσα, καὶ μυρίων ἔργων δημιουργὸς, ἐν τοῖς πρώτοις ζῷα γεννᾶν, ὡς πολὺ διαφέροντα τῶν ἄλλων, καὶ τούτων τὰ κράτιστα, θεούς τε καὶ ἀνθρώπους, ὧν ἕνεκεν καὶ τὰ ἄλλα συνέστηκε. τοῖς μὲν οὖν θεοῖς ἀπέδειξε τὸν οὐρανὸν, τοῖς δ' ἀνθρώποις τὴν γῆν, τὰ ἄκρα τῶν τοῦ κόσμου μερῶν, ἄκρα δὲ τῆς σφαίρας τὸ μέσον, καὶ τὸ ἐξωτάτω, ἀλλ' ἐπειδὴ τῇ γῇ περίκειται τὸ ὕδωρ, οὐκ ἔστι δ' ἔνυδρον ζῷον ὁ ἄνθρωπος, ἀλλὰ χερσαῖον, καὶ ἐναέριον, καὶ πολλοῦ κοινωνικὸν φωτὸς, ἐποίησεν ἐξοχὰς ἐν τῇ γῇ πολλὰς, καὶ εἰσοχὰς, ὥστ' ἐν ταῖς μὲν ἀπολαμβάνεσθαι τὸ σύμπαν, ἢ καὶ τὸ πλέον ὕδωρ ἀποκρύπτον τὴν ὑπ' αὐτῷ γῆν, ἐν ταῖς δ' ἐξέχειν τὴν γῆν, ἀποκρύπτουσαν ὑφ' ἑαυτῇ τὸ ὕδωρ. πλὴν ὅσον χρήσιμον τῷ ἀνθρωπείῳ γένει, καὶ τοῖς περὶ αὐτὸ ζῴοις καὶ φυτοῖς, ἐπεὶ δ' ἐν κινήσει συνεχεῖ τὰ σύμπαντα, καὶ μεταβολαῖς μεγάλαις. οὐ γὰρ οἷόν τε ἄλλως τὰ τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα ἐν τῷ κόσμῳ διοικεῖσθαι, ὑποληπτέον μήτε τὴν γῆν ἀεὶ συμμένειν οὕτως, ὥστ' ἀεὶ τηλικαύτην οὖσαν μηδὲν προστιθεῖσαν ἑαυτῇ, μηδ' ἀφαιροῦσαν, μήτε τὸ ὕδωρ, μήτε τὴν ἕδραν ἔχειν τὴν αὐτὴν ἑκάτερον, καὶ ταῦτα εἰς ἄλληλα συνοικειοτάτης οὔσης, καὶ ἐγγυτάτω τῆς μεταπτώσεως, ἀλλὰ καὶ τῆς γῆς πολλὴν εἰς ὕδωρ μεταβάλλειν. καὶ τῶν ὑδάτων πολλὰ χερσοῦσθαι τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ κἀν τῇ γῇ καθ' ἑαυτὴν τοσαῦται διαφοραί. ἡ μὲν γὰρ εὔθρυπτος, ἡ δὲ στερεὰ, καὶ πετρώδης, καὶ σιδηρῖτις, καὶ οὕτως ἐπὶ τῶν ἄλλων. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῆς ἁλμυρᾶς οὐσίας. ἡ μὲν γὰρ ἁλμυρίς, ἡ δὲ γλυκεῖα, καὶ πότιμος. ἡ δὲ φαρμακώδης, καὶ σωτήριος, καὶ ὀλέθριος, καὶ ψυχρὰ, καὶ θερμή. τί οὖν θαυμαστὸν, εἴ τινα μέρη τῆς γῆς, ἃ νῦν οἰκεῖται, θαλάττῃ πρότερον κατείχετο; τὰ δὲ νῦν πελάγη πρότερον ᾤκεῖτο, καθάπερ καὶ πηγὰς τὰς πρότερον ἐκλιπεῖν συνέβη, τὰς δὲ ἀνεῖσθαι, καὶ ποταμοὺς, καὶ λίμνας. οὕτω δὲ καὶ ὄρη, καὶ πεδία εἰς ἄλληλα μεταπίπτειν. περὶ ὧν καὶ πρότερον εἰρήκαμεν πολλὰ, καὶ νῦν εἰρήσθω. Hoc est: De his aũt in primo Geographicæ uolumine copiose dictũ est. Nunc uero de naturæ prouidentiæq; opere, in unũ id cõferendo, paululũ agemus. De natura itaq; hoc dicimus, rerũ omniũ ad unũ tendentiũ uniuersi mediũ esse, & quod circa id positũ est densissimũ ac mediũ, terram esse: quod minus hoc habet, aquam: & eorũ utrunq; sphæricum quidẽ. At alterũ solidum, alterũ uero concauũ, ac terram in se continens. De prouidentia aũt hoc: ipsam nempe cum uariatrix quædã sit, atq; infinita opera cõdiderit, animalia cæteris longe præstantia genuisse, atq; horũ præstantissima deos homines'q;, quorũ gratia alios constituerit. Dijs itaq; cœlum, hominibus autem terrã, extremamq; mundi partẽ concessit. At mundi extrema sphæræ mediũ, & quod eiusdem extremũ est. Sed cum aqua terrã circundet, nec homo aquatile animal sit, uerũ terrestre, atq; aëriũ, & cum multis cõmuni luce fruens, multa loca quę in terra eminerent, multosq; recessus fecit, ut in his tota aqua, uel maxima eius pars contineret: in illis uero terra sub se aquã detegens emineret, nisi quanũ humano generi cęterisq; animalibus ac stirpibus necessariũ uideretur. Cæterũ quoniã omnia assidue mouẽtur (aliter enim tot, tanta, ac talia in mũdo administrari non possent) censendum est, nec terram ita permanere ut tanta sit, neq; aliquid ei addatur uel adimatur, neq; aquam itidem: nec eorum utrunq; eandem sedem semper obtinere, cum naturalis cognataq; inter se sit mutatio. Quinimo magna

terræ

terræ pars in aquam conuertitur, multæ itidem aquæ terra fiunt, quemadmodum tot in ipsa terra diuersitates sunt. Alia siquidem est fragilis, alia solida & petrosa & ferrea, & sic in alijs. Similiter in humida essentia: Alia enim salsa est, alia dulcis ac potabilis, alia medicam uim habet, salubris uel perniciosa, uel frigida uel calida. Quid igitur mirũ, si aliquas terræ partes quæ nunc habitantur, mare olim occupabat: quæ autem nunc pelagus sunt, prius habitabantur: quemadmodum etiam fontium aliquos, qui quondam fuerunt, deficere, alios uero emitti contingit: nec non & flumina, & lacus, eodemq; modo montes & campos inuicem cõmutari. De quibus prius diximus, & nunc multa dicta sint.

Fuit autẽ nimirũ hæc Pythagoræ sententia, ut nihil in eodẽ statu durare posset, sed omnia mutarent, non tantũ terra & mare, sed & aër & ignis. Cuius opinionis summã Ouidius felicissimus poëta felicissime x v Metamorph. libro productis eius rationibus complexus est, ex Pythagoræ persona ita canens,

Quattuor æternus genitalia corpora mundus
Continet: ex illis duo sunt onerosa, suoq;
Pondere inferius, tellus atque unda, feruntur.
Et totidem grauitate carent, nulloq; premente
Alta petunt aër, atque aëre purior ignis.
Quæ quanquam spacio distent, tamen omnia fiunt
Ex ipsis, & in ipsa cadunt: resolutaq; tellus
In liquidas rarescit aquas: tenuatur in auras,
Aëraq; humor abit, dempto quoque pondere rursus
In superos aër tenuissimus emicat ignes.
Inde retrò redeunt, idemq; retexitur ordo.
Ignis enim densum spissatus in aëra transit,
Hinc in aquas tellus glomerata cogitur unda.
Nec species sua cuique manet, rerumq; nouatrix
Ex alijs alias reparat natura figuras.
Nec perit in tanto quicquam (mihi credite) mundo,
Sed uariat, faciemq; nouat: nasciq; uocatur,
Desinere esse aliud, quàm quod fuit antè: moriq;,
Desinere illud idem: quum sint huc forsitan illa,
Hæc translata illuc, summa tamen omnia constant.
Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim. sic ad ferrum transistis ab auro
Secula, sic toties uersa est fortuna locorum.
Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum, uidi factas ex æquore terras,
Et procul à pelago conchæ iacuere marinæ,
Et uetus inuenta est in montibus anchora summis.
Quod' que fuit campus, uallem decursus aquarum
Fecit, & eluuie mons est deductus in æquor,
E' que paludosa siccis humus aret arenis,
Quæ' que sitim tulerant, stagnata paludibus hument,
Hic fontes natura nouos emisit, & illic
Clausit, & antiquis tam multa tremoribus orbis
Flumina prosiliunt, aut exiccata residunt,
Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,

Existit

Existit procul hinc, alioq; renascitur ore.
Sic modò combibitur, tecto modò gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens Erasinus in agris.
Et Mysum capitisq; sui, ripæq; prioris
Pœnituisse ferunt, alià nunc ire Caicum.
Necnon Sicanias uoluens Amasenus arenas,
Nunc fluit, interdum suppressis fontibus aret.
Antè bibebatur, nunc quas contingere nolis
Fundit Anigrus aquas, postquam (nisi uatibus omnis
Eripienda fides) illic lauere bimembres
Vulnera clauigeri, quæ fecerat Herculis arcus.
Quid non & Scythicis Hypanis de montibus ortus,
Qui fuerat dulcis, salibus uitiatur amaris?
Fluctibus ambitæ fuerant Antissa, Pharosq;,
Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.
Leucada continuam ueteres habuere coloni.
Nunc freta circumeunt. Zancle quoque iuncta fuisse
Dicitur Italiæ, donec confinia pontus
Abstulit, & media tellurem reppulit unda.
Si quæras Helicen, & Burin, Achæidas urbes,
Inuenies sub aquis, & adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.
Est propè Pytheam tumulus Trœzena, sine ullis
Arduus arboribus, quondam planissima campi
Area, nunc tumulus. nam (res horrenda relatu)
Vis fera uentorum cæcis inclusa cauernis
Expirare aliqua cupiens, luctataq; frustra
Liberiore frui cœlo, cum carcere rima
Nulla foret toto, nec peruia flatibus esset,
Extentam tumefecit humum, ceu spiritus oris
Tendere uesicam solet, aut direpta bicornis
Terga capri: tumor ille loci permansit, & alti
Collis habet speciem, longoque induruit æuo.

Sed cum de his omnibus ratio reddi possit, id certè quod Herodotus in Euterpe tradit, omnē fidem excedit: solē uidelicet, ut Aegyptij perhibebant, quater præter consuetudinē fuisse ortū, ut bis quidē, ubi nunc occidit exortus, bis in oriente occiderit: nec tamen quicq; propterea in Aegypto immutatū fuerit, nō ea quidem quæ è terra, nō quæ è flumine ipsis proueniunt, aut circa morbos, mortésue accidunt, ἐν τοίνυν τούτῳ τῷ χρόνῳ τετράκις ἔλεγον ἐξ ἠθέων τὸν ἥλιον ἀνατεῖλαι, ἐνθάτε νῦν καταδύεται, ἐνθεῦτεν δὶς ἐπαντεῖλαι, καὶ ἔνθεν νῦν ἀνατέλλει, ἐνθαῦτα δὶς καταδῦναι, καὶ οὐδὲν τῶν κατ' ἄγυπτον ὑπὸ ταῦτα ἑτεροιωθῆναι, οὔτε τὰ ἐκ τῆς γῆς, οὔτε τὰ ἐκ τοῦ ποταμοῦ σφι γινόμενα, οὔτε τὰ ἀμφὶ νούσους, οὔτε τὰ περὶ τοὺς θανάτους. Sed nunq; quæ apud Sagram gesta sunt, tam uera fuere, q; hæc falsa esse asserimus, licet id nō dubiè credamus, quod quamuis contra rerum ordinem factū sit, in sacris monumentis legitur: Solem scilicet Iosuæ precibus aliquandiu stetisse, ut illi hostes persequendi facultas esset: eundemq; aliquando contra morem regressum, ut Esaiæ uerbis fidē afferret.

LECTIONVM SVCCISIVARVM LIBRI
PRIMI FINIS.

FRANCISCI FLORIDI SABINI

LECTIONVM SVCCISIVARVM

Liber ſecundus,

Latinum ſermonem ueterum Romanorum tempore omnibus fuiſſe promiſcuum. Cap. I.

CVm uaria ſemper fuerint de quibuſcunq; rebus hominum iudicia, nõ defuere qui in dubium reuocarint, nunquid Latinus ſermo, is quo omniũ antiquorum (de noſtris loquor) in quouis genere opera ſcripta ſunt, ueterum Romanorum tempore doctis pariter, indoctisq; fuerit promiſcuus. Leonardus ſiquidem Aretinus, Pogiusq;, hanc linguam qua Dantes, Bocatius, Petrarcha, et ſimiles in ſcribendo uſi ſunt, iam tum uulgò peculiarem fuiſſe, neſcio quibus argumentis commenti ſunt. Quorum opinionem cum docti ferè omnes, tanquam friuolam falſamq; reĳciant, reperti etiam ſunt eo uiuente, qui de hac re contra eos diſſererent. Enimuero & Blondus Flauius, ex Titi Liuĳ in primo ab Vrbe condita libro uerbis, illos prauè ſenſiſſe oſtendit, & poſt Blondũ Franciſcus Philelphus, duabus prolixis epiſtolis de eodem negocio copioſius diſſeruit. Quamobrem & inter tot egregios uiros neq; ipſe, quod cenſeo, proferre recuſabo: ita tamen, ut meliorum iudicio, ſi fortè fallar, nihil non ſim delaturus. Cumq; multis rationibus ab Aretino, Pogioq; diſſentire cogar, duas tamen præcipuas pro noſtra ſententia adducere ſoleo: quarum altera eſt, quòd, ſi ueteres ſeu Latini, ſeu Romani, duas habuiſſent linguas, nullo pacto potuiſſet fieri, ut non aliquod illius quam iſti ſomniant ueſtigium, aut minimum ſaltem indicium uel in lapidibus, uel alio etiam in loco ſuperfuiſſet: altera, quòd nullus eſſe potuiſſet oratorũ poëtarumq; apud populum uſus, niſi unicus tantum fuiſſet omniũ ſermo. Quomodo enim legem agrariam populo diſſuaſiſſet M. Cicero, ſi erudiri ſolum eius orationes potuiſſent intelligere? aut quo pacto idem Romanus populus antiqua tantum ſcripta laudabat, & recentia faſtidiebat, ut ſæpe queritur Horatius, ſi Plauti, Cæcilĳ, Næuĳ, Ennĳ, Lucilĳ, aliorumq; poëmata non communi, ſed priuata quadam paucorum lingua erant compoſita? Quid porrò eſt compertius, quàm à populi appellatione nullum hominum genus excludi? Quid quòd populus ea non intelligebat modò, ſed ſi quid in poëmatibus, orationibusq;, non in recta tantum locutione, ſed (quod erat difficillimum) in numeris, ſtructuraq; fuiſſet erratum, protinus agnoſcebat? An qui linguæ eſſent expertes, carminis, aut ſolutæ orationis uitia deprehendebant? Quòd ſi quis id nunquam factum contendat, accipiat M. Tullĳ in tertio libro de Oratore teſtimonium. Verum, inquit Cicero, ut in uerſu uulgus, ſi eſt peccatum, uidet: ſic, ſi quid in noſtra oratione claudicat, ſentit: ſed poëtæ non ignoſcit, nobis concedit: tacitè tamen omnes non eſſe illud quod diximus, aptum perfectumq; cernunt. Non eruditos, ſed uulgus orationis poëmatisq; uirtutes ac errata dignoſcere potuiſſe, aſſerit Cicero. Vnde obſecro, niſi Latinè ĳ omnes loqui ſciuiſſent? An de uulgaribus poëtis oratoribusq; agit M. Tullius? Atqui idem in Oratore, quem librum tanquam unicum filium amplexatur, poſtquam optimã ſpeciem, & quaſi figuram dicendi Bruto oſtendit, in operis calce ſic ait: Res autem ſic ſe habet (ut breuiſſimè dicam quod ſentio) cõpoſitè & aptè ſine ſententĳs dicere, inſania eſt: ſententioſè autem, ſine uerborum ordine & modo, infantia: ut ea qui utantur, non ſtulti homines habe-

artium ſtudia ferè reconditis atque abditis de fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio poſita, communi quodam in uſu, atque in hominum more & ſermone uerſatur. ut in cæteris id maximè excellat, quod longiſſime ſit ab imperitorum intelligentia ſenſuq; diſiunctum: in dicendo autem uitium uel maximum ſit, à uulgari genere orationis, atque à conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Si hercle unicum hunc locum conſideraſſent Leonardus Aretinus, Pogiusq;, cum Philelpho ac Blondo utique ſenſiſſent. Sed & ille idem M. Cicero in Bruto de Antonio loquens ſic ait: Verba ipſa, non illa quidem eloquentiſſimo ſermone: itaq; diligenter loquendi laude caruit, neq; tamen eſt admodum inquinatè locutus. Sed illa quæ propriè laus eſt oratoris in uerbis. nam ipſum Latinè loqui eſt illud quidem, ut paulo antè dixi, in magna laude ponendum: ſed non tam ſua ſponte, quàm quod eſt à pleriſq; neglectū. Non enim tam præclarum eſt ſcire Latinè, quàm turpe neſcire: neq; tam id mihi oratoris boni, quàm ciuis Romani proprium uidetur. Quid eſt Dij boni hìs uerbis manifeſtius? aut quid magis Aretinum ſtupiditatis conuincere poſſet? Latinè loqui, inquit, hoc eſt candidè, purè, ſignificāterq; quod quiſq; uelit exprimere poſſe, non tam ſua ſponte laudabile eſt. quàm quod à pleriſq; eſt neglectum: neq; tam præclarum eſt Latinè ſcire, quàm turpe neſcire. ac ſi dicat, cum omnes ciues ſuū excolere ſermonem debeant, uti non magna laus eum qui id faceret ſequeretur, quippe quia egregij elegantisq; ciuis, quod maximè debet, officium præſtaret: ita qui ab eo recedit, uehementer eſt uituperandus. Cum tamen ſecus propemodum ijs temporibus, de quibus Cicero loquitur, eſſet receptum, ut nemo uidelicet aliquam in rectè loquendo diligentiam adhiberet, qui cōmunem errorem uitaſſet, nō tam per ſe erat laudandus, quàm quod in ea re ſibi temperare ſciuerat, quam præter rationem omnes peſſundediſſent. Atqui in eo rectè loquendi contemptu maxima pars labebatur: è qua pleriq; patriū ſermonem contemnentes, omnes ſe Græcos Latinosq; ſcriptores uiciſſe autumabant, ſi quatuor Græca uerba connectere ſciuiſſent. quos in inſtituto perſeuerantes, apertiſſimè inſectatur Iunius Iuuenalis Satyra ſexta, licet de mulieribus agat, his uerſibus:

Nam quid rancidius, quàm quod ſe non putat ulla
Formoſam, niſi quæ de Thuſca Græcula facta eſt,
De Sulmonenſi mera Cecropis: omnia Græcè,
Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latinè.

E quibus ſcioli pleriq; ſatis indoctè Iuuenalem græcas literas ignoraſſe colligūt: quaſi quenquam ille à Græcæ linguæ cognitione deterreat, ac non potius Satyrico more abuſus inſectetur. Sed enim ut ad M. Tulliū redeamus, in eodem opere inferius ita de Cæſare ſcribit: Solū quidem, & quaſi fundamentum oratoris uides, locutionem emendatā & Latinam: cuius penes quos laus adhuc fuit, non rationis, aut ſcientiæ, ſed quaſi bonæ conſuetudinis fuit. Mitto C. Læliū, P. Scipionem: ætatis illius iſta fuit laus, tanquam innocentiæ. ſic Latinè loquendi, nō omniū tamen. Nam illorum æquales Cæcilium & Pacuuium, malè locutos uidemus. Sed omnes tum ferè, qui nec extra urbem hanc uixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcauerat, rectè loquebātur. Sed hanc certè rem deteriorem uetuſtas fecit, & Romæ & in Græcia. Cōfluxerunt enim & Athenas, & in hanc urbem, multi inquinatè loquentes, ex diuerſis locis. Iam ex ultimis M. Ciceronis uerbis expreſſè diſcimus, Romanos omnes Scipionis Lælijq; ętate, non tantum Latinè, ſed & emendatè locutos fuiſſe. quod nullo modò factum eſſet, niſi idem ſermo omnibus fuiſſet promiſcuus. Et quoniā rationis ſcientiæq; men

tionem fecit, id in primis pernoſſe operæprecium fuerit, Latinam linguam licet omnibus in medio poſita eſſet, rationibus (ut diximus) ita apud ueteres Romanos conſtitiſſe, ut ea quę uulgaris dicitur noſtris temporibus: cum potuerit quis Latinè uitiateq; olim, poſſitq; hodie uulgariter, itidemq; corruptè loqui. Cęterũ quod de doctrina attigit, id præcipuè innuere uoluit, ijs maximè emendatã locutionem fuiſſe peculiarẽ, qui diuerſas ſcientias didiciſſent: quod omnes eos factitaſſe uidemus, qui apud nos oratores, hiſtorici, poëtæ, philoſophi, aliarum'ue diſciplinarum periti ſſimi cogniti ſunt. Idcirco in eodem Bruto, de Curione ſic inquit M. Cicero: Erãt tamen, quibus uideretur illius ætatis tertius Curio, quia ſplendidioribus fortaſſe uerbis utebatur, & quia Latinè non peſſimè loquebatur, uſu credo aliquo domeſtico, nam literarũ admodum nihil ſciebat. Verũ qui de aliqua re ſcriberent, licet non uulgarem ſuis operibus eruditionem cõplecterentur, nõ ita illa obſcura reddere debebant, ut hominum admirationem ex affectatione captarẽt: alioqui nihil plerumq; poteſt ijs eſſe inutilius, ad quos ea ſcripſerint, quàm nimis diſertè tractatum argumentum: pręſertim ſi eos doceant, in quibus nulla exactior literatura dignoſcitur. Hinc Palladius eos qui nimis cultè docteq; de re ruſtica egiſſent, hiſce uerbis reprehendit: Pars eſt prima prudentiæ, ipſam cui præcepturus ſis æſtimare perſonam. Neque enim formator agricolæ debet artibus & eloquentia Rhetores æmulari, quod à pleriſq; factũ eſt, qui dum diſertè loquuntur ruſticis, aſſecuti ſunt, ut eorum doctrina nec à diſertiſſimis poſſet intelligi. Hæc ille. Ex quibus pulchre conuincimus, ruſticos (quo hominũ genere nihil eſt fuitq; indoctius) ſimplicem Latinũ ſermonem intellexiſſe: elaboratũ autem, pauloq; exquiſitiorem, non item. quin ipſi plurimis uerbis utebantur, quæ ciues puriq; ſermonis amatores uehementer abhorrebant: qualia erant, catulitio (de qua libro decimoſexto Naturalis hiſtoriæ C. Plinius ita ſcribit: Catulitionem ruſtici uocãt, geſtiente natura ſemina accipere, eoq; animam inferente omnibus ſatis) & lætamen pro fimo. de quo Seruius in primum Georgicorum: Nam fimus qui per agrum iacitur, uùlgò lætamen uocatur. quanquam poſtrema hæc uox tam ruſticis, quàm etiam urbanæ plebeculę fuerit communis. Quandoque uerò eadem hominum genera non tantum ſuis uocibus contenta erant, ſed ſi quod elegantius uerbum à doctioribus compoſitum eſſet, affectarent, cum Plinius libro octauo ſanguiſugæ, quæ dictio ex duabus uocibus formata eſſet, uocabulum ad uulgus emanaſſe tradat: quòd alteram uocem quæ eſt hirudo, quodammodo faſtidiret. Cruciatum (inquit ille, de elephantis agens) in potu maximum ſentiunt hauſta hirudine, quam ſanguiſugam uulgò cœpiſſe appellari aduerto, niſi hoc uocabulum Plinius à plebe formatum oſtendere uelit, cum paulo eruditiores hirudinis uoce eſſent contenti. Ad hæc cum populum Romanum ſemper Latinè locutum fuiſſe legamus, unicam eius linguam, qua patritij, equites, plebeij, ruſtici, militesq;, & alij omnes loquerentur, uel nolentes fateri cogimur. Quam rem multis ueterum teſtimonijs confirmat Philelphus. Salluſtius namque in Iugurthino ita ſcriptum reliquit: Ibi Iugurtha cum pluribus erat: deinde cognito Bocchi aduentu, ad pedites cõuerſus, inquit Latinè (nam apud Numantiam loqui didicerat) noſtros fruſtra pugnare, paulo antè Marium ſua manu interfectum. Liuius quoq; ſeptimo de ſecundo bello Punico libro, (quem enim ex eiuſdem primo ab Vrbe condita citat, tanquam à ſe primum obſeruatum Blondus agnoſcit) ita inquit: Pręterea Annibal quarta uigilia fermè ad urbem acceſſit. Primi agminis erant perfugæ Romanorum, & arma Romana habebant. Hi ubi ad portam eſt uentum, Latine om-

nes loquentes excitant uigiles, apeririq́ portam iubent. Sed & alia non desunt. Idem enim Liuius quadragesimo libro sic ait: Cumanis eo anno petentibus per missum, ut publicè Latinè loquerentur, & præconibus latinè uendēdi ius esset. An de Latino sermone, qui paucis doctiorib. erat in usu, intelligit Liuius? An non de eo potius, qui omnibus erat promiscuus? Non mediocrem sanè Romanis iniuriam fecissent Cumani, si ea lingua publicè loqui uoluissent, quā illi non omnibus suis impertirent, sed primi ciuitatis priuatim tanquā tyranni sibi uendicarent. Iuuenalis item Satyra undecima ita ait,

Plebeios calices, & paucis assibus emptos,
Porriget incultus puer, atq; à frigore tutus.
Non Phryx, aut Lycius, non à mangone petitus
Quisquam erit, & magno cum poscis, posce Latinè.

Nónne cum plebeios calices ab inculto puero Latinè posci iubet, hic poëta Latinum sermonem etiam his qui sub mangone non fuissent, cōmunem extitisse declarat? Sunt & aliæ rationes, præclarè quod uolumus comprobantes. sed hæc quoq; non est aspernanda, quòd ex quo Gothi, Vuandali, Heruli, & alia id genus hominum portenta Italiam uastarūt, ac inter cætera, quæ ab eis accepimus damna, Latinā linguam pessundederunt, nulla in ea regio ueteris Latini sermonis seu signa, seu uestigia retinuit, præter Latium, eamq́ omnem oram, quę Romæ adiacet. Nam in urbem ipsam inuectæ sunt plurimæ non linguarum tantum, sed morum etiam uarietates, ut nostris quoq; temporibus fieri uidemus. Quamobrem nec est mirum, si in ea aliarum rerum, priscæq́ linguæ sonus, & pronunciatio tam diu non durauit, quàm in finitimis oppidulis, uicisq́: in quibus propinquū ferè Latino sermoni idioma cōseruari potuisse incredibile esset, nisi omni Latio ueterum Romanorum tempore una eademq́ lingua fuisset: præsertim quòd non multa sunt illa, de quibus agimus, castella, eaq; planè neq; regij uictus, neq; uestitus. Verum quoniam durissima sæpe obstinataq́ ingenia huiusmodi quantumlibet ueris coniecturis uel minimum à proposito dimoueri non solent, alijs authorum testimonijs est agendum. quorum primū ex Quintiliani uerbis in præmisso à nobis capite recitatis colligitur, quum ille ait: A sermone Græco puerum incipere malo, quia Latinus, qui pluribus in usu est, uel nobis nolentibus se perhibet. Si duas prisci Romani linguas habuerunt, qua ratione Latinus sermo, quem pauci sibi eruditi assumebant, pueris uel nolentibus se perhibere potuerit, Leonardus Aretinus, Pogiusq́ uiderint. Sed cur non omnibus Romanum sermonem in usu fuisse asseruit Quintilianus? dixerit quispiam, Equidem quod pluribus dixit, multos certè ab eo exclusit. Ridicula commētatio. Quia enim nō de solo Romano, sed & de Gręco quoq; agebat: qui certè cùm multis esset, & doctis quidē familiaris, Latinus tamen pluribus erat communis, quàm Græcus, subintelligis, nisi comparatiuorum nominum proprietatem naturamq́ grammaticis reliqueris. Confirmant nostram sententiam, & quæ præcedunt eiusdem Fabij uerba, inquit enim: Si tamen nō continget, quales maximè uelim habere nutrices, pueros, pædagogos: at unus certè sit assiduus, dicendi nō imperitus: qui si qua erunt ab his præsente alumno dicta uitiosè, corrigat protinus, nec insidere illi sinat, dū tamen intelligatur id quod prius dixi, bonū esse hoc remedium. Hæc quamuis aperta sint, atq; id quod uolumus rectè afferant, multo tamen illa melius clariusq́ id ostendūt, quæ ab eodem ubi de consuetudine agit, scribuntur. Superest igitur, ait, consuetudo: nam fuerit penè ridiculum, malle sermonem, quo locuti sint homines, quàm quo loquantur.

Et ſanè, quid eſt aliud uetũs ſermo, quàm uetus loquendi conſuetudo? Niſi hic locus Latinũ ſermonem òmnibus promiſcuũ fuiſſe comprobat, optimè ſenſiſſe Aretinũ, Pogiumꝙ non inficias iuerim. Sed huic ipſi ſubdit Quintilianus: Neceſſarium eſt iudiciũ, conſtituendumꝙ imprimis idipſum quid ſit, quod cõſuetudinem uocemus. Veriſſimè Fabius. Non enim quod à pluribus, ſed quod à melioribus probatur, pro conſuetudine eſt capiendum. Quæ ſubiũgit ille, ſi ex eo quod plures faciant, nomen accipiat, periculoſiſſimum dabit præceptũ, non orationi modò, ſed (quod maius eſt) uitæ. Vnde enim tantum boni, ut pluribus quæ recta ſunt placeant? Igitur ut uelli, & comam in gradus frangere, & in balneis perpotare, quamlibet hæc inuaſerint ciuitatem, non erit conſuetudo, quia nihil horum caret reprehenſione: at lauamur, & tondemur, & conuiuimus ex conſuetudine: ſic in loquendo, nõ ſi quid uitioſè multis inſederit, pro regula ſermonis accipiendũ erit. Nam ut tranſeã, quemadmodũ uulgò imperitè loquuntur, tota ſæpe theatra, & omnem circi turbam exclamaſſe barbarè ſcimus. Ergo conſuetudinem ſermònis, uocabo conſenſum eruditorũ: ſicut uiuendi, conſenſum bonorũ. Hactenus Quintilianus: qui tam egregiè noſtram comprobat ſententiam, quàm in re manifeſta non dubiè hallucinati ſunt Aretinus, Pogius, & quicunꝙ eorum opinioni adhęrent. Quòd niſi ex communi omnium ſermone emendata, & oratoribus, hiſtoricis, poëtiſꝙ conueniens locutio ſumpta fuiſſet, quid opus erat id conſuetudinem uocare, quod eruditorum conſenſu comprobatum, tanquam præſente nota ſignatum, procuſumꝙ haberetur? Tum ſi docti tantũ Latinè loquebantur, quorſum tuũ Quintiliane præceptũ: Nemo porrò ſanus, eos qui hoc ſeculo Romanè ſcribere ac loqui cupiunt, ut ab alijs uocibus, loquendiꝙ formulis, quæ populo ſunt peculiares, caueãt, admonebit, nempe quòd uetus Romanus ſermo nullam habeat cum noſtro uernaculo ſimilitudinis ſpeciem. Præterea tota ſæpe theatra, & omnem circi turbã barbarè exclamaſſe, quid aliud ſignificat, quàm Latinè ſemper loqui ſolitos, barbara nõnunquam & peregrina uerba, ut plebecula nullius eſt iudicij, pro meracis uocibus uſurpaſſe? Hæc faciunt, ut non tam mirer Aretinũ, qui incultis illis horridiſꝙ temporibus floruit, in hac re decipi potuiſſe, quàm quorundam impudentiã rideam, qui eius ſententiã mordicus tutari geſtiũt: credo ut mirificũ ſe neſcio quid aſſecutos orbi perſuadeant, quũ in ea lingua aliquantulũ profecerint, quam & hodie uix è ruderibus erutam aſpicimus, & olim à nõnullis tanquã dies à Chaldæis petebant, quaſi antiqui omnes materna lingua contenti, nihil quàm mera poëmata, & abſolutiſſimas orationes inuiti ſpirarent. At nos reliqua eiuſdẽ Fabij loca proſequamur, nam & de genere dicendi in duodecimo libro agens, tam dilucidè Leonardi Aretini errorem denotat, ut nihil quicquã ſit eius uerbis magis perſpicuũ. Sic enim inquit: Adhuc quidã nullam eſſe naturalem putant eloquentiam, niſi quæ ſit quotidiano ſermoni ſimillima, quo cum amicis, coniugibus, liberis, ſeruis loquimur, contenti promere animi uoluntatem, nihilꝙ accerſiti & elaborati requirentes: quicquid huc ſit adiectum, id eſſe affectationis, & ambitioſæ in loquendo iactantiæ, remotũ à ueritate, fictumꝙ ipſorũ gratia uerborum: quibus ſolũ à natura ſit officium attributũ, ſeruire ſenſibus. ſicut Athletarum corpora, etiam ſi ualidiora fiant exercitatione, & lege quadam ciborum, non tamen eſſe naturalia: atꝙ ab illa ſpecie, quæ ſit conceſſa hominibus, abhorrere. Quid enim, inquiunt, attinet circuitu res oſtendere, & tranſlationibus, id eſt aut pluribus, aut alienis uerbis, cum ſua cuiꝙ ſint aſſignata nomina? Denique antiquiſſimum quemꝙ maximè ſecundum naturam dixiſſe contendunt,

mox

mox poëtis similiores extitisse, etiam si parcius, simili tamen ratione falsa, & impropriè uirtutes ducentes. Nónne ex promiscuo omniũ sermone oratores sua scripta conflasse, his uerbis Fabius ostendit? Nónne naturalem uocat eloquentiam, qua cum liberis, seruis, coniugibus, amicisq; prisci Romani loquebantur? Sed non satis erat orationibus uulgaris sermo, in quibus maius exigebatur artificium, & structuræ ratio, cum translationibus, quæ à communi loquendi usu proculdubio recedebãt. Et sequitur Quintilianus: Qua in distinctione nõnihil ueri est, ideoq; non tam procul, quàm fit à quibusdam, recedendum à proprijs atq; communibus. Si quis tamen (ut in illo loco dixi compositionis) ad necessaria, quibus nihil minus est, aliquid melius adiecerit, non erit hac calumnia reprehendendus. Nam mihi aliam quandam uidetur habere naturã sermo uulgaris, aliam uiri eloquentis oratio. Cui si res indicare modò satis esset, nihil ultra uerborũ proprietatem elaboraret. Sed cũ debeat delectare, mouere, in plurimas animum audientis species impellere, utetur ijs quoq; adiutorijs, quæ ab eadem sunt nobis concessa natura. Nam etiã lacertos exercitatione constringere, & augere uires, & calorem contrahere, naturale est. Ideoq; in omnibus gentibus alius alio facundior habetur, & eloquendo dulcis magis. Quod si non eueniret, omnes pares essent, & ideo omnes deceret. At loquuntur, & seruant personarum discrimen: ita quo quisq; plus efficit dicendo, hoc magis secundum naturæ eloquentiam dicit. Hæc Fabius: quæ nõ Pogio Florentino solum, sed lapidibus etiam persuaderent, Latinos omnes scriptores ex cõmuni omnibus lingua, orationes, comœdias, tragœdias, historias, cæteraq; lucubrationum genera compofuisse, licet nõ omnia uerba exotica fortè probarẽt: licet dulciores uoces, et operi quod condebant conuenientes, eligerent: licet figuris, alijsq; coloribus sua depingerent, & structuræ præcipuè essent studiosi. De qua re ille idem Quintilianus libro nono agens, naturalem, hoc est, quem etiam nutriculæ nouerant, sermonem Latinum eum appellat, qui hominibus omni artificio uacuus passim effluxisset. Eius uerba hæc sunt: Neq; ignoro quosdam esse, qui curam omnem compositionis excludant, atq; illum horridũ sermonem, ut fortè effluxerit, modò magis naturalem, modò etiam magis uirilem esse contendant. Qui si id demum naturale esse dicunt, quod à natura primũ ortum est, et quale ante cultum fuit, tota hæc ars orandi subuerteretur. Neq; enim locuti sunt ad hanc regulam & diligentiam primi homines, nec procemijs præparare, docere expositione, argumentis probare, affectibus commouere scierunt. Ergo ijs omnibus, non sola cõpositione caruerunt: quorũ si fieri nihil melius licebat, ne domibus quidẽ casas, aut uestibus pelliũ tegmina, aut urbibus montes ac syluas mutari oportuit. Quocirca antiqua Latinorum uerba ea esse non dubitamus, quibus antiqui homines publicè loquebantur: sicut & noua dicimus, quæ ueteribus fuerunt inaudita: pariter utraq; ijs uitãda, qui elegans aliquod duraturũq; monumentũ relinquere cupiebãt, quales fuere quàm plurimi, quorũ partim omnia scripta exciderũt, partim aliqua nobis supersunt, ex quibus Latinã linguã unusquisq; sibi pro uirili cõparat: quæ cum omnibus uulgo usui esset, plurimũ tamen (ut diximus) in ea docti indoctiq; differebant, neq; in delectu & artificio solum, sed & in uoce & pronunciatione, sic inter Latinos Romanorum proprijs, ut inter Græcos Atticorum. nisi fortè nón hoc sibi uoluit in tertio de Oratore libro M. Cicero, quum ait: Est autem uitium, quod nonnulli de industria consectantur. rustica uox & agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet eorum sermo, retinere uideãtur: ut tuus Catule sodalis L. Cotta, gaudere mihi uidetur

grauitate linguę, sonoq; uocis agresti: et illud quod loquitur, priscū uisum iri putat, si planè fuerit rusticanū. Me autem tuus sermo, & suauitas ista delectat, omitto uerborū (quanquam est caput, uerum id affert ratio, docent literæ, confirmat cōsuetudo & legendi & loquendi) sed hanc dico suauitatē, quæ exit ex ore: quæ quidem, ut apud Græcos Atticorū, sic in Latino sermone huius est urbis maximè propria. Hæc Cicero. Ac ne cui id nouū uideatur, in ipsa etiam urbe Roma aliqui erant, qui Latina lingua delicatius quàm cæteri uti scirent: quod Catulorum peculiare fuisse, eiusdē Ciceronis testimonio alio loco ostendimus. Publius quoq; Ouidius, cū in Ponto exularet, hoc maximum sibi esse incommodum querebatur, quod neminē reperire poterat, à quo ipse Latinè loquens intelligeretur. Nō hercle peculiari quadam doctorū lingua cum Tomitanis, omniū bonarum artium ciuilitatisq; imperitis agebat: sed ea quæ Romæ omnibus in usu esset. Mirū namq; erat, neminem eorū existere, qui Romanorum, orbis habenas moderantiū, linguā à militibus, aut ab alio hominū genere doctus fuisset. quod futurū non erat, si de promiscuo eruditis tantum sermone intelligeret Ouidius: nempe quia nihil purpura ad simias, nihil ad asinos musica instrumenta. Quin cū idē Ouidius summopere timeret, ne Latini sermonis inter barbaros obliuisceretur, eū designabat, quē in patria omnes callerent, ne fortè si in illam redijsset, cum uxore, amicisq; loqui nesciret: non illū, quem pauci admodū sibi uendicarent. Eius carmina ex V Trist. libro, ut ab omnibus examinari possint, subijciā,

Vnus in hoc non est populo, qui fortè Latinè
 Quælibet è medio reddere uerba queat.

Non eos quærebat hic poëta, qui cultè, ornatè, concinneq;, sed qui mediocriter loquerentur, & ijs uerbis, quibus sordida plebs ageret, Et paulo pòst,

Ne tamen Ausoniæ perdam commercia linguæ,
 Et fiat patrio uox mea tuta sono,
Ipse loquor mecum, desuetaq; uerba retracto,
 Et repeto studij signa sinistra mei.

Patrium sonum, pro patrio sermone posuit. An aliquis hodie, uel Italus, uel Gallus, uel Germanus, uel Britannus patrium sonum diceret Latinam linguā: Non ædepol, si saperet. Sed patriam quisq; linguam rectè appellaret, quam in patria iuuenes, pueri, senes, serui, nobiles deniq; ac sordidi, & mulieres nossent. At olim Ouidius de Latina intelligens, id optimè poterat: quemadmodum & Hetruscus quispiam in Sarmatia aut ultima Scythia uitam ducens, hoc sibi diligenter præcauendum esse dicere posset, ne patrium, hoc est Hetruscum sermonem desceret. Et mox Ouidius,

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli,
 Et rident stolidi uerba Latina Getæ.

Demum quòd hic poëta à plerisq; quasi lasciuus reprehensus fuerit, nō est aliud, quàm eum nimium sibi in scribendo indulsisse: quippe ut aliqua in sua scripta ex cōmuni sermone deriuarit, quæ Virgilius, Horatius, Tibullus, Propertiusq; nō protulissent, quanquā & in inuentione ipsa, qua mirificè præstat, aliquāto profusior, seu largior, plerisq; sit uisus. Sed ego hæc neq; uitia uocarim, neq; de tam celebri poëta quicquam in sinistram partem pronunciare ausim, qui de Latinæ linguæ usu, non de poëtarum excellentia hæc scripserim. Sanè cum Lucilius etiam ab Horatio, tanquam qui lutulentus flueret, & plura tollenda relinquendis haberet, carperetur, tam de modico sententiarum, quàm uerborum delectu reprehendebatur. Sciendum tamen est, Andream Alciatum in primo Prætermissorum libro cum Philelpho

sentire,

ſentire, atq; hoc ex Apuleij Aſino aureo teſtimonium adprimè ad rem faciens citare. Interrogauit, inquit ille, miles dominum meum, quorſum uacuum duceret aſinũ. At dominus meus Latini ſermonis ignarus, tacitus præteribat. Quapropter cum à milite deturbatus eſſet hortulanus, ſupplicuè reſpondit, ſermonis ignorantia ſe quid ille diceret, ſcire non poſſe. Ergo igitur ſubijciens miles, ubi, inquit, ducis aſinũ iſtum? reſpondit hortulanus, petere ſe proximam ciuitatem. Ex quibus uerbis, ait Alciatus, conſtat elegantiorem illum ſermonem, qualis eſt, quorſum ducis uacuum aſinum? latinum eſſe, nec niſi à doctis ſolitum intelligi. at alium barbarum, ubi ducis aſinum? etiam tali in uſu fuiſſe, ut uel hortulani illum intelligerent, & ita loquerentur. Qua ratione & apud Celſum, Proculus ait, ſæpe audiuiſſe ſe ruſticos ſenes ita dicentes, pecuniam ſine peculio fragilem eſſe: peculium appellantes, quod præſidij cauſa reponeretur. Cum enim in Latinæ dictionis ſignificatione & ruſticorum uſus à Iureconſultis allegetur, nónne apertiſſimè demonſtratur, Latinum ſermonem etiam indoctis communem extitiſſe? Bene ſanè Alciatus. & Proculi uerba multo plus authoritatis habent, quàm Apuleij locus: quem neſcio an meritò plerique barbarum in omnibus appellent. quamuis Vbi aduerbiũ apud Plautum in Mænechmis eodem modo poſitum inueniatur, quum inquit: Demiror ubi nunc ambulet Meſſenio. cui ſimile eſt, quod in Trinummo legitur: Quid quod dediſti ſcortis? Ibidem unà traho. Ibidem dixit, pro eodem. Et Cicero pro Murena, quaſdam Iureconſultorum formulas ſubſannans ait: Quũ hoc fieri belliſſimè poſſet, Fundus Sabinus meus eſt, imò meus, deinde iudicium, noluerunt. Fundus, inquit, qui eſt in agro, qui Sabinus uocatur. ſatis uerboſè. cedo. quid poſtea? Eum ego ex iure meũ eſſe aio. quid tum? Ibi ego te ex iure manu conſertum uoco. Ibi, pro eo, ſine dubio uſurpabant Iureconſulti. quod & paulo pòſt melius explicat: Tranſit idem Iuriſconſultus tibicinis Latini modo. Vnde tu me, inquit, ex iure manu cõſertum uocaſti, inde ibi ego te reuoco. Sed de Romani ſermonis uſu ſatis multa. Plura de eadem re, & meliora fortaſſe apud Philelphum cum in nono, tum in trigeſimo epiſtolarum libro leguntur. Sed & nos aliqua in medium protuliſſe nõ pigeat: quæ ſi alijs probabuntur, nobis grata erunt: ſin minus, eorum uento nauigabimus, qui noſtra reijcient, & contrariam ſententiam ualidioribus teſtimonijs rationibusq; fulſerint.

Tres libros de Bello Ciuili Pompeiano, non uideri C. Iulij Cæſaris. Cap. II.

PRofectò quanto magis noſtrum ſeculum feliciſſimum, doctiſſimisq; uiris decoratum admiror, tanto timidius ea attingere ſoleo, quæ ſic eruditorum animis inſedere, ut quæ nunquam ferè in dubium ſunt reuocata. Quandoquidem cum non Ariſtarchum, ſed Apollinem propè eſſe oporteat, qui ſuum iudicium uulgatiſſimæ receptæ que ſententiæ anteponat, quid mihi erit faciundum, ſi tres libros de bello ciuili Pompeiano, quos à Cæſare ſcriptos omnes profitentur, C. Cæſaris nunquam fuiſſe aſſeram? Verum cum ſuum nemini à natura iudicium ſit negatũ, non qui quod ſentit, liberè profert, ſed qui aliorum cenſuram præ ſua nihili facit, reprehendendus uidetur. Quamobrem ut cõſtantem de trib. illis libris literatorũ cõſenſum ijs relinquamus, qui publicæ fidei adhærentes, nihil præterea diligentius excogitandum putant, nõ uerebor aſſerere ſemper mihi uiſum eſſe, tres libros de quibus agimus, Cęſaris cãdori elegantięq; tam non conuenire, quàm ſeptem de bello Gallico diuini Imperatoris ſcriptorisq; puritatem præ ſe ferunt. eoq; opinionis ueni, ſtili præcipuè diſſimilitudine

adductus: quam quia ob lectorum oculos ponere arduũ esset, doctos rogarim, ut cum septem eos qui uiuum Cæsarem spirant, non semel aut iterum, sed sæpissimè legerint, in eisq; scribendi modum Cæsari peculiarem obseruarint, tres de bello Pompeiano cum illis conferant. Quòd nisi illos maximè diuersa ab his ratione, instituto, consilio, copiaq; cõscriptos protinus agnoscant, mihi uni meam sententiam relinquant. Vtq; singula omittam, uel prima uerba eius operis quod Cæsaris non esse puto, à C. Cæsare purissimo dulcissimoq; eloquentiæ flumine exuberãte mihi abhorrere persuasum est. illa autem ita se habent: Literis à Fabio C. Cæsaris COSS. redditis, ægre ab ijs impetratũ est, summa tribunorum plebis contentione, ut in senatu recitarentur. Quàm huic contextui non quadrant illa: Gallia est omnis diuisa in parteis treis, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Et, Cum esset Cæsar in citeriore Gallia in hybernis, ita uti suprà demonstratum est, crebri ad eum rumores afferebantur, literisq; item Labieni certior fiebat, omnes Belgas, quam tertiam esse Galliæ partem dixeramus, contra populum Romanũ coniurare, obsidesq; inter se dare. Sed hæc exempli causa recitata sint. Alia enim, quæ non ad solas periodos, uerum ad diuersum in totis operibus scribendi morẽ pertinent, tam multa, tamq; cõspicua sunt, ut mihi quidem facillime cõprobarint, septem libros de bello Gallico M. Tullij de Cæsaris commentarijs iudicio facillime respondere: tres uerò de bello ciuili, nõ elegãtius esse compositos, quàm reliquos de bellis Alexandrino, Africano, & Hispaniensi. Quin & ratio affatim quod uolumus cõfirmat. Etenim cum Cicero Cæsarem quosdam commentarios rerum suarũ scripsisse testetur, ad paucos referendã dicas eius sententiam, siquidem innumerabilia Cæsaris bella per totũ terrarum orbem cõfecta considerentur. Ad hæc, qui quos de bello Gallico inchoarat, imperfectos reliquit, alios de bellis ciuilibus nõ uidetur cõscripsisse. Tũ ea fuit C. Cæsaris in exarandis rerũ suarum cõmentarijs mens, ut paratã haberet, unde sumerent, qui scribere uellent historiã: quod nõ de bellis in Italia, in Græcia, in Hispania, hoc est in cõspectu populi Romani gestis, sed de ijs interpretari par est, quæ in Gallia, cuius intima atq; (ut ita dicã) fontes ipse Romanorũ primus adijt, uiciq;, hoc est in locis ignotissimis cõmisit, omnium Imperatorũ qui unquam fuerunt præstantissimus: quippe qui ad literas, & ad arma natus, cũ in utrisq; excelluerit, in illis, si nõ alijs, saltem M. Tullio cedere possit: in his autem nõ modò nõ æqualẽ, sed ne secundũ quidem, nisi magno interuallo habuerit. Huc pertinet, quòd qui ad bella ciuilia inuitus, & quasi capillis protractus fuit eorũ stragem nõ manifestans, præter ea undecies C. & XCII. M. hominum prælijs occiderit, quod ipse clàm esse cupiebat, suis cõmentarijs aperire fuisset coactus. Sanè Suetonius Tranquillus, grauissimus author, qui omnia C. Iulij Cęsaris facta dictaq; diligentissime exequitur, tres illos libros inter eius scripta refert. Quod si uerum est, nullus fuerit nostræ coniecturæ locus: quæ tamen cum mihi arrideat, non recuso, quin cæteri egregij atq; antiqui scriptoris authoritatẽ sequãtur. Ego enim ut Tranquilli de ea re testimoniũ, tanquam maxime uerũ alijs relinquam, priuato quodã iure aliter sentio. Asinius quippe Pollio, ut idem Suetonius tradit, omnibus Cæsaris cõmentarijs ueritatis fidẽ adimebat, cumq; nisi tam cito occupata republica interfectus fuisset, illos rescripturũ correcturũq; aiebat. quod multa temere suis credita, pro certis asseruisset. Qui tamen in excellentissimũ quemque Romanorum scriptorum calamum strinxerit, qui inquam nec Ciceroni, ut Liuium, Sallustium, similesq; prætercam, pepercerit, cum in Cęsare patauini

tatem non posset, mendacia deprehendit, dignus, quem non diligentiæ (nam ea præstitisse, memoriæ proditum est) sed obscuræ negligentiæ nomine antiqui celebrassent: præsertim quòd nunquam tantum gloriæ ueterum iudicio prome ritus est, quantum eorum quispiam, quos quasi capitales hostes exagitabat. Quàm uellem aliqua superesse tam oculati lyncei monumenta? Nã si alios ipse hostiliter carpebat, quàm aculeatos posteritatis morsus fuisset expertus? Quo pacto Ciceronianorũ, qui nostra ætate infiniti propè sunt, impetus sustineret?

De ætate Nestoris: item de longißimis hominum uitæ spacijs. Cap. III.

HOmerus poëta nunquam satis laudatus, primo Iliados libro de Nestore loquens, sic ait,

τῷ δ' ἤδη δύω μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίαθ', οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν, ἠδ' ἐγένοντο
ἐν πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

Quos uersus Porphyrius in libro de Homericis quęstionibus enarrans, nõ tam mihi absolutè Nestoreæ ætatis rationem, quàm Eustathius explicasse uidetur. quanquam & hic cum tres recenseat pro ea re opiniones, earum'que duas confutet, uix tamen ita rem attigerit, ut sibi satisfecisse sit existimandus. Cæterum quod ad rem nostram pertinet, hoc fermè modo se habet, ut cum Homerus duas hominum ætates Nestori defecisse, tertiæ Troiani belli tempore imperasse scribat, ex historia hoc secundum quosdam explicandum appareat. Hercules etenim Nestore adhuc iuuene Pylum obsidens, quum scilicet Apollo et Neptunus'que iuxta Pindari sententiam obstiterint, senes primæ ætatis, atque in secunda ætate florentes necauit, omnes ante Nestorem in Pylo genitos, educatos'que: senes quidem, qui uerbis sibi obfuerant: (Pyli autem regem Neleum excipere Herculem, & expiare cæde prohibuerant) iuuenes uerò, propterea quod pugnando nocendoq́ restitissent. Tertiam autem puerorum ætatem, tanquam inculpabilem, sibiq́ nulla in re contrariam seruauit, cui postea Nestor imperarit. Sed sciendum est, inquit Eustathius, quoniam qui sic sentiunt, cum de ijs tantum loquantur, qui Nestoris tempore existebant, nõ longam admodum Nestori ætatem apertè tribuisse. Proinde alij sic inquiunt: ætates, (quæ Homero γενεαὶ dicuntur) iuxta antiquorum opinionem triginta annorũ fuisse, quibus homo perficitur: quod & Hesiodo placuit. Nestori igitur duæ hominum ętates corruptæ fuerant, hoc est, transierant: tertiæ autem, atq; in ea uiuentibus imperitabat, scilicet sexaginta excedebat annos. Atq; hæc nimirum Porphyrij est sententia. Verum & ea nihil quàm meras nugas continet, subdit Eustathius. primum quòd non apertè quot annorum Nestor esset, ostendit, nisi quod sexagesimum annum excesserat: tum quod Homeri uerba, quæ eorum ætatem defecisse indicant, qui secum ἐν πύλῳ ἠγαθέῃ nutriti genitiq; fuerant, huic expositioni non conueniunt. Alij itaq; sic sentiunt: duas quidem hominum ætates integras transisse, ipsum autem tertijs antea imperasse, dum iuuenis in iuuenes iam & perfectos milites imperium habuisset. Laborarunt illi quidem, tempore'que corrupti ac pugnæ inutiles redditi sunt, hoc'que pacto una Nestorem ætas defecit. Imperauit rursus Nestor ætatis flore uirentibus, qui itidem eo atque ad obeunda opera calore destituti fuere. Hæc'que secunda est ætas. Ipsi æquales superioribus sub ipso Nestore existentes, nutriti geniti'que unà fuerunt. Ipsis autem corruptis, Nestor adhuc superuixit: nunc tertiæ ætati, floridæ uidelicet, Troianis'que aduersanti imperat. utpote, qui non in tertiam hanc ætatem imperium habeat, sed in puerilem illam, quæ capta Pylo seruata fuit.

uel

uata fuit, uel iam senio confectus etiam uiris dominatur, qui sexagesimum annum excessissent, ac sibi similes essent, quorũ nullus Achiuis in bello usus esset, quare rectius dici posset, tertiæ ætati imperasse Nestorem, quarum duæ antea præteritæ amplius non sint: tertiæ autẽ nunc imperat Nestor, uiuus remanens in tertia ætate. Quòd autem ætas uariè accipiatur, ueteres significant. Herodotus sanè dictam triginta annorum ætatem aliquantulum extendens, tres hominum ætates centum esse annos asserit. Sic Eustathius Homeri ætatem interpretatur: cuius uerba si quis noscere uelit, hæc sunt. ἰστέον δὲ, ὅπερ ἐνταῦθα λέγει, τοιοῦτον. ὅτι κατὰ τὴν ἱστορίαν ἡρακλῆς, ἔτι νεωτάτου ὄντος τοῦ νέστορος, τὴν πύλον πολιορκήσας, ὅτι καὶ ποσειδῶν αὐτῷ, καὶ ἀπόλλων ἀντέστησαν, κατὰ πίνδαρον, τούς τε γέροντας ἀνεῖλε, μίαν ἐκείνην γενεὰν, καὶ δευτέραν γενεὰν τοὺς ἀκμάζοντας, πρὸ τοῦ νέστορος ἄμφω, καὶ γενομένους καὶ τραφέντας ἐν τῇ πύλῳ, καὶ ἐκείνους μὲν ἀνεῖλεν, ἤγουν τοὺς γέροντας, ὡς λόγοις βλάψαντας. ἐκώλυσαν δὲ τὸν τῆς πύλου βασιλέα νηλέα, ὑποδέξασθαι, καὶ καθῆραι φόνου τὸν ἡρακλέα. τούτους δὴ, ἤτοι τοὺς ἀκμαίους, ὡς καὶ ἔργοις λυπήσαντας. μαχόμενοι γὰρ ἀντέστησαν. τὴν δὲ τρίτην οὐκ ἐποιήσατο γενεὰν, τὴν τῶν παίδων, ὡς ἄμεμπτον, καὶ μηδὲν αὐτὸν βλάψασαν· ἧς καὶ ἦρξεν ὕστερον ὁ νέστωρ, τῆς τρίτης δηλαδὴ. ἰστέον δὲ, ὅτι ὁ λόγος οὗτος, ἱστορεῖ μέν τι τῶν κατὰ τὸν νέστορα, οὐ μὴν καὶ πολυχρονιότητα φανερῶς προσμαρτυρεῖ αὐτῷ. ἕτεροι δὲ οὕτω φασὶ, ὅτι γενεὰ κατὰ τοὺς παλαιοὺς οἱ τριάκοντα χρόνοι, καθ' οὓς τελειοῦται ἄνθρωπος, ὡς δηλοῖ καὶ ἡσίοδος, ἐν τῷ,

Μήτε τριηκόντων ἐτέων μάλ' ἀπολείπων.

τῷ τοίνυν νέστορι, δύο γενεαὶ ἀνθρώπων ἐφθίατο, τουτέστι παρῆλθον. ἤνασσε δὲ τρίτης γενεᾶς, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ ὄντων· τουτέστιν, ὑπερέβη τὰ ἑξήκοντα ἔτη. ἔχει δὲ καὶ ὁ λόγος οὗτος πρόσκομμά τι. πρῶτα μὲν, διὰ τὴν ἀσάφειαν, οὐ γὰρ φανερῶς εἴρηται, οἵου μὲν ἔτους ἦν ὁ νέστωρ· ἀλλὰ δηλοῦται μόνον, ὅτι ὑπὲρ τὰ ἑξήκοντα ἦν ἔτη. εἶτα καὶ διότι τὸ οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο ἐν πύλῳ, οὐκ εὐκόλως πρὸς τὴν τοιαύτην ἔννοιαν συμβιβάζεται. λέγεται οὖν τις καὶ τρίτη ἔννοια τοιαύτη, ὅτι δύο γένη ἀνθρώπων ὅλα παρῆλθον, αὐτὸς δὲ ἄρτι τῶν τρίτων ἤνασσεν, οἷον ἐβασίλευσεν, ἔτι παντελῶς νεάζων, ἀκμαίων, καὶ ἤδη τελείων στρατιωτῶν. ἀπὸ πάλαι μὲν ἐκεῖνοι, καὶ τῷ χρόνῳ ἔφθιντο, καὶ παρεθέντες, γεγόνασιν ἀπόμαχοι, καὶ ἰδοὺ ἔφθιτο τῷ νέστορι μία γενεὰ. ἦρξεν αὖθις ἑτέρων ὁ νέστωρ, τῇ ἀκμῇ τεθηλότων. ἀνηλώθη δὲ τῷ χρόνῳ, καὶ αὐτοῖς τὸ νεοτήσιον ἄνθος, καὶ ἀπέσβη τὸ πρὸς τὰ ἔργα θερμὸν, καὶ ἰδοὺ δευτέρα γενεά. οὗτοι οἱ ἐπίσης τοῖς πρὸ αὐτῶν ὑπὸ αὐτῷ, ἤτοι τῷ νέστορι ὄντες, ἅμα τράφεν, καὶ ἐγένοντο. φθαρέντων δὲ καὶ αὐτῶν, ὁ νέστωρ ἔτι διήρκεσε. νῦν δὲ λέγει τρίτης ἀνάσσειν γενεᾶς, ἀκμαίας δηλαδὴ, καὶ ἀντιπάλου τοῖς ἥρωσιν, ὡς εἴπερ μὴ τοιαύτης ἄρχει τρίτης γενεᾶς, ἀλλ' ἐκείνης τῆς παιδικῆς τῆς περισωθείσης ἐν τῇ τῆς πύλου ἁλώσει, ἢ καὶ ἄλλως, ἀνδρῶν τῶν ὑπὲρ τὰ ἑξήκοντα ἔτη, συμπαίλων ἄρχει καὶ ὁμοίως ἑαυτῷ, ἐξ ὧν οὐδεμία τοῖς ἀχαιοῖς εἰς μάχην δεῖ λυσιτέλεια. ὥστε μᾶλλον οὕτω λέγοιτ' ἂν, τρίτης ἄρχει ὁ νέστωρ γενεᾶς, ὧν αἱ μὲν δύο πρόσθεν γεγόνασι, οὐκ ἔτι εἰσὶ. τῆς δὲ τρίτης ἄρξας ἄρχει αὐτὸς, διαρκέσας καὶ εἰς γενεὰν τρίτην. ὅτι δὲ τὸ γενεὰ πολυσήμαντόν ἐστι, δηλοῦσιν οἱ παλαιοί. ἰστέον δὲ, ὅτι τὴν ῥηθεῖσαν τριάκοντα ἔτη γενεὰν ἡρόδοτος βραχύ τι παρατείνων, φασὶ, ὡς γενεαὶ τρεῖς ἀνδρῶν, ἑκατὸν ἔτεα εἰσί. Ouidus tamen, Latiniq́ alij non pauci, sic Nestorem à poëta positum uolunt, ut tria is secula, hoc est trecentos, aut circiter annos uixerit. Ouidius enim Metamorphoseos libro duodecimo sic eum Achilli, alijsq́ Græcis Centaurorũ cum Lapithis pugnam referentem loqui fingit,

Tum senior: Quamuis obstet mihi tarda uetustas,
Multaq́ me fugiant primis spectata sub annis,
Plura tamen memini, nec quæ magis hæreat, ulla
Pectore res nostro est, inter belliq́ domusq́
Acta tot: ac si quem potuit spaciosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere, uixi

Annos bis centum, nunc tertia uiuitur ætas. Et Tibullus libro quarto,

Vixerit ille senex quamuis, dum terna per orbem
Secula fertilibus Titan decurrerit horis. Propertius libro secundo,
Nestoris est uisus post tria secla cinis.

Quos imitatus Iunius Iuuenalis, Satyra decima ita scripsit,

Rex Pylius, magno si quicquam credis Homero,
Exemplum uitæ fuit à cornice secundæ:
Felix nimirum, qui per tot secula mortem
Distulit, atq; suos iam dextra computat annos,
Quiq; nouū toties mustum bibit.

Nam Næuius in Alcesti (ut inquit Gellius) trisetlisenem eum appellauit, qui etiam à Græcis τριγέρων dictus est. Et quidem cum Nestoris ætas in prouerbij locum abierit, quo pacto id fieri aut potuit aut debuit, nisi ille tam diu uixisset, ut cōmunem ferè hominū uitę conditionem excessisset? Aut ergo poëtico more Græcus poëta, hicq; omnes locuti sunt, & ex ea fabula occasionem adagio datam dicemus: aut si uera Nestoris ætas consideretur, necesse est eum longo spacio centum annos excessisse, qui propè unus pro ipsa temporis uetustate ponitur, de quo licet ab incerto authore elegantissimè scriptum est,

Carmina quæ Pylium seclis accepta futurum,
Carmina quæ Pylium uincere digna senem.

Quamuis Propertius Tithonum sic ut Nestorem posuerit, quum ait,

At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
Siue ego Tithonus, seu tibi Nestor ero.

Ouidius porrò Pylios annos pro infinitis uiro, Cumæos autē fœminæ eodem animo optauit, quum libro secundo de Ponto ita caneret,

Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos
Viuant, & possis filius esse diu.

Nec sum nescius, non modò nostris temporibus, sed Heroicis etiam, hoc est, illis quibus Nestor uixit, adeò breuem fuisse uitam, ut si quis supra ducentos uixisset annos, miraculi loco eius sors poni debuerit. Quis tamen, cum hæc maxima ex parte hominum uitæ breuitas fuerit, quenquam cōmunem aliorum ætatem excedere potuisse neget? An non sicut naturā cæteris in rebus plurima maximè admiranda edidisse uidemus, idem in unius pluriumue hominum uita efficere ualuisse dicemus? Iam nisi Mosen mentiri asseramus (ut de cæteris qui ante diluuium fuerunt sileam) quis Mathusalem nongentos sexaginta nouem annos uixisse inficiabitur? Sed hoc plerosq; deterruit, tanquam infandum aliquod inauditumq; portentū. Ego tamen ijs, qui ueteris Instrumenti historiam tanquam hominum commentum, ac non potius Dei optimi maximi donum pro tempore datum arbitrantur, perfacile cōcesserim, ut huiusmodi testimonia aspernentur. Nos enim, qui Mosen Dei seruū legem tantisper perfectam, dum Messias (qui est CHRISTVS, deus noster, uerus deus, uerusq; homo) aliam meliorem ferret, Hebræis reliquisse pro constanti asseueramus, maiorem illis quæ à Mose scripta sunt fidem adhibemus, quàm ijs quæ nostris ipsi oculis intuemur, cum omnis homo mendax sit, uti à diuino uate scriptum est: Sancto autem SPIRITVI, qui per Mosen aliosq; prophetas locutus est, nullum mendacium assignari queat. Aurelius quippe Augustinus, libro de Ciuitate Dei decimoquinto, multis uerbis eorum confutat opinionem, qui annos aliter in sacris literis accipi perhibent, quàm quibus nos utamur. Neq; enim ullo modo audi-

r endi

endi ſunt, inquit, qui putant aliter annos illis temporibus computatos, id eſt tantæ breuitatis, ut unus annus noſter decem illos habuiſſe credatur. Quapropter, inquiunt, cũ audierit quiſq;, uel legerit nongentos annos quenquam uixiſſe debet intelligere nonaginta. Decem quippe illi anni unus annus eſt noſter, & decem noſtri centum illi fuerunt. Ac per hoc (ut putant) uiginti trium annorum fuit Adã, quando genuit Seth, & ipſe Seth uiginti habebat, & ſex menſes, quando ex illo natus eſt Enos: quos appellat ſcriptura ducentos, & quinq; annos. Quoniam ſicut iſti ſuſpicantur, quorum exponimus opinionem, unũ annum qualem nunc habemus, in decem partes illi diuidebant: & eaſdem partes, annos uocabant. Et inferius, poſtquam multas eorum, qui ſic aiebant, rationes in medium protulit: His uelut probabilibus argumentis quidam nõ deſtruentes fidem ſacræ huius hiſtoriæ, ſed aſtruere nitentes, ne ſit incredibile, quòd tam multos annos uixiſſe referuntur antiqui, perſuaſerunt ſibi, nec ſe ſuadere impudenter exiſtimant, tam exiguum temporis ſpacium tunc annum uocatũ, ut illi decem ſint unius noſter, & decem noſtri centum illorum. Hoc autem falſiſſimum eſſe, documento euidentiſſimo oſtenditur. Quod antequàm faciam, non mihi tacendum uidetur, quæ credibilior poſſit eſſe ſuſpicio. Poteramus certè hanc aſſeuerationem ex Hebræis codicibus redarguere, atq; conuincere, ubi Adam non ducentorum triginta, ſed centum triginta annorum fuiſſe reperitur, quando tertium genuit filium: qui anni ſi tredecim noſtri ſunt, procul dubio primũ genuit, quando duodecim, uel non multò amplius, annorum fuit. Quis poteſt hac ætate generare, uſitata iſta nobiſq; notiſſima lege naturæ? Sed hunc omittamus, qui forcaſſe etiam quando creatus eſt potuit. Non enim eũ tam paruũ, quàm infantes noſtri ſunt, factum fuiſſe credibile eſt. Sed filius eius non ducentorum quinque, ſicut nos colligimus, ſed centum quinq; fuit, quando genuit Enos: ac per hoc ſecundum iſtos nondum habebat undecim annos ætatis. Quid dicã de Cainam eius filio, qui cum apud nos centum ſeptuaginta reperiatur annorum, apud Hebræos ſeptuaginta legitur fuiſſe, quando genuit Malalehel? Quis generat homo ſeptennis, ſi tunc anni ſeptuaginta nuncupabantur, qui ſeptẽ fuerunt? Hæc Auguſtinus. quæ paulo póſt multis diuinæ ſcripturæ locis confirmat. Tametſi nullus in ea, me iudice, reperiatur, qui apertius Hebræorum annos duodecim menſibus conſtitiſſe oſtendat, quàm hoc ex ultimo Hieremiæ capite teſtimonium: Et factum eſt in triceſimo anno tranſmigrationis Ioachim regis Iuda, duodecimo menſe, uiceſima quinta menſis, leuauit Euil medorach rex Babylonis, ipſo anno regni ſui caput Ioachim regis Iudæ, & eduxit eum de domo carceris. quod & in Hebræis, Græciſq; codicibus eodem modo habetur. Idem quoque Auguſtinus paulo antè eodem libro, de longa hominum, qui ante aquarum diluuium fuerunt, uita, corporumq; magnitudine agens, Virgilij teſtimonio humanum genus indies decreſcere docet, cum ille duodecimo Aeneidos libro de ingenti lapide, quem Turnus in Aeneam coniecit, ita canat,

Vix illud lecti bis ſex ceruice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Quæ quamuis ad uires uideantur referenda, ætatem etiam longiorem antiquis quàm poſteris fuiſſe innuunt: niſi fortè, quæ hominum uires imminuit, eorundem ætati pepercerit. Homerus quidem, quem ut in alijs, ita hac quoq; in parte noſter poëta eſt imitatus, parcius de lapidum magnitudine, quàm Maro mentitus eſt, nõ duodecim, ſed duos homines uix eiuſmodi ſaxum extollere potuiſſe ſcribens: alioqui nullũ in mendacijs modũ ſeruare ſolitus. Eius uerſus ex quinto

to Iliados hi ſunt, loquitur autem de Diomede cum Aenea congreſſo,

—ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
τυδείδης μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο ἄνδρε φέροιεν,
οἷοι νῦν βροτοὶ εἰσ᾽, ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος.

In duodecimo quoq; eiuſdem magnitudinis fuiſſe tradit lapidem, quo Hector Achiuorum caſtra effractis portis inuaſit,

ἕκτωρ δ᾽ ἁρπάξας λᾶαν φέρεν, ὅς ῥα πυλάων,
ἑστήκει πρόσθεν πρυμνὸς παχὺς, αὐτὰρ ὕπερθεν
ὀξὺς ἔην, τὸν δ᾽ οὐκ ἂν δύ᾽ ἀνέρε δήμου ἀρίστω
ῥηϊδίως ἐπ᾽ ἄμαξαν ἀπ᾽ οὔδεος ὀχλίσσειαν,
οἷοι νῦν βροτοὶ εἰσ᾽, ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος.

Quò & alluſiſſe Iuuenalem exiſtimo, decimaquinta Satyra ita ſcribentem,

Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis,
Incipiunt torquere domeſtica ſeditione
Tela, nec hunc lapidem, quali ſe Turnus & Aiax,
Et quo Tydides percuſſit pondere coxam
Aeneæ, ſed quem ualeant emittere dextræ
Illis diſſimiles, & noſtro tempore natæ.
Nam genus hoc uiuo iam decreſcebat Homero:
Terra malos homines nunc educat, atq; puſillos.

Sed ad Auguſtinum redeamus, qui praue ſentire eos, qui multa annorū millia ueteribus hiſtorijs tribuant, oſtendere cupiens, magni Alexandri epiſtolæ argumento ducitur, quam ille ad Olympiadem matrem ſcripſit, à quodam Aegyptio ſacerdote ſibi ex ſacra hiſtoria renunciata ſignificans: quæ inquam epiſtola, cum aliquot regnorum tempora demonſtraret, ea cum Græca hiſtoria nequaquam conueniebant. Ex quibus huiuſmodi annorum ſupputationes, nihil aliud eſſe quàm mera figmenta colligit Auguſtinus: moxq; etiam, quaſi inauditū aliquid prodens, ſic ſcribit: Perhibentur enim Aegyptij quondā tam breues annos habuiſſe, ut quaternis menſibus finirentur. Vnde annus plenior & uerior, qualis nunc & nobis & illis eſt, tres eorum annos cōplectebatur antiquos. Sed nec ſic quidem, ut dixi, Græca Aegyptiæ numero temporum concordat hiſtoria: & ideo Græcę potius fides adhibenda eſt, quia ueritatem non excedit annorum, qui literis noſtris, quæ uerè ſacræ ſunt, continentur. Sed quid in Alexandri epiſtola ſcriptum fuerit, noſtra nihil refert, dum Auguſtinus rectè ab Aegyptijs multa annorum millia in ſuis monumentis relata concedat: qui, ſi Plinio credimus, unicum tantum apud eos menſem haberent. Plinij uerba ex ſeptimo Naturalis hiſtorię libro ita ſe habent: Annum enim alij æſtate unum determinabant, & alterum hyeme: alij quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere: quidam lunæ ſenio, ut Aegyptij. itaq; apud eos aliqui & ſingula millia annorum uixiſſe produntur. Lunarem autem annum menſem eſſe, nemini eſt dubium: et Macrobius primo Saturnaliorum libro demonſtrat, nam ſicut lunaris annus menſis eſt, inquit, quia luna paulo minus quàm menſem in Zodiaci circuitione conſumit: ita ſolis annus hoc dierum numero colligendus eſt, quem peragit, dum ad id ſignum ſe denuo uertit, ex quo digreſſus eſt. Et tamen Auguſtinus decimoquinto libro, eadem quæ nos Plinij uerba recitauit. De anni uerò ordinatione nonnulla primo de C. Iulij Cæſaris præſtantia libro dixi. Plura tamen apud Macrobium in primo Saturnaliorū leguntur: quæ nec omnia recenſebo, nec prorſus omittam, præſertim cum aliqua Cæ-

ſaris in ordinando annorum ſpacio inſtitutũ complectuntur. Quare ſic ait Macrobius: Sed poſtea C. Cæſar omnem hanc inconſtantiam temporum uagam adhuc & incertam, in ordinem ſtatutæ definitionis coëgit, adnitente ſibi M. Flauio ſcriba, qui ſcriptos dies ſingulos ita ad dictatorem retulit, ut & ordo eorum inueniri facillimè poſſet, & inuento certus ſtatus perſeueraret. Ergo Caius Cæſar exordium nouæ ordinationis initurus, dies omnes, qui confuſionem adhuc poterant facere, conſumpſit, eaq́ꝫ re factum eſt, ut annus confuſionis ultimus in CCCCXLIII, dies protenderetur. Poſt hoc imitatus Aegyptios, ſolos diuinarum rerum omniũ conſcios, ad numerum ſolis, qui diebus CCCLXV & quadrante curſum cõficit, annum dirigere contendit. Hęc Macrobius, quem, cum de Aegyptiorũ anno loquitur, nõ de lunari, quo primo illi uſi ſunt, ſed de perfecto ſolari intellexiſſe dicendũ eſt: qui ut in reliquis Romano ſimilis fuerit, in hoc certè cũ eo non cõuenit, quod à cancro illi anni principiũ, noſtri ab aquario ducebant, ut Porphyrius ait in libro περὶ τοῦ ἐν ὀδυσσείᾳ τῶν νυμφῶν ἄντρου, his uerbis: αἰγυπτίοις δὲ ἀρχὴ ἔτους οὐχ ὁ ὑδροχόος, ὡς ῥωμαίοις, ἀλλὰ καρκίνος. hoc eſt: Aegyptijs autem anni principiũ nõ aquarius, ut Romanis, ſed cancer. Et de annis quidẽ ſatis multa. De longiſſimis namq́ꝫ uitę ſpacijs aliqua ex Plinio proferenda ſunt, ut ſi Homerũ tria ſecula Neſtori uerè tribuiſſe fateamur, nihil noui, præſertim à poëta factũ credamus, cũ alij quoq́ꝫ poëtæ & hiſtorici multò plures nõnullis tribuerint. De ſpacio atq́ꝫ longinquitate uitæ hominũ, ait Plinius, non locorũ modò ſitus, uerũ exempla, ac ſua cuiq́ꝫ ſors naſcendi incertũ fecere. Heſiodus, qui primus aliqua de hoc prodidit, fabuloſè (ut reor) multa de hominũ æuo referẽs, cornici nouem noſtras attribuit ætates, quadruplũ eius ceruis, id triplicatũ coruis, & reliqua fabuloſius in phœnice ac Nymphis. Anacreon poëta Arganthonio Tarteſſiorũ regi CL. tribuit annos, Cyniræ Cypriorum decem annos amplius, Aegimio CC. Theopompus Epimenidi Cnoſio CLVII. ~~Hellicanus~~ quoſdã in Aetolia Epiorũ gentis, CC. explere, cui aſtipulatur Damiates, memorans Pictoreum ex ijs præcipuũ corpore uiribusq́ꝫ, etiam CCC. uixiſſe. Ephorus Arcadum reges CCC. annis, Alexander Cornelius Dandonem quendam in Illyrico quingentis uixiſſe. Xenophon in Periplo, maritimorum regem DC. atq́ꝫ ut parcè mentitus, filium eius octingentos. Sed enim hæc, ut fabuloſa, non probat Plinius. Iccirco paulò inferius, ad confeſſa ſe tranſire affirmans, Arganthoniũ Gaditanum LXXX. Maſiniſſam ſexaginta annis regnaſſe, illumq́ꝫ quadrageſimo cœpiſſe pro certo habet. Idem Gorgiam Siculũ CVIII. uixiſſe, Quintumq́ꝫ Fabium LXXX. annis augurẽ fuiſſe, pro indubitato ponit. Et mox: In Tmoli montis cacumine, quod uocant Tempſim, centum quinquaginta annis uiuere Mutianus author eſt. Totidem annos cenſum Claudij Cæſaris cenſura T. Fullonium Bononienſem, idq́ꝫ collatis cenſibus, quos antè detulerat, uitæq́ꝫ argumentis (etenim id curæ principi erat) uerum apparuit. Hęc ille: qui de huius Titi Fullonij uita tradita uera eſſe nõ dubitans, inter figmenta (ut uidimus) retulit, quæ Anacreon de Tarteſſiorũ, ac Cynira Cypriorum rege, Theopompusq́ꝫ de Epimenide Cnoſio tradiderunt: quaſi portentum fuerit, ſi T. Fullonius CL. annos uixerit eoſdem expleſſe Arganthoniũ, ſeptem tranſiſſe Epimenidem, denis Cypriorum regem. Ego uerò, ut de Pictoreo nihil dicam, de Aegimio facile crediderim, nec minus de Epiorum in Aetolia gente, ijsq́ꝫ qui in Tmoli cacumine habitant, cum non ſit dubium (ſicut oſtenſum eſt) etiam nongentos annos exceſſiſſe eorum aliquos, qui ante Noë fuerunt. Sanè Valerius Maximus eadem ferme de Humanæ uitæ longitudine, quæ à Plinio ſcribuntur, octauo Priſcorum

exemplo

exemplorū libro memoriæ prodit, ut hunc ab eo, si non omnia, plurima certè accepisse, uerò sit quàm simillimū. Quid Lucianus? Nonne accuratius eos qui diu uixerunt collegit, quàm eorum quenquam, quos hactenus nominauimus? At enim quæ ille accuratissimè exequitur, nobis omittenda sunt, qui non hoc agimus, ut omnes omnium ætates colligamus, sed de Homerico Nestore aliqua dicentes, quæ se nobis eò spectantia obtulerunt, ijs addidimus. Vtcꝙ primis postrema cōnectamus, hic quem nominaui Lucianus, eundem, quem et nos, suo opusculo, quod μακρόβιοι inscribitur, Nestorē præposuit, quem tria secula, ut est, ab Homero uixisse dictum simpliciter intelligit, cum & animo nobis & corpore à summo uate exercitatus cōmendetur. Nam quæ de Tiresia uate, qui ad sex uscꝙ hominum ætates uitam produxerit, subiungit, magis fortè fabulosa uideri debent. Licet Lucianus ipse hominem dijs charū, moderatocꝙ uictu utentem, longissimā uitā uiuere ualuisse censeat, de utrocꝙ ita scribens: Νέστορα μὲν οὖν τὸν σοφώτατον τῶν ἀχαιῶν, ὃν τρεῖς παρατεῖναι γενεὰς ὅμηρος λέγει, ὃν γυμνασίοις ἡμῖν γεγυμνασμένον ἔν τε ψυχῇ καὶ σώματι. καὶ τειρεσίαν δὲ τὸν μάντιν, ἡ τραγῳδία μέχρις ἓξ γενεῶν παρατεῖναι λέγει, πιθανὸν δ᾽ ἂν εἴη, ἄνδρα θεοῖς ἀνακείμενον, καὶ καθαρωτέρᾳ διαίτῃ χρώμενον ἐπὶ πλεῖστον βιῶναι. Fuit autem Nestor Nelei Chloridiscꝙ filius, undecimcꝙ fratres habuit, quos omnes Hercules Pylū diripiens trucidauit. De qua re apud Ouidiū libro duodecimo Metamorphoseos, ipse sic ait, Tlepolemū alloquens:

Ille tuus genitor Messenia mœnia quondam
Strauit, & immeritas urbes, Elincꝙ, Pylumcꝙ
Diruit, incꝙ meos ferrum, flammascꝙ, penates
Impulit. utcꝙ alios taceam, quos ille peremit,
Bis sex Neleidæ fuimus, conspecta iuuentus,
Bis sex Herculeis ceciderunt, me minus uno,
Viribus. Hic sapientissimus in Græcorum exercitu habitus est,
τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Quapropter Agamemnō nō multos aut Aiaces, aut Achilles, sed multos à dijs Nestores sibi cōcedi optauit. Et Cicero nono Familiariū, de eo sic inquit: Est tamen non alienū à dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni regi regum fuit honestum, habere aliquē in consilijs capiundis Nestorem: mihi uerò gloriosum, te iuuenem consulem florere laudibus, quasi alumnū disciplinæ meæ. Quod si quot filios præter Antilochum, qui in Troiano bello extinctus est, habuerit Nestor, ijs quæ diximus subiungere uelimus, his carminibus eos omnes in tertio Odysseæ Homerus comprehendit περὶ δ᾽ υἷες ἀολλέες ἠγερέθοντο,
ἐκ θαλάμων ἐλθόντες, ἐχέφρων τε, στρατίος τε,
περσεύς, ἄρητός τε, καὶ ἀντίθεος θρασυμήδης,
τοῖσι δ᾽ ἔπειθ᾽ ἕκτος πεισίστρατος ἤλυθεν ἥρως.

De aliquot Lactantij Firmiani erratis. Cap. IIII.

LActantius Firmianus, Arnobij auditor, Latinorū omnium qui Theologica tractarūt citra controuersiam eloquentissimus, nostræcꝙ religionis assertor acerrimus, celeberrimi dum uiueret nominis, propter singularem excellentiam, à Christianæ pietatis cultoribus habitus est: editiscꝙ nō paucis elegantissimis, magnacꝙ eruditione refertis lucubrationibus, quarum bona pars doctorū manibus teritur, pars uerò commune cum cæteris Romanorum scriptis naufragium passa est, sic in omniū ore uersatur: quasi qui unicè cūcta Philosophorum dogmata Christianis ex diametro aduersantia optimis rationibus peruertēs, & grauissimis sententijs, & stili candore unicè sit cōmendandus, Quamobrem fue

rint licet, qui alias Theologiæ partes facilius, quàm ille, atque etiam argutius excoluerint: in ijs tamen quæ ad confutanda gentium (sic enim uocabantur, quicunque ante Christi aduentum legem à Mose traditam, non amplecteren-tur) placita spectant, nemo ad hanc diem extitit, quantum quidem ipse iudicare ualeo, qui cum Lactantio longo interuallo sit conferendus: uel quia rerum uerborum'que pondere, ac efficaci quadam naturæ ui susceptum contra munitissimas Ethnicorum sententias munus egregiè obit: uel quia paucis uerbis plurima complectitur, semper (quod de Thucydide perhibet Marcus Tullius) sibi instans, nullasq; sordes, ut alij complures faciunt, secum trahens. Quòd nisi tam eximius author plurima scripsisset, in quibus uix credas, uirum tam curiose in sacris prophanisq; literis uersatum labi potuisse, eum unum ex omnibus Latinis scriptoribus maximè deligendum censerem, qui pueris in manibus semper esset, ut eodem tempore illi ex unius lectione & Christianæ fidei rudimenta, & Romani sermonis puritatem discerent. Nec enim eorum sententiam probo, qui aut Euangelia ab illis, aut ueteris Instrumenti libros legendos esse autumant: cum id uix tutò ab ijs fiat, qui iam grandiores, non facile propter quoduis dubium à recta uia aberrent. Nam ut ipsa Euangelistarum scripta, quæ facillima prima facie apparent (quamuis plurima in eis legantur, quæ non satis firmis fabulam sapere uideri queant) hoc loco prætercam, quis Diui Pauli epistolas, & eam præsertim, quæ ad Romanos scripta est, mediocriter in Theologicis exercitatus intelligat? Equidem quoties eum de fide, ac per eam iustificatione, de lege ac peccato, de prædestinatione sanctorum, de præputio ac circumcisione, similibus'que differentem lego, non mihi Platonem aut Aristotelem, sed longè eorum axiomatibus abstrusiora reconditiora'que legere uideor. Quid de obscurissimis Apocalypseos mysterijs erit dicendum? An ea à pueris lectitanda erunt? Nihil minus, me authore: imò nec prophetarum quenquam, nec Iob, nec Mosaici Pentateuchi pleraque ijs offerenda existimo: quæ uix in sacra Theologia diu multumq; uolutatis peruia sunt. nempe quòd ipsi per se rerum difficultate perfacile opprimerentur: nemo'que alicuius scientiæ cognitionem consequi exactè potest, quin excellentem aliquem in ea magistrum sortiatur. Propterea CHRISTVS IESVS non omnibus in se credentibus Euangelij prædicationem protinus concessit, sed Apostolis tantum, quos ipse uiuens erudierat: à mortuis autem suscitatus, infuso in eos SPIRITV SANCTO, in omni Euangelica doctrina præstantissimos reddiderat. Euntes in mundum uniuersum, inquit, prædicate Euangelium omni creaturę. Diuusq; Paulus prima ad Corinthios epistola, Apostolos CHRISTI ministros, mysteriorumq; Dei dispensatores uocat. An ergo pietatis Christianæ dogmata pueris sunt neganda? Ego uerò nihil patribus magis curæ esse debere opinor, quàm ut primo quoq; tempore liberos ea doceri curent, quæ Christianos in primis credere oportet, atq; ad consequendam salutem sunt necessaria: ita tamen, ut paulò altiora, quibus sacri libri toti scatent, curiosius non scrutentur, ne altum sapiant, sed ad sobrietatem tantum. Verum ut his omissis, quæ suis fortè locis copiosius à nobis disserentur ad Lactantium redeamus, cum is (ut dixi) sæpissime errarit, Christianusq; nihilo minus ac Theologus extiterit, ea de causa pueris non est legendus, quod periculum esset, ne illi omnes Christiani scriptoris sententias promiscuè imbiberent: quod in cæteris tum Latinis, tum Græcis authoribus minimè timendum est, cum eos in tenebris ambulasse, atq; à nostræ fidei scopo summopere abhorruisse non ignorent. Cæterum, utcunque alij de legendis Firmiani operibus senserint,

serint,

ſerint, mihi omnia eius errata colligere non eſt in animo, ſed pauca, ac illud præcipuè, quod ad humanæ uitæ longitudinem ſpectat, cum de eo paulo antè Neſtoreæ ætatis rationem explicantes, nonnulla dixerimus. Etenim cum poſt diluuiũ fieri potuiſſe, ut quis ad ducenteſimũ annum perueniret, ac eum numerum etiam tranſcenderet, partim rationibus, partim ueterum teſtimonijs oſtenderimus, ſic in ea re deceptus eſt Lactantius, ut nemini poſt humanum genus per Noë ac eius filios reparatum, centeſimum uigeſimum'que annum excedere licuiſſe crediderit; inde arrepta occaſione, quod Deus optimus maximus ſexto Geneſeos capite ſic loquatur: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, erunt'que dies illius centum uiginti annorum. Quapropter Lactantius libro Diuinarum inſtitutionũ ſecundo, ſic ait: Deinde orbe ſiccato, execratus iniuſtitiam prioris ſeculi Deus, ne rurſus longitudo uitæ cauſa eſſet excogitandorum malorum, paulatim per ſingulas progenies diminuit hominis ætatem, atq́ in centum & uiginti annis metam collocauit, quam tranſgredi nõ liceret. Sed inſignem in hoc Firmiani errorem agnoſcimus, cum Abraham, qui multis poſt diluuium annis natus eſt, centũ & ſeptuagintaquinque annos uixerit, uti de eius uita ſcribit Moſes: Iſaac autem eius filius, centum octoginta. Nam ipſe Moſes, qui multis etiam ſeculis poſt eos uixit, ſic centum et uiginti annorum ſpacium decurrit, ut ante tempus mortuus, quia ſcilicet Dei in ſe iram concitauerat, nullam oculorum caligationem, nullam dentium iacturam paſſus fuerit: quod de ijs, quibus centum tantum ac uiginti annorum uita conceſſa eſt, inauditum uideri deberet: quia

Multa ferunt anni uenientes commoda ſecum,
Multa recedentes adimunt.

Illorum'q́ alterũ Iſaac, qui & ipſe Deo gratiſſimus, CHRISTI'q́ typus fuit, ſacræ literę cõtigiſſe nominatim teſtantur. Atque & muliebre genus, cuius uitam uirili cõtractiorem eſſe ſcimus, eum annorũ numerum exceſſit, quem Lactantius præfinitũ, humano generi conceſſum autumat: quando Sara Abrahæ uxor centum ac uiginti ſeptem annos uixit. Proinde is, quem de centũ ac uiginti annis recitauimus Geneſeos locus, nequaquam ad id ſpaciũ eſt referendus, quod nobis Firmianus ingerit: ſed ad illud potius, quod Deus hominibus, antequam aquarum inundationem in orbem uniuerſum mitteret, ſi commiſſorum ſcelerum pœnitentia ducerentur, conceſſit. Idem Lactantius eiuſdem quod ſuprà citauimus operis libro ſeptimo, de mundi ætate loquens, ubi multa de eius origine contra Platonem Chaldæos'q́ diſſeruit, ſic inquit: Sciant igitur philoſophi, qui ab exordio mundi ſeculorũ millia enumerant, nondũ ſextum milleſimũ annum eſſe cõcluſum: quo numero expleto, cõſummationẽ fieri neceſſe eſt, & humanarũ rerũ ſtatũ in melius reformari. cuius rei argumentũ prius eſt enarrandũ, ut ratio eluceſcat. Mundum Deus, & hoc rerum naturæ admirabile opus (ſicut arcanis ſacræ ſcripturæ continetur) ſex dierum ſpacio cõſummauit, diem'q́ ſeptimũ, quo ab operib. requieuit, ſanxit. Hic eſt autem dies ſabbati, qui in lingua Hebræorum à numero nomen accepit: unde ſeptenarius numerus legitimus, ac plenus eſt. nam & dies ſeptẽ ſunt, quibus per uicem reuolutis, orbes conficiuntur annorum: & ſeptem ſtellæ quæ non occidunt, & ſeptem ſidera quæ uocantur errantia, quorum diſpares curſus, & inæquales motus, rerum ac temporum uarietates efficere creditur. Ergo quoniam ſex diebus cuncta Dei opera perfecta ſunt, per ſecula ſex annorum, id eſt ſex millia, manere in hoc ſtatu mundum neceſſe eſt. Dies enim magnus Dei mille annorum ſeculo terminatur, ſicut indicat Propheta dicens: Ante oculos

los tuos Domine mille anni, tanquam dies unus. Et sicut Deus sex illos dies in tantis rebus faciendis laborauit, ita & relligio eius, & ueritas in his sex millibus annorum laboret necesse est, malitia præualente ac dominante. Et rursus quoniam perfectis operibus requieuit die septimo, eum'que benedixit, necesse est ut in fine sexti millesimi malitia omnis aboleatur è terra, & regnet per annos mille iustitia, sit'que tranquillitas, & requies à laboribus, quos mundus iam diu perfert. Verum quatenus id eueniat, explicabo suo ordine. Hæc de mundi ætate ex Sacrorum librorum testimonijs collegit Firmianus. Inferius autem, hoc est uigesimoquinto eiusdem libri capite, ex quorundam assertione de mundi fine sic agit: Fortasse nunc quispiam requirat, quando ista, quæ diximus, sint futura. Iam superius ostendi, completis annorum millibus mutationem istam fieri oportere: & iam propinquare illum summum conclusionis æternæ diem, de signis quæ dicta sunt à prophetis, licet noscere. Prædixerunt enim signa, quibus cōsummatio temporū expectanda sit nobis in singulos dies, & timenda. Quando tamen compleatur hæc summa, docent hi qui de temporibus scripserunt, colligentes ea ex literis sanctis, & ex his uarijs historijs, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi: qui licet uarient, & aliquantulum numeri eorum summa dissentiat, omnis tamen expectatio non amplius quàm ducentorum uidetur annorum. Etiam res ipsa declarat, lapsum ruinam'que rerum breui fore, nisi quod incolumi urbe Roma nihil istius uidetur esse metuendum. Iam in his, multis modis à Lactantio erratum esse, planè dignoscimus. Nam neque sabbatum Hebræorum lingua à numero nomen accepit, sed potius, quòd ea die Deus ab omni opere suo quieuerit, siue cessauerit: & quæ de futura mundi cōsummatione tradidit, ridicula esse proculdubio intelligimus, cum non modò ducenti anni post eum iam, sed plus mille ac ducentis transierint, neque orbis incendio absumptus sit. Scimus autem quæ ab eo de sexto millesimo dicuntur, à plurimis Hebreis, Græcis'que, ac nostris pro certis affirmari. Sed mihi uidentur, qui ea uestigant, quæ hominibus nosse non licet, quantum in eis est, maximam Deo iniuriam facere, præter quem neminem futura cognoscere scimus. Ac ne hoc ab eo exceptum credamus, cum CHRISTVS discipulis suis omnia signa, quæ seculi consummationem præcessura erant, aperuisset, eum diem hominibus ignotum esse asseuerauit. Amen dico uobis (ait per Matthæum) quia non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant. Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt. De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli cœlorum, nisi solus pater. Hoc'que & apud Marcum, & Lucam legitur. Atqui propheta, inquit Lactantius, dies Dei sic interpretatur, ut mille anni idem sint, quod una dies: quia mille annos ante Domini oculos sicut unum diem esse testetur. Imò ego hunc prophetam, qui Moses fuit, nihil sibi minus quàm id uoluisse censeo. Ita enim octuagesimonono psalmo canit: Priusquam noctes fierent, aut formaretur terra & orbis à seculo, & usq; in seculum tu es Deus. Ne auertas hominem in humilitatem, & dixisti: Conuertimini filij hominum, Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquā dies hesterna quæ præterijt. Quæ uerba Petrus Apostolus secunda sua epistola sic accipienda docet, ut Deo nihil aut breue, aut longū esse declaret, nempe ut impij suorū scelerū pœnas, quasi propediē sibi imminentes metuāt, quasi qui eius procrastinationē nocētibus impunitatē polliceri crederent: pij uerò icciroo bono animo sint: quod propter ipsorū salutem Deus patiēter agat, cum neminē ex eis perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti cupiat, ad quam sceleratos redire non con-

ſtat. Ait enim: Vnum uerò hoc non lateat uos chariſſimi, quod unus dies apud Dominum, ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus. Nõ tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidã exiſtimant, ſed patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Cum ergo eodem pacto apud Deũ mille anni pro una die capiantur, quo dies una pro mille annis, quiſnam ex Moſis teſtimonio mundũ uſq; ad ſex tantum annorum milliũ finem duraturũ ſobrius colligat? Siquidẽ uti Deo, quando ſceleratos punire, aut iuſtis debita præmia reddere uelit, nullũ annorum terminũ præfinitum eſſe nouimus: ita quæ de ea re in ſacris libris tẽpora ponuntur, pro indefinitis ſunt reputanda: quia Deo tam mille anni, quàm centũ eorũ millia, una dies eſſe ualent. Atq; hęc quidem in ijs dico, quæ ipſe nos rerũ Opifex latere uoluit, cũ in multis uocum proprietas ſit ſpectanda, aut etiam ita uocabula plerumq; ſint capienda, ut illi rei conuenire uidentur, de qua Deus per os ſanctorum eſt locutus: cuius ordinis ſunt ſeptuaginta illæ hebdomades, poſt quas Daniel Meſſiam abſciſſum iri uaticinatus eſt. De eo enim agit propheta, quem Deus intra certũ tempus uenturum, nobiſcumq; uerſaturũ, ac pro noſtris delictis mortem poſtremò paſſurum eſſe, nõ ſemel pollicitus fuerat. Ideoq; cũ Hebreis Danielis uerba aliter ſubterfugere non liceat, ad id confugiunt, ut hebdomadas eas incognitas hominibus eſſe prædicent. Quid mirũ? ſi eò miſeriarũ obcæcati obſtinatiq; redacti ſunt, ne CHRISTVM, qui uerè pro nobis hoſtiam ſe patri òbtulit, uerum Meſſiam eſſe fateri cogantur, ut duos Meſſias (ita dicã) ſibi in Veteri Inſtrumento promiſſos garriant, alterũ filium Dauid, alterum filium Ioſeph. O corda uerè ſaxea. Quid hoc eſt aliud, quàm de cœlo Deum optimum maximum diripere uelle? Sed de Meſſia filio Ioſeph, quem in bello interficiendum eſſe iactant, ipſi uiderint. Nos uero filium Dei uerum eſſe Meſſiam credamus, propter cuius mortem, milleſimum iam ferè ac quinquageſimum annum ab ijs regionibus Hebræi eiecti abſunt, quas olim lactis melliſq; fluuios habentes, ſalſus humor (ſicuti Propheta fore minatus erat) adeò peruaſit, ut nihil quicquam ſit ijs ſterilius, nihil Virgilianæ illi terræ ſimilius, quæ

Nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nõmina ſeruat.

Sed alia Lactantij errata uideamus. Iocoſè namq; ab illo dictum interpretor, mundi ruinam incolumi urbe Roma metuendam non eſſe, cum nullo pacto ea ſalua, terrarum orbis igne abſumi ualeat. Multo eſt intolerabilius, quod CHRISTVM contra Antichriſtum in aëre pugnaturum, ac quinto prælio uictoriam relaturum commentus ſit: quòd filium à patre, ac patrem à filio fieri dixerit: quod SANCTI SPIRITVS ſubſtantiam negarit: ac plurima deniq; docuerit, in quibus apertiſſimè tantum uirum cæcutijſſe uehementer mirarer, niſi Origeni Adamantio uiro doctiſſimo, alijſq; nõ paucis idem contigiſſe uiderẽ. Diuus quidem Hieronymns Lactantij Origeniſq; cauſam parẽ fermè ſtatuere uidetur: ut ſcilicet eorũ lucubrationes, ob multa quæ in eis optima ſunt, ab eruditis ita legantur, ut magnus in eis delectus habeatur: quãuis inter Origenẽ, aliosq; multos, Lactantiũ nominatim nõ recenſuerit. Eius ad Tranquillinũ uerba hęc ſunt: Origenẽ propter eruditionem ſic interdũ legendũ arbitror, quomodo Tertullianũ, Nouatum, Arnobiũ, Apollinariũ, & nõnullos Eccleſiaſticos ſcriptores, Græcos pariter & Latinos, ut bona eorũ eligamus, uitemuſq; cõtraria: iuxta Apoſtolũ dicentẽ, Omnia probate, quæ bona ſunt, tenete. Idẽ quoq; Hieronymus in libro de Inſtitutione monachi ad Paulinũ, de Lactantio ſic ſcribit:

Lactantius

Lactantius quasi quidam fluuius eloquentiæ Tullianæ Crispũ filiũ Constantini Latinis literis crudiuit, uir omniũ suo tempore eruditissimus: sed adeò in hac uita pauper, ut plerumq; etiã necessarijs indiguerit. Vtinã tam nostra astruere potuisset, quàm facile aliena destruxit. Et in epistolam Pauli ad Ephesios: Firmianus noster librum de Ira Dei, docto pariter & eloquenti sermone conscripsit: quem qui legerit, puto ei ad iræ intellectũ satis abundeq; posse sufficere. In scriptorum autem Ecclesiasticorum catalogo diffusius de eodem: Firmianus, qui & Lactantius (inquit) Arnobij discipulus, sub Diocletiano principe accitus cum Flauio Grammatico, cuius de medicinalibus uersu compositi extant libri, Nicomediæ Rhetoricam docuit, ac penuria discipulorũ, ob Græcam uidelicet ciuitatem, ad scribendum se contulit. Habemus eius Symposiũ, quod adolescentulus scripsit: ὁδοιπορικὸν de Africa usq; ad Nicomediam, hexametris scriptũ uersibus: & aliũ librũ, qui inscribitur Grammaticus: & pulcherrimum de Ira Dei: & Institutionũ diuinarum aduersum gentes libros septem, & ἐπιτομὴν eiusdem operis in libro uno acephalo, & ad Asclepiadem libros duos, de Persecutione librum unum, ad Probum epistolarũ libros quatuor, ad Seuerum epistolarum libros duos, ad Demetrianũ auditorem suum libros duos: ad eundem de Opificio dei, uel formatione hominis librum unum. Hic extrema senectute magister Cæsaris Crispi, filij Constantini, in Gallia fuit, qui postea à patre interfectus est.

Eundem esse Zephyrum ac Fauonium, contra Flauij Vegetij Renati sententiam: Item de Ventis aliqua. Cap. V.

FLauius Vegetius Renatus, quarto de Re militari libro, ubi uentorum nomina numerumq; docet, de ijs agens qui ab occasu flant, ita scribit: Occidentalem uerò cardinem tenet ζέφυρος. huic à dextra iungitur λίψ, siue Africus, à sinistra ἰάπυξ, siue Fauonius. Quibus uerbis alium esse Zephyrum, alium Fauonium indicat: cum tamen C. Plinius eundem esse apud Græcos Zephyrum, qui à Latinis Fauonius dicitur, affirmet, libro de Naturali historia decimooctauo, quum postquam de Apeliote, siue subsolano locutus est, sic inquit: Tamen est siccior Fauonius, ex aduerso eius ab æquinoctiali occasu, Zephyrus à Græcis nominatus. Hic uer inchoat, aperitq; terras, tenui frigore saluber. Hic uites putãdi, frugesq; curandi, arbores serendi, poma inserendi, oleas tractandi ius dabit, afflatuq; nutricium exhibebit. Cui quidem ipse magis assentior, tum quod Aulus Gellius cum eo sentit, tum quod Cato, Varro, ac Columella Zephyrũ aut nunquã, aut perrarò nominant: nimirũ Latina uoce utentes, cũ de Fauonio mentionẽ faciãt, nisi fortè quod occidẽtales uentos omnes uno nomine Fauonios uocãt, cũ Vegetio sensisse dicant. Verũ is loquẽdi modus frequentior apud poëtas est, q̃ apud eos qui soluta oratione scripserũt. Hinc Virgilius,

At uerò Zephyris cum læta uocantibus æstas. Et,
Vade age nate uoca Zephyros, & labere pennis.

Quibus in locis magis minusq; propriè Zephyros ab eo positos uidemus, cũ primò omnes uentos, qui ab occasu flant, sic uocarit: secundò, pro quibusuis eadẽ uoce usus sit. Illud tamẽ frequentius factitauit. nam & de septentrionalibus sic ait, Et glacialis hyems Aquilonibus asperat undas.

Cũ non omnes uenti à septentrione spirãtes, propriè Aquilones appellent. Sed hę similesq; poëtarũ uarietates, diligentius à nobis perquirẽdæ nõ sunt. Id fortè magis è re nostra fuerit, cum multi de uentis accuratè scripserint, alijs prætermissis, Gellij de ijs ex secundo Noctium Atticarũ libro uerba proferre, quibus (ut

(ut ego existimo) nõ multa uel à superstitiosissimo lectore addi possit. Satis, inquit ex Phauorini sententia, notũ est, limites regionesq́ esse cœli quatuor: exortũ, occasum, meridiem, septentrionẽ. exortus & occasus mobilia, & uaria sunt: meridies, septẽtrionesq́ statu perpetuo stant, & manent. Oritur enim sol nõ indidem semper, sed aut ęquinoctialis oriens dicitur, cum in circulo currit, qui ἰσημερινὸς, aut ἰσημερινὸς, aut solstitialis, aut brumalis, quæ sunt θεριναὶ τροπαὶ, & χειμεριναί. Item cadit sol non in eundem semper locum, fit enim similiter occasus eiꝰ aut æquinoctialis, aut solstitialis, aut brumalis. Qui uentus igitur ab oriente uerno, id est ęquinoctiali uenit, nominatˀ Eurus, ficto uocabulo, ut isti ἐτυμολογικοὶ aiũt, ἀπὸ τῆς ἠοῦς ῥέων. Is alio quoq́ à Gręcis nomine ἀφηλιώτης, à Romanis nauticis Subsolanus cognominatur. Sed qui ab æstiua & solstitiali orientis meta uenit, latinè Aquilo, βορέας græcè dicitur: eumq́ propterea quidam dicunt ab Homero αἰθρηγενέτην appellatum. Boream autem putant dictum ἀπὸ τῆς βοῆς, quoniam sit uiolenti flatus, et sonori. Tertium uentum, qui ab oriente hyberno spirat, Vulturnum Romani uocant: eum plerìq; Græci misto nomine, quòd inter Notũ & Eurum sit, εὐρόνοτον appellant. Hi sunt igitur tres uenti orientales, Aquilo, Vulturnus, Eurus: quorũ medius eurus est. His oppositi & cõtrarij sunt alij tres occidui: Caurus, quem solent Græci ἀργέστην uocare, is aduersus aquilonem flat: item alter, Fauonius, qui græcè uocatur ζέφυρος, is aduersus Eurum flat: tertius, Africus, qui græcè uocatur λὶψ, is aduersus Vulturnũ flat. Ex duæ regiones cœli orientis occidentisq́, inter sese aduersæ, sex habere uentos uidentur. Meridies autem, quoniam certo atq; fixo limite est, unũ meridionalem uentum habet: is latinè Auster, græcè νότος nominatur. νοτὶς enim, græcè humor nominatur. Septentrionales autem habent ob eandem causam unum: is obiectus directusq́ in Austrũ, latinè Septentrionarius, græcè ἀπαρκτίας appellatur. Ex his octo uentis alij quatuor detrahunt uentos: atq; id facere se dicunt Homero authore, qui solos quatuor uentos nouerit, Eurum, Austrum, Aquilonem, Fauonium. Versus Homeri sunt,

Σὺν δ' εὖρός τε, νότος τ' ἔπεσον, ζέφυρός τε δυσαὴς,
καὶ βορέης αἰθρηγενέτης, μέγα κῦμα κυλίνδων.

A quatuor cœli partibus, quas quasi primas nominauimus, oriente scilicet atq; occidente, latioribus atq; simplicibus, non tripartitis. Partim autẽ sunt, qui pro octo duodecim faciunt, inter hos quatuor in media loca inserentes, cum meridie septentriones eadem ratione, qua secundi quatuor intersiti sunt, inter primores duos apud orientem occidentemq́. Hactenus ille. Neque enim, quæ de quibusdam alijs peculiaribus nominibus à quarundam regionum incolis aliquot uentis impositis subiungit, cum his sunt producenda, cum de notioribus scribamus. Dumq́ quatuor à septentrione ac meridie flantiũ nomina Gellius præterierit, à Plinio illa, Vegetioq́, alijsq́ compluribus poni sciendũ est. Proinde qui noscere ea cupit, illos ipsos legat authores. Porrò uentus (ut Plinio placet) nil aliud intelligitur, quàm fluctus aëris: ut autem Vitruuio, est aëris fluens unda, cum incerta motus redundantia: diciturque à ueniendo. Ventorum autem rationem primus Aeolus inuenit, propterea'que ab antiquis eorum Rex dictus est. Non defuerunt, qui hominum animam uentum esse dicerent: eaq́ de causa cum Scythæ per uentũ & acinacem iurabant per uitam se & mortem affirmabant iurare, quod uentus uitæ hominum causa sit, acinaces uerò mortis: sicut Lucianus in eo dialogo, qui τόξαρις, ἢ φιλία inscribitur, apertissimę testatur. Sic enim Mnesippo in eo respondet Toxaris, τί σὺ λέγεις; ἢ σὺ δικνοῦ

σκυ

αιρ, ὁ ἄνεμος, καὶ ὁ ἐναντίος, διὰ τί; ἢ ὅτι ἄρα συμβαίνει, ὅτι ἀνθρώποις μεῖζον οὐδὲν τῆς ζωῆς τε καὶ θανάτου; ὁπότερ᾽ οὖν τὸν ἄνεμον καὶ τὸν ἐναντίον ὀμνύομεν, τοῦτο ὀμνύομεν, ὡς τὸν ἄνεμον τῆς ζωῆς αἴτιον ὄντα, τὸν ἐναντίον δὲ τὸ ἀποθνήσκειν ποιεῖν. Illud idem innuisse uidetur Virgilius, quum ait,

Quantum ignes, animæq; ualent. Et Horatius,

Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Quin reperti sunt, qui animas ἀπὸ τῶν ἀνέμων dictas putarint. De quatuor quippe præcipuorum uentorũ locis, nominibusq;, Ouidius libro primo Metamorphoseos ita canit:

Eurus ad auroram, Nabathæaq; regna recessit,
Persidaq;, & radijs iuga subdita matutinis:
Vesper, & occiduo quæ littora sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro: Scythiam, septemq; triones,
Horrifer inuasit Boreas: contraria tellus,
Imbribus assiduis, pluuioq; madescit ab austro.

Sed & ipse in eosdem hæc lusi,

Spirat ab aurora, tepidusq; effunditur Eurus,
Leniter occiduis Zephyrus flans imminet oris,
Frigidus Arctoo Boreas bacchatur ab axe,
Prospicit humentem uertex antarcticus Austrum.

De Hippocentauris, Satyris, ebisq; quibusdam monstris. Cap. VI.

T. Lucretius Charus libro quinto de Rerũ natura, Hippocentauros uti rem fabulosã, nec unquã fuisse, nec esse posse, pro certo asserit hisce carminib.

Nam certè ex uiuo Centauri non fit imago,
Nulla fuit quoniam talis natura animai.

In quinto autem diffusius de eadem re agit, rationemq; quare ẽ esse nequeant in medium profert. Inquit enim,

Sed neq; Centauri fuerant, nec tempore in ullo
Esse queunt duplici natura, & corpore bino,
Ex alienigenis membris compacta potestas,
Hinc illinc par uis, ut non par esse potis sit.
Id licet hinc quamuis hebeti cognoscere corde,
Principio circum tribus actis impiger annis
Floret equus, puer haudquaquam: quin sæpe etiamnum
Vbera mammarum in somnis lactantia quærit,
Post ubi equum ualidæ uires ætate senecta,
Membraq; deficiunt fugienti languida uita,
Tum demum puerili æuo florente, iuuentas
Occipit & molli uestit lanugine malas:
Ne fortè ex homine & ueterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, neq; esse:
Aut rapidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas, & cætera de genere horum
Inter se, quorum discordia membra uidemus,
Quæ neq; florescunt pariter, nec robora sumunt
Corporibus, neq; proficiunt ætate senecta,
Nec simili uenere ardescunt, nec moribus unis

Conueniunt,

Conueniunt, neq; sunt eadem iucunda per artus.

Hæc ille non modò de Centauris, sed de omnibus monstris. Et eius quidem ratio satis uidetur probanda, si animalia ea ex diuersis generibus procreata, diu uiuere non posse existimat. Sin autem neque nasci quidem illa arbitratur, egregiè fallitur: nisi C. Plinius, qui seruatum se in melle Hippocentaurũ uidisse scribit, mentiri fortè uoluit: aut Claudius Cæsar eiusmodi monstrũ in Thessalia eodem die quo natum erat interijsse, scire non ualuit. C. Plinij ex septimo Naturalis Historiæ libro uerba ita se habẽt: Claudius Cæsar scribit, Hippocentaurũ in Thessalia natum, eodem die interijsse. Et nos principatu eius allatum illi ex Aegypto in melle uidimus. Proptereaq; Lucretium de eorũ uita sensisse existimo, cũ nec fuisse unquam, nec esse posse id monstri genus asseueraret: quod etiã (si Seruio credimus) Virgilio placuisse putandum est, cum Centauros in foribus inferorum stabulare cecinit, quòd quę contra naturam creari possunt, statim pereant. D. quidem Hieronymus in Pauli Eremitæ uita, cum Hippocentaurum Antonio apparuisse testetur, nõ satis scit, fuerit'ne ille uerè Hippocentaurus, qualem poëtæ esse perhibent: an potius Cacodæmon, ea forma Antonium ludificare uoluerit. Nec plura his, ait, conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poëtarum Hippocentauro uocabulum indidit. quo uiso, salutaris impressione signi armat frontem: Et heus tu, inquit, qua'nam in parte hic seruus Dei habitat? At ille barbarũ nescio quid infrendens, & frangens potius uerba quàm proloquens, inter horrentia ora senis blandum quæsiuit alloquium, & dextræ protensione manus cupitum indicat iter. & sic patentes campos uolucri transmittens fuga, ex oculis mirantis euanuit. Verum hęc utrum diabolus ad terrendum eum simulauerit, an (ut solet) eremus monstruosorũ animalium ferax, istã quoque gignat bestiam, incertũ habemus. Hactenus ille. Et quoniã multa de Centauris, siue Hippocentauris (idem enim utraq; uox significat, quamuis Latini, & poëtæ præsertim, priore propter breuitatem frequentius utantur) ubiq; ferè leguntur, quomodo eorum origini fabulæ locum dederint, Seruius exactè ostendit, hoc Virgilianum explicans,

Frena Peletronij Lapithæ, gyrosq; dedere.

ait enim: Peletronium oppidum est Thessaliæ, ubi primum domandorum equorum repertus est usus. Nam cum quidam Thessalus rex bobus œstro agitatis satellites suos ad eos reuocandos ire iussisset, illi'que cursu non sufficerent, ascenderunt equos, & eorum uelocitate boues secuti, eos stimulis ad tecta reuocauerunt. Sed hi uisi, aut cum irent uelociter, aut cum eorum equi circa flumen Peneon potarent capitibus inclinatis, locum fabulæ dederunt, ut Centauri esse crederentur, qui dicti sunt Centauri, ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους. Alij dicunt, Centaurorum fabulam esse confictam ad exprimendam humanæ uitæ uelocitatem, quia equum constat esse uelocissimum. Et hæc quidem in tertiũ Georgicorum. In sextum namque Aeneidos, Centauros Ixionis Nubisq; filios esse scribit, cum ille amatam Iunonem de stupro interpellarit: quæ ex Iouis (ut ipsius Seruij utar uerbis) uoluntate, nubem in suam formam conuersam amanti obtulerit: unde feruntur nati esse Centauri. Sed ut ista de Centauris ita esse Lucretio concedamus, quomodo Satyros idem olim fuisse negabit? Et tamen non magis ab hominum natura capræ, quàm equi absunt. Neque magis me mouet, ut Satyros fuisse credam, Plinij ex libro septimo testimonium, quum ait: Sunt & Satyri subsolanis Indorum montibus (Cartadulonum dicitur regio) perniciosissimum animal, tum quadrupes, tum rectè currens, humana effi-

gie, propter uelocitatem nisi senes, aut ægri, non capiuntur, cum potuerit hoc animalium genus sic fortè homini simile esse, uti simias uidemus: quàm quod Plutarchus in uita L. Syllæ, ad redeuntem eum in Italiam, Satyrum ijs simillimum, quos fictos, scriptos'ue ab antiquis uidemus, hoc est partem humani corporis, partem caprini habentes, qui in Nymphæo somno pressus captus fuerat, perductum fuisse tradit, cumq; is per interpretes, quis'nam esset, interrogatus esset, nihil quàm incompositum quiddam, ac bestia dignum uociferatus est, quasi hirci balatum cum equi hinnitu permisceas, quem tamen Sylla datis comitib. dimisit. Plutarchus ipse de ea re sic inquit, ἡ δὲ ἀπολλωνία πλησίον ἐστὶ, καὶ πρὸς αὐτῇ τὸ νυμφαῖον, ἱερὸς τόπος ἐκ χλοερᾶς νάπης, καὶ λειμώνων, ἀναδιδοὺς πυρὸς πηγὰς σποράδας ἐνδελεχῶς ῥέοντος. ἐνταῦθα φασὶ κοιμώμενον ἁλῶναι σάτυρον, οἷον οἱ πλάσται καὶ γραφεῖς εἰκάζουσιν. ἀχθέντα δὲ ὡς σύλλαν, ἐρωτᾶσθαι δι' ἑρμηνέων πολλῶν, ὅστις εἴη. φθεγξαμένου δὲ μόλις οὐδὲν συνετῶς, ἀλλὰ τραχεῖαν καὶ μάλιστα μεμιγμένην ἵππου χρεμετισμῷ, καὶ τράγου μηκασμῷ φωνὴν ἀφέντος, ἐκπλαγέντα τὸν σύλλαν ἀποδιοπομπήσασθαι. Hoc Syllæ temporibus penè in conspectu populi Romani factum memorat Plutarchus. Hieronymus uerò eiusdem generis Satyrum repertũ, humana uoce locutum ait, eodem quem paulo antè citauimus loco, nempe in Pauli uita: Nec mora, inquit, inter saxosam cõuallem haud grandem homunculum uidet aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractusq; & hoc Antonius spectaculo, scutum fidei, & loricam spei, ut bonus præliator arripuit: nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad uiaticũ, quasi pacis obsides afferebat. Quo cognito, gradum pressit Antonius, & quis'nam esset, interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & unus ex accolis eremi, quos uario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosq;, & Incubos uocans colit. Legatione fungor gregis mei: Precamur, ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi uenisse cognouimus. Et paulo pòst: Necdum uerba compleuerat, & quasi penniger o uolatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquã ob incredulitatem scrupulum moueat, sub rege Constantino, uniuerso mundo teste defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo uiuus perductus, magnum populo spectaculum præbuit. & postea cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso Antiochiam, ut ab Imperatore uideretur, allatum est. Quæ si uera sunt, haud uera usquequaq; fuerit Lucretij ratio, cum tantorum scriptorum, qui aliud sentiunt, authoritas, magis quàm eius commentum probetur: Pausaniasq; ab Euphemo quodam probatæ fidei uiro se audisse scribat, illum cum in Hispaniam nauigaret, tempestatis'que ui ad desertas quasdam insulas appulsus esset, magnum syluestrium hominum numerum uidisse, qui cum hirta corpora, subrufosq; pilos, caudasq; equinis fermè non minores habentes, in seq; ac suos incurrerent, uix uerberibus abigi potuerint: quibus cum barbaram mulierem in littus exposuisset, omnem ab ijs contumeliam ei à libidinoso Satyrorum genere quacunq; corporis parte illatam. quod & secundo de Varia historia libro Leonicus adnotauit. Melius ergo de Scyllis & Chimera, quàm de omnibus, quæ diuersis animaliũ partibus procreantur, scripsit Lucretius: ac tum maximè, cum carminibus paulo antè à nobis productis, hæc subdidit,

Flamma quidem uerò cum corpora fulua leonum
Tam soleat torrere, atq; urere, quàm genus omne
Visceris in terris quodcunq; & sanguinis extet:
Qui fieri potuit, triplici cum corpore ut una,

Prima

Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra,
Ore foras acrem flaret de corpore flammam?

Quis enim ignorat, Chimæram non esse aliud, quàm poëticum figmentum? De qua Homerus Iliados libro sexto,

πρῶτον. μὲν ῥα χίμαιραν ἀμαιμακέτην ἐκέλευσε
πεφνέμεν ἣ δ' ἄρ' ἔην θεῖον γένος, οὐδ' ἀνθρώπων,
πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Quem locum apertissimè notauit Lucretius, cum Homericum uersum ad uerbum reddiderit. Sed non præter rem eiusmodi monstrum à poëta fictum cernimus, cũ reuera Chimæra sit mons Lyciæ, cuius olim arsit cacumen, iuxta quod leones inueniuntur. nam media pascua sunt, ima uerò à serpentibus tenentur. Quodq; Bellerophon habitabilem eũ reddidit, Chimæram interfecisse dicitur. Plinius libro secundo, Chimæram montem in Phaselide flagrare, & quidem immortali diebus ac noctibus flamma refert. Id monstrum Virgilius ut maximè horrendum in Turni galea posuit,

Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Sustinet, Aethnæos efflantem faucibus ignem.

De Scylla autem, atq; unde eius Charybdisq; fabulæ ductę sint, apud plerosque legere est. Homerus porrò de ijs suo more diuinè agit, licet poëtica fide, Odysseæ libro duodecimo, in quo multa etiam de Sirenibus dicuntur. Demũ quamuis contra naturam faciant animalia, quæ cum diuersi generis animalibus coëunt, in Africa tamen frequentissimè id fieri, C. Plinius libro octauo inquit, his uerbis: Africa hæc maximè spectat, inopia aquarum ad paucos amnes congregantibus se feris. Ideo multiformes ibi animalium partus, uariè fœminis cuiusq; generis mares aut ui, aut uoluptate miscente. unde etiam uulgare Græciæ dictũ, semper aliquid noui Africã afferre. Sed hæc utinã brutis tantũ inter se essent cõmunia, ac non homines, quibus unis ex omnib. animantibus Deus Opt. Max. rationem concessit, diuersis se modis cum feris sæpe commiscuisse legeremus. Atq; ut de his hæc pluribus nõ agamus, Herodotus in Euterpe hoc sua memoria prodigiũ, ut hircus palàm cum muliere coiret, contigisse scriptum reliquit.

Luciani de Astarte dea erratum. Cap. VII.

LVcianus Samosatensis, nõ minus elegans quàm facetus scriptor, in eo opusculo quod de Syria Dea composuit, manifestè in re non admodum obscura deceptus est, Astarten deam eandem esse existimans, quæ Luna dicitur: cum Astarte non luna sit, sed Venus potius. Quamobrem cum Deorum hominumq; contemptor ita scriberet, ἐνι δὲ καὶ ἄλλο ἱρὸν ἐν φοινίκῃ, μέγα, τὸ, Σιδώνιοι ἔχουσι. ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσι, Ἀστάρτης ἐστί. Ἀστάρτην δ' ἐγὼ δοκέω σεληναίην ἔμμεναι: omnibus ipse se contemnendum exhibuit. cum Plautus eandem dicat Astarten, quæ & Venus est, in Mercatore his uersibus:

Diua Astarte hominum deorumq; uis, uita, salus: rursus eadem quæ est
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cœlum, sidera
Iouis quecunq; templa colimus, eius ducuntur nutu, illi obtemperant
Eam spectant: quod illi displicet, facile excludunt cæteri:
Quicquid complacitum, id sequuntur, quæ uiuunt omnia atq; sentiunt.

Quæ quis de luna, ac non potius de Venere dicta accipiat? Huc accedit, quòd Suidas idem sentit. inquit enim, Ἀστάρτη, ἡ παρ' Ἕλλησιν ἀφροδίτη λεγομένη. Sed & sacræ literæ Salomonem inter alia idola Astartem Sidoniorum deam adorasse

testantur. Proptereaq; Ahias Silonites hisce uerbis Ieroboam est allocutus: Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porrò una tribus remanebit ei propter seruum meum Dauid, et propter Ierusalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israël: eo quòd dereliquerit me, & adorauerit Astartem deam Sidoniorũ, & Chamos deum Moab, et Moloch deum filiorum Ammon. Idem quoque Suidas, ubi Astartem eandem esse ac Venerem docuit, quasi Lucianum mendacij apertissimè conuincere uellet, hæc ferè ex sacris monumentis addidit, Ἀστάρτη θεὸς σιδωνίων, καὶ χαμὼς θεὸς ἀμανιτῶν, οἷς ἐλάτρευον οἱ σολομών. Verum nescio quo pacto & hic, Chamos deum Moabitarum Ammonitis assignauerit, ac Moloch prætermiserit: cum ex eo, quod recitauimus, sacrorum librorum testimonio, trium horum idolorum mentio fiat, aliter'que ad suos populos sigillatim referantur, quàm Suidæ placuerit, qui etiam Astarten ex astro denominationem sumpsisse tradit, cum luciferam eius esse fabulentur. ἐκ τοῦ ἄστρου, ait, τὴν ἐπωνυμίαν πεποιηκόσιν. αὐτῆς γὰρ εἶναι τὸν ἑωσφόρον μυθολογοῦσιν. Et sanè huc allusisse Virgilium puto, quum ita caneret,

Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasq; resoluit.

Gulielmi Budæi erratum super uerbo Admittere. Cap. VIII.

NOn præter rationem doctorũ animis insedisse existimo, eos qui multa scribunt, in leuissimis rebus interdum hallucinari solere. Cum enim hominum ingenium memoria'que non minorem, quàm cæteræ mortalium res, imbecillitatem à natura sortita sint, quis mirum nouumq; ducat, si qui de plurimis rebus agit, aut parum cohærentia quandoque literarum monumentis mandet, aut memoria nonnunquam uacillet? Proinde non ille mihi aliquid supra humanæ mentis conditionem à Dijs accepisse uidetur, qui nunquam (quod fieri ferme non potest) errauerit, sed perrarò admodum sit lapsus: ut quiddam Horatianæ sententiæ simile sit,

Nam uitijs nemo sine nascitur, ille beatus
Qui minimis urgetur.

Verumenimuero cum summorũ quorundam scriptorum gloria eò processerit, ut qui communem hominum sortem miserantur, nulla eos uel minima labecula notari posse uelint: si certè eos quòd homines, non Dij fuerint, aliquando falli potuisse concessero, ita tamen illos ab alijs accusari debere puto, ut nulli priuato affectui indulgentes, apertissimè doceant, qui in iudicium uocantur, sic fuisse hallucinatos, ut nulla ratione à calumnia uendicari ualeant. Alioqui cum, qui rei fiunt, aliud spectasse colliguntur quàm quod accusatores magna garrulitate in medium proferunt, tantum ex eiusmodi latratibus summorum authorum laudi accedit, quantum planè obtrectatoribus, quamuis adprimè eruditis, decedere uidemus. Hoc pacto non pauci excellentissimi uiri, nullam nominis iacturam ob innumera liuidorum maledicta passi sunt: quòd qui in eos calamum strinxere, non modò si qua in illis utcunque carpenda uidebantur, caninis morsibus lacerauerunt, uerum etiam accepta semel eminentissimis scriptoribus maledicendi occasione, nullum sibi in ea re modum præscriptum autumant. Quin potius futilia quædam persequentes, solam inuidiam in causa esse ostenderunt, quare tot seculis probata ueterum monumenta ridiculè uellicent. Quo morbo cum antiquorum

quorum non pauci uehementer laborarint, permulti etiam ætate nostra tam grauiter affecti sunt, ut & multa ab alijs quibusdam iniquè in summorum authorum scriptis deprehensa tutari conati sint, & pleraque ipsi à se deprompserint, ut Latinos omnes scriptores nihilipendendos esse nobis persuaderent, si eorum præcipuos pueriliter multis in rebus oscitatos fuisse conuincerent. Eorum quantum quidem ego conijcere ualeo, duo sunt genera: alterum eorum, qui apertè se maximorum uirorum calumniatores profitentur: alterum uerò eorum, qui palliata quadam oratione nihil minus sibi cordi esse ostendere uolunt, quàm ut friuolis eosdem conuicijs incessant, cum tamen mortiferum eis uenenum melle inuolutum propinent. Vt igitur illos tanquàm manifestos hostes facile est uitare, ita non facile horum conatus quisque dignoscit,

Qui Curios simulant, & Bacchanalia uiuunt.

Qui inquam, licet non paucis uerba dent, mihi hercle, qui isthæc alijs dare condidici, palpum obtrudere nunquam ualuerunt. Cum'que in illorum numerum ij ueniant, quos suo loco nominauimus, ex horum quippe ordine nemo est, quem Gulielmo Budæo anteferamus, uiro quidem Græce Latine'que doctissimo, sed qui parum erudito candido'que uiro conuenientem personam subierit, dum Marcum Tullium, Græculis quibusdam nimis impensè fauens, imperitiæ malignitatis'que arguit: dum Latinis omnibus nihil neque iudicij, neque eruditionis tribuit: dum denique recentiores quosdam Italos totis uiribus conculcare conatur: omnium (ut uerè dicam) Latinorum irrisor, plus'que uel uilissimo Græcorum, quàm omnium Romanorum præstantissimo deferens. Sed quia quæ ad Ciceronem defendendum pertinent, in nostra Apologia utcunque attigimus, aliorum'que ueterum Romanorum authoritas turbidis Budæi flatibus ne tantillum quidem commouetur, de recentioribus hoc tantum dicam, non esse eorum quenquam (de paulò eminentioribus loquor) qui Budæo aliqua in parte cedere debeat. Imò uerò Angelum Politianum, quem ille tanquam peculiarem hostem ubique impetit, adeò Græca Latina'que literatura excelluisse, ut ea scripserit tertio & quadragesimo, aut circiter ætatis suæ anno uita functus, quæ octuagenarij Budæi lucubrationibus nihilo sint inferiora. Ac si fortè plura à se quàm ab illo obseruata diceret Budæus, in Politiani certè scriptis maior apparet, quàm in illius operibus ingenij uis, maior Latinæ linguæ candor. Nam in Græcis uertendis noster multo fuit felicior: omnia quæ à uiro doctissimo absolutissimo'que exigi queunt facillimè præstiturus, nisi immatura mors tanto Italiæ ornamento inuidisset. Budæus porrò multa Græca ac Latina contexuit: at in plurimis nihil nisi merum laborem dignoscas. Sed & multa ex authoribus simpliciter recenset, in quibus suum iudicium neutiquam interponit. Huc accedit, quòd qui omnes erroris conuincere nititur, in ijs rebus quandoque cæcutijt, in quibus neque Nebrissensis, neque Mancinellus, neque ipse quidem Ascensius falli ualuisset. Quod liquidò ex hoc singulari eius errato dignoscitur. Admittere æquum, ait in posterioribus Annotationibus, interdum pro conscendere accipitur, ut apud Ciceronem in secundo de Finibus: Num etiam P. Decius, cum se deuoueret, & equo admisso in mediam aciem Latinorum irrueret, aliquid de uoluptatibus suis cogitabat? Liuius libro secundo ab Vrbe condita: Superbus in Posthumium equum infestus admisit. Quid enim est, per Deos immortales, hac obseruatiuncula indoctius? aut quis non uidet in his duobus, quæ à Budæo citan-

tur testimonijs, admittere pro concitare, non pro conscendere positum esse? An fortè ille Græcis uocibus intentus, de Latinarum proprietate sollicitus non fuit? Atqui cum egregij uiri quandoque dormitarint, facile & huic ignoscas. Rectè, si & ipse illis, quantum in se fuit, parcere sciuit. Verum uti muscas elephanti, ita Budæi morsus aspernantur ueteres Latinæ linguæ authores: quando & Neotericorum quorundam Italorum, quos idem insectatur, gloria, qualiscunque est, nullo pacto obscurabitur, quòd Budæus tot locis illos impetat. Vt enim hi nonnunquam errare potuerint, quis non uidet Budæum perpetuum eorum hostem multo impudentius, puerilius que lapsum esse? Cum que eius errato nihil quicquam sit manifestius, adducta ab eo testimonia latius non explicabo: plenissimè id facturus, si aut ipse aut alius quiuis eo in loco uacillatum non esse, commonstrare laborabit.

De Philippi Beroaldi in Seruium annotationibus. Cap. VIIII.

PHilippus Beroaldus, non ille qui iuuenis excessit, sed cuius plurima extant commentaria, in magno dum uiueret honore, non ab Italis modò, uerum ab exteris quoque nationibus habitus: neque mediocribus solum literatis, sed excellentissimis illis heroibus, Angelo Politiano, Ioanni Pico, Hermolao Barbaro, Rodulpho'que Agricolæ, communi imperitæ ~~multitudinis~~ consensu prælatus: uix tantum uiua uoce suis lucubrationibus gloriæ comparauit, quantum sanè homo ad unicum garriendi studium natus, post obitum deperdidit. Quæ enim ab ipso authore ad fastidium usque ubique commendata, non pauci admirabantur, ea tam sinistrè ab ijs qui omni affectu uacui aliorum scripta & legere, & diligenter excutere solent, accepta fuerunt, ut Latinam linguam non excolere, sed uel extinguere, uel prorsus labefactare uoluisse uideatur. Siquidē uitiosissimum scribendi genus ex Apuleio, Martiano, Sidonio, & si qui sunt duriores, primus suis temporibus excitauit, & in multas Europæ partes, à quibus undique ad eum cōfluebant auditores, ita diffudit, ut plurima adhuc supersint eius uestigia, neque penitus deleri possint, nisi aut quotquot ille instituit, inter uiuos esse desinant, aut principum edicto, ne qua illius opera publicè ueneant, caueatur. Quorum, ut blattarum ac tinearum epulæ sint libelli de felicitate, de optimo statu, de symbolis Pythagoræ, de terræ motu, necnon Medici, Oratoris, Philosophi, ebriosi, scortatoris, aleatoris'que declamatiunculæ, & mille huiusmodi cacationes, primæ omnium iudicio commentarijs in Propertium, Suetonium Tranquillum, Tusculanas quæstiones, & ipsum denique Apuleium deferuntur. In quibus præter lutosam loquacitatem, & uituperonum linguas cote liuoris acuminatas (nam eiusmodi formulis, quasi amœna diuerticula quærēs, suas omnes nugas conspersit) hoc est maximè uituperandū, quod bonos authores interpretandi officium sic pessundedit, fœdauit que, ut non alius magis: & amplam Mancinellis, atque id genus excrementis ansam ad multa ineptiarum farcienda uolumina præbuit. Enimuero cum in eo, quem delegeris, enarrando id tantum proferre debeas, quod authoris sententiam commodè explicet, hic non ea solum passim effundit, quibus nullus sit apud eruditorum aures locus, sed bellorum quæ ipso uiuente gerebantur euentus docet, uillarum situs describit, & multorum obitus in suis commentationibus deplorat. Iccirco & eos, in quibus miram breuitatem dignoscas, & Seruium Grammaticum in primis ita insectatus est, ut cum multos annotationū libros in Martialem, Catullum, Iuuenalem, Lucanum, Plinium, Liuium, Gellium, Ciceronem, Apuleium, Quintilianum, Hieronymum, Cæsarem, Suetonium, Plautum, Q. Curtium, Ausonium, Pandectas

multitudine

ctas legales, in uarios, in diuerſos ſcriberet, unico etiam libro, nec minimo quidem, omnia Seruij(ut ipſe uocat) errata comprehenderit, quanquam multis in locis teſtatus non eum ſe eſſe, qui alienæ ſcientiæ obtrectatione laudem ſibi aucupari ſciat. Cuius contrarium quia ex eius ſcriptis colligere licet, de Annotationibus in Seruium aliqua dicam. De reliquis ij uiderint, quibus Beroaldi nugas accuratius legere continget. Atq; id in primis præfabor, nō eum mihi unquam uiſum eſſe Seruium, qui errare nullo modo potuerit, cum illo multo præſtantiores perſæpe hallucinati fuerint, & C. Plinij doctiſſimi ſcriptoris lapſus non paucos deprehenderit Nicolaus Leonicenus. Quin cum in longo opere ſomnum aliquando obrepere fas ſit, nō immerito M. Fabio Quintiliano inter præcipuas grammatici uirtutes habetur, aliqua neſcire. Is ita que Seruius, qui doctiſſimus à Macrobio appellatur, cum maxima rerum cognitione, tum ſummo iudicio, ſic Virgilium interpretatus eſt, ut quod ad poëtæ ſenſus aperiendos, artificiumq; dignoſcendum ſpectaret, nihil prætermiſerit. Quamobrem non eos ſolum, qui Maronis poëmata enarrarunt, ſed omnes Latinos interpretes longo interuallo poſt ſe reliquit. Cuius caſtigatiſſima ferè quæq; exemplaria, poſtquam cum cæteris bonis authoribus exciderūt, neſcio quo caſu aliqua ambeſa, ac ſitu puluereq; obruta reuiuiſcente Latina lingua reperta ſunt. Quæ cum lacera, mutilataq; haberentur, non defuerunt nebulones, qui pro ſuo arbitrio parū fideliter loca omnia quæ corrupta erant reponerent, additis appendiculis non Seruio, ſed uix uiliſſimo grammaticulo dignis. Eorum typis (ut hodie quoq; fieri ſolet) excuſorum nōnulla expiſcatus Beroaldus, nequaquam ſecum reputans, an tam ſtolidè Seruium in uulgatiſſimis rebus erraſſe credendū eſſet, & eo (ut diximus) illi nomine infenſus, quòd garrulo cum uerborum parco, nitido cū cœnoſo parum cōueniret, præclarū illud annotationū in Seruium uolumen nobis quaſi per manus tradidit: cuius cū LX ſint (ut opinor) capita, quàm pauciſſima in eis Seruij errata inuenias. Bonam enim eorum partem refellunt caſtigata, quæ in manibus habentur illius commentariorum exemplaria: & pleraq; ſunt non tam reprehenſa, quàm longius diffuſiusq; explicata. Quo fit, ut cū pauca admodum reſtent, quæ horum capitum altero nō comprehendantur, in eorum aliquibus Seruium apertè lapſum fuiſſe concedam: in cæteris uerò quid ſibi uellet neſciuiſſe Beroaldum, ſim oſtenſurus: qui nullum, dummodo papyrum oblineret, & quicquid in buccam ueniſſet effunderet, in ſcribendo iudiciū unquam adhibuit, ex Neſtoris, Papiæ, Mametrectiq; lexicis (nam Ambroſium Calepinum horū omnium compilatorem, uel eo uiuente, uel nō multo pòſt ſcripſiſſe arbitror) ἀμαξιαῖα illa uolumina contexens. Nam ſi quando Pliniū, Columellā, aut ſimiles citat, haud magno ferè in diſcrimine ponit, cōprobet'ne quod ipſe oſtendere nititur, an ſecus. Ego porrò hac in re ipſius Beroaldi ſi uidebitur ordinem nō ſequar, neq; Seruij quidem, ſed prout locorū meminero, ea in medium adducam: ne quod uerbis polliceor, re ipſa nequaquam oſtendere poſſe uidear. Auloq; Gellio, Macrobio, & id genus alijs non ita addictus fuero, ut ab eorum ſententia, quando cūq; libuerit, recedere mihi interdictū putem. Antiquiores autem autores libentius ſequar, neq; eorum quempiam in ius uocabo, niſi æquè excellentis authoritatem prætendere ualeā. Sed ad rem ipſam aggredior.

Finitum numerum pro infinito à Virgilio ſæpiſſimè poni, contra Beroaldi, Macrobijq; ſententiam. Cap. X.

VIrgilij uerſus in primo Aeneidos hi ſunt:

Extemplo Aeneæ ſoluuntur frigore membra,

Ingemit, & duplices tendens ad sidera palmas,
Talia uoce refert: ô terq; quaterq; beati, Et reliqua.

Hunc locum exponens Seruius, sic ait: O ter'que quater'que, id est sæpius, finitus numerus pro infinito. Beroaldus autem sic: Eruditis auribus non satisfacit Seruij interpretatio, perinde ac uulgaris, & frigidiuscula. Elegantius & eruditius Virgilianum carmen interpretatus est Macrobius, qui in primo in Somnium Scipionis, cum septenarium numerum esse perfectissimum docuisset, ita subiunxit: Vnde Virgilius nullius disciplinæ expers, et per omnia beatos exprimere uolens, ait, O ter quaterq; beati. Hactenus Macrobius: cuius sententiæ astipulatur Tibullus illo uersu,

O mihi felicem terq; quaterq; diem.

qui quidem uersiculus non secus à Tibullo pronunciatus est, quàm à Virgilio,

O terq; quaterq; beati. quod æmulatus est, ut opinor, Syllius, sic scribens,
Felix, ô terq; quaterq;

Frater. Non me præterit, Strabonem enarrantem illud Homericum, Terq; die reuomit, scribere, quod talis superlatio ab omnibus usurpatur: unde Homerus ait, ter beati Danai, ter exorabilis, & ter'que quater'que beati. Hæc ille. Quibus cum ad Macrobij sententiam nihil addiderit, præter duos uersus Tibulli, Syllij'que, tam mihi ipse hallucinari uidetur, quàm Macrobius id Virgilio hoc in loco tribuisse, quod ei nunquam uenerit in mentem. Hinc non dubito multo meliorem esse Seruij, quàm Macrobij, Beroaldiq; expositionem: non quin tantam fuisse Maronis excellentiam autumem, quantam non hæ nugæ, nihiliq; uerborum pensitatiunculæ, sed infinitæ aliæ uirtutes ostendant, sed quod magis poëticè ab eo in ijs uersibus terq; quaterq; prolatum credam, quàm ut septenarium numerum perfectissimum esse pro certo habens, id innuere uoluerit, quod Macrobius ariolatur. Atqui idem in quarto de Didone moritura loquens, his uocibus eodem modo usus est,

Terq; quaterq; manu pectus percussa decorum.

An perfectissimum numerum hic data opera positum dicemus? an potius, ut censet Seruius, finitum pro infinito? Quid alij poëtæ? nónne hac locutione eadem ratione sæpissimè utuntur? Propertius porrò in tertio Elegiarum libro ita canit,

Tu Petum ad Pharios tendentem lintea portus,
Obruis insano terq; quaterq; mari.

Nunquid hic poëta perfectissimè, hoc est septies obrutum in mari Petum sentiebat? An non satis superq; fuerat, semel obrutum extinctum fuisse? Ouidius in primo Fastorum,

Occupat Alcides, adductaq; claua trinodis
Ter quater aduersi sedit in ore uiri. Et in tertio Amorum,
Hactenus & mouit pictis innixa cothurnis,
Densum cæsarie terq; quaterq; caput.

Et in sexto Metamorphoseos, de Pallade,

Ter quater Idmoniæ frontem percussit Arachnes. Et in nono,
Dicentem, genibusq; manus adhibere parantem,
Corripit Alcides, & terq; quaterq; rotatum
Mittit in Euboicas tormento fortius undas.

Et in duodecimo,

Ter quater ora uiri capulo caua tempora pulsat,

In

In quibus omnibus an perfectus septenarius numerus sit cōsiderandus, Macrobius, Beroaldusq́ uiderint. Horatius quoq; in secundo Sermonum ita scribit,

Tu'ne mihi dominus, rerum imperijs hominumq́
Tot tantisq́ minor? quem ter uindicta, quaterq́
Imposita, haud unquam misera formidine priuet.

Sed quid exemplis opus est, cum nusquam plura adduci ualeant? Quid si non ter quater, sed bis terq́ proferant poëtæ, an numerorum ordinem respiciemus? an non potius numerum finitum pro infinito positum affirmabimus? Ouidius in quarto Metamorphoseos, de Athamante,

Et parua Learchum
Brachia tendentem rapit, & bis terq́ per auras
More rotat fundæ. Quid si ter tantum? ut Virgilius in tertio Aeneidos,
Ter scopuli clamorem inter caua saxa dedere,
Ter spumam elisam, & rorantia uidimus astra.

Mirum est, si aduerbij hic proprietatem quæramus, atq; ad numerū Troianos à fluctibus modò in altum elatos, modò in imum demissos somniemus, cui simile est illud eiusdem de Didone in quarto,

Ter sese attollens, cubitoq́ innixa leuauit,
Ter reuoluta toro est. Et Ouidij in quarto de Ponto,
Nec potes infestis conferre Carybdin Achæis,
Ter licet epotum, ter uomat illa fretum.

Quid uerò nisi hanc uocem ponant, num minus infinitum numerum designabunt? At cum Helenus Aeneam ita monet,

Vnum illud tibi nate dea, præq́ omnibus unum
Edicam, & repetens iterumq́ iterumq́ monebo,
Iunonis magnæ primum prece numen adora.

Nimis frigidè de re maximi momenti egisset, si uerborum significatum, & non potius Virgilij sensum expendamus. Idem alijs uerbis sibi uolebat Ouidius, cum in tertio Tristium ita quereretur,

O quater, & quoties non est numerare, beatum,
Non interdicta cui licet urbe frui.

Sunt hæc poëtica, & à tam leui coniectura longissimè absunt, quemadmodum & Horatianum illud,

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimonijs
Suprema citius soluet amor die.

Quod si quis huiusmodi locutiones data opera à poëtis fuisse usurpatas, cum Macrobio ac Beroaldo obstinatè iuret, ita quidem ut præfinitum tantum numerum designent, pessimè cum oratoribus, historicisq́, apud quos hæ formulæ nō sunt in usu, agi concedet. neq; eos idem, quod poëtas facile efferre posse fatebitur. quamuis, ut dixi, nihil minus quàm huiusmodi nugas poëtæ obseruarint, nisi fortè cū apud Homerū, Menelai cum Hectore pugnantis

ξίφος ἀργυρόηλον τριχθά τε καὶ τετραχθὰ διατρυφὲν ἔκπεσε χειρός,

aut cum Vlyssis nauium uela

τριχθά τε καὶ τετραχθὰ διέσχισεν ἲς ἀνέμοιο,

numerorū proprietatem seruatā ariolemur. Neq; tamē negarim, poëtas propriè huiusmodi uoces aliquando posuisse, cū defunctorū manes ter tantū post solemnia

ductæ non complent decem, sunt enim octo. Duodenarij uerò partes numeri, in summam ductæ transeunt eum. habet enim duodecimam, quod est unũ: habet sextam, quæ sunt duo: habet & quartam, quæ sunt tria: habet tertiam, quæ sunt quatuor: habet & dimidiam, quæ sunt sex. Vnum autem & duo & tria & quatuor & sex, non duodecim, sed amplius, id est sedecim fiunt. Hoc breuiter commemorandum putaui, ad commendandam senarij numeri perfectionem, qui primus, ut dixi, partibus suis in summã redactis ipse perficitur, in quo perfecit Deus opera. In sequenti quoq; capite idem de septenario sic ait: De septenarij porrò numeri perfectione dici quidem plura possunt, sed liber iste iam prolixus est, & uereor ne occasione comperta scientiolam nostram, leuiter magis quàm utiliter iactare uelle uideamur. Habenda est itaq; ratio moderationis atq; grauitatis, ne fortè cum de numero multũ loquimur, mensuram & pondus negligere iudicemur. Hoc itaq; satis sit admonere, quod totus impar primus numerus ternarius est, totus par quaternarius, ex quibus duobus septenarius constat. Ideo pro uniuerso sæpe ponitur, sicut est: Septies cadet iustus, & resurget. id est, quotiescunq; ceciderit, non peribit: quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi uoluit. Et: Septies in die laudabo te. quod alibi alio modo dictum est, Semper laus eius in ore meo. Et multa huiusmodi in diuinis authoritatibus reperiuntur, in quibus septenarius numerus, ut dixi, pro uniuscuiusq; rei uniuersitate poni solet.

Declaratus Virgilij locus, & de uerbo Maturo, contra Macrobium ac Beroaldum. Cap. XI.

NOn multo pòst in eodem libro, ex Neptuni persona ita scribit Virgilius,

Maturate fugam.

Cuius uerbi significationẽ docens Seruius, sic inquit: Maturate, cũ maturitate, id est, cũ tranquillitate discedite. quomodo dicimus, matura iracundiã tuam, id est mitiga. perniciosum enim Troianis est, si maturent fugã, hoc est, si accelerẽt. Hęc Seruius. Philippus uerò Beroaldus: Insulsa, inquit, mediustidius hæc est expositio, tanquã maturitas significet tranquillitatem, & maturare tranquillũ facere. Magis itaq; Macrobio credendum, qui in sexto Saturnaliorum illud Virgilianum declarans, sic scribit: Maturũ est, quod neq; citius, neq; serius, sed medium quiddam, & temperatum est. Et paulo pòst: Sic ergo & Virgilius inducit Neptunum, discessum uentis imperantem, ut & tam cito discedant, tanquã fugiant, & tamen flandi mediocritatem in regressu teneant: tanquã mature, id est temperatè abeuntes. Apud Gellium caput est elegantissimum, quo quid maturè, & maturare significet, abundè monstratur, cuius uerba mutuatus est Macrobius. Hactenus Beroaldus. quem ego egregiè falli, neque tamen elegantissimum Gellij quod citat caput cum hæc scriberet, legisse opinor. Diffusius enim uerbi maturo significatum docuisset, Seruium ut nimis concisum, breuitati que studentem ubique reprehendens. Itaque quod Macrobius uerbum illud exposuerit, ut maturum sit, quod neque citius, neque serius, sed temperatè flat, idem sibi uoluit, quod & Seruius: qui cum maturare cum tranquillitate discedere interpretabatur, nõ aliud sibi uolebat, quàm ut neq; citius uenti, neq; serius discederent, licet tranquillitatis proprietas lentiorem fortè, remissioremq; actum denotet. quamobrem & Beroaldi nota rectè cessabit. Quòd si cum Seruio non sit hoc loco sentiendum, alium esse eius uocis sensum arbitror, ut maturate idem significet quod celerate. Minatur enim Neptunus cum uentis, tum ipsi Aeolo: quorsum & illa,

Tantã-

Tanta'ne uos generis tenuit fiducia uestri?
Iam coelum, terramq́ꝫ meo sine numine uenti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Et,
Regiq́ꝫ hæc dicite uestro,
Non illi imperium pelagi, sæuumq́ꝫ tridentem,
Sed mihi sorte datum: tenet ille immania saxa,
Vestras Eure domos, illa se iactet in aula
Aeolus, & clauso uentorum carcere regnet.

Obsecrare igitur uentos uideretur Neptunus, non eis, prout facit, seuerè imperare, si ita eos discedere uellet, ut se præsente Troianis nihil afferrent incommodi: & eum Iouis fratrem flocci fecissent uenti, si discedentes, eos perdidissent, quorum causa ille æquora placare, ac solem reducere cõstituisset. Proinde sit ex Neptuni maiestate, nõ uentorum discessum uerbis mitigare, sed festinanter eos celeriterq́ꝫ proprio regno excedere iubere. Ac ne quis nouum hoc eius uerbi, inauditumq́ꝫ significatum putet, audiat quid de eo in decimo Noctiũ Atticarum scribat Aulus Gellius. Maturè, ait, nunc significat properè, & citò, contra ipsius uerbi sententiam. aliud enim est maturè, quàm quod dicitur properè. Et inferius: Quoniam autem id quod non segniter fiebat, maturè fieri dicebatur, progressa plurimum uerbi significatio est, & non iam quod nõ segnius, sed festinantius fit, id fieri maturè dicitur, quando ea quæ præter sui temporis modum properata sunt, immatura uerius dicuntur. Macrobius sanè, ut in alijs plerisq́ꝫ, Nigidij tantum uerba Gellio furatus est, aliaq́ꝫ eius uocis significata omisit. Cæterum quod contra ipsius uerbi sententiam festinare significet, ut sentit Gellius, parum ad rem facit, dum frequentissimè ab optimis authoribus id uerbum pro festinare positum esse comprobem. Terentius in Heautontimorumeno: Scin' quid nunc te facere uolo? quod sensisti illos me incipere fallere, id ut maturent facere. Loquitur autem Menedemus, reuersum à militia gnatum Cliniam quàmprimum uidere cupiens. Cæsar primo commentario de bello Gallico: Quibus rebus Cæsar uehementer commotus, maturandum sibi existimauit, ne si noua manus Sueuorum cum ueteribus copijs Ariouisti se coniunxisset, minus facilè resisti posset. Itaq́ꝫ re fumentaria quàm celerrimè potuit comparata, magnis itineribus ad Ariouistum contendit. Liuius libro uigesimo nono ab Vrbe condita: Quod nisi omni ui perficere maturasset, bellantem eum cum Aetolis Pub. Sempronius proconsul successor imperij missus Sulpitio cum decem millibus peditum, & mille equitibus, & triginta quinq́ꝫ rostratis nauibus, haud parum momentum ad opem ferendam socijs oppressisset. Idẽ libro trigesimo septimo: Profectus, cum quantum accelerare poterat, maturasset ad portum, quem Megisten uocant, progressos consequitur. Et trigesimo nono: Sed defectionis authores, quorum in manu res erat, in secreto consultantes, omnes ad necem eius consentiebant, sed utrũ maturarent, an differrent, ambigebant. Sallustius in Catilina: Quæ quidem res mihi in primis uidetur fuisse causa facinoris maturandi. Hinc compositum admaturo, summam itidem denotat celeritatem. Cæsar libro sexto de bello Gallico: Etsi multis iam rebus perfidiam Heduorum Cæsar perspectam habebat, atque horum discessu admaturari defectionem ciuitatis existimabat, tamen retinendos eos non censuit, ne aut inferre iniuriam uideretur, aut dare timoris aliquam suspicionem. Participium quoq́ꝫ à maturo deductum, celeritatem nõ minus significat. Sallustius in Iugurthino: Legati in

Africam maturantes ueniunt. Et maturatum iter: hoc est, properanter factum. Liuius libro XXXII. Hoc consilium per multos dies agitanti nuncius uenit, Titũ Quintiũ consulem factum, sortitumq́ prouinciã Macedoniam, maturato itinere iam Corcyram traiecisse. Maturè autem, pro celeriter persæpe capitur. Terentius in Eunucho: Fac ita ut iussi, deducantur isti. Faciam. At diligenter. Fiet. At maturè. Fiet. Ridiculum esset, si sui ipsius impotens Phędria, ac Thrasonis riualis, eunuchum uirginemq́ ad Thaidem cum maturitate, hoc est neque serius, neque celerius deduci uellet. Cicero pro Murena: Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut quò contendit, maturè cum exercitu perueniat. Cato de Re rustica: Opera omnia maturè conficias. nam res rustica sic est, si unã rem serò feceris, omnia opera serò facies. Sallustius in Catilina: Nam & priusquam incipias consulto, & ubi consulueris maturè facto opus. Et in Iugurthino: Bomilcar maturè regis mandata exequit̃. Et maturius, celerius. Idem in eodem opere: Itaque tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam. Liuius libro quadragesimo: Per eosdem dies ex literis Auli Terentij proprætoris cognitum, Publium Sempronium in ulteriore Hispania, cum plus annum æger fuisset, mortuum esse: eo maturius in Hispaniam Prætoris iussu proficisci. Cæsar primo de bello Gallico: Cæsar una æstate duobus maximis bellis confectis, maturius paulò quàm tempus anni postulabat in hyberna in Sequanos exercitum deduxit. Et maturrimè, celerrimè. Cicero libro tertio de Oratore: Quippe qui omniũ maturrimè ad publicas causas accesserim. Maturatè quoq́, idem quod & maturè significat. Liuius lib. XXXII. A Malea iussis cæteris quantũ possent maturatè sequi, ipse tribus quinqueremibus expeditis Pyræum præcepit. Et trigesimo nono: Literis de morte Proprætoris recitatis, Senatus censuit mittendum, qui ad Lunæ portum C. Calpurnium Prætorem consequeretur, nunciaretq́ Senatum æquũ censere, ne sine Imperio prouincia esset, maturatè eum proficisci. Et maturato opus est, celeritatem denotat. Idem Liuius libro uigesimo quarto: Sed quod uolebant, non quàm maturato opus erat, gnauiter expediebant. Maturũ quandoque non pro temperato, sed pro magno ac uehementi ponitur. Virgilius in tertio Georgicorum,

Glebasq́ iacentes
Pulueruleuta coquat maturis solibus æstas.

Quem locum enarrans Seruius, sic ait: Maturis autem solibus, id est uehementer feruidis, magnis. Non est ergo dubitandum, quin si Seruij expositionem reijcimus, eòdem sanè redeuntem, quo Macrobij Beroaldiq́ per diuersa uerba interpretatio, maturate pro celerate sit accipiendum. Sed de hac re multa.

Rectè à Seruio contra Beroaldi sententiam tristem pro seuero in Virgiliano carmine positum dici. Cap. XII.

EIusdem Virgilij sunt hi uersus in sexto Aeneidos,

Vestibulum ante ipsum, primisq́ in faucibus Orci,
Luctus & ultrices posuere cubilia curæ,
Pallentesq́ habitant morbi, tristisq́ senectus.

Tristis senectus, inquit Seruius, seuera, quæ gignit seueritatem. Cicero: Iudex tristis & integer. Beroaldus autem: Ego, ait, potius exponerem tristis, id est querula, & morosa. namq́ poëta uoluit epitheto demonstrare, qualis sit conditio senectutis. Sunt autem senes, ut scribit Cicero in Catone, & testatur Seneca, morosi & anxij, & queruli atque difficiles. quod etiam diligentissimè expressit Horatius in Arte poëtica, seniles mores describens,

Difficilis,querulus,laudator temporis acti
Se puero,censor,castigatorq; minorum.

Virgilium (ut arbitror) imitatus est Syllius illo uersu,

Curæq;,insidiæq;,atque hinc queribunda senectus.

Nam à Syllio senectus dicitur queribunda,quasi plena querimoniarũ,quomodo à Virgilio tristis nuncupatur: & ab Horatio in carminibus morosa, ob uarios scilicet ac difficiles mores, quibus sunt obnoxij queruli senes. Hęc Philippus Beroaldus: quem alibi non iniuria multa in medium testimonia adducere diximus,parum cõprobent'ne id de quo agit considerantem. An si Horatij in Arte poëtica uersus intellexisset, Seruiũ reprehenderet? Quid sibi aliud illa uerba uolunt,difficilis,querulus,acti temporis laudator, se puero minorum censor,castigatorq;,q̃ senes omnes seueros esse? An queruli sunt,quòd stomachi,aut laterũ dolorem patiantur? an nõ potius,quòd eorũ quæ ipsi in iuuentute cõmiserunt, obliti,ideo querunt quia omnia secus à filijs,aut etiam nepotibus fieri uident,q̃ æquo ipsi animo tolerare queãt? Huc sanè spectant eiusdẽ Horatij & illi uersus,

Multa senem circumueniunt incommoda,uel quòd
Quærit,& inuentis miser abstinet ac timet uti,
Vel quod res omnes tardè gelideq; ministrat,
Dilator,spe longus,iners, auidusq; futuri.

A quibus conditionibus plurimũ absunt puerorũ,iuuenũ, uirorumq; mores, quos superius absolutè descripsit. Quid Propertius? nonne duros senes uocat?

Ista senes licet accusent conuiuia duri,
Nos modò propositum uita teramus iter.

At Catullus,

Viuamus mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresq; senum seueriorum
Omnes unius æstimemus assis.

Sit igitur uerissima Seruij expositio,& Beroaldũ in malam rem abigamus,cum nullum sit in senectute uitium seueritate intolerabilius. Quòd si quis ambigat, tristis'ne seuerum significet, accipiat præter M.Tullij locum à Seruio adductũ, & Titi Liuij testimonia, qui primo libro ab Vrbe condita de Numa Pompilio loquens,ita inquit: Suopte igitur ingenio temperatum animum uirtutibus fuisse opinor magis, instructumq;, non tam peregrinis artibus, quàm disciplina tetrica ac tristi ueterum Sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit. An tristem Sabinorum disciplinam,hoc est,querulam dicemus? an non seueram potius? Atqui Virgilius in octauo Aeneidos de Sabinis sic ait,

Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas,
Consessu caueæ magnis circensibus actis
Addiderat, subitoq; nouum consurgere bellum
Romulidis, Tatioq; seni, Curibusq; seueris.

Idem quoq; Liuius libro trigesimo nono, de Catone loquẽs: Hunc sicut in omni uita,ita tunc petentem premebat nobilitas. Coierant apud Prætorem L. Flaccum,qui collega in consulatu fuerat, candidati omnes,ad deijciendum honore eum, non solum ut ipsi potius adipiscerentur, nec quia indignabantur nouum hominem censorem uidere,sed etiã quòd tristem censuram,periculosamq; multorum famæ,& ab læso à plerisq;,& lædendi cupido expectabant. Et inferius de eodẽ Catone: In censibus quoq; accipiendis tristis & aspera in omnes censura fuit. Ouidius libro decimoquinto Metamorphoseos,

Tunc quoq; sic dicta est sententia tristis,& omnis

Calculus

Calculus immitem dimittitur ater in urnã. Et idem Virg. de Charonte,
Nauita sed tristis, nunc hoc, nunc accipit illos,
Ast alios longè summotos arcet arena. De quo prius dixerat,
Portitor has horrendus aquas, & flumina seruat;
Terribili squallore Charon. Et,
Iam senior, sed cruda deo, uiridisq; senectus.

Diffusius proinde de uris scribat Beroaldus, quos cũ Seruius boues agrestes esse tradat, ipse non modò quæ de eis perhibent Plinius, Cæsar, ac Solinus, de more proferat, sed ad magnum etiam Albertum confugiat, Seruiumq; unica à se, eaq; nihili coaxatione superari credat. Heus lepide interpres: An etiam cũ Seruium concisum, mutilatũq; tuis nõ satisfacere auribus prædicas, Albertum magnũ no minas? An eius authoritati, si ut ante illũ uixit, ita pòst floruisset, aliquid Seruius erat delaturus? Habuit is magnũ scriptorum delectũ: cum tu ex Isidoro, Albertoq; Magno insulsa, inuenustaq; scripta contexis. Tristis quoq; præter uulgarẽ significatũ, pro amaro quandoq; accipitur. Virgilius in Georgicis,

Tristisq; lupini
Sustuleris fragiles calamos, syluamq; sonantem.

Ouidius libro tertio de Ponto,

Tristia per uacuos horrent absinthia campos,
Conueniensq; suo messis amara loco est. Et inferius eodem libro,
Tristia deformes pariunt absinthia campi,
Terraq; de fructu, quam sit amara, docet.

Quomodo Sophocleus cothurnus apud Maronem sit capiendus contra Beroaldi censuram. Cap. XIII.

SVnt & Virgilij hi quoq; uersus ex Pharmaceutria, ad Augustum Cæsarem;
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem,
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

quos explicans Seruius, ita scribit: Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno, ac si diceret, Quanquam impar sit ingeniũ laudibus tuis, nam tuę laudes merentur exprimi Sophocleo tantũ cothurno. Sophocles aũt tragœdiographus fuit altisonus. At Beroaldus sic: Ego opinor eo uersu à Virgilio laudari carmina Cæsaris Augusti, qui floruit in poëtica: qui, ut author est Tranquillus, reliquit librũ hexametris uersibus conscriptũ, cuius titulus est Sicilia. & libellũ Epigrammatum: præterea tragœdiam Aiacem exorsus est magno impetu. Volens igitur poëta laudare tragicũ Augusti poëma, stilũmq; grandiloquũ, dixit illius carmina digna esse Sophocleo cothurnò, id est stilo & sublimitate. qua usus est Sophocles in tragœdijs scriptitãdis. Fuit enim apud Gręcos haud dubie princeps tragici poëmatis, quod etiam memorat Plinius in septimo libro. Hinc etiã in honorẽ Augusti à poëta dictum est, Atq; hanc sine tempora circum

Inter uictrices hederam tibi serpere lauros,

tanquam Augustus hederacea corona, hoc est poëtica, non minus coronari mẽreatur, quàm laurea, hoc est triumphali. Celebratur à Macrobio atq; Tranquillo iocus Augusti: qui cum interrogaretur, quid ageret Aiax tragœdia, quã, quòd displicuisset, ipse deleuerat: respondit, Aiacem suũ in spongiam incubuisse. Audiui qui dicerẽt se uidisse poëma Sophoclis, ab Augusto donatũ Romana lingua. Quod si uerũ est, poterit cõmodissimè ad id etiã referri carmen Maronianũ. Sed nimis ridiculus est Beroaldus, nec ullo ingenij acumine admodum ualuit. Quid enim est eius cõmentatiuncula absurdius? quid ineptius? Quod si qua in eo non iudicij, sed sanitatis scintilla fuisset, Seruij sententiæ, quæ uerissima est, subscribe

re minimè dubitasset. Siquidem cum poëta Augusti carmina Sophocleo cothurno digna per orbem ferri optat, nō de ijs quæ Augustus scripserat, intelligit, sed de illis, quæ de Augusto erant scribenda. Cuius gesta, quoniā amplissima erant, nimirum grandiloquū carmen exigebant. An, obsecro te Beroalde, maiori laudi Augusto futurū erat, si ipse altè scripsisset, quàm si alij fortia eius facta, heroico, hoc est amplissimo carmine, quo ue cōmodissimè scribi possint, ut inquit Horatius, Res gestæ regumq́, ducumq́, & tristia bella,

cecinissent? Atqui eius bella efferebat Virgilius, cum ita scriberet,

Tu mihi seu magni superas iam saxa Timaui
Siue oram Illyrici legis æquoris, en erit unquam
Illa dies, mihi quum liceat tua dicere facta?

Cum igitur Bucolica eo tempore cōponeret Virgilius, non ab re diem optat, qua Augusti laudes Homerico numero celebret, quod & in tertio Georgicorum apertè pollicetur, cum ait:

Mox tamen ardenteis accingar dicere pugnas
Cæsaris, & nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.

Nam q̃d tua carmina dixit, de te scripta, ac tibi accepta referenda subintelligis, quemadmodū & ipse paulò post, A te principium, tibi desinet: accipe iussis

Carmina cœpta tuis. Et alibi, Non iniussa cano.

Iam quæ de eius carminibus, & de Aiace in primis conijcit Beroaldus, q̃ sunt friuola? Non animaduertit hic noster lusciosus, irrisum uideri potuisse à Virgilio principem, si eius tragœdiam, quam nō succedente stilo aboleuit, ad Sophoclis altitudinem extulisset: quanquam non satis liquet, an id poëmatis genus auspicatus fuisset Augustus, cum Virgilius iuuenis admodum Bucolica conscriberet. Facessat itaque tam futilis expositio, uersusq́ illos,

Atque hanc sine tempora circùm
Inter uictrices hederam tibi serpere lauros,

hoc modo exponendos esse discat Beroaldus, ut inter egregias Augusti laudes sit & hæc nō postrema, quod eius beneficio Virgilius primū inter Latinos locū occuparit. Frigent enim uates, nisi à principibus foueantur. quò & Martialem allusisse crediderim, quū ait, Sint Mecœnates, nō deerunt Flacce Marones. Cumq́ Virgilius Sophoclem nominarit, non ideo factum reor, quod eum Euripidi anteponere uoluerit: sed quia id nomen heroico metro melius conueniret. cui & simile est Propertianum illud ad Lynceum poëtam,

Desine & Aeschyleo componere uerba cothurno.

Non Aeschylū scilicet, quasi alijs præstantiorē nominauit Propertius, quē rudē in plerisq́ & incompositū fuisse scimus, ut cuius fabulas in certamen correctas deferre posterioribus poëtis permiserint Athenienses, sed quod ab eius nomine deductū nomen uersu rectè clauderet. An quū Horatius de Ro. populo sic inq̄t,

Serus enim Græcis admouit lumina chartis,
Et post Punica bella quietus quærere cœpit
Quid Sophocles, quid Thespis, & Aeschylus utile ferrent,

iccirco Euripidem non nominauit, quod uel Thespi eum, uel Aeschylo duxerit postponendū? Hoc ne ipse quidem Beroaldus per somnū affirmaret. At Pliniū VII. Nat. hist. libro Sophocli palmā de Tragico deferentē citat, cuius hæc sunt uerba: Sophoclē tragici cothurni principē defunctū sepeliri Liber pater iussit. cur M. etiā Ciceronis Plinio multo melioris in oratore testimoniū prætermisit? quod est: Non enim in poëtis Homero soli locus est, (ut de Græcis loquar) aut

Archilochò, aut Sophocli, aut Pindaro, sed horũ uel secundis, uel etiã infra secundos, nam Aristophanis hac in re iudiciũ flocci est faciendũ, quòd ueteris comœdiæ scriptor, quo genere nullũ olim unq̃ neq; mordacius neq; in scribẽdo liberius fuit, nõ Euripidẽ modò, sed ipsum Sophoclẽ, ac Socratẽ etiã deriserit. Verũ nimis audax, ne dicam temerarius fuit Beroaldus, qui suum hac in re iudiciũ interposuerit. Enimuero Sophocli'ne hæc palma, an Euripidi sit deferẽda, Grammatici certãt, & adhuc sub iudice lis est. Crantor certè Solensis, egregius philosophus, præ cæteris omnib. poëtis Homerum, Euripidemq; admirabaẽ, operosum, industriæq; plenũ esse, seruata proprietate tragicè cũ misericordiæ simul affectu scribere asseuerans. Et Cicero Q. Tironi de Euripide scribẽs ait, ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον, inquit Euripides: cui tu quantũ credas nescio. Ego certè singulos eius uersus, singula testimonia puto. Fabius quoq; Quintilianus uel ex professo scriptorũ censor, hanc litem dirimere nõ ausus est, q̃uis in decimo de Tragœdia loquens, his uerbis rem attingat: Sed longè clarius illustrauerũt hoc opus Sophocles, atq; Euripides: quorũ in dispari dicendi uia, uter sit poëta melior, inter plurimos quæriẽ. Idq; ego sanè, quoniã ad præsentem materiã nihil pertinet, iniudicatũ relinquo. Illud quidẽ nemo nõ fateatur necesse est, ijs qui se ad agendũ cõparant, utiliorem longe Euripidem fore. Nam is sermone, quo ipsum reprehendũt, quib. grauitas, & cothurnus, & sonus Sophoclis uidetur esse sublimior, magis accedit oratorio generi, & sententijs densus, et in ijs quę à sapientib. tradita sunt, penè ipsis par, & in dicendo atq; in respondendo cuilibet eorũ qui fuerunt in foro diserti cõparandus. In affectibus uerò cũ omnibus mirus, tũ in ijs qui miseratione cõstant, facile præcipuus, ut sæpè testatur & eũ secutus, quanq̃ in diuerso opere, Menander. Hęc Fabius. Illud miror, Beroaldo quoq; Sophoclis poëma latinitati ab Augusto fuisse donatũ psuaderi potuisse, cũ de ea re nulla fiat ab historicis mẽtio, ne à Tranquillo quidẽ, singula quantũuis minuta cũ omniũ Cæsarũ, tũ Augusti facta dictaq; diligẽtissimè exequente.

Quæ messis apud Virgilium bis solem, bis frigora sentiat: contra Probum, Beroalduṁq. Cap. XIIII.

Illa seges, ait Virgilius, demum uotis respondet auari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit.

Hosce uersus Seruius sic enarrat, Bis quæ solem, bis frigora sensit: Quæ bis & dierum et noctiũ sensit frigora. Per quod duplicem ostendit arationem, uernalem & autũnalem. Nec enim ad tempora æstatis uel hyemis referre possumus, quod ait Bis solem, bis frigora: quia nõ sunt in Italia uno anno duæ æstates, et duæ hyemes, sicut Geometræ dicunt in quadã parte Indiæ, in insula Taprobana. Philippus aũt Beroaldus: Potior, inquit, apud me est authoritas Plinij, qui Virgilianũ uersum secus quàm Seruius interpretatur, in decimo octauo sic scribens. Quarto seri sulco Virgilius existimatur uoluisse, cũ dixit optimã esse segetem, quæ bis solem, bis frigora sensisset. Futilis est mehercle Seruij interpretatio, de calore diurno, & frigore nocturno: cũ poëta loquatur de sole ęstiuo, & frigorib. hybernis. Et Probus Grammaticus mihi uideẽ elegantius atq; ~~eruditus~~ enodasse nodũ Maronianum, scribens eruditius poëtam loqui de agro, quem noualem uocamus, qui sub exitũ hyemis, hoc est, initio ueris proscinditur: & ita æstate, quæ sequitur, siccatur: deinde sub introitũ hyemis semente facta, sequenti æstate reddit fructum. & ita bis sentit frigus, semel ante æstatem deficiente hyeme, initio ueris, iterũ post sementem: bis solem, semel æstate qua cessat, iterũ qua fructũ refert. Hic sanè locus, si non aliũ in mediũ adduxissem, quales sint omnes Beroaldi annotationes, planè indicat. Cum enim à se ne uerbũ quidem proferat, alienã non gloriã, sed gloriæ pusillũ fumũ uenditat. At quàm est lubricus? quàm inconstans? Pliniũ quarto sulco, ex Virgilij præcepto serendũ esse

docentem citat. Si rectè Plinius, cur Probi ſententiam ſubiungis? Vtinã tam cautius non eſſes: aut cur Probi melior ſit, ꝙ Seruij enarratio, oſtenderes. A quo ſi diſcedimus, ut Plinij, Probiq́ pace dixerim, neutrũ eorũ uerũ poëtę ſenſum attigiſſe opinor. Quod enim de quarto ſulco tradit Plinius, nimis mihi Virgilianũ præceptũ reſtringere uideẽ: quarta ſiquidẽ aratio feraciſſimas etiã, maximeq́ pingues terras delaſſaret. Quid? ſi minus fœcundæ fuerint, nónne Sub ipſum

Arcturum tenui ſat erit ſuſpendere ſulco?

Quòd ſi præcedenti anno aratio nonnunq́ fiat, ut Probus cõmentatur, quomodo campũ ſitu dureſcere patiemur? Et Probi quidẽ ſententia, nullo pacto uera eſſe poteſt. Si enim ſub hyemis exitũ terrã pſcindamus, iam frigus nõ ſentiet, quod hyems nõ uer dare ſolet. Ego ſanè ſi Plinio grauiſſimo ſcriptori (nã Probũ nihil moror) iuuenem refragari fas eſt, ſemel tantũ in anno frigus, ſemelq́ calorẽ eſſe interpretor. Quamobrem cũ Virgilius agros altero anno ſeri, altero uacuos eſſe debere uellet, eam ſegetẽ, hoc eſt eum agrũ auari agricolæ uotis reſponſurũ aſſeruit, qui bis ſolẽ, et bis frigora ſenſiſſet. hoc eſt, qui altero anno ceſſaret, altero uerò ſereretẽ: qua unicaratione bis ſolem, ac bis frigora pati poteſt, Huc namq́ ſpectat et pręceptũ illud,

Alternis idem tonſas ceſſare nouales,
Et ſegnem patiêre ſitu dureſcere campum.

Quòd ſi fortè nimis miſerè parci fuerint agricolæ, ut pleroſq́ omnes uidemus, maleq́ ſecum agi arbitrentur, ſi nihil prorſus ſecundo anno ex ceſſante agro fructus percipiant, illud addidit, Aut ibi flaua ſetes mutato ſidere farra,

Vnde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen,
Aut tenues fœtus uitiæ triſtiſq́ lupini
Suſtuleris fragiles calamos, ſyluamq́ ſonantem.

Vt tamen omnino præſtare, ſi ager uacet, intelligeremus, ſubdidit,

Sed tamen alternis facilis labor.

Quandoquidẽ cum multa recreandorũ agrorũ remedia docuiſſet, intermiſſionem omnibus præpoſuit, unde & eam rem frequenter iterauit. Hinc elegantiſſimè Ouidius in primo de Ponto, Quæ nunquam uacuo ſolita eſt ceſſare nouali,

Fructibus aſſiduis laſſa ſeneſcit humus.

Quàm ineptè inſulſeq́; Seruius à Beroaldo in ſequentium Virgilij carminum enarratione reprehendatur. Cap. XV.

P. Virgilius in primo Georgicorum libro de ijs agens, quæ agricolæ feſtis diebus exercere nulla religione prohibentur, ita ſcribit,

Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli
Vilibus aut onerat pomis, lapidemq́ reuertens
Incuſum, aut atræ maſſam picis urbe reportat.

Horum carminum poſtremum enarrans Seruius, ſic ait, Maſſam picis urbe reportat, aut quia oleum, uel poma portauerat ad urbem, aut certè ideo reportat, quia pix in agris naſcitur, & in urbe non diſtracta in agrum à pleriſq́ reportatur. Duplici ſenſu hunc locum interpretatur Seruius, uel ut qui oleum aut uilia poma in urbem portaſſet, incuſum lapidem ſeu picem domum referret: uel ſi eius uerbi ex re & porto compoſiti proprietatem attentius conſideremus, picem quam in urbem portarit nõ diſtractam reportet. quorum uter ſit magis probandus, uix ſatis dignoſcas. Noſter tamen Beroaldus, unica loquacitate cõmendandus, alterã Seruij expoſitionẽ diſſimulat, alteram ſtupidiſſimè reijcit. Seruij enim hæc tantũ uerba in mediũ adducit: quia pix in agris naſcitur, & in urbe nõ diſtracta reportatur: quibus hæc ipſe ſubiungit. Poëta ſignificare uolens uſum picis eſſe neceſſariũ agricolis, dixit picem eos ſolitos in urbe mercari, & ex urbe in agrum reportare aſello doſſuario,

dossuario,nõ autem exponit Seruius agricolas picem in urbem deferre uenalem,& reportare non uenditã. Nam si aduertisset diligentius consuetudinem priscorũ agricolarum, qui pice ad res quàmplurimas utebantur, dixisset profectò secus, sententiamq; mutasset. Namq; prisci utebantur in uilla pice potissimum ad uina condienda, ut author est Plinius libro decimo quarto: Pice ac resina condire musta uulgare est. & ab eodem ratio redditur condiendi musta aspersu picis, ut odor uino cõtingat, & saporis acrimonia. Columella & Palladius picem ad uasa picanda, & quàmpluri mis in rebus utilissimã esse tradiderunt. Porcius Cato admonet agricolas, ut uasa habeant bene picata: unde impicare, & oppicare, quæ significãt pice linere, uerba deriuantur, quibus scriptores rei rusticæ frequenter utunť. Hæc & id genus alia in expositione Maroniani uersus ab erudito interprete fuerant referenda, cum illa Seruij enarratio, nec poëta, nec commentatore digna sit. Quid huic tam loquaciter litigio so dicas, aut facias? Nónne ut Columellam se ac Varronem legisse ostenderet, & mille nugamenta effutiret, Seruij locum peruertit, seu potius mutilũ in medium adduxit? Iam quod integrè illum recitauimus, quorsum Beroalde præclarũ hoc tuarum Annotationũ caput? Sit pix ad uina, uasa, & si quid præterea est picandũ, agricolis necessaria, quis negat? An quòd Seruius Plinij, Catonis, Columellę, Palladijq; præcepta in sua cõmentaria non aggessit, picem agricolis minus esse necessariã existimauit? aut eius usum ab ijs non ad uasa picanda, sed oculos, ut altius dormirẽt, oblinendos, transferendũ putabat? Sed mirum est quàm propriè hic rabula rusticorũ morem expresserit. Poëta, inquit, significare uolens usum picis agricolis esse necessariũ, dixit picem eos solitos in urbe mercari, et ex urbe in agrũ reportare asello dossuario. quid si picem non mercenť, sed uel oleo permutent, uel dono accipiant, an eam reportabunt? Quid quòd uerbi proprietas facit, ut uerior sit ea sententia, quæ à Beroaldo reijcitur, quum eam in agrũ reportent agricolæ, quam prius in urbem portarint? atq; hoc quidem incuso lapidi pulchre conueniret. Ex agris siquidem saxa incudenda in urbem portãtur, & inde incusa referunť, quanquam & hunc ueriorem esse poëtæ sensum conijcere licet, quod pix asello reportata, tam multa esse creditur, ut magis non distracta quàm ad proprios usus comparata, rus referatur: nisi fortè aut picea uasa, aut uina pro picatis picea olim fieri solita somniemus. Verũ quod utroq; modo Virgilianum locũ explicauit Seruius, hæc quęstio de lana caprina uideri potest. Ego sanè hoc præcipue ostendere uolui, à Philippo Beroaldo id satis malignè fuisse prætermissum, quod paucis uerbis attigerat Seruius, qui tam doctis omnibus satisfecit, quàm Beroaldus omnes aniculas inani strepitu obtudit. Vnum miror, non aliquid ab eo hunc in locum ex Magno Alberto translatum fuisse. Sed is de picis (ut opinor) usu, auium, berbarum, lapidũ, quadrupedumq; miraculis intentus, & Iulio Solino ac Luciano mendacior, nihil scriptum reliquit. Sunt igitur omnes Beroaldi annotationes dignæ, quæ cum Iodoci Badij lucubrationibus conferanť. Quòd si quid in illo cõmendare possumus, excellenti eum memoria præditum fuisse non diffiteor: licet ingenij, aut iudicij acumine non admodũ sit celebrandus. Idq; nisi ex eius scriptis cordatissimus quisq; colligat, nulla est causa, cur nõ M. Tullio eum cultiorem, candidioremq; extitisse concedam. Demum quòd Seruij enarrationem nec poëta, nec commentatore dignam existimat, quorsum pertineat non intelligo, nisi aliquid fortè se mirificũ ac inauditũ commentũ arbitrať, cum picem agricolis necessariã esse primus (quod sine inuidia sit dictũ) ualidissimis argumentis ostenderit.

Eiusdem Beroaldi error manifestus. Cap. XVI.

NOn tanti erunt mihi posthac omnia Beroaldi scripta, ut ea iterũ uel leuissimè sim percursurus, si aliud impudentissimum eius erratum ostendero: quod quidem pro more admisit, dum Seruij breuitatem contemneret, dum parum secum

cogitaret, an rectè hi Virgilij in Georgicis uersus,

Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur è sicco radix oleagina ligno,

essent à Seruio expositi, cuius hæc sunt uerba: Quin et caudicibus sectis, Caudicib. posuit pro codicib. sicut caulē pro colem, sauricem pro soricē dicimus. Fit aūt quod nunc dicit, de oliua & myrto: quarū sicci stipites secantur usq; ad medullā, & terræ infossi ex se arbores creāt, quod sine dubio mirū est. Hęc Seruius. Beroaldus aūt sic: Dicuntur à Seruio hoc in loco ea quæ nec uera sunt, nec uerisimilia, nec ab ullo scriptorū memorata, neq; Virgilianis uersib. cōuenientia. Namq; poëta illis uerbis loquitē de insitione, qua leuigatur falce truncus, et aut inter corticē lignūq; inseritur calamus, aut fisso trunco imprimitē medullæ, cuius rei tota disciplina tradita est à Columella libro tertio, à Plinio decimo octauo, à Palladio plurib. in locis. & tanta est uis insitionis, ut etiā satiuæ plantę syluestrium radicibus inserantur, natura siccioribus. aptissima enim est insitis siccitas, ut author est Plinius. Inde dictum est à Poëta,

Truditur è sicco radix oleagina trunco:

id est, olea inseritur, & radices agens uiuiscit etiā in sicco ligno, quod est mirabile dictu. Cato pcipit inseri oleas luna sicca. His nostri Aeaci uerbis nihil est stultius, nec à uero remotius cōfingi posse pro certo habeo, ut quib. qd sibi uelit, ipse nesciat: ita rem tangit, de qua nulla fit apud scriptores mentio, & Virgilij sensum furiosè distrahit, cuius præceptorū ordinē, seu contextū, si diligentius expendisset, q̄ in re manifesta cæcutierit, præclarè potuisset dignoscere. At is quū de modis primo à natura datis egisset, quib. omne syluarū, fruticū, nemorūq; genus uireret, alios subdidit, quos eadē adiuuāte natura sibi usus repererat. Cumq; plantas alij de tenero matrū corpore abscindāt, sulcisq; deponāt, hic stirpes in aruo obruat, hic sudes & uallos, aliæ aūt syluarum (ut eius uerbis utar) pressos propaginis arcus expectent, & uiua plantaria sua terra, quæ omnia seruatis arborū radicibus fieri necesse est, hos uersus adiunxit,

Nil radicis egent aliæ, summumq; putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur è sicco radix oleagina ligno.

Quibus duos itidem modos ostendit poëta, ut arbores etiā sine radice plantatas, radices emittere intelligamus. Eorū alter est, ut desectū ex summa arboris parte ramū terræ infodiamus; alter uerò, ut è sicco propemodū oleę ligno radix trudatē. ubi siccū lignū non est simpliciter accipiendū, sed ferè siccū: alioqui aridū lignū nunquam uel radices emittere, uel reuiuiscere, nisi prodigiosè potuisse legimus. cuius rei exemplū apud Ouid. in Metamorph. de Medea traditē, quæ nō Aesonē modò iam decrepitū senē iuuenilib. annis restituere, sed siccū truncū frondib. uestire ualuit. Hęc Virgilij præcepta uera esse, nemo est q nesciat, alterūq; eorū in multis arborib. fieri solet, alterū in oleis tantū, myrtisq;. Neq; ulla ratio aut modus est, qua oleæ felicius proueniant. Quòd si ad insitionē posterius de olea præceptū deducas, id Virgiliū admonuisse fateberis, cuius nullus est agricolis usus. Si enim eo pacto quo cōijcit Beroaldus oleā inseras, nō modò seris nepotib. sed uix ultimis posteris umbrā factura crescet, quod ab insitione debet esse quàm remotissimū, in quib. inesse celeritatē, uel illa eiusdē poëtæ carmina indicāt:

Aut rursum enodes trunci resecanē, & altè
Finditur in solidum cuneis uia, deinde tenaces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens
Exijt ad cœlum ramis felicibus arbos,
Mirata estq; nouas frondes, & non sua poma.

Quid quòd minimè accōmodari poterit Virgilij sentētiæ ridicula Beroaldi expositio?

tio? Truditur, inquit, è ſicco radix oleagina ligno: id eſt, olea inſeritur, & radices agens uiuiſcit etiam in ſicco ligno, quod eſt mirabile dictu. Imò non dictu tantum, ſed auditu etiam eſſet mirabile, belle interpres, ſi immutato rerum naturęq; ordine, nō arborū radices, ſine quibus eæ nullo modo uiuere poſſunt, inſitis flagellis uires darent, ſed illæ etiam ſiccæ ab exiguo, puſillasq; per ſe uires habente ligno poſſent excitari, tunc uerè cùm Damnone dicere licet,

Nunc & oues ultro fugiat lupus, aurea duræ
Mala ferant quercus, narciſſo floreat alnus,
Pinguia corticibus ſudent electra myricæ,
Certent & cygnis ululæ.

Proinde non alias eſſe arbores, quæ radicum quū platantur ſiccitatē æque ac oleæ myrtiq; pati poſſint, dicamus, quod cum uſu facillimè uerum eſſe omnes fateantur, Virgiliano præcepto pulchrè conuenit. Nam ſectis caudicibus, quos eam arboris partem appellamus, quæ terræ adhæret, & ſi penitus arida extrinſecus appareat oleæ radix, ſi oleam terræ mandaris, truncū quem penitus arentē arbitrabaris, radices emiſiſſe uidebis: quod eſt ſanè mirū. Quod & ſibi Virgiliū uoluiſſe, non ambigo. Quū enim de inſitione ageret, enodes truncos reſecandos eſſe pręcepit, quod in omnibus oleis (quippe paucæ arbores ſunt eis nodoſiores) non facile inuenias: in ijs certè quarū radices propemodum eſſent ſiccæ, fieri nō poteſt, id enim unica uetuſtate cōtingere, uel pueri facile dignoſcunt. Ipſe quoq; Virgilius, poſtquam ſtrictim modos uſu repertos percùrrit, eodem ferè ordine ſeruato, quod ex eius uerſibus apparet, de oleis myrtisq; præceptum melius explicauit, inquit enim,

Sed truncis oleæ melius, propagine uites
Reſpondent; Paphiæ ſolido de robore myrtus.

Non eſt igitur quòd nuſquā hoc legi garriat Beroaldus. de cuius annotationib. ideo aliqua ſcripſimus, ut cautius cæteri eius lucubrationes examinent, nec protinus quod hic de ſe pollicetur, credere in animum inducant: cum in eius ſcriptis primas ſibi proculdubio uendicent, inanis putidaq; iactantia,

Raucaq; garrulitas, ſtudiumq; inane loquendi.

Quomodo capiendus ſit remus, à Virgilio in Miſeni ſepulchro poſitus. Cap. XVII.

QVid igitur? ſi tam impudens fuit Beroaldus, an iccirco Seruium, uti deum quempiā amplectemur? Nequaquam arbitror. Cum de illo, eiusq; calumniatore ſuperius loquentes, Seruio in literis excellentiores quādoq; lapſos fuiſſe dixerimus. Cæterū dum manifeſta errata quærimus, odioſam quandā in ijs ueſtigandis ſuperſtitioinē diligenter uitare debemus: quod in Seruio carpendo non cauit Beroaldus, magis uoluminū numero, magnitudiniq;, quàm ſcriptorū elegantiæ, ingenijq; candori proculdubio addictus. Seruius itaq; in aliquibus, quę à Beroaldo taxata ſunt, planè errauit. At in plurimis, ut uidimus, eius obtrectator fœdiſſimè hallucinatus eſt. Nam illa in erratorū numerū non ueniunt, quæ breuiter à Seruio enarrata, multa garrulitate à Beroaldo explicant: qui in eo etiā malignitatis eſt accuſandus, quod ſi quādo Seruius duobus modis eundē poëtæ locū exponit, nullā de altero enarrationis capite mentionem faciens, in alterū furioſe inuehitur, quaſi Seruius nō ideo duplicem eiuſdē rei ſenſum aperuerit, ut lectori utrū mauult, eligere ſit liberū. Iam ſi Beroaldi in eo negotio inſtitutum aliquo pacto eſſet laudandum, Seruium quidem oſcitantiæ arguere meritò poſſemus, quòd Virgilianos illos in ſexto Aeneidos uerſus interpretans,

At pius Aeneas ingenti mole ſepulchrum
Impoſuit, ſuaq; arma uiro, remumq;, tubamq;,

de remo ita ſcribat: Remumq́ tubamq́. quia & bellator, & remex fuerat: licet poſſimus etiam ſolam tubam accipere. Remus enim dicitur lorū, quod continet tubam. Cum enim prima expoſitio ueriſſima ſit, altera omnino explodenda uidetur, quòd Virgilius in ijs uerſibus Homerum ſit imitatus: ac remum nō aliter, quàm ille fecerit, pro nautico inſtrumento propriè poſuerit. quod & Seruium haud dubiè innuiſſe opinor, quū Maronem ex remo Miſeni tumulo impoſito, eundem & bellatorem & remigē oſtendere uoluiſſe rectè colligat. Quòd ſi quis eius uocis ſignificatū diligentius ſcrutari cuperet, de tubæ loro non multa uerba doctè admodū ſubiunxit. Sed nō temerè à prima maximeq́ propria remi declaratione eſſe recedendū, Homeri teſtimonio aſſerimus: quem nō tantū in una ea parte, ſed in ipſo Miſeni caſu Virgilius eſt æmulatus. Enimuero ſicut ille Elpenorem Vlyſſis ſociū ebriū è longa ſcala cecidiſſe, eiusq́ inſepulti animā ab Vlyſſe apud inferos cognitā, moxq́ ſepulchrū mortuo à ſocio erectū finxit: ita et Maro

Miſenum Aeolidem, quo non præſtantior alter
Aere ciere uiros, Martemq́ accendere cantu.

licet diuerſo mortis genere perierint: quandoquidem ille ad nimium uinum eius cauſam refert, hunc autem Fortè caua dum perſonat æquora concha,

Aemulus exceptum Triton (ſi credere dignum eſt)
Inter ſaxa uirum ſpumoſa immerſerat unda.

Porrò Homeri de Elpenoris ſepultura uerſus ex duodecimo Odyſſeæ hi ſunt,

ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς,
δὴ τότ' ἐγὼν ἑτάρους προΐειν ἐς δώματα Κίρκης,
οἰσέμεναι νεκρὸν Ἐλπήνορα τεθνειῶτα,
φιτροὺς δ' αἶψα ταμόντες, ὅθ' ἀκροτάτη πρόεχ' ἀκτή,
θάπτομεν ἀχνύμενοι θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντες.
αὐτὰρ ἐπεὶ νεκρός τ' ἐκάη, καὶ τεύχεα νεκροῦ
τύμβον χεύαντες, καὶ ἐπὶ στήλην ἐρύσαντες
πήξαμεν ἀκροτάτῳ τύμβῳ εὐῆρες ἐρετμόν. Hoc eſt,

Aurora at roſeas quum protulit aurea bigas,
Præmiſi ſocios ad Circes tecta frequentes,
Extincti efferrent qui Elpenoris inde cadauer.
Ac ſubito ramis extremo in littore cæſis,
Condidimus terræ, lachrymis mœſta ora rigantes.
Poſtquàm autem abſumpſit corpus ſimul ignis, & arma,
Spargentes tumulum monumentum ereximus altum,
Fiximus in ſummoq́ illius uertice remum.

Sed & ipſe Elpenor Vlyſſem apud inferos pro ſepultura orans, remum itidem ſuo ſepulchro imponi uoluit,

ταῦτά τέ μοι τελέσας, πῆξαι δ' ἐπὶ τύμβῳ ἐρετμόν,
Hæc mihi perficiens, remum ſuperadde ſepulchro.

Qui ſint Anſacti ualles. Cap. XVIII.

SEruium proinde in ijs erraſſe nō dicemus. At in alijs quibuſdam, à Beroaldo collectis utique. Sed & is Ariſtarchus in eius lapſibus deprehendendis nonnulla ignorauit: quale eſt illud de Anſactis uallibus, in quibus & Orci fauces eſſe, & peſtiferā Erynnim ſe cōdidiſſe, Virgilius lib. VII. inquit his uerſibus,

Eſt locus Italiæ in medio, ſub montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Anſacti ualles: denſis hunc frondibus atrum
Vrget utrinque latus nemoris, medioq́ fragoſus

Dat

Dat sonitum saxis, & torto uertice torrens.
Hic specus horrendum, & saeui spiracula Ditis
Monstrantur, ruptoq; ingens Acheronte uorago
Pestiferas aperit fauces, quis condita Erynnis
Inuisum numen terras coelumq; leuabat.

Quos enarrans Seruius sic ait: Hunc locum umbilicum Italiae chorographi dicunt. Est autẽ in latere Campaniae, & Apuliae, ubi Hyrpini sunt, & habet aquas sulphureas, ideo grauiores, quia ambitur syluis. Ideo autẽ ibi dicitur aditus inferorum, quòd grauis odor iuxtà accedentes necat, adeò ut uictimae ad hunc locum non immolarentur, sed odore perirent, ad aquam applicatae: & hoc erat genus litationis. Sciendũ tamen, Varronẽ enumerare, quot loca in Italia sint eiusmodi: unde & Donatus dicit Canusiae, qui dicitur locus à poëta circà fluuium, qui Calor uocatur. quod ideo non procedit, quia ait, Italiae medio. Haec Seruius. in quibus meo iudicio apertè deceptus est: quamuis ipse Donatũ de eadem re parũ rectè sensisse existimarit. Nec enim is locus, qui est in Hyrpinis, hoc est, Campaniae atq; Apuliae latere, umbilicus Italiae est, ut Seruius credidit: nec Virgiliana loci descriptio, aliqua ratione ad plana loca referri ualet. Nam illud quidem C. Plinius ex M. Varronis sententia improbat, libro tertio Nat. historiae ita scribẽs: In agro Reatino Cutiliae lacũ, in quo fluctuet insula, Italiae umbilicũ esse, M. Varro tradit. hoc aũt Virgilij sensum distraheret, frustra scribentis eum locũ esse sub altis montibus, qui sit in planicie, si & aliorũ montium, qui in caeteris Italiae locis uel propinquis, uel adeò remotis inueniunt, rationem habuisset. Siquidẽ eodem loquendi more, quaeuis camporũ (ut uocant) aequora, sub montibus dici posse uiderent: quo tamen nihil esset absurdius. Quamobrẽ quũ Seruius, ut se rectè sensisse ostenderet, illa subdit, Sub montibus altis: hoc nisi ad totam Italiam referas, non procedit, ut sit, est in uallibus Italiae montuosae: nam hoc in loco montes non sunt: sciat, quae de eo loco commentus est, nullo pacto uera esse, quando praeter maximam improprietatem, nec illa Virgiliana uerba

Medioq; fragosus
Dat sonitum saxis, & toto uertice torrens:

locis qui in montibus non sint, ullo modo accõmodari queunt. Salua ergo Seruij pace, locus quẽ Virgilius describit, est in umbilico Italię: hoc est, in agro Reatino, in quo Velinus lacus ex praeruptis montibus in Narem fluuiũ cadens, nimirũ pestiferas fauces aperit. non quod Velini lacus aqua pestifera sit, sed quod in Naris aluẽũ cadens, pestifera quodammodo reddatur. Alibi enim idem Maro de Velinis hisce fontibus loquens, sulphuream eius fluminis aquã uocauit,

Sulphurea Nar albus aqua, fontesq; Velini.

Quis autem non uidet, sulphureas aquas graues admodum esse, ac mortalibus nocentes? Et sanè qui locum eum, de quo loquor, uiderit, nihil tam egregiè uel soluta oratione describi posse, quàm illũ à Virgilio expressum dignoscet. Nam & montes circùm hinc inde altissimi sunt, & torrens ille è Velino lacu, maximo impetu simul emissus, tanto fragore in profundam conuallem cadit, ut Tartari fauces ibi esse non praeter rem à poëta fictum existimes. Sed & cum ipse, ut hoc naturae miraculũ perspicerẽ, in ea loca uenissem, uicinorumq; eis oppidorũ habitatores, quod nam obscurae ei ualli densis arboribus undiq; tectae nomẽ esset, interrogassem, Ansacti mihi ab omnib. responsum est: ita praeter alia argumenta, ex hoc quoque Seruiũ ad uerum Maronis sensum non peruenisse colligitur. Quin & hoc quoque ab ijs qui mecum aderant admonitus sum, propter maximum

mum aquarum è Velino lacu cadentium impetum, non ignem modò ex lapidibus aſſiduè excudi, ſed & mille colores ex eiuſmodi colliſione gigni: ut quum eos ſpectes, Irim te uidere credas. Vnde & iis, qui ſingulis diebus in agro Velino arcus apparere tradiderunt, occaſionem datam autumo.

De Baptiſtæ Pij ſtilo: item defenſus ab eius calumnia Seruius. Cap. XVIIII.

SVccedit Beroaldo Baptiſta Pius, eius auditor, cuius cōmentaria quantum ingenij eruditioniſq; habeant, alij interpretabuntur. Ego ſanè cum pleraq; eius ſcripta recreandi animi gratia nonnunq; lectitarim, neminē ad hanc diem ex iis extitiſſe didici, qui durior, ſordidior, impuriorq; in ſcribendo fuerit, quàm ipſe Pius, longo interuallo in ſtili immundicie magiſtro anteponendus. De quo cum alibi pauca pro hominis meritò dixerimus, aliqua etiā ad phraſim ſpectantia hoc loco ex eius Annotationibus proferemus, ut cum riſus aucupe, ne dicā ridiculo, ipſi quoq;, & libenter quidem, rideamus. Riſu enim, ſeu cachinno digna eſt præfixa prioribus Pij annotationibus epiſtola, cuius hoc eſt principiū: Accipe ſplendidiſſime, & ultramundane Marchio, reuerendiſſime Protonotarie, colende patrone, hæc qualiacunq; adnotamenta, quæ ſub nomine tuo, uel tutiora ſint, & gratiora, chalcotypis notis diſpalaſcere, inuulgariq; curauimus, & fortaſſis ob hoc legentur, quoniā tuo nomini uenerabili, micantiſſimo, radioſo, per ora cuncta diffuſili dicata ſunt: ſiquidem genius eſt operis, & perennitas æuiterna principi opus dicare, qui deus terrenus eſt, et mortalis Iuppiter. Quod ſenticetum eſt his uerbis aſperius? quod ſaxetum durius? Nónne præſtantius eſt ſilentio uitam tranſire, quàm ſic ſcribere? Et mox: Diutile, inquit, uiriculariū mearum conſcius tacebam, potius quàm tacituriebam, græcanici memor Epigrammatis huiuſce ſcituli atque amœnuli. Et paulò poſt: Sed ego næ dementatus, & (ut inquiunt Græci) phrenoliptos, qui culpā deprecari malim quàm carere. Porrò quod me formidoloſum alioqui meticuloſumq; ſuſcitat, & impauidū reddit, & extrilidum, Gemini Marij ſententia eſt ad Cæſarem. Et inferius: Accuratius, pēſiculatius, libratius, examinatius, & amuſſitatius in uulgus ſcaturiſſent, & emanaſſent hæc noſtra, ni præcipiti ſtilo, & extemporario, ſchedico, plaſticoq; rudi formata, quidam ſynchronorū impreſſorum nitidiſſimus & accuratiſſimus de manibus inuito rapuiſſet, & expugnata tandem mea contumacia. Vale princeps honorificentiſſime proſperiter, & fauſtiter, meq; ex mancipijs tuis, nedum atrienſem, ſed mediaſtimum foue, fauore, tenoreq; quo ſemel occœpiſti. Hæc una mehercle epiſtola Pij in ſcribendo iudicium ſatis ſuperq; patefacit, qualiaq; ſint eius ſcriptorū adyta præclarè indicat. Sed tamen quoniā dulce eſt (ut ait Horatius) deſipere in loco, alia quædam ex eiuſdem lucubrationibus decerpta ſubiungam, ut Pium ubiq; ſui ſimillimum eſſe tam facile agnoſcamus, quàm pirum uolpes comeſt. Primum itaq; ſuarum annotationū caput his uerbis eſt exorſus: Succiſiuis horis, & tumultuarijs, quod aiunt, ſtudijs, uti exaſperaſcentis & exæſtuantis æſtatis impatibilem calorem blandiloquentulo ſalis affamine delinirem, legebam epigrammatographū poëtam, quem neq; Hieronymum, ſacrarū literarū ſpirarchum & anteſignanū, proſpicienter & accuratè legiſſe depuduit, qui ingenij fluentiſono turbine ita polluit, & excelluit, ut apud poſteros æternū nomen acquiſierit: hunc legimus ab Aelio Cōmodo ſuum Maronem appellatū: qui ſalibus, cauillis, & facetijs ſcatens & exuberās, meruit ſine fine mordax à Sidonio uocitari. At hæc nihil ad Bromium. Ergo igitur eius Epigrammaton librū citatiſſimo curriculo, non tamen præceps & oſcitabundus legens, deprehendi nō mediocriculum errorem, uerum pæminoſum & fœdum,

non

non furunculũ, ſed carcinoma: ubi ſynchroniſmi miratus inſcitiam, incuriam oppidò miſeratus ſum. An non Pium ſuo hæc ingenio & iudicio ſcripſiſſe dicemus? An non ea uerba in lucem reuocaſſe,

Quæ priſcis memorata Catonibus, atq; Cethegis,
Nunc ſitus informis premit, & deſerta uetuſtas?

Quanquam hoc utcunq; tolerandũ eſſet, niſi & plurima quæ antiquioris Latinitatis authores ignorauere, ex uiliſſimis ſcriptoribus deſumpſiſſet, & innumera ipſe pluſq; Græca licentia ſibi cõfinxiſſet: quo nihil eſt nec dictu nec auditu tetrius, nihil à Latinorũ cõſuetudine remotius. Verũ facilius flumina ad fontes recurrere ualerẽt, q̃ Pius ab eiuſmodi uerborum prodigijs abſtinere: quem quidẽ ego Virgilij Georgica publicè interpretantẽ, auditorũ animos his uerbis detinentẽ audiui: Poëta faſtigatus, cothurnatus, minimè triuigus, hunc locũ atq; atq; edulcare poterit. Loquebatur autẽ de Virgilio: cui ſi tantũ deferret, quantum par erat, Fulgentij Placiadis mythologias nunquam enarraſſet, niſi fortè uerum eſſe illud Homericum,

ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον, apertè nobis oſtendere cõſtituerat. Graphicè uerò nimirũ tam egregiũ ſcriptorẽ imitatus eſt, quippe qui in epiſtola cõmentario in Placiadis ſomnia præmiſſa ita ſcribat: Debemus et nos eadẽ antipelargia philoſtorgiam parentũ redhoſtire. Et inferius: Legimus enim ciconias parentes æuitate cõfectos ſubcolare, nutrire, foculare. Et mox: A repagulis bonus ero: Imaginẽ ſerrulatã cordicitus radicatã cauleſcentem, ut nunquã decauleſcere poſſit obſeruitabo: & longulè diſſitus, corde ſemper adhæreſcã. Nam cõmentarij ipſius præfatio ſic ſe habet: Fulgẽtius author maximè nitidiſſimus, eloquẽtia leuigatiori, filo dicendi tereti, exacto, excuſſo, abſolutiſſimo, orſus auſcultationem fabularũ ex ſitu uetuſtatis erutarũ enodatoriã, prolectat, illicit, arrogat, et penitiſſimo uinculo cõciliat auditorũ lubentiam, ſcribẽs procellis bellicis undiquouorſum detonantibus. Et paulo pòſt: Et ꝑfecto ut planius dicã, quid æquè uoluptificũ, gaudiale, hilarabundum, appetibile, quàm ſtudiorũ tranquillitas, quàm literarũ malacia, quàm horum pabulorum ſaginariũ, laxamentumq;, & grati diuerticuli meditatoriũ? Iam nemo tam eſſe mœſtus, tam tetricus poterit, quin hęc legens riſu emoriatur. Huc accedunt cybeleium uehabulũ, delenificus famulatus, pientiſſima ancillatio, auitium brutum animal, liuidulorum latratulus, penarium literarium, chalcotypi officinatores, geminitudo, mentis multicupidæ remigium, cœleſtia phyſiculanda, deificari, mutuiter, indiſcriminatim, latialiter, rarenter, iocularitei, & multæ his minimè abſimilium uocum myriades. Quòd ſi earum aliquæ ſemel aut iterum, uel apud maximè receptos authores inueniantur, nõ tamen erant ubiq; à Pio inculcandæ, qui ab huiuſmodi uocabulorum monſtris quantumuis monitus,

Vt canis à corio nunquàm abſterrebitur uncto.

Ego porrò hanc nimirũ in quadã eius epiſtola clauſulã omnib. oratorijs numeris abſolutiſſimã obſeruaui, Tẽpore Gallieni floruit Imperatoris: Fulgentiũq; deſignat, cui cõparatus Apuleius, anſeris medulla mollior uideat̃, ita rigidus, atq; (ut paucis abſoluã) magis ſaxeus, q̃ lapidea Niobe, in ſcriptorũ ordinẽ obrepere nõ erubuit: nemo ſiquidẽ, niſi Fulgentij germanus, ſolutã eius orationem minus quàm peſſimi cuiuſuis poëtæ carmen, deridendã arbitrabit̃. Quãuis inefficax, ait Placiades, petat ſtudiũ res quæ carent affectu, & ubi emolumentum deeſt negócij, cauſa ceſſet inquiri. Dignũ urticeto dicas tam blandũ auriũ oblectatorẽ. Et paulo pòſt: Non dicendi petit ſtudium, ſed uiuendi flet ergaſtulũ, & citius nunc aut quod amiſeris fleas, aut quod edas inquiras, quàm quod dicas inuenias. Bernardi ſtructuram ad unguem ex hac formatam credas, tametſi

in omnibus eius scriptis nihil tam esse absurdũ censeo (de phrasi loquor) quàm hæc Fulgentij uerba: Quia soles domine, meas cachinnãtes sæpius nænias lepôre Satyrico litas lubentius affectare, dũ ludicro talia uentilãs epigrãmate comœdica solitus es uernulitate mulcere. Addit, quia & mihi nuper imperasse dignosceris, ut feriatus affatim tuarũ auriũ sedes lepido quolibet susurro ꝑmulceã. Parũper ergo ausculta, dũ tibi rugosam sulcis anilib. ordior fabulã, quã nuꝑ Attica soporatã salsura nocturna ꝓsule lucerna cõmentus sum, ita somniali figmẽto delusam, quo nõ furentẽ poëtã aspicias, sed onirocritẽ soporis nugas ariolantẽ aduertas. Quis hæc simul cõnecteret? ne Heraclitus quidẽ opinor. Quocirca eiusmodi scriptorũ pestis, si nõ εἰς ἔχετον βασιλῆα, ad Plautinũ saltem Hannonẽ essent mittendi, nempe Afri ad Afrum, ut cõdigno luto obruti, latinã linguam ex eo emergentes, imposterũ deturpare nõ auderent. Nos tamen ad Pium redeamus, qui cum plurima à Beroaldo didicerit, Seruium & ipse præceptorem imitatus, in re nullius momenti reprehendens, atq; in Virgiliano carmine melica, non medica legendum esse deierans, haud dubiè est hallucinatus. Pij uerba ex posterioribus annotationibus hæc sunt: Seruius, ut puto, labitur in enarratione illius Maroniani carminis ex Georgicorum libro primo,

Vere fabis satio. tunc te quoq; medica putres
Accipiunt sulci, & milio uenit annua cura.

Legit enim nõ melicã, sed medicam in Virgilio, cum debuisset admoneri uel hoc ipso, quod inter legumina & cũ milio numerat: quod nõ fecisset, si de medica herba intelligeret. Sed cũ trifolium per sementem seratur, quod nõ est omnino dissimile melicæ, posset non acriter accusari Seruius, qui medicã, non melicã recognoscit in Virgiliano carmine. Sed tamen cũ de faba, de milio Maro præcepta tradat, indecens fuisset satis & leguminibus inserere pratẽsia. Hactenus noster Pius, quem quidẽ insigniter, dum Seruiũ carperet, lapsum esse, ut aliæ rationes nõ ostenderent, hæc porrò uel sola cõmonstrat, quod Virgiliano carmini non magis conuenit melica, quàm Fulgentio omniũ Afrorum ineptissimo Ciceronianus candor, aut Architrenio poëtæ (nã eiusmodi scriptorib. cũ Christodoris nescio quibus, Pius adprimè delectatur) Homericorũ poëmatũ elegantia. Quandoquidẽ licet medica, seu trifoliũ inter legumina nõ uideatur referẽda, sed melica potius, cuius & Cato & alij scriptores meminere: sic tamẽ implet illa uox Maronis uersum, sic contrà hæc deprimit, extenuat, cõminuitq;, ut si cũ Seruio sentias, diuini poëtę carmen, si cum Pio, infelicissimi uatis nõ farinã, sed uix furfur agnoscas. Sed nouũ est, inquit Pius, ac Virgilio parũ conueniens, trifolium inter legumina recenseri: quasi uerò idẽ in quatuor Georgicorũ libris ea solũ quæ ad agros, arbores, pecora, apesq; spectant, recenseat, & nõ Italiæ laudes, agricolarũ felicitatem, Venetiæ pestem, Aristei fabulã, Cæsaris mortẽ, aliaq; permulta & pluribus uerbis explicans, magis à proposito diuertat, quàm cum medicam cum leguminibus uere serendam esse docet. Atqui alia addit Seruius, quæ medicam, nõ melicam in Virgilij carmine legi debere cõprobant. Ad ipsam herbã, inquit Seruius, apostrophen facit. hæc autẽ herba à Medis translata est in Græciã, quo tempore eam inuaserũt. Huius plena Venetia est, & (ut dicit Dionysius) trium foliorũ est. Quod aũt ait, Putres sulci, naturã ipsius herbæ respicit: nam uno anno frequẽter seritur, et postea aliquot annis sponte procreatur. quod etiã sequens indicat uersus. nam dicendo, Et milio uenit annua cura: ostendit, medicæ curam non esse annuam. Si hæc tam accuratè expendisset Pius, quàm ea ut melicam à medica aduersus Georgij Merulæ sententiam differre indicaret, posterioribus annotationibus interseruit, suã à somnio censuram non multũ abesse didicisset. Quòd si Seruij

authoritas

authoritas leuis Pio uidebitur, ſciat & L. Columellã de medica herba libro II de Re ruſtica ſcribentẽ, ſimillima Virgilianis uerba ſcripſiſſe, cũ & uerè medicã, & in putri ſolo ſeri oportere doceat. inquit enim: Locũ in quo medicã proximo uere ſaturus es, proſcindito circa calẽdas Octobris, & eũ tota hyeme putreſcere ſinito. Maximi uerò ruſticis uſus eandẽ herbã eſſe, ut nõ modò inter legumina, ſed inter frumenta etiã ſi fieri poſſit uideaẽ ſerenda, idẽ ſcriptor paulo antè oſtenderat his uerbis: Sed ex iјs quæ placent eximia eſt herba medica, quòd cũ ſemel ſeriẽ decẽ annis durat, quòd per annũ deinde rectè quater, interdũ etiã ſexies demetiẽ, quòd agrũ ſtercorat, ꝙ omne emaciatũ armentũ ex ea pingueſcit, ꝙ ęgrotanti pecori remediũ eſt, quòd iugerũ eius tribus equis abundè ſufficit. C. quoq; Plinius libro Naturalis hiſtoriæ XVIII, de medica ita ſcribit: Medica externa etiã Græciæ, ut à Medis aduecta per bella Perſarũ, quæ Darius intulit, ſed uel in primis dicenda: tanta dos eius eſt, cũ uno ſatu amplius quàm tricenis annis duret, ſimilis eſt trifolio, caule folijſq; geniculata: quicquid in caule aſſurgit, folia cõtrahuntur. Vnũ de ea & cythiſo uolumen Amphilochus fecit cõfuſim. Solũ in quo ſeraẽ, elapidatũ, purgatumq; ſubigitur autumno, mox aratũ & occatũ integiẽ crate iterũ, & tertium quinis diebus interpoſitis, & fimo addito. Poſcit aũt ſiccũ, ſuccoſumq;, uel riguũ: ita præparato, ſeriẽ menſe Maio, aliàs pruinis obnoxia. Opus eſt denſitate ſeminis omnia occupari, internaſcentesq; herbas excludi. Id præſtãt in iugera modia uicena. Cauendũ ne adurat, terraq; protinus integi debet. Si ſit humidũ ſolũ, herboſum' ue, uinciẽ, & deſciſcit in pratũ. Ideo protinus altitudine unciali herbis omnib. liberanda eſt, manu potius ꝙ ſarculo. Secatur incipiens florere, & quoties refloruit, id ſexies euenit per annos, cũ minimũ quater. In ſemẽ matureſcere prohibendũ eſt, quia pabulũ utilius eſt uſq; ad trimatũ. Verno ſeri debet, liberariq; cæteris herbis: ad trimatũ marris ad ſolũ radi. Itaq; reliquæ herbæ intereunt ſine ipſius damno, propter altitudinẽ radicũ. Si euicerint herbę, remediũ unicũ eſt aratio ſæpius uertendo, donec omnes aliæ radices intereant. Dari nõ ad ſatietatẽ debet, ne repellere ſanguinẽ neceſſe ſit, et uiridis utilior eſt. Areſcit ſurculoſẽ, ac poſtremo in puluerẽ inutilẽ extenuaẽ. An ergo cũ tam multa de huius herbæ laudibus, tam diligenter de eius ſatione eodẽ quo Virgilius modo hi duo excellẽtiſſimi ſcriptores tradiderint, medica inter legumina referenda fuerit, an etiã tam utilẽ agris pecoribuſq; herbã Maro pręter mittere debuerit, Pius cũ inauditis ſuis uocib. uiderit. ac ſi impudẽtiſſimè ſe hallucinatũ intelliget, his quoq; uerſib. ſe à T. Lucretio Charo notatũ meminerit:

Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantq;,
Inuerſis quæ ſub uerbis latitantia cernunt.

Veteres magnas gallinas medicas olim uocabant, eo quod è Media propter magnitudinẽ erant allatæ: mox uerò per ſimilitudinẽ etiã quæ medicæ nõ eſſent, medicæ uocatæ ſunt, licet falſo à quib. melicæ appellarenẽ. De qua re M. Varro III de Re ruſtica libro ſic ait: De tribus generib. gallinæ ſaginãtur maximè uillaticæ, eas includũt in locũ tepidũ & anguſtũ & tenebroſum, quòd motus earũ & lux pinguitudini ſit inimica, electis ad hanc rem maximis gallinis, nec cõtinuò his quas medicas appellãt falſò: ꝙ antiqui, ut Thetim Thelim dicebãt, ſic medicã melicã uocabãt. Hæ primò dicebanẽ, quia ex Media propter magnitudinẽ erãt allatę, quæq; ex his generatæ, poſtea ꝑpter ſimilitudinẽ. Cautè ergo excellentiũ authorũ ſcripta ſunt reſtituẽda, & ea præcipuè, quæ aliter à doctis, ꝙ nobis uideatur, agnoſcanẽ. Niſi enim Seruius hos uerſus ita legeret,

Ergo omni cura uires exercet, & inter
Dura iacet pernix inſtrato ſaxa cubili,

multo melius pernox, quàm pernix, Virgilij & ſententiæ & maieſtati cõuenire

asserere͂:cum nec pernix epithetu͂ sic tauro co͂ueniat,ut equo,de quo ide͂ author,

Talis & ipse iubam ceruice effudit equina,

Coniugis aduentu pernix Saturnus: nec tauri tolerantia͂ ita exprimat pernix,ut pernox. Huc spectat,quòd tauri no͂ fermè interdiu,sed per nocte͂ inter saxea cubilia iacere sole͂t. Pierius quippe Valerianus in omnib. se antiquis codicibus pernix legisse inquit. sed no͂ temerè est,quod alia lectio in uulgus effluxerit, & in locis restituendis no͂ minus iudicio,q̃ horu͂ aut illoru͂ codicu͂ fide opus est,

De lima Vallensi. Cap. XX.

SEquitur Pium Antonius Mancinellus Veliternus,multorum co͂mentariorum indoctus,ineptus,insulsus,sordidusq; author, Gra͂maticæ artis unicus deprauator,& seculi quo uixit infandu͂ opprobrium: qui ut insignis suæ impude͂tiæ quàm plurima nobis testimonia relinqueret,Latinos omnes autores tam stultè peruertit,quàm omnis ipse iudicij,eruditionis,ac sanitatis expers apud indoctos no͂ multu͂ laudis,apud eruditos uerò æternu͂ sibi dedecus co͂parauit. Eius imperitiæ cu͂ permulta extent documenta, quæ tamen ad grammatica͂ poësimq; pertinent,studiosissimè mihi coëmi , ut si qua de causa subtristis aliqua͂do redderer,omne͂ Mancinelli insulsitate mœstitia͂ deponere͂:quod tum ob morbosi scriptoris lucubrationes,tu͂ ob lucubrationu͂ inscriptiones ta͂ ridiculas,q̃ Ma͂cinelli figmenta decuit, facillimè sum assecutus. Enimuero Versilogos, Spicas, Stationes,Flores uocabuloru͂,Portus elegantiarum, & sexcentas eiusmodi cloacas,nunqua͂ sine risu(na͂ stomacho indignus est tam friuolus nugator)nominare ualui. Qua͂obre͂ si ijs pleriq; omnes tantu͂ tribuerent,quantu͂ ego soleo,ne quatuor quide͂ uerbis dignarer nihili bestia͂. Cu͂ aute͂ literatores quida͂ inueniantur, qui inter pręcipuas Mancinelli uomicas, Vallensem lima͂ in primis amplexent̃, qua diuinus ille scriptor Vallæ errata(ut ipse quidem autumat)adnotauit, non possum,quin pestiferu͂ eius operis argumentu͂ paucis ostenda͂, ut no͂ modò aliquos limæ dentes co͂terendos,sed integra͂ lima͂ perpetua rubigine,authore͂ uerò limo,seu stercore potius dignu͂ fuisse intelligamus. Atq; in primis sanè,quis nescit Valla͂ ijs temporib. quibus Latina lingua propè extincta erat scribente͂, ea sex Elegantiaru͂ libris co͂plexum fuisse,quæ apud receptos autores in freque͂tissimo usu inueniunt̃? Hoc & ipse ubiq; fatetur,& ratio sic faciundum fuisse nobis persuadet. Nemo enim nisi cæritus Latina͂ lingua͂ ijs quæ semel aut iteru͂ apud quantumuis excellentes authores legant̃,sed illis potius , quibus sæpissimè ijde͂ usi fuerint,co͂stare dixerit. Quocirca cu͂ Valla in 1. Elegantiaru͂ libro quenda͂ no͂ indoctu͂ reprehendat,qui ita scribere ausus esset: Iamia͂ urbs in periculo capie͂di est,pro eo quod est, Ia͂ urbs in periculo est ne capiat̃,siue,hostis paru͂ abest à capienda urbe, quod semper sine substa͂tiuo gerundiu͂ accipiat̃, nisi aliqua͂do(ut ipse ostendit)secus in ablatiuo fiat,no͂ ueretur Mancinellus in ius eu͂ rapere quia apud Iustinu͂ bis aliter reperiatur, qui de regio quodam puero ita scribit: Athenas erudiendi gratia missus. Et alibi: Quod ad te imperator Antonine non tam cognoscendi quàm emendandi causa transmisi. tanquam de Iustini usu loqueretur Valla, & non celeberrimis se scriptoribus addixisset: aut tantæ sit inter Latinos authoritatis Iustinus, ut si contra aliorum usum nouam aliquam locutionem inducat,non sit tanquam malus Latinitatis author inter Fulgentios, Sidoniosq; refere͂dus. Et profectò utinam ille natus nunqua͂ fuisset, cuius opera integram Trogi Pompeij historia͂ amiserimus , quemadmodu͂ & Lucio Floro authore plurimos Titi Liuij libros desideramus. Itaq; si co͂munis sensus Ma͂cinello fuisset,nunq̃ tam retusam nobis lima͂ relinquere ausus esset. ne enim singula exequar,omnes eius dentes ex abusu oriunt̃,no͂ ex uero ꝓbatoq; usu, que͂ Valla

ut

ut ſuperius ex eius uerbis oſtendimus, tam ſtrictè plerumq; accipit, ut omnem poëticam licentiã excludens, à duobus ſe oratoribus M. Tullio, Fabioq; Quintiliano obſeruata exequi teſtet. Iccirco maximo malo dignus eſt noſter illepidus, inelegans, diobolarisq; grammaticulus, qui ut exactè bardus appellari poſſet, hunc quoq; (ut & de hoc agã) infami limæ dentẽ addidit: quòd cũ Valla nullam Noui teſtamenti literãm Latinã eſſe (ut res eſt) aſſerat, alibi autẽ Euangelij interpretem quædã uerba uertentem, Latinè quàm grãmaticè loqui maluiſſe ſcripſerit, eũ à ſeipſo diſcrepantẽ, & Mancinello quàm ſimillimũ habendum eſſe ariolatur. O aſine, an hæc pro diuerſis colligis? An cũ de Latinis elegantijs agimus, aliquod ex Euãgelio, ſeu Nouo teſtamẽto, quod partim græcè, partim hebraicè ſcriptũ fuit, teſtimoniũ citabis? Minimè, niſi beta ſis inſipidior: ſed id in Latinũ ſermonẽ uerſum fateberis. An ergo eũ, qui illud Romano ſermoni donauit, nihil Latinè ſcribere potuiſſe autumas? Nullã proinde Noui teſtamenti literã Latinam eſſe dicemus, quũ de eius authore loquemur, non quũ de interprete. De Valla ſanè aliqua alijs in locis nõ præter rem ſcripſimus: ſed tamen & hoc addã, eximiũ ſcriptorẽ illũ uideri poſſe, qui nõ modò inueteratã olim ex Italia barbariem eiecerit, ſed omnib. etiã, qui hodie præcipui in literis habentur, maximè uſui ſit. Quòd ſi mordacior fuit, ut auguſtos quoſdã heroës immeritò carpſerit, quid mirũ ſi iureconſultos aliquãdo reprehendit? quid ſi Boëtiũ, Lactantiumq;? Iam illa huius loca: Nam ſi ita eſſet, placidiora quæq; animalia, uel nihil fellis omnino uel minus haberent, quàm feræ: Et quanto frequenter impellitur, tanto firmiter roboratur: nónne unius Lactãtij peculiaria, & ab aliorũ uſu diſſona uidentur? nónne et alia quæ in Boëtio taxat, eiuſdem ſunt ordinis? Verũ ſi quis in magnis uiris etiam næuos, uel errata (ut ita dicã) probauerit, à Vallæ iudicio erit quàm rem otiſſimus. Etenim cũ Iuſtinus reſtaurare pro inſtaurare imperitiſſimè uſurparit, ut ſtupidè adnotauit Mancinellus, ſi quis ea uoce pro Latina uti uoluiſſet, à Valla tanquam barbarus fuiſſet deriſus: nempe quod ab inſtar ueniat, de qua uoce & uerbo quod ab eo deducitur, Seruius hoc Virgilianum enarrans,

Inſtar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant,

ita ſcribit. Inſtar indeclinabile, licet Probus inſtaris dixerit: & caret præpoſitione, ut peregrè, quãuis Serenus Lyricus ad inſtar dixerit. Inſtar autem, ad ſimilitudinẽ: unde nõ reſtaurata, ſed inſtaurata dicũtur ædificia, ad antiquam ſimilitudinẽ facta. Huiuſmodi ergo ſunt Mancinelli obſeruationes. eius generis ſunt omnia Vallenſis limæ capita: licet eorũ conditor eminentiſſimus poëta fuerit, licet illius uirtutũ in poëmatibus pangendis hæc fuerit præcipua, quòd nullũ carmẽ claudere ſciuerit, in quod nõ quidẽ, aut nempe, aut profectò, aut certè cõiecerit. Et hæc de Mãcinello: cuius nugas ijs relinquo, quos nigra ab albis ſecernere neſciẽtes, quicquid in animũ uenerit proferre nõ pudet, in quorũ albo uel primas ſibi meo iudicio uendicare poteſt recoctus quidã Beroaldi auditor, cuius nomen nõ ſuprimerẽ, niſi & is perpetua obliuione & dignus eſſet, & hoc omniũ Beroaldi diſcipulorũ propriũ eſſet, ut aliorũ de literis iudicia flocciſacerent,

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt:
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.

Sed quaſi illum de quo ago nominarim, ea eſt iudicij acrimonia, ut Lucanum Virgilio præferre nõ erubeſceret. Eius ſententiæ rationẽ cum ab eo ſuperiorib. diebus quærerẽ, ſic mecũ egit, ut Papiniũ Satium idẽ in ſyluis confirmare crederet. Ille enim in Lucani Genethliaco ſic ait, Bœtim Mantua prouocare noli.

At ego ueterano hoc respondi, nō uideri posse tam fatuū Statiū, alioqui excellētē poetā, ut id censuisset, quod uerba illa sonare uidētur, licet omnia ferè poëtis sint cōcessa. licet nihil nō in syluas cōgeri possit: sed hoc potius, ut nō prouocandū à Virgilio Lucanū diceret, et quidē eo pacto, quo Achillē admoneremus, ne Thersitē in certamen uocaret, scilicet imbellē fortissimus. Quòd si non hæc fuit Statij sententia, nihil unquā stultius prolatū fuisse affirmarē. Tum si de utriusq; illū iuuentute id existimasse quispiā cōminiscatur, ut meliora sint quæ iuuenis Lucanus, quàm quæ Virgilius cōdiderit, is sic accipiat, Maronis culicē plus eleganitæ habere, quàm omnia ad unū Lucani scripta. Taceo de Bucolicis, quandoquidē unicam Virgilij Aeglogā, sexcentas Thebaidas ingenio, iudicio, candórecq; antecellere puto: à quibusdam blateronibus dissentiens, qui Annotationum uolumina cōdentes, Bucolica ludicrū Virgilij carmen appellant, tam ipsi proiecti miseriq;, quàm decē Maronis Aeglogæ, diuinū illum uirum nostrorū poëtarum principem uel nisi aliud scripsisset, reddere ualebant. Non ludicrum id poëma, sed omni admiratione maius Propertio uisum est: ex quo, & quatuor Georgicorum libris ab ipso authore in lucem datis, qualem futuram esse Aeneida coniecerit, ij intelligent, qui eius ex secundo Elegiarum libro uersus legerint.

An minor numerus semper præponatur maiori. Cap. XXI.

MVlta in sex Vallæ libris carpsit, ut ostendimus, Mancinellus: sed & posteros, ut idē facerent, omni studio hortatus est. qui si Caput, quod de numeris in tertio Elegantiarū ab eodem doctissimè scriptū est, legisset, tum autem in Macrobio fuisset familiariter uersatus, pernicioso dente suam limam proculdubio auxisset. Cū enim Valla minorem numerum ante centū semper præponi debere doceat, idq; uel ex hoc unico M. Tullij testimonio colligatur: Plato uno et octogesimo anno scribēs mortuus est, Isocrates quarto & octogesimo anno eū librū, qui Panathenaicus inscribitur, scripsisse dicitur: Macrobius tamen, quasi huius regulæ peruersor, data opera maiorē, uel quū copula maximè intercedit, ferè semper præmisit. quippe qui in primo Saturnaliorum libro ita scribat: Inde & simulachrum eius plerunq; fingitur manu dextra trecentorū, sinistra sexaginta & quinq; numerū tenere. Et in eodē inferius: Sed hunc quoq; errorē serò deprehensum correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi iussit, ut illi tres dies, qui per annos triginta & sex uitio sacerdotalis festinationis excreuerant, sequentibus annis duodecim nullo intercalato deuorarentur. Et nō multo pòst: Sic factum, ut alij triginta & unum, alij undetriginta sortirentur dies. Item in secundo: Annum agebat tricesimum & octauū. Sed quis non hæc imperitia potius, quàm aliqua ratione à Macrobio facta dignoscat? Gellius quidem eadem in re multò cautior fuit: nec mirum, cum multò Latinius scripserit, quàm Macrobius. Quòd si aliquādo secus in eius Noctibus inueniatur, librariorum culpa deprauata eius exemplaria contenderim. quemadmodum in quinto sexti libri capite factum autumo, quū ait: Alphenus Iureconsultus Seruij Sulpitij discipulus, rerumq; antiquarum nō incuriosus, in libro Digestorum trigesimo & quarto, Collectaneorum autem secundo, & quę sequuntur. Cōiunctio siquidem prauè numero uidetur interposita: nisi Gellius fortè Plautum, Ciceronemq; imitari uoluerit, qui minorem numerū frequentissimè præponētes, maiorem etiam nonnunquā præmiserunt, cū Plautus in Milite sic scribat: Nam equidem haud sum natus annos præterquam quinquaginta & quatuor. & rursus in Mercatore: Nequeo mecastor, tantū hoc oneris est quod fero: quid oneris? annos octoginta & quatuor. Et Cicero in quinta Verrina: Viginti et septem

præterea

præterea tabulas pulcherrimè pictas ex eadem æde sustulit. quāquam Plautum poëtica fortè licentia excusare possit. In Cicerone uerò quum minorem numerum ante centum ubiq; præponat, uiginti septem dempta coniunctione legendum uidetur, Quocirca Gellium si ita ut legitur scriptū reliquit, Plauti authoritate tutarer, Macrobium nō item. De Hieronymo, qui in Galeato Bibliorū prologo sic ait, Viginti & duas literas esse apud Hebræos, Syrorū quoq; lingua & Chaldæorum testatur: nihil proferre audere, licet nō omnes minutiæ in theologo sint persequendæ. Idem Valla eodē in loco ita scribit: Adhuc quæ diximus, & quæ recitauimus exempla, intra numerū millenariū sunt. Sed in ipso quoq; maximum quemq; numerū semper præponemus. Plautus tamen in Rudente, Vin', inquit, centum & mille? Ad summam, nihil meo iudicio magis est uitandum, quàm perrarò usitatæ eiusmodi locutiones, quum multo sit laudabilius, uti frequentissimis quibusq;, & ĳs præsertim quas Valla accuratè collegit, Mancinellus autem quasi triuiales omnibusq; promiscuas uitauit.

Defensa à Grammaticuli calumnia, Seruij super uerbo Audierat, in Virgiliano carmine enarratio. Cap. XXII.

IOdocus Badius Ascensius, indoctorū præsegmen, barbariei columen, atq; (ut in pauca conferā) Antonij Mancinelli interpres, dignū sanè (ut aiunt) patella operculum, insigni fretus impudentia, P. Virgilij opera cœno, ne dicam merda obuoluens, nō pauca in eruditissimis uiris reprehēdere ausus est, quę ob singularem inscitiā summis labris degustare nō potuit. Quāobrē nūc hos, nunc illos incessens, ridiculum fuisse censet Seruiū, qui Virgilianos uersus hosce enarrans,

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ uerteret arces,

peritè à Marone Audierat dictum asseruerit: quod in Ennio Iupiter Romanis Carthaginis excidium promittens induceretur. Inquit enim: Quo pacto Iuno hoc ab Ennio audierat? nónne auditura erat potius, cum multo pòst scripserit Ennius, quàm Iuno futurum Carthaginis excidium audire ualuisset? Dignum me hercle Ascensio commentum. Quasi uerò stupidè Iunonem Seruius id audisse existimarit, quod adhuc erat auditura. Atqui idem Seruius nō ab Ennio, sed à Ioue, aut à fatis Iunonem id accepisse paulo antè docet. Subdit tamen, poëtam id uerbum Audierat peritè posuisse, quum ĳs etiam possit accōmodari quæ deinde gesta sunt: nempe quod Ennius Iouem Carthaginis ruinā Romanis pollicentem inducturus fuerit. Nec mirum esset, si Virgilius præteritum pro futuro posuisset. Nónne enim idem poëta futuro pro præterito eadē elegantia usus fuit? Maximè quidem, cum in undecimo Aeneidos ita canat,

Pulsus ego? aut quisquam meritò fœdissimè pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Tybrim
Sanguine, & Euandri totam cum stirpe uidebit
Procubuisse domum, atq; exutos Arcadas armis?

Videbit, pro uidit, inquit: cum de ĳs in Latinorū cœtu loquatur Turnus, quæ iam ipse gesserat. Idem poëta præsens pro præterito eodē iure posuit, uel quum in quinto Aeneidos ait,

Nunc ultrò ad cineres ipsius, & ossa parentis
Haud equidem sine mente reor, sine numine diuûm,
Adsumus, & portus delati intramus amicos.

Intramus scilicet, pro intrauimus, est accipiendum. Porrò autem de hac temporum translatione ita scribit Oratoriarum institutionū libro nono Fabius Quin

tilianus: Transferuntur enim tempora, Temarchides negat ei periculum esse à securi præsens enim pro præterito positum est. Et Virgilius: Hoc Ithacus uelit. Sed & plurima quæ per contrariũ significent, apud scriptores comperiuntur, et de eorum aliquibus idem Seruius in primũ Aeneidos ita scribit: Constat multa in authorib. inueniri per contrariũ significantia, pro actiuis passiua, ut Pictis bellantur Amazones armis: pro passiuis actiua, ut, Populatque ingentem farris aceruũ, pro populatur. Et hæc uarietas, uel potius contrarietas, inuenitur etiam in alijs partibus orationis, ut sit aduerbium pro aduerbio, ut est,

Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto,

pro huc. Et in participio, ut, Et qua uectus Abas, pro uehebatur. Et in nomine, ut Memorem Iunonis ob iram: non quæ meminerat, sed quæ in memoria erat. De his autem hæc tantum, quæ lecta sunt, ponimus: nam ad eorum exemplum alia formamus. Verum hæc Ascensij ingenium superabant, cum ad infima tantum à natura formatus, sordidissimum quemque recentium grammaticulorum pro Ioue Hammone habuerit.

De Antonij Volsci Commentarijs. Cap. XXIII.

Vererer hercle, ne quam de me apud literatos malignitatis suspicionẽ compararent frequentia cõuicia, quæ in recentes cõmentatores, siue interpretes iacio, nisi illis persuasum semper fuisset, tantam esse eorũ inscitiã, quanta illorum esse potest, qui nec ingenij, aut iudicij acumine, nec multa accurataque lectio ne sunt cõmendandi. Proinde si eorũ quemque maximam dudũ Latinæ linguæ calamitatem attulisse, & quotidianis sermonibus & scriptis sæpenumero testatus sum, neminẽ rogabo, ut illa nõ me odio, sed quòd ita se res habeat, sentire arbitretur. Siquidem cum eos omnes execror, detestorque, tum nihil ab ijs, doctis auribus dignum, exaratum fuisse asserere ausim. Huius rei non paucas alijs in locis rationes reddidimus, & plurimæ præterea afferri possent, si tam imperitorũ ardelionum lucubrationes dignæ essent, quæ semel aut iterum lectæ, ad amussim examinarentur. Vnicum tamen ex Antonij Volsci in Propertium enarrationibus locum pro tempore recitabo, ut quid ei in literis credere debeas, in operis uestibulo discas. Cumque Romanus Callimachus (sic enim seipsum is poëta appellat) primum Elegiarum librum duobus hisce uersiculis auspicetur,

Cynthia prima suis miserum me cœpit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus:

Interpres noster miserũ sic definit: Miser, inquit, is est, cuius calamitati nullũ est remediũ. Si Zeno Stoicorum pater hęc pronunciasset, rectè fortè eius uocis definitionem traditã existimarem, quũ nullum hominũ genus in uerborũ proprietatibus subtilitatibusque fuerit Stoicis occupatius, quũ autem ex cõmentatorum ordine nescio quis, miserũ eum describat, cuius calamitati nullũ sit remedium, quis à ridiculo interprete in re tam falsa non dissentiat? Nónne si æquo Ioue iudicat Volscus, ita miserum oportet fuisse Propertium, ut eius malum nullo remedio sanari ualuerit? Atqui si Cynthia illum unicum amasset, nónne remedium eius calamitati, & præsentaneum quidem obtulisset? Quid Virgilianus ille Achemenides, quùm Troianos ita moneret,

Sed fugite ô miseri, fugite, atque ab littore funem
Rumpite: an ita miseros credebat Troianos, ut Polyphemũ, aliosque Cyclopas euitare nequirent? Quid magis stultum, quàm Antonij Volsci edictũ? Sed & idem Virgilius in sexto Aeneidos ita canit,

In foribus letum Androgeo, tum pendere pœnas

Cecropidæ iuſſi (miſerum) ſeptena quotannis Corpora natorum.

miſerum dolentis interiectionẽ eſſe ait, ex quo miſeros fuiſſe dicimus Athenienſes, qui ſeptena natorũ corpora à Minotauro deuoranda Minoi pro Androgei leto penderent. An tamen & Cecropidarum, & Theſei calamitati remediũ fuerit, Antonius Volſcus cum Vbertinis, Oliuerijſq;, ac Mancinellis cõſultet: nam ego in re clariſſima pluribus ſcriptorum teſtimonijs non utar. Vtq; aliquando miſer in eo ſignificatu, quem Volſcus tradit, apud Latinos authores reperiatur, nec uera eſt ſimpliciter tradita ab illo definitio, nec Propertij ſententię quadrat. Itaq; quantũ eius claſſis interpretibus fidei in grauioribus rebus ſit tribuendũ, quiſq; pro ſuo arbitratu conijciat. Miſer præter uulgaria ſignificata pro ægroto quandoq; ponitur. Plautus in Pœnulo,

Miſeram eſſe prædicat buccam ſibi, Fortaſſe medicos nos arbitratur.

Quatenus quærendæ ſint in Poëtis allegoriæ, & de Catena aurea Homeri, item de duabus Somni portis. Cap. XXIIII.

QVamuis multa de inſulſo Chriſtophori Landini in ſcrutandis poëtarũ allegorijs ingenio alibi à nobis ſcripta ſint, facit tamen ſingularis hominis ſtultitia, ut & hoc loco q̃ uituperanda ſit eius in illo negotio diligentia, copioſius aliquanto aperiã: ne fortè qui ſtupidũ Landini in explicandis allegorijs iudiciũ inſector, ab aliquib. omnes allegorias pro nihilo habẽdas ſentire exiſtimer. Si quis ergo me interroget, omnes'ne poëtarũ ſenſus propriè ſemper, ac non allegoricè quandoq; capiẽdos putẽ: plurima in illis, ſi ſimpliciter atq; ut uerborũ cõtextus ſonare uidetur, à nobis poſita credanſ, deridenda eſſe, ac nihil poëtis deterius uiliusq; uideri reſpondeã. Quemadmodũ ſi latentes ſub uerborũ corticibus allegorias inueniamus, poëtæ omnibus alijs ſcriptorib. (de ethnicis loquor) ſunt ante ponendi. Vt enim plurimæ illorũ ſentẽtiæ ſi nihil aliud remotius innuẽtes puris uerbis eſſent cõtentæ, pueriles, parũq; ſobriæ meritò uocari poſſent: ita quũ eas alias eſſe, q̃ quę prima facie appareant intelligimus, duplici illarũ autores laude ornamus: cũ nõ minus uariarũ rerũ ſtudioſos delectent, quàm eiſdẽ remoto uerborũ pallio proſint. Quamobrẽ quicũq; omnes allegorias poëtis adimere niteretur, magno eos, ac fortè maximè præcipuo ornamẽto priuaret. Sicut qui eoſdem nullũ in illis modũ ſeruaſſe cẽſent, omniũ ineptorũ me iudice ſunt ineptiſſimi. Proinde quũ Landinũ perſtringo, qui nõ tantũ in cõmentarijs quæ in Virgilij Aeneida ſcripſit, ſed & in alijs libris qui Camaldulenſes diſputationes ab ipſo authore uocanſ, in ea unica re ſuã operã collocarit, ut omnia fermè omnium ſcripta meras eſſe allegorias oſtẽderet, allegorias nimis ſuperſtitioſè, ne dicã ſtultè petitas, tantũ derideo, non ueras: alioqui plurimos excellentes ſcriptores, qui multis in locis eas tũ in Homeri, tũ in aliorũ operib. indicant, declarantq;, indoctos arrogantesq;, ac deniq; Landini ſimiles fuiſſe fateri cogerer. Itaq; ut exẽplis in hoc negotio agamus, quũ Iupiter apud Homerũ ut ſe omniũ deorum potentiſſimũ teſtareſ, catena aurea ſe exiguę cæterorũ potentię periculũ facturũ minatur, ſi σειρὴν χρυσείην nullo occulto ſenſu interpretemur, quid magis erit uituperãdũ, q̃ Homericũ quo dij ſuas uires experirenſ (ut ſic dicã) certamen? An ſi catenam illã aureã aliò tendere ſciamus, Homerũ egregium philoſopũ fuiſſe colligemus? Cæterũ diuerſis modis eam catenã ueteres acceperũt. Illã enim quatuor elementorũ miſtionem quidã eſſe putarunt, aureã appellatã, quod precioſa naturaliter exiſtat. Quã ſi ſolares radij immutauerint, ſurſum ac deorſum fient omnia: uel in magna hyeme diluuio deſuper à Ioue immiſſo, uel in magna æſtate propter ſolis exuſtionẽ. At alij aureã catenã ætatis dies exiſtimarunt, propter ſolis claritudinem, qui inuicem connexi, ac uitã noſtrã colligantes, aliquando ſoluti,

luti omnia in elementa resoluent: cùm Iupiter, quem omniũ animã ueteres crediderunt, nihil pati possit. Plato aũt ipsum solẽ aureã catenã esse scripsit, cui cuncta sint alligata. Fuere & qui eam planetarũ circuitus intellexerint: quorũ supremus est Saturnus, terræ aũt proxima Luna. In ijs uero circuitionibus cùm Planetæ diuersis modis congrediantur, multæ circa uniuersum fiũt mutationes. Porrò Stoici Iouis minas ad solã referebãt exustionẽ: cùm Iupiter æther sit. Quod si sol maximo suo feruore mare siccauerit, atq; è terræ uisceribus omnes traxerit humores, ipsam terrã soluet. Ac Iupiter quidẽ ipse nõ trahetur: sed inferiora igne præualente sublimia fient. Nam quidã nõ multa loqui uolentes, Iouis iram monarchiã tantũ significare iudicarunt. Sicut enim in terris probandũ nõ est unius imperium, ita neq; in superioribus. Sed Eustathius hæc omnia copiosius exequitur, cuius hæc sunt uerba: χρυσῆν δὲ σειρὰν, οἱ μὲν φασὶ τὴν δίκην ἀλύσεως περιπλοκὴν τῶν τεσσάρων στοιχείων, περὶ τὰς ἐν αὐταῖς ποιότητας λεγομένην χρυσῆν, διὰ τὸ φύσει πολυτίμητον, καὶ διὰ τὸ ἐκ τοῦ … ἐν αὐτοῖς χρυσαίην εἶναι. ἧς δὴ περιπλοκῆς μεταποιηθείσης ποτὲ, ἄνω κάτω φασὶν γενήσεται τὸ πᾶν μεταστοιχειωθὲν, ἢ μεγάλῳ χειμῶνι ἀνωθὲν ἐκ διὸς ἐν κατακλυσμῷ, καὶ ἐξυδατώσει, ἢ μεγάλῳ θέρει περὶ ἐκπύρωσιν. οἱ δὲ χρυσῆν νοοῦσι σειρὰν, τὰς τοῦ αἰῶνος ἡμέρας, αἳ χρυσῷ οἷον ἐοίκασι τῇ τοῦ ἡλίου λαμπρότητι, καὶ ἀλύσεως δίκην ἀλλήλων ἐξήρτηνται, τὸν περὶ ἡμᾶς βίον συνδέουσι. λειψόμεναί ποτε πέρας καὶ αὐταὶ, καὶ τὸ πᾶν ἀνάστοιχειώσουσαι, τοῦ διὸς μένοντος ἀπαθοῦς, ὃν ψυχὴν φασὶν τοῦ παντὸς οἱ παλαιοί. Πλάτων δὲ αὐτὸν τὸν ἥλιον χρυσέαν λέγει σειρὰν αὐτῷ γὰρ ἐνδεδέσθαι τὸ πᾶν. ἕτεροι δὲ τοὺς κύκλους τῶν πλανωμένων, νοοῦσι χρυσέαν σειρὰν, ὧν ἀνωτάτω μὲν ὁ τοῦ κρόνου, πρόσγειος δὲ ὁ τῆς σελήνης. ἐν οἷς κύκλοις ἄλλοτε ἄλλως τῶν πλανήτων συνιόντων, πολλαὶ περὶ τὸ πᾶν γίνονται μεταβολαί. οἱ δὲ Στωικοὶ, τὴν διὸς ἀπειλὴν εἰς μόνην ἀλληγοροῦσιν ἐκπύρωσιν. ἐπεὶ γὰρ ζεὺς μὲν ὁ αἰθὴρ, χρυσῆ δέ φασι σειρὰ ὁ ἥλιος, εἰς ὃν κάτωθεν ὥσπερ εἰς καρδίαν ἀνέρχεται, ἀναδιδομένη ἡ τῶν ὑγρῶν ἀναθυμίασις. ὅταν χρόνῳ ποτὲ ἀνελκομένη δι' ἀναθυμιάσεως ὡς εἰκὸς ἡ θάλασσα ὑπολίπῃ· τότε δὴ τὸ πῦρ τροφῆς ἐφιέμενον, ἀνελκύσει τὰ ἐν τῷ βάθει τῆς γῆς ὑγρὰ, καὶ λύσει καὶ αὐτὴν τὴν γῆν. καὶ ὁ μὲν ζεὺς οὐ καθελκυσθήσεται, τὰ δὲ κάτω μετέωρα γενήσεται, τοῦ πυρὸς κατισχύσαντος. τινὲς δὲ οὐ πολυλογεῖν ἐθέλοντες, φασὶν τὴν ἀπειλὴν ταύτην αἴνιγμα μοναρχίας εἶναι. καὶ ὡς ἐκ διὸς ἐξῆπται τὰ πάντα, καὶ μιᾶς ἀρχῆς ἤρτηται. ὡς γὰρ ἐν τοῖς κάτω οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, οὕτω καὶ ἐν τοῖς ἄνω, καὶ πολλῷ μάλιστα ἐκεῖ. Et quoniã succinctè ab Eustathio Platonis de catena aurea sententia explicata est, ea diffusius ab ipso authore in Dialogo, qui inscribitur Θεαίτητος, ἢ περὶ ἐπιστήμης, his uerbis profertur, Καὶ ἐπὶ τούτοις, τὸν κολοφῶνα ἀναγκάζω, προσβιάζων τὴν χρυσῆν σειρὰν· ὡς οὐδὲν ἄλλο, ἢ τὸν ἥλιον ὅμηρος λέγει, καὶ δηλοῖ ὅτι ἕως μὲν ἂν ἡ περιφορὰ ᾖ κινουμένη, καὶ ὁ ἥλιος, πάντα ἔστι καὶ σώζεται τὰ ἐν θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις εἰ δὲ σταίη τοῦτο, ὥσπερ δεθὲν, πάντα χρήματ' ἂν διαφθαρείη, καὶ γένοιτο ἂν τὸ λεγόμενον ἄνω κάτω πάντα. Quodq; de celebratissima Homeri catena mentionem fecimus, eos Homeri uersus subdemus, quibus Iupiter omnes deos suo numini subiectos esse prædicans, de illa loquitur. Sunt aũt ex Iliados octauo,

> Κέκλυτέ μευ πάντες τε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι
> ὄφρ' εἴπω, τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει.
> Μήτε τις οὖν θήλεια θεὸς τό γε, μήτε τις ἄρσην
> πειράτω διακέρσαι ἐμὸν ἔπος ἀλλ' ἅμα πάντες
> Αἰνεῖτ', ὄφρα τάχιστα τελευτήσω τάδε ἔργα.
> Ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε θεῶν ἐθέλοντα νοήσω,
> Ἐλθόντ' ἢ τρώεσσιν ἀρηγέμεν, ἢ δαναοῖσι,
> Πληγεὶς οὐ κατὰ κόσμον ἐλεύσεται οὔλυμπόν δε,
> Ἤ μιν ἑλὼν, ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα
> Τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
> Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδὸς

τόσσον

Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.
Γνώσετ' ἔπειθ' ὅσον εἰμὶ θεῶν κάρτιστος ἁπάντων.
Εἰ δ' ἄγε πειρήσασθε θεοὶ ἵνα εἴδετε πάντες,
Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,
Πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι.
Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίον δὲ
Ζῆν' ὕπατον μήστωρ', οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε.
Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσσαι
Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ', αὐτῇ τε θαλάσσῃ.
Σειρὴν μέν κεν ἔπειτα περὶ ῥίον οὐλύμποιο
Δησαίμην. τὰ δέ κ' αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο,
Τόσσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ θεῶν, περί τ' εἰμ' ἀνθρώπων. Hoc est:
Dijq; deæq; omnes, animis ea figite uestris,
Imo quæ cupimus deprompta é pectore fari.
Nec Deus ergo alius quisquam, dea ne'ue laboret
Frangere consilium nostrum, quin protinus omnes,
Illud ut egregiè absoluam, mea dicta probate.
Dissentire etenim quemcunq;, ac ferre Pelasgis
Auxilium, aut Phrygibus, præter mea iussa uidebo,
Is cœlum malè pulsatus mittetur in altum,
Proijciam aut capiens obscura in tartara eundem,
Terra sub infernis ubi tantum sedibus alma
Ferratas cohibet portas, soliumq; barathri,
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.
Viribus atq; ita me uobis præstare scietis.
Imò agite, experti ut credatis quæ loquor, auream
E cœlo suspendentes cuncti ecce catenam,
Mox trahite in terram, simul omnis turba deorum,
Nō tamen è summo in terram usq; trahetis Olympo
Eximium diuûm patrem, non quidlibet ausi.
At mihi quum uisum fuerit, tum tempore eodem
Ipse traham terras, pelagiq; his addita regna.
Inde poli summa religata parte catena,
Omnia reddentur rursum firmata. deûm sic
Numina, sic homines post me uirtute relinquo.

Quū ergo aliquid simile in poëtis reperitur, docti interpretis est altius rē expendere: quod sine dubio Seruius grammaticus in Virgilij libros fecit, non ut Aeneā bonū uirū, quemadmodū Landinus somniat ad bonū finē tendere: sed ut Maronē in eo, quid animi, quid corporis uirtus possit, Homeri exēplo effinxisse scripserit. Quòd, si alijs in locis poëtam aut aliquid à se allegoricū fingere, aut ab alijs sumptū allegoricè ponere uidet, rem ipsam ut est absq; fuco aperit: idq; quū in omnibus, tum in geminis Somni portis diligenter præstat. De quibus hi sunt Virgilij libro sexto Aeneidos uersus: Sunt geminæ somni portę, quarū altera fertur Cornea, qua ueris facilis datˀ exitus umbris: Altera candenti perfecta nitens elephāto, Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes. Inquit enim: Per portā eburneā oculi significantur, quia et cornei sunt coloris, & duriores cæteris mēbris, quū frigus nō sentiant: sicut etiā Cic. dicit in libris de Deorū natura. Per eburneā uero portā, os significatur, à dētibus. Et scimus, quia quæ loquimur falsa esse possūt; & quæ uidemus, sine dubio uera sunt. Ideo Aeneas per eburneā mittitur portā. Idē & Didymus de duabus his portis scribit, atq; hoc, ad eburneā tantū spectans, addit: ideo quæ ex ore exeunt, falsa esse posse;

posse: quia quæ cibo quis potuq́ repletus per somniũ uiderit, cõfusa, atq́ adeò à uero remota esse nõ ignoramus. Inquit aũt, οἱ μὲν φασὶν κερατίνην πύλην συνεκδοχικῶς τοὺς ὀφθαλμούς. κερατοειδὴς γὰρ ὁ πρῶτος χιτὼν τοῦ ὀφθαλμοῦ. ἐλεφαντίνην δὲ, στόμα, καὶ ἰσωθρὶξ ἐλεφαντοχροῦντας τοὺς ὀδόντας. ἐκ δὲ τούτων πιστότερα εἶναι τὰ ὁρώμενα τῶν λεγομένων, καὶ ὅτι διὰ μὲν κέρατος οἷόν τι καὶ ἰδεῖν, διὰ δὲ ἐλέφαντος οὔ. ἢ ὅσα ἄν τις ἐμπλησμονῇ τροφῆς ἴδοι, ταῦτα εἶναι ψευδῆ. Aliter quoq́ eundẽ de portis locũ enarrat Seruius, ex aliorũ opiniõe ita scribens: Est & alter sensus. Somnũ cũ cornu nouimus pingi: & qui scripserunt de somnijs, dicunt ea quæ secundũ fortunã & personæ possibilitatẽ uidẽtur habere effectũ, & hæc uicina sunt cornu. unde, cornea uera fingitur porta. Ea uerò quæ supra fortunã sunt, & habent nimiũ ornatũ, uanamq́ iactantiã, dicunt falsa esse: unde eburnea, quasi ornatior porta fingitur. Pulchrè hęc Seruius. At idẽ Didymus duobus etiã ab his diuersis sensibus, hasce portas interpretatur, quũ quidã corneam, uerã claramq́ ac splendentẽ utiq́: eburneã aũt falsam atq́ obscurã esse disseruerint. Alij uerò cornibus cœlestia somnia, elephãto terrestria exprimi existimauerint, q cornua in altũ tendãt, elephantorũ autẽ dentes ex inferiori parte moueãtur. τινὲς δὲ οὕτως ἀποδιδόασι. κερατίνην μὲν, τὴν ἀληθῆ, καὶ διαφανῆ, καὶ λάμπουσαν· ἐλεφαντίνην δὲ, τὴν ψευδῆ, καὶ ἀσαφῆ, καὶ συγκεχυμένην. οἱ δὲ φασὶν, κέρασι ἀπεικάζειν τοὺς οὐρανίους ὀνείρους· οἵ τινες καὶ ἀληθεύουσι, τῷ τὰ κέρατα εἰς ὕψος ἀνατείνειν, ἐλέφαντι δὲ τοὺς χθονίους. τὰ γὰρ τῶν ἐλεφάντων κέρατα, κάτω νεύει. Et Homeri quidẽ de his portis carmina, in Odyſ. 19 ita se habẽt, Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων. Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι. Τῶν οἳ μέν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος, Οἵ ῥ' ἐλεφαίρονται ἔπε' ἀκράαντα φέροντες, Οἳ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων ἔλθωσι θύραζε, Οἵ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι βροτῶν ὅ τε κέν τις ἴδηται. Quòd si circa hęc, aut his similia Landini ingeniũ uersatũ fuisset, quis tã esset stupidus, quin eius operã nobis uehemẽter utilẽ fuisse concederet? Sed amens rabula ea secũ de allegorijs cõminiscit, quib. nihil à sano iudicio remotius esse potest. Nouimus porrò Aeneã ideo ab antiquis Veneris filium fuisse appellatũ, quòd forma excellens Veneris fauore natus uisus est. Sed hoc leue ac nullius ponderis Landino uisum esset, nisi magnis allegoriarũ aceruis omnia cõplens, suã orbi temeritatẽ patefecisset. Hoc igitur concludemus, nihil esse Landino uilius abiectiusq́, cùm in disquirendis P. Virgilij allegorijs nihil in illo doctis auribus gratũ repererit: quando Seruius quæ allegoriã habent, unicè docuit: sicut Græci in Homero interpretes, & Plato philosophorũ princeps à plerisq́ appellatus. Est autẽ illorũ uterq́ in allegorijs frequens, sed frequentior Homerus: omniũ autẽ scriptorũ Dantes Ethruscus poeta frequentissimus. nisi huius rei palmã Ouidio tribuere malimus, qui in Metamor. libris omnes propè fabulas cõplexus, in ijs omnib. allegoricos sẽsus incluserit. ueluti quũ Phaëtontẽ Solis filiũ ad patrẽ accessisse, cumq́ ab eo ut semel aurigæ munere fungeretur impetrasset, à summo Ioue, quia paternos equos malè rexisset, maximumq́ propterea in terra atque aëre incendium excitasset, fulmine percussum in terrã secus Padi ripas cecidisse scripsit. Nec Soli enim filius unquam fuit: nec cuiquam præter dominum Solis currũ conscendere licuit. Hæc tamen fabula inde sumpsit originem, quòd Phaëtontem Solis cursum non uerè deprehendisse, ac morientẽ imperfectam eam artẽ reliquisse constat. Atqui & Dædalus cum filio uolasse traditus, ob hoc ipsum astrologiæ studiũ fabulæ locum tribuit. Quum enim ipse cœlestium causas contemplando mediocritatẽ seruasset, illæsus quidẽ euasit. At eius filius Icarus nimis alta quærendo, à uero pluri mum aberrans cecidit. Scripserunt de ueris fabularum sensibus Palæphatus Græcè, ac Fulgentius Carthaginensis episcopus barbarè.

SVCCISIVARVM LECTIONVM LIBRI SECVNDI FINIS.

FRANCISCI FLORIDI

SABINI LECTIONVM SVCCISIVARVM LIBER TERTIVS.

Diffuse explicati Iunij Iuuenalis ex XV Satyra uersus: & de Aegyptiorum Dijs non pauca. Cap. I.

IVNIVS Iuuenalis, qui nostræ satyræ meo iudicio summam manum imposuit, omnibus numeris id poëmatis genus absoluens (licet Marullus Byzantius uni Horatio illud cum chely aliquid debuisse mentitus sit) monstrosam Aegyptiorum in quibusdam dijs adorandis superstitionem, leuitatemq́ elegantissimè deridens, decimam quintam Satyram sic auspicatur, ad Volusium Bithinicum scribens:

Quis nescit Volusi Bithinice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? crocodilon adorat,
Pars hæc: illa pauet saturam serpentibus ibim.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atque uetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem uenerantur, nemo Dianam,
Porrum & cepe nefas uiolare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

Qui uersus, cùm haud dubie altius, quàm leuissimi nostri interpretes soleant, sint explicandi: quod non obiter, sed data opera Satyricus uates satis amplè pro poëtarum more de Aegyptiorum Dijs mentionem fecerit: ita tamen à Ioanne Britannico enarrantur, ut ueram rationem, quare Aegyptiorum animi tam friuola religione imbuti, non Deos, sed Deorum portenta coluerint, nõ reddiderit: cùm tamen duas in medium afferat, quarum altera ita se habet, ut quoniam Aegyptij frequenter præ multitudine, in suos reges conspirare solebant, cuiusdam eorũ regis consilio factum sit, ut diuersorum animalium cultus diuersis ciuitatibus tribueretur. hocq́ pacto cùm illæ in religione ac Deorum cultu minimè conuenirent, imò unaquæque aliarum superstitionem contemneret, non possent concordes, unanimesq́, uti consueuerant, in suos principes coniurare. Altera uero ea est, quæ ab Ouidio recensetur. cùm enim Dei Gigantum impetum fugientes in Aegyptũ uenissent, in diuersaq́, ne agnoscerentur, animalia se transformassent, inde arrepta occasione Aegyptij Deorum cultum, ad uaria animalia, in quibus illos latuisse putarent, retulere. Verum cùm hæc tota sit fabulosa, illam etiam improbare uel hoc maximè nomine cogor, quòd ea quæ ad religionem pertinent, nequaquã ita nobis obtrudi debent, ut inuiti illa imbibamus: alioqui cum iugũ abijciendi, atq; eam excutiendi facultatẽ sic obstricti nanciscuntur, nihil prius habent, quàm ut pro religiosis irreligiosissimi, uniciq́ Deorũ contempores efficiant. Proinde Lucianus Samosatensis in eo dialogo, qui inscribitur περὶ ἀστρολογίας, mihi uerissimam causam, quamobrem brutorum cultus Aegyptiorum mentibus sic olim insederit, reddidisse uidetur his uerbis: ταῦτα μὲν οὖν αἰθίοπες ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπέβλεψαν. μετὰ δὲ γείτοσιν οὖσιν αἰγυπτίοισιν ἀτελέα τὸν λόγον παρέδοσαν. αἰγύπτιοι δὲ παρὰ σφέων ἐκδεξάμενοι ἡμιεργέα τὴν μαντικὴν ἐπὶ μεῖζον ἤγειραν, μέτρα τε τῆς ἑκάστου κινήσιος ἐσημήναντο,

καὶ ἐτέων ἀριθμὸν, καὶ μηνέων, καὶ ὡρέων διετάξαντο. καὶ μηνῶν μὲν σφίσι μέτρον ἡ σεληναίη, καὶ ἡ ταύτης ἀναστροφὴ ἐγένετο. ἔτεος δὲ ἠέλιος, καὶ ἡ τοῦ ἠελίου περιφορῆ. οἱ δὲ καὶ ἄλλα ἐμήσαντο πολλῷ μέζω τουτέων. ἐκ γὰρ δὴ τοῦ παντὸς ἠέρος, καὶ ἀστέρων τῶν ἄλλων ἀπλανέων τε, καὶ δυστεθέων, καὶ οὐδ' ἅμα κινεομένων δυώδεκα μοίρας ἐτάμοντο ἐν τοῖσι κινεομένοισι, καὶ οἰκεῖα ζῶα ἐόντα ἕκαστον αὐτέων ἐς ἄλλην μορφὴν μεμιμέαται. τὰ μὲν ἐνάλια, τὰ δὲ ἀνθρώπων, τὰ δὲ θηρέων, τὰ δὲ πτηνῶν, τὰ δὲ κτηνέων. ἀπὸ τέων δὴ καὶ ἱρὰ τὰ αἰγύπτια πολυειδέα ποιέεται. οὐ γὰρ πάντες αἰγύπτιοι ἐκ τῶν δυώδεκα μοιρέων πασέων ἐμαντεύοντο. ἄλλοι δὲ ἀλλοίῃσι μοίρῃσιν ἐχρέοντο. καὶ κριὸν μὲν σέβουσιν, ὁκόσοι ἐς κριὸν ἀπέβλεπον. ἰχθύας δὲ οὐ σιτέονται, ὁκόσοι ἰχθύας ἐπεσημήναντο. οὐδὲ τράγον κτείνουσιν, ὅσοι αἰγόκερων ᾔδεσαν. καὶ οἱ ἄλλοι τἄλλα, ὡς ἕκαστοι ἱλάσκονται. ναὶ μὴν καὶ ταῦρον ἐς τιμὴν τοῦ ἠερίου ταύρου σεβίζονται. καὶ ὁ ἄπις αὐτοῖς χρῆμα ἱερώτατον, τὴν χώρην ἐπινέμεται. καὶ οἱ ἐκεῖ μαντήϊόν τι ἀνατιθέασι, σημήϊον τῆς ἐκείνου τοῦ ταύρου μαντικῆς. Hoc est: Hæc igitur Aethiopes in cœlo perspexerunt: postea autem finitimis Aegyptijs imperfectam rationem tradiderunt. Sanè uerò Aegyptij concisam diuinandi facultatem ab illis acceptam in maius euexerunt, dimensosque cuiusque stellæ motus ostenderunt, annorumque & mensium, & horarum numerum statuerunt. Et mensium quidem illis mensura, Luna, eiusque recursus est: anni uerò Sol, Solisque circuitus. Quin alia multò his maiora indicarunt. Siquidem ex uniuerso cœlo, reliquisque stellis immobilibus ac fixis, quæque simul non mouentur, duodecim partes fecerunt in his quæ mouentur: & suis animalibus, ueluti figuris, unamquamque ipsarum effinxerunt, atque imitati sunt, partim maritimis, partim humanis, partim feris, partim etiam uolatilibus, ac pecudibus. Vnde etiam Aegyptiorum sacra diuersa fiunt. Neque enim Aegyptij omnes ex duodecim partibus omnibus uaticinabantur, sed alij alijs partibus utebantur. Itaque arietem colunt, quicunque ad arietem spectabant: piscibus non uescuntur, qui pisces annotarunt: neque hircum cædunt, quicunque capricornum uiderant. & alij alia colebant. Taurum quidem in honore habent, ob cœlestem taurum. & Apis res apud illos maximè sacra, regionem sortitus est: eique oraculum dicarunt, diuinationis uidelicet, quam à cœlesti tauro petunt, indicium. Hæc ille. Ex quibus quis non uidet apertissime colligi astrologiam, atque ex ea diuinationem in caussa fuisse, ut diuersa animalia maximo in honore apud Aegyptios habita fuerint? Porrò autem facile est, ubi semel quis animum ad eiusmodi nugas appulerit, procedente tempore id superstitionis genus eò prouexisse, ut ab animalibus ad porrum etiam & cepe adorandum prolabatur. Quæ ut à nobis hoc loco prætermittantur, de ijs præcipuè aliqua dicemus, quæ apud celeberrimas olim Aegypti urbes maximo in honore habita sunt. Sequemur autem hoc in negotio duos Græcos scriptores præcipuè, Strabonem atque Herodotum. Ac quamuis multò antiquior hic sit, pluráque de Aegyptiorum moribus tradat, quàm alij, ut mihi quidem uidetur, uniuersi, distinctius tamen, quæ ad Deorum summam, uarietatémque pertinent, à Strabone, quàm ab Herodoto traduntur. Strabo itaque libro Geographicorum ultimo, in quo exactissimè (ut in alijs solet) Aegyptum describit, inter alia, quæ de Aegyptiorum Dijs tradit, hæc quoque refert: Momemphitas Venerem colere, & sacram uaccam alere, quemadmodum Memphitæ Apim, & Heliopolitani Mneuim, cùm ij apud eos Dij putentur, alij uerò apud alios. Sed inferius multo copiosius de eadem re ait, cùm ita scribit, ἐν δὲ τῇ περαίᾳ ὀξύρυγχος πόλις, καὶ νομὸς ὁμώνυμος. τιμῶσι δὲ τὸν ὀξύρυγχον, καὶ ἔστιν αὐτοῖς ἱερὸν ὀξυρύγχου. καί τοι καὶ τῶν ἄλλων αἰγυπτίων κοινῇ τιμώντων τὸν ὀξύρυγχον. τινὰ μὲν γὰρ τῶν ζώων

ἅπαντες

ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν αἰγύπτιοι. καθάπερ τῶν πεζῶν μὲν τρία, βοῦν, κύνα, αἴλουρον· τῶν δὲ πτηνῶν δύο, ἱέρακα καὶ ἶβιν. τῶν δὲ ἐνύδρων δύο, λεπιδωτὸν ἰχθὺν, ὀξύρυγχον. ἄλλα δ' ἐστὶν ἃ τιμῶσι καθ' ἑαυτοὺς ἕκαστοι, καθάπερ σαΐται πρόβατον, καὶ θηβαῖται. λάτον δὲ τὸν ἐν τῷ νείλῳ τινὰ ἰχθὺν, λατοπολῖται. λύκον δὲ, λυκοπολῖται. κυνοκέφαλον δὲ, ἑρμοπολῖται. κῆπον δὲ, βαβυλώνιοι, οἱ κατὰ μέμφιν. ἔστι δ' ὁ κῆπος τὸ μὲν πρόσωπον ἐοικὼς σατύρῳ, τἆλλα δὲ κυνὸς καὶ ἄρκτου μεταξύ. γεννᾶται δ' ἐν αἰθιοπίᾳ. ἀετὸν δὲ θηβαῖοι. λέοντα δὲ λεοντοπολῖται. αἶγα δὲ καὶ τράγον μενδήσιοι. μυγαλῆν δὲ ἀθριβῖται, ἄλλοι δ' ἄλλο τι. τὰς δὲ αἰτίας οὐχ ὁμολογουμένας λέγουσιν. Id est: In ulteriore autem regione est Oxyrynchus ciuitas, & præfectura eodem nomine. Colunt uerò Oxyrynchum, & apud eos Oxyrynchi templum est. Quanquam cæteri omnes Aegyptij Oxyrynchum colant. Quædam namque animalia uniuersi Aegyptij colunt, ut ex terrestribus tria, bouem, canem, felem: ex uolatilibus duo, accipitrem & ibim: ex aquatilibus duo, lepidotum piscem, oxyrynchum. Alia autem sunt, quæ quisque seorsum colit: sicut Saitæ & Thebani, ouem: latum quendam in Nilo piscem, Latopolitani: lupū, Lycopolitani: cynocephalum, Hermopolitani: cepum, Babylonij, qui iuxta Memphim sunt (est autem cepus facie satyro similis, cætera inter canem & ursum habet, gigniturq; in Aethiopia:) aquilam, Thebani: leonem Leontopolitani: capram & hircum, Mendesij: murem araneum, Athribitæ. Item alij aliud. Causas uerò nequaquam idoneas afferunt. Hæc ille. At Herodotus Aegyptum, licet Africæ finitima sit, feris non admodum abundare ait: quæcunque tamen in ea sunt, eas omnes pro sacris haberi tradit. ἐοῦσα δὲ αἴγυπτος ὅμουρος τῇ λιβύῃ, οὐ μάλα θηριώδης ἐστί. τὰ δὲ, ἐόντα σφι ἅπαντα ἱρὰ νενόμισται. Et mox, ferarum educandarum curam Aegyptios, Aegyptias que seorsum ab alijs suscipere, eóque in honore filium patri succedere asserit. Ac si quis uolens aliquod forte sacrorum animalium occidisset, morte mulctabatur: si nolens, mulcta à sacerdotibus indicta. Sed enim si quis uolens, inuitús ue aut felem, aut accipitrem necauisset, morte affici omnino debebat. quamuis tam superstitiosæ eorum mentes fuisse memorantur, ut nemo, si quam earum ferarum peremisset, ullum supplicium recusarit. Propterea M. Tullius libro quinto Tusculanarum quæstionum: Aegyptiorum, inquit, morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes prauitatis erroribus, quamuis carnificinam prius subierint, quàm ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum uiolent. quorum etiam si imprudentes quippiam fecerint, pœnam nullam recusent. Idem quoque autor libro primo de Natura Deorum, de eorundem Aegyptiorum erga bestias magna religione ita scribit: Nobis fortasse si occurrit (ùt dicis) apparuisse Iouem, Iunonem, Mineruam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, reliquos Deos ea facie nouimus, qua pictores, fictoresq; uoluerunt. At non Aegyptij, nec Syri, nec ferè cuncta barbaria. Firmiores enim uideas apud eos opiniones esse de bestijs quibusdam, quàm apud nos de sanctissimis templis, & simulachris Deorum. Etenim fana multa expoliata, & simulachra Deorum de locis sanctissimis ablata uidemus à nostris. At uerò nefandum quidem auditu est, crocodilum, aut ibim, aut felem uiolatum ab Aegyptio. Quid igitur censes, Apim illum sanctum Aegyptiorum bouem? nonne Deum uideri Aegyptijs? Tam herclè, quàm tibi illam nostram Sospitam: quam tu nunquam, ne in somnis quidem uides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. Hæc Cicero. qui non sine causa eodem libro bruta animalia pro Dijs ab Aegyptijs haberi docet: cùm uaria ab ijs beneficia accipiant.

 piant.

piant. Ipsi, ait, qui irridentur, Aegyptij, nullam beluam, nisi ob aliquã utilitatem, quam ex ea caperent, consecrauerunt: uelut ibes maximam uim serpentium conficiunt, cùm sint aues excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceróque rostro, auertunt pestem ab Aegypto: quum uolucres angues ex uastitate Libyæ uento Africo inuectas interficiunt, atque consumunt. ex quo fit, ut illæ uiuæ nec morsu noceant, nec odore mortuæ. Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere: sed nolo esse longior. Ita concludam tamen, beluas à barbaris propter beneficium consecratas. Hactenus ille: qui in reddenda ferarum cultus apud Aegyptios ratione Herodoto in hoc similis fuit, quod de una ibi multis uerbis egit. cuius etiam descriptionem ab eodem fermè sumpsisse uidetur, cùm illius de ea hæc sint uerba: εἶδος δὲ τῆς ἴβιος τόδε. μέλαινα δεινῶς πᾶσα, σκέλεα δὲ φορέει γεράνου, πρόσωπον δὲ ἐς τὰ μάλιστα ἐπίγρυπον, μέγεθος ὅσον κρέξ. Id est: Ibis autem forma hæc est: Tota uehementer nigra, crura gruina habet, rostrum admodum aduncum, eadem qua crex magnitudine. Et huiusmodi quidem eæ sunt, quæ contra angues pugnant. nam alijs (duo enim sunt illarum genera) pedes humanis similes sunt, gracile caput, tortumq; collum, pennæ candidæ, præter caput, ceruicemq;, ac extrema alarum, natiumq;. Iam crocodili, quem Iuuenalis nominat, naturam magnitudinemq;, idem Herodotus graphicè expressit secundo libro, ita scribens: τῶν δὲ κροκοδείλων φύσις ἐστὶ τοιήδε. τοὺς χειμεριωτάτους μῆνας τέσσαρας ἐσθίει οὐδέν. ἐὸν δὲ τετράπουν, χερσαῖον καὶ λιμναῖόν ἐστι. τίκτει μὲν γὰρ ᾠὰ ἐν γῇ, καὶ ἐκλέπει. καὶ τὸ πολλὸν τῆς ἡμέρης διατρίβει ἐν τῷ ξηρῷ. τὴν δὲ νύκτα πᾶσαν ἐν τῷ ποταμῷ. θερμότερον γὰρ δή ἐστι τὸ ὕδωρ τῆς τε αἰθρίης, καὶ τῆς δρόσου. πάντων δὲ τῶν ἡμεῖς ἴδμεν θνητῶν τοῦτο ἐξ ἐλαχίστου μέγιστον γίνεται. τὰ μὲν γὰρ ᾠὰ χηνέων οὐ πολλῷ μέζω τίκτει, καὶ ὁ νεοσσὸς κατὰ λόγον τοῦ ᾠοῦ γίνεται. αὐξανόμενος δὲ γίνεται, καὶ ἐς ἑπτακαίδεκα πήχεας, καὶ μέζων ἔτι. ἔχει δὲ ὀφθαλμοὺς μὲν ὑός. ὀδόντας δὲ μεγάλους, καὶ χαυλιόδοντας κατὰ λόγον τοῦ σώματος. γλῶσσαν δὲ μοῦνον θηρίων οὐκ ἔφυσε. οὐδὲ τὴν κάτω κινεῖ γνάθον, ἀλλὰ καὶ τοῦτο μοῦνον θηρίων τὴν ἄνω γνάθον προσάγει τῇ κάτω. ἔχει δὲ καὶ ὄνυχας καρτερούς, καὶ δέρμα λεπιδωτὸν ἄρρηκτον ἐπὶ τοῦ νώτου. τυφλὸν δὲ ἐν ὕδατι, ἐν δὲ τῇ αἰθρίῃ ὀξυδερκέστατον, ἅτε δὴ ὢν ἐν ὕδατι δίαιταν ποιεύμενον, τὸ στόμα ἔνδοθεν φορέει πᾶν μεστὸν βδελλέων. τὰ μὲν δὴ ἄλλα ὄρνεα, καὶ θηρία φεύγει μιν. ὁ δὲ τροχίλος εἰρηναῖόν οἱ ἐστι, ἅτε ὠφελεομένῳ πρὸς αὐτοῦ. ἐπεὰν γὰρ ἐς τὴν γῆν ἐκβῇ ἐκ τοῦ ὕδατος ὁ κροκόδειλος, καὶ ἔπειτα χάνῃ, ἔωθε γὰρ τοῦτο ὡς ἐπίπαν ποιέειν πρὸς τὸν ζέφυρον, ἐνθαῦτα ὁ τροχίλος ἐσδύνων ἐς τὸ στόμα αὐτοῦ καταπίνει τὰς βδέλλας. ὁ δὲ ὠφελεόμενος ἥδεται, καὶ οὐδὲν σίνεται τὸν τροχίλον. Hoc est: Crocodilorum autem natura huiusmodi est. Quatuor hybernis mensibus nihil comedit hoc animal: quũ quadrupes sit, terrestre atque aquatile est. Oua humi parit, excluditq;: bonámque diei partem in sicco degit: noctem uerò totam in fluuio. calidior enim aqua est, serena & roscida nocte. Porrò ex omnibus quæ mortalia nouimus, hoc ex minimo maximum procreatur. Oua enim non multò maiora ouis anserum parit: atque adeò pullus pro oui magnitudine nascit. At uerò excrescit ad septemdecim cubitos, & his altior crocodilus uisitur. Oculos suillos, dentes autem pro corporis proportione magnos exertosq; habet. Linguã huic soli animaliũ natura negauit, neq; inferiorẽ mouet maxillam: cæterum superiorẽ inferiori admouet. Vngues ei ualidi: pellis in dorso squamosa, diuitioniq; contumax. In aqua nihil uidet: at sub dio acutissime. In aqua igitur degens, os introrsum totum hirudinibus repletum fert. Quippe aliæ feræ, uolucresq; illud fugiunt. Trochilus autem ei pacatus est, quod ab eo iuuatur. Cùm enim ex aqua egressus est crocodilus, deinde hiauit (hoc enim plurimũ facere, conuersus ad Zephyrũ solet) tum

tum trochilus eius os intrans, hirudines absorbet: hic uerò adiutus lætatur, trochilúmque nihil lædit. Hæc Herodotus de crocodilo. cui hianti non tam prodest trochilus, quàm obest ichneumon: qui & ipse præcipuus eius hostis, id tempus obseruans, quo is hiare solet, in eius fauces insilit, hostiśq; aluum erodit, ut Plinius octauo Natur. historiæ libro testatur, omnia ferè de crocodilo scribens, quæ ab Herodoto dicta sunt. Quapropter & eius uerba subijciam: Crocodilum habet Nilus, ait, quadrupes malum, & terra pariter ac flumine infestum. Vnum hoc animal terrestre linguæ usu caret, unum superiore maxilla imprimit morsum, aliàs terribile, pectinatim stipante se dentium serie. Magnitudine excedit plerunque duodeuiginti cubita. Parit oua quanta anseres, eáque extra eum locum semper incubat, præ diuinatione quadam, ad quem summo auctu eo anno egressurus est Nilus. Nec aliud animal ex minori origine in maiorem crescit magnitudinem. Et unguibus hic armatus est, contra omnes ictus cute inuicta. Dies in terra agit, noctes in aqua, temporis utrumque ratione. Hunc saturum cibo piscium, & semper esculento ore in littore somno datum, parua auis, quæ trochilos ibi uocatur, rex auium in Italia, inuitat ad hiandum pabuli sui gratia, os primum eius adsultim repurgans, mox dentes, & intus fauces quoque, ad hanc scabendi dulcedinem maximè hiantes. In qua uoluptate somno pressum conspicatus, ichneumon per easdem fauces, ut telum aliquod immissus, erodit aluum. Et inferius: Hebetes oculos hoc animal dicitur habere in aqua, extrà acerrimi uisus: quatuórque menses hyemis, inedia semper transmittere in specu. Quidam hoc unum, quàm diu uiuat, crescere arbitrantur: uiuit autem longo tempore. Hactenus Plinius de crocodilo, qui ut apud aliquos Aegypti populos in summo honore habetur, ita ab alijs sacer esse non censetur: imò & à quibusdam comeditur. Qui enim circa Thebas, Mœridosq; lacum incolunt, crocodilos pro sacris habent, maximeq; colunt. At qui circa Elephantinam urbem, ijs uescuntur, nisi Herodoti testimonium aspernamur. τοῖσι μὲν δὴ τῶν αἰγυπτίων ἱροί εἰσι οἱ κροκόδειλοι, τοῖσι δ' οὔ. Et mox: οἱ δὲ περί τε θήβας, καὶ τὴν μοίριος λίμνην οἰκέοντες, καὶ κάρτα ἥγηνται αὐτοὺς εἶναι ἱρούς. Et inferius: οἱ δὲ περὶ ἐλεφαντίνην πόλιν οἰκέοντες, καὶ ἐσθίουσι αὐτοὺς, οὐκ ἡγεόμενοι ἱροὺς εἶναι. Sed & Strabo eos qui Herculis urbem colebant, non tantum summo odio crocodilos prosecutos fuisse dicit: sed & ichneumones, illorum, atque aspidum perpetuos hostes, colere dicit. ac quo nam pacto aduersus tam pestiferas bestias illi pugnent, his uerbis docet: μετὰ δὲ τὸν ἀρσινοΐτην, καὶ τὸν ἡρακλεωτικὸν νομὸν, ἡρακλέους πόλις. ἐν ᾗ ὁ ἰχνεύμων τιμᾶται, ὑπεναντίως τοῖς ἀρσινοΐταις. οἱ μὲν γὰρ τοὺς κροκοδείλους τιμῶσι, καὶ διὰ τοῦτο ἥ τε διῶρυξ αὐτῶν μεστή ἐστι τῶν κροκοδείλων, καὶ ἡ τοῦ μοίριδος λίμνη. σέβονται γὰρ, καὶ ἀπέχονται αὐτῶν. οἱ δὲ τοὺς ἰχνεύμονας, τοὺς ὀλεθριωτάτους τοῖς κροκοδείλοις, καθάπερ καὶ ταῖς ἀσπίσι. καὶ γὰρ τὰ ᾠὰ διαφθείρουσιν αὐτῶν, καὶ αὐτὰ τὰ θηρία τῷ πηλῷ θωρακισθέντα, κυλισθέντες γὰρ αὐτῷ ξηραίνονται πρὸς τὸν ἥλιον, εἶτα τὰς ἀσπίδας μὲν ἢ τῆς κεφαλῆς, ἢ τῆς οὐρᾶς λαβόμενοι κατασπῶσιν εἰς τὸν ποταμὸν, καὶ διαφθείρουσιν. τοὺς δὲ κροκοδείλους ἐνεδρεύσαντες, ἡνίκ' ἂν ἡλιάζωνται κεχηνότες, ἐμπίπτουσιν εἰς τὰ χάσματα, καὶ διαφαγόντες τὰ σπλάγχνα, καὶ τὰς γαστέρας, ἐκδύνουσιν ἐκ νεκρῶν τῶν σωμάτων. Hæc ille. quæ quàm ineptè pueriliterque ab eo uersa sint, qui Strabonem latino sermone donauit, hi intelligent, qui nostra hæc cum uulgata æditione contulerint. Post Arsinoiticam, Heracleoticámque præfecturam, est Herculis ciuitas, in qua ichneumon colitur, contra quàm faciant Arsinoitæ. hi enim crocodilos colunt, proptereáque apud eos fossa est crocodilorum plena, & Mœridis

lacus: nam eos colunt, ab eisque abstinent. Hæc uerò (Herculis inquam urbs) ichneumones, crocodilis aspidibusque nocentes. Ipsas enim & earum oua delent, luto incrustati. In eo siquidem inuoluti, postquàm ad solem siccati sunt, aspides uel per caput, uel per caudam capientes, in flumen trahunt, & occidunt. Crocodilis uerò, quum aperto ore apricantur, in oris hiatum intrant, uisceribusque ac uentre exesis, è mortuorum corporibus egrediuntur. Caius item Plinius Hist. natural. libro octauo, quomodo ichneumon contra aspides pugnet, postquàm de illis egit, sic ostendit: Habet deinde interneciuum bellum cum ichneumone. Notum est animal hac gloria maximè, in eadem natum Aegypto. Mergit se limo sæpius, siccatque sole. Mox ubi pluribus eodem modo se corijs lorícauit, in dimicationem pergit. In ea caudam attollens, ictus irritos auersus excipit, donec obliquo capite speculatus, inuadat in fauces. Nec hoc contentus, aliud haud mitius debellat animal. Intelligit autem (ut ex ijs, quæ ex eodem, & Strabone dicta sunt, colligitur) crocodilos, quos idem Herodotus author est, champsas ab Aegyptijs dictos, ab Ionibus crocodilos uocatos fuisse, illi crocodilorum generi, quod apud eos in sepibus gignitur, hos comparantibus. καλέονται δὲ οὐ κροκόδειλοι, ἀλλὰ χάμψαι. κροκοδείλους δὲ Ἴωνες ὠνόμασαν, εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γιγνομένοισι κροκοδείλοισι τοῖσι ἐν τῇσι αἱμασιῇσι. Verum ut Strabo inquit decimoseptimo libro, Suchus (ille opinor, qui mansuetus sacerdotibus est) alio nomine dicitur. Quomodo autem apud Arsinoitas à sacerdotibus hæc belua alatur, eodem loco declarat his uerbis: παραπλεύσαντι δὲ ταῦτα ἐφ' ἑκατὸν σταδίους, πόλις ἐστὶν ἀρσινόη. κροκοδείλων δὲ πόλις ἐκαλεῖτο πρότερον. σφόδρα γὰρ ἐν τῷ νομῷ τούτῳ τιμῶσι τὸν κροκόδειλον, καὶ ἔστιν ἱερὸς παρ' αὐτοῖς ἐν λίμνῃ καθ' αὑτὸν τρεφόμενος, χειροήθης τοῖς ἱερεῦσι, καλεῖται δὲ σοῦχος. τρέφεται δὲ σιτίοις, καὶ κρέασι, καὶ οἴνῳ, προσφερόντων ἀεὶ τῶν ξένων, τῶν ἐπὶ τὴν θέαν ἀφικνουμένων. ὁ γοῦν ἡμέτερος ξένος ἀνὴρ τῶν ἐντίμων, αὐτόθι μυσταγωγῶν ἡμᾶς, συνῆλθεν ἐπὶ τὴν λίμνην, κομίζων ἀπὸ τοῦ δείπνου πλακουντάριόν τι, καὶ κρέας ὀπτόν, καὶ προχοίδιόν τι μελικράτου. εὕρομεν δὲ ἐπὶ τῷ χείλει κείμενον τὸ θηρίον. προσιόντες δὲ ἱερεῖς, οἱ μὲν διέστησαν αὐτοῦ τὸ στόμα. ὁ δὲ ἐπέθηκε τὸ πέμμα, καὶ πάλιν τὸ κρέας, εἶτα τὸ μελίκρατον κατήρασε. καθαλόμενος δὲ εἰς τὴν λίμνην, διῆξεν εἰς τὸ πέραν. ἐπελθόντος δὲ καὶ ἄλλου τῶν ξένων, κομίζοντος ὁμοίως ἀπαρχήν, λαβόντες περιῆλθον δρόμῳ, καὶ καταλαβόντες προσήνεγκαν ὁμοίως τὰ προσενεχθέντα. hoc est: Præternauiganti hæc ad centum stadia, ciuitas est Arsinoë, crocodilorum urbs prius uocata. In hac præfectura magnopere colitur crocodilus, & apud eos sacer est, in lacu seorsim nutritus, sacerdotibus mansuetus, appellatur'que Suchus. Nutritur autem pane, carne, & uino, quæ peregrini semper afferunt, ad huiusmodi spectaculum uenientes. Qui nos igitur hospitio exceperat, uir inter alios honoratus, nobis'que illic sacra commonstrabat, ad lacum uenit, placentulam quandam, carnem'que assam, & quoddam mulsi uasculum, ex cœna ferens. Inuenimus autem in littore iacentem beluam. Quumque ad eam sacerdotes accessissent, alij eius os aperuerunt, alius bellaria imposuit, & postea carnem, deinde mulsum iniecit. At illa in lacum se dimittens, in ulteriorem partem traiecit. Sed & quum alius hospes superuenisset, itidemque primitias attulisset, eas capientes, cursu lacum circumierunt, similiterque inuecto crocodilo, allatas obtulere. Hæc ille. In quibus, alijsque eiusdem uertendis, quod τοὺς νομοὺς præfecturas Latinè dixerim, secutus sum Plinium quinto de Natur. historia libro, ita scribentem cùm, de Aegypto loquitur: Diuiditur

Diuiditur in præfecturas oppidorum, quas nomos uocant. quòd uerò Mœridis lacum, qui à Strabone quidem μοίριδος, ab Herodoto autem μοίριος λίμνη uocatur (ne inter eos dijudicarem) Mœridis lacum uerti, eodem authore usus sum, cuius ex eodem & libro, & capite, hæc uerba sunt: Inter Arsinoitem autem ac Memphitem (de Aegypti præfecturis loquitur) lacus fuit circuitu CCL. M. P. aut, ut Mutianus tradit, CCCCL. M. & altitudinis L. P. manu factus, à rege qui fecerat Mœridis appellatus. Atque ut quod de crocodilis instituimus, aliquando absoluamus: quum Arsinoitæ, alijq́ue (ut ostensum est) eos impensè uenerentur, nonnulli partim eos comedant, partim etiam abominentur, nullum tamen hominum genus ijs est inimicitius, quàm Tentyritæ, ab insula, in qua habitant, id nomen trahentes: qui naturalem quandam, uti in serpentes Psylli, aduersus eam beluam uim, facultatem'ue habentes, omnibus modis eos, uti libet, capiunt, domantq́ue: quod & Romæ quoque uisum, Strabo memorat. μετὰ δὲ τὴν ἄβυδον διόσπολις ἡ μικρά, εἶτα τέντυρα πόλις. ἐνταῦθα δὲ διαφερόντως παρὰ τοὺς ἄλλους αἰγυπτίους ὁ κροκόδειλος ἠτίμωται, καὶ ἔχθιστος τῶν ἁπάντων θηρίων νενόμισται. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι, καίπερ εἰδότες τὴν κακίαν τοῦ ζώου, καὶ ὡς ὀλέθριος τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει σέβονται ὅμως καὶ ἀπέχονται. οὗτοι δὲ πάντα τρόπον ἀνιχνεύουσι, καὶ διαφθείρουσιν αὐτούς. ἔνιοι δ' ὥσπερ τοὺς ψύλλους τοὺς πρὸς τῇ κυρηναίᾳ φυσικήν τινα ἀντιπάθειαν ἔχειν πρὸς τὰ ἑρπετά, οὕτως καὶ τοὺς τεντυρίτας πρὸς τοὺς κροκοδείλους, ὥστε μηδὲν ὑπ' αὐτῶν πάσχειν, ἀλλὰ καὶ κολυμβᾶν ἀδεῶς, καὶ διαπεραιοῦν, μηδενὸς ἄλλου θαῤῥοῦντος. εἴς τε τὴν ῥώμην κομισθεῖσι τοῖς κροκοδείλοις ἐπιδείξεως χάριν συνηκολούθουν οἱ τεντυρῖται, γενομένης τε δεξαμενῆς, καὶ πρήματός τινος ὑπὲρ μιᾶς τῶν πλευρῶν, ὥστε καὶ τοῖς θηρίοις ἐκβᾶσι τοῦ ὕδατος ἡλιαστήριον εἶναι. ἐκεῖνοι ὥσπερ οἱ τότε μὲν ἐξέλκοντες δικτύῳ πρὸς τὸ ἡλιαστήριον, ὡς καὶ ὑπὸ τῶν θεατῶν ὁρᾶσθαι, ἐμβαίνοντες ἅμα εἰς τὸ ὕδωρ. τότε δὲ πάλιν εἰς τὴν δεξαμενὴν κατασπῶντες. Id est: Post Abydum autem est parua Diospolis, postea Tentyra ciuitas. Hic contra aliorum Aegyptiorum morem, crocodilus nullo in honore habetur: & ex omnibus animalibus inimicissimus censetur. Alij enim quamuis eius animalis malitiam norint, humanoq́ue generi perniciosissimum intelligant, uenerantur tamen, atque ab eo abstinent. Hi autem omnibus modis id peruestigant, atque occidunt. Sunt qui dicant, ut Psylli in Cyrenaica regione naturalem quandam contra serpentes uim habent, ita Tentyritas aduersus crocodilos, ut nihil ab eis patiantur, sed intrepidè natent; fluuium'que, quod nemo alius audet, transeant. Sed & Romam allatos, ut spectaculo essent, crocodilos secuti sunt Tentyritæ, factaq́ue piscina quadam, & foramine in uno laterum, ut egredientes ex aqua bestiæ apricari possent, Tentyritæ aderant, qui interdum eos ad solem rete extraherent, ut à spectatoribus uideri possent, simul in aquam intrantes, rursusq́ue eos in piscinam retrahentes. De Tentyritis quoque Plinius libro Naturalis historiæ octauo sic ait: Quin & gens hominum est, huic beluæ aduersa, in ipso Nilo: Tentyritæ ab insula, in qua habitat, appellata. Mensura eorum parua, sed præsentia animi in hoc tantum usu mira. Terribilis hæc contra fugaces belua est, fugax contra insequentes, sed aduersum ire hi soli audent. Quin etiam flumini innatant, dorso'que equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite, ad morsum addita in os claua, dextra ac læua tenentes, extrema eius utrinque, ut frenis in terram agunt captiuos. Ac uoce etiam sola territos cogunt, euomere recentia corpora, ad sepulturam. Itaque ei uni insulæ crocodili non adnatant: olfactu'que eius generis hominum, ut Psyllorum serpentes, fugantur. Ac ne singula, quæ uel Iuuenalis attingit, uel etiam alij

recensent, ad bruta, quæ pro dijs adorantur, spectantia persequamur, quis nescit Isidem ac Serapim præcipuos Aegyptiorum deos fuisse? tametsi tam diuersa, tam contraria de eorum utroque à scriptoribus traduntur, ut uix Pythius Apollo rem explicare queat. Non solum enim magnæ de eorum parentibus temporibusq; inter poëtas, historicosq; dissensiones sunt, sed uix ubi uitam duxerint, quóue modo naturæ concesserint, inter eos conuenit. Et primum quidem quæ ab Ouidio de Iside, quamuis magna ex parte fabulosa, memorentur, satis nota sunt. ab eo tamen plerique ita dissentiunt, ut non Inachi, sed Promethei eam filiam esse uoluerint: licet in hoc eorum aliqui non dissimilia doceant: Isidem, siue Inacho illa, siue Prometheo nata fuerit, Epaphum ex Iouis concubitu peperisse. sicut hoc quoque apud nonnullos receptum est, eandem Apis Aegyptiorũ regis fuisse uxorem: qui quum in Aegypto uita functus esset, omnium Aegyptiorum deorum maximus habitus, Serapisq; appellatus est. Quid quod alij Apim à Typheo fratre membratim discerptum, atque ab Iside diu quæsitum, postremo eius membra in uanno collecta, in semotaq; quadam insula sepulta fuisse autumant? Sed cùm plerique non maritum ab Iside, sed filium sic quæsitum: alij uerò tradant Osirim eundem, qui & Serapis, Iouis ex Niobe Phoronei filium extitisse: ego meam super his tricis sententiam non interponam, præsertim quod Diodorus quoque, ut rem magis permisceat, inuoluatq;, Osiris filium Anubim, qui Aegyptiorum lingua canem significat, sub cuiusque forma, tanquam sagacissimi animalis Mercurium apud eos coli Seruius perhibet, canem tanquam armorum insignia gestasse affirmat: atque hinc factum putat, ut Aegyptij canem uenerentur, Anubimq; deum canino capite effingant. Hoc tamen non præteriero, multos sic asserere, Aegyptijs ut Isidem, siue filium, siue maritum quærentē imitarentur, Apim quærentibus, bouem apparuisse, eumq; ab ijs Apim existimatum. Quem cùm Aegyptijs appareret, summum gaudium afferre solitum testatur Herodotus: ita quidem, ut quem multo luctu quæsissent, inuentũ pulcherrimis uestibus ornati honorarent: quod eius sacerdotibus magnũ malum attulit. Enimuero cùm Cambyses Persarum rex magna copiarum parte, tum fame, tum pulueris arenarumq; turbine amissa Memphim esset reuersus, eoq; tempore Apis, quem Græci Epaphum uocant, Aegyptijs apparuisset, rex eorum lætitiam à sui exercitus clade emanasse, seq; propterea ab ijs contemni ratus, cur'nam id facerent, se absq; copiarum parte reuerso, interrogauit, quod cum incolumi exercitu proficiscente nõ fecerant? Cumq; illi ad deũ Apim lætitiæ causam referrent, Cambyses sacerdotes tanquam mẽdaces interimi iussit. mox etiã quum bouẽ eum ad se adduci imperasset, in eũ irruẽs, educto mucrone Apis femur percussit, cũ uentrẽ uellet: dignos Aegyptijs deos exclamans, qui ferrũ, carnẽ ac sanguinẽ habentes, sentirẽt. Cuius facinoris mox pœnas Cambysem dedisse Aegyptij crediderunt, ut qui insanus redditus, in domesticos, aliosq; sæuierit. Atqui quũ non omnes nigri boues Apim facerent, quo'nã pacto is dignosceretur, quibusq; signis esset ornatus, Herodotus in Thalia his uerbis declarat: ὁ δ' ἆπις οὗτος ὁ ἔπαφος γίνεται μόσχος ἐκ βοός, ἥτις οὐκέτι οἵη τε γίνεται ἐς γαστέρα ἄλλον βάλλεσθαι γόνον. αἰγύπτιοι δὲ λέγουσι σέλας ἐπὶ τὴν βοῦν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατίσχειν, καί μιν ἐκ τούτου τίκτειν τὸν ἆπιν. ἔχει δὲ ὁ μόσχος οὗτος ὁ ἆπις καλεόμενος σημήια τοιάδε, ἐὼν μέλας, ἐπὶ μὲν τῷ μετώπῳ λευκὸν τετράγωνον φορέει. ἐπὶ δὲ τοῦ νώτου αἰετὸν εἰκασμένον. ἐν δὲ τῇ οὐρῇ τὰς τρίχας διπλᾶς. ὑπὸ δὲ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον. id est: Hic autẽ Apis, idemq; Epaphus, è uacca, quę nullo dũ alio modo uterũ gerere potest, gignitur. At Aegyptij eã fulmine de cœlo tactã, Apim

parere

parere dicunt. Habet uerò hic uitulus, Apis uocatus, signa eiusmodi, cùm niger sit, album in fronte tetragonum, in tergo aquilæ effigiem, duplices in cauda pilos, in lingua autem cantharum habet. Sciendum tamen est, in Aldinis codicibus, apud Herodotum pro μέλας, perperam μέγας legi: quum Strabo libro decimo septimo, bouem Apim, qui in urbe Memphi in septo quodam alebatur, præter frontem, paruasque quasdam corporis partes, totum nigrum fuisse, ijsque signis, qui nam ad successionem essent idonei, alio uita functo dignosci solitos asseueret. ὅπου ὁ βοῦς ὁ ἄπις ἐν σηκῷ τινι τρέφεται, θεὸς ὡς ἔφην, νομιζόμενος, διάλευκος τὸ μέτωπον, καὶ ἄλλα τινὰ μικρὰ τοῦ σώματος, τὰ δ᾽ ἄλλα μέλας, οἷς σημείοις ἀεὶ κρίνουσι τὸν ἐπιτήδειον εἰς τὴν διαδοχὴν, ἀπογενομένου τοῦ τὴν τιμὴν ἔχοντος. Porrò Caius Plinius & eadem fermè, quæ ex Herodoto ac Strabone recitata sunt, de Api scribit, & alia non pauca de eadem bestia refert octauo libro: Bos, ait, in Aegypto etiam numinis uice colitur, Apim uocant. Insigne ei, in dextro latere candicans macula, cornibus lunæ crescere incipientis. Nodus sub lingua, quem cantharum appellant. Non est fas, eum certos uitæ excedere annos: mersumque in sacerdotum fonte, enecant, quæsituri luctu alium, quem substituant, & donec inuenerint mœrent, derasis etiam capitibus, nec tamen unquam diu quæritur. Inuentus deducitur Memphim à sacerdotibus. Sunt delubra ei gemina, quæ uocant Thalamos, auguria populorum. Alterum intrasse lætum est, in altero dira portendit. Responsa priuatis dat, è manu consulentium cibum capiendo. Germanici Cæsaris manum auersatus est, haud multò pòst extincti. Cæterò secretus, quum se proripuit in cœtus, incedit summoto strepitu lictorum: grexque puerorum comitatur, carmen honori eius canentium: intelligere uidetur, & adorari uelle. Hi greges lymphati, futura præcinunt. Fœmina bos semel ei anno ostenditur, suis & ipsa insignibus: quanquàm alijs, semperque eodem die, & inueniri eam, & extingui tradunt. Memphi est locus in Nilo, quem à figura uocant phialam: omnibus annis ibi auream pateram argenteamque mergentes, diebus quos habet natales Apis: septem hi sunt, mirumque, neminem per eos à Crocodilis attingi: octauo, post horam diei sextam, redire beluæ feritatem. Macrobius quippe non simpliciter interpretatur, Serapim atque Isidem, maximos Aegyptiorum deos: sed hanc aut terram, aut rerum naturam soli subiacentem: illum uerò solem ipsum fuisse non solum putat, sed & rationibus quoque, & ipsius Serapis oraculi responso commonstrat. Inquit autem libro primo Saturnaliorum: Eidem Aegypto adiacens ciuitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Serapim atque Isim cultu penè attonitæ uenerationis obseruet. omnem tamen illam uenerationem Soli se sub illius nomine testatur impendere, uel dum calathum capiti eius infigunt, uel dum simulachro signum tricipitis animantis adiungunt, quod exprimit medio, eodemque maximo capite leonis effigiem, dextera parte caput canis exoritur, pars uerò læua, ceruicis rapacis lupi capite finitur, easque formas animalium draco connectit uolumine suo, capite redeunte ad Dei dexteram, qua conspicitur monstrum. Quibus Macrobius simulachri huius expositionem subiungens, sic ait: Accipe nunc quod de Sole uel Serapi pronuncietur oraculo. Nam Serapis, quem Aegyptij deum maximum prodiderunt, oratus à Nicocreonte Cypriorum Rege, quis deorum haberetur, his uersibus sollicitam religionem Regis instruxit:

Εἰμὶ θεὸς δὲ μαθεῖν, οἷον κ᾽ ἐγὼ εἴπω,

Οὐράνιος

οὐράνιος κόσμος, κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖτɛ,
ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Ex his apparet, Serapis et Solis unam esse & indiuiduam naturam. Isis cuncta religione celebratur, quæ est uel terra, uel natura rerum subiacens soli. Hinc est quod continuatis uberibus corpus deæ omne densetur, quia uel terræ, uel rerū naturæ altu nutritur uniuersitas. Hæc Macrobius de Iside et Serapi. Quanquàm codē libro non solum hos deos, sed Martem quoq;, Liberum, Mercurium, Herculem, Adonim, Osirim, Horum, aliosq; nihil aliud quàm solem apud ueteres fuisse declaret. Herodotus quoque de ueteribus recentioribusq; Dijs nō pauca scribit, quæ breuitatis causa prætermittenda duximus. Hoc tamē silentio inuoluere non possum, Dianam (licet Iuuenalis eam ab Aegyptijs minimè coli queratur) maximo in honore ab ijs habitam tradi ab eodem Herodoto: quum eadem sit Aegyptiacè βούβαστις, quæ Græcè ἄρτεμις, atq; ille in Euterpe his uerbis id palàm faciat: ἡ δὲ βούβαστις κατ' ἑλλάδα γλῶσσάν ἐστι ἄρτεμις. Et inferius, Αἰγυπτιστὶ δὲ ἀπόλλων μὲν ὧρος, δημήτηρ δὲ ἶσις, ἄρτεμις δὲ βούβαστις. Ouidius prætereà, quum plurimos Aegyptiorum deos recenset, præter hanc Bubastim, Harpocratem etiam inter eos connumerat, libro Metamorphoseon octauo ita canens:

Inachis ante torum pompa comitata sacrorum,
Aut stetit, aut uisa est: inerant lunaria fronti,
Cornua, cum spicis nitido flauentibus auro,
Et regale decus, cum qua latrator Anubis,
Sanctaq; Bubastis, uarijsq; coloribus Apis,
Quiq; premit uocem, digitoq; silentia suadet.
Sistraq; erant, nunquamq; satis quæsitus Osiris,
Plenaq; somniferis serpens peregrina uenenis.

Quid igitur? an Iuuenalem in tam manifestum errorem prolapsum dicemus? Ego uerò omnia potius commentari, quàm id in animum inducere uelim. Proinde eius uerba sic intelligenda autumo, ut nō omnibus Aegyptijs Dianam fuisse incognitam dicat. Sed quum uariæ Aegypti urbes uarijs sacris uterentur (neque enim ut ostensum est, omnes eadem animalia pro dijs colebant) pleræq; fortè aut Ibim, aut Crocodilū, aut Anubim tanquam deos uenerabantur, quæ Dianam ignorarent, quod summopere carpit Satyricus. Et sanè ut quæ ad Aegyptiorum in sacris leuitatem spectant, paucis absoluamus, Flauius Vopiscus Saturnini uitam scribens, multis conuicijs eam gentem incessit. ac ne id absque exemplo facere credatur, hæc de ea ex Adriani Cæsaris ad Seruianum consulem epistola uerba refert: Aegyptum, quam mihi laudabas Seruiane charissime, totā didici leuē, pendulam, & ad omnia famæ momenta uolitantem. Illi qui Serapim colunt, Christiani sunt: & deuoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Iudæorū, nemo Samarites, nemo Christianorū presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille Patriarcha cùm Aegyptū uenerit, ab alijs Serapim adorare, ab alijs cogitur Christū. Genus hominū seditiosissimū, uanissimū, iniuriosissimū. Sed hæc de suorū temporū Aegyptijs ab Adriano exarata crediderim, quū, ut in nostra aduersus Latinorū scriptorum calumniatores Apologia copiosius attigimus, plurimas egregias artes inuenerint ueteres Aegyptij, omniū hominū sapientissimi quondā habiti, plurimaq; ab ijs desumpta excellentissimi Grecorū philosophi sibi uendicauerint. Fieri autē potuit (uti in cæteris ferè omnibus usu uenire scimus)

ſcimus)ut quæ regio prudentiſſimos olim uiros produxiſſet, mox pro ui-ris magna ex parte fecem tulerit. Verũ de his plura non dicemus, ſed multa quæ huc commodiſſimè ueniebant, miſſa faciemus, ſi de dimidio Memnone,qui Satyrici poetæ uerſibus nominatur,ac de Thebis Aegyptijs pauca ſubdemus. Quæ enim de Cercopitheco, alijsq́ quibuſdã magis dici poſſunt,utcunque à Ioanne Britannico abſoluta ſunt.Nos ad inſtitutum pergamus.Fuit is Memnon, de cuius ſtatua loquitur poëta, Tithoni atq; Auroræ filius, qui Troianis ex Oriente aduerſus Græcos opem tulit, ab Achilleq́; pugnans interemptus eſt. Ad cuius ſepulchrum(prope Ilium conditus fuit) aues quotannis ex Aethiopia uolabant, quæ propterea Memnoniæ appellantur.Ideoq́; P. Ouidius lib. primo Amorum Aurorã ſic precatur,

Quid properas Aurora?mane,ſic Memnonis umbras
Annua ſolenni cæde parentet auis.

Idem quoque poëta multa de hoc Memnone,decimotertio Metamorphoſeon libro ſcribit,quæ in ipſo authore unuſquiſque,niſi indoctiſſimus ſit, legere ualet. Huius templum(quanquam Plinius illud Serapidis dicat)quod Thebis Aegyptijs erat,duos habebat coloſſos,Memnonis,ut putant:quorum alter,qui terræmotu fractus erat, atq; idcirco dimidius à Iuuenale appellatur, ſingulis diebus oriente ſole ſtrepitum quendam emittere dicebatur.quam rem alij ad fabulam referentes, Auroram matrem illum ſingulis diebus ſalutare dicebãt.Et profectò inauditũ uideri debebat lapidẽ uocem per ſe emittere.Proptereaq; miror T.Lucretium Charum excellentẽ philoſophũ, qui eiuſmodi rerum quæ contra naturã fieri uidentur, rationẽ libentiſſimè reddere ſolet, & huius cauſam uerſibus non comprehendiſſe; quum de alijs uocibus, quas uulgus Faunorum, Satyrorumq; eſſe affirmabat,libro quarto ita ſcribat:

Sex etiam,aut ſeptem loca uidi reddere uoces,
Vnam quum iaceres:ita colles collibus ipſis
Verba repulſantes iterabant dicta referre.
Hæc loca capripedes Satyros, Nymphasq́; tenere
Finitimi fingunt,& Faunos eſſe loquuntur:
Quorum noctiuago ſtrepitu, ludoq́; iocanti,
Affirmant uulgò taciturna ſilentia rumpi,
Chordarumq́; ſonos fieri,dulcesq́; querelas,
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum.

Verùm quod Lucretius prætermiſit,C.Plinius libro Nat.hiſtoriæ ſeptimo de Baſalte lapide loquẽs, aſſequi uoluit, eiuſmodi ſonitus cauſam ad lapidis naturam referens,qui ſolaribus radijs contactus crepet. Non abſimilis illi, ait,narratur in Thebis delubro Serapis,ut putant, Memnonis ſtatua dicatus, quem quotidiano ſolis ortu contactum radijs crepare dicunt. Hæc Plinius. At poëta, cuius carmina enarranda ſuſcepimus, magicas chordas dimidio Memnone reſonare ſcribit: quod aut ipſe, aut alij quidam, quæ contra naturæ leges fieri putabantur, ad magicas uanitates referebant: quas tamen miris modis Caius Plinius inſectatur. Strabo quidem eo ſe in templo, ubi Memnonis ſtatua erat, cum Aelio Gallo fuiſſe teſtatur. Sed quam nam ad rem eius ſtrepitus cauſam referat, non aperit, niſi is ab eorum aliquo, qui circa ſtatuæ baſim ſedebant, fieret. Inquit autem Geographicorum libro decimo ſeptimo, ἐνταῦθα δὲ δυοῖν κολοσσῶν ὄντων μονολίθων ἀλλήλων πλησίον, ὁ μὲν σώζεται, τοῦ δ᾽ ἑτέρου τὰ ἄνω μέρη τὰ ἀπὸ τῆς καθέδρας πέπτωκε σεισμοῦ γενηθέντος, ὥς φασι. πεπίστευται δ᾽ ὅτι ἅπαξ καθ᾽ ἡμέραν ἑκάστην ψόφος ὡς

ἂν πληγῆς

ὡς ἂν πληγῆς οὐ μεγάλης ἀποτελεῖται ἀπὸ τοῦ μένοντος ἐν τῷ θρόνῳ, καὶ τῇ βάσει μέρους. κἀγὼ δὲ παρὼν ἐπὶ τῶν τόπων μετὰ Γάλλου Αἰλίου, καὶ τοῦ πλήθους τῶν συνόντων αὐτῷ φίλων τε καὶ στρατιωτῶν περὶ ὥραν πρώτην ἤκουσα τοῦ ψόφου. εἴτε δὲ ἀπὸ τῆς βάσεως, εἴτε ἀπὸ τοῦ κολοσσοῦ, εἴτ' ἐπίτηδες τῶν κύκλῳ καὶ περὶ τὴν βάσιν ἱδρυμένων τινὸς ποιήσαντος τὸν ψόφον, οὐκ ἔχω δ' ἰσχυρίσασθαι. διὰ γὰρ τὸ ἄδηλον τῆς αἰτίας, πᾶν μᾶλλον ἐπέρχεται πιστεύειν, ἢ τὸ ἐκ τῶν λίθων οὕτω τεταγμένων ἐκπέμπεσθαι τὸν ἦχον. Id est, Hic cùm duo colossi sint ex integris lapidibus inter se propinqui, unus quidem seruatur, alterius autem superiores partes à sede ceciderunt, facto (ut aiunt) terræ motu. Creditum est etiam, semel in die strepitum ictu non magno à parte effici, quæ in sede ac basi manet. Atque ego quum in ijs locis essem cum Aelio Gallo, eorumque qui cum eo aderant amicorum, militumque multitudine circiter horam primam strepitum audiui: à basi'ne, an à colosso, an ab eorum aliquo, qui circa basim sedebant factum, affirmare nequeo: quamuis propter occultam causam omnia mihi potius credere in mentem ueniat, quàm à lapidibus sic compositis strepitum emitti. Hæc se uidisse memorat Strabo. At Tychiades apud Lucianum fabulosius, se quum adolescens in Aegypto, in quam à patre doctrinæ gratia missus erat, uersaretur, quæque de Memnone dicebantur audisset, miro eum uidendi desiderio accensum fuisse memorat. Itaque quum ad eum uenisset, non uulgari modo illum ab se auditum, ut inanem quendam sonum perciperet, sed oracula sibi ab eo septem uersibus edita subijcit. Hoc tamen quàm fide dignum sit, ex hoc præclarè dignoscitur, quòd in Philopseude ita scriptum est: ὁπότε γὰρ ἐν αἰγύπτῳ διῆγον, ἔτι νέος ὢν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐπὶ παιδείας προφάσει ἀποσταλείς, ἐπεθύμησα δὲ κοπτὸν ἀναπλεύσας, ἐκεῖθεν ἐπὶ τὸν μέμνονα ἐλθὼν, ἀκοῦσαι τὸ θαυμαστὸν ἐκεῖνο ἠχοῦντα πρὸς ἀνίσχοντα τὸν ἥλιον. ἐκείνου μὲν οὖν ἤκουσα, οὐ κατὰ τὸν κοινὸν τοῖς πολλοῖς ἄσημόν τινα φωνήν, ἀλλά μοι καὶ ἔχρησεν ὁ μέμνων αὐτὸς, ἀνοίξας τὸ στόμα ἐν ἔπεσιν ἑπτά. Neque dubium est, quin è toto ferè terrarũ orbe omnes ad hunc Memnonem uidendum, audiendumque concurrerent, huiusmodi rerum studiosi. Namque ut Aelius Spartianus testatur, Seuerus Imperator è Parthica expeditione reuertens, quum Syriam & Aegyptum, aliasque quasdam regiones lustrasset, gratam sibi eiusmodi peregrinationem propter religionem Dei Serapidis, animaliumque ac locorum (ut eius uerbis utar) nouitatẽ fuisse semper postea ostendit: quando & Memphim, & Memnonẽ, & Pyramides, & Labyrinthum inspexit. Siquidem Thebæ Aegyptiæ, quæ urbs (ut Strabo ait) postea Diospolis appellata est, antea autem centum portis insignis fuerat, eo tempore ita dirutæ erant, ut pauca earum superessent uestigia: quod neque Aquinas dissimulauit, dum uetus Thebe centum portis obruta ab eo facere dicta est. Quanta uerò fuerit ea urbs, non tantũ ex portarum multitudine, sed ex eo etiam colligi potuit, quòd eodẽ Strabone teste, LXXX stadia in longitudine habuisse, ex ruinis postea collectũ est. Homerus quidem eam in utroque opere, tum ab amplitudine, tum à diuitijs celebrat. In qua semel Psammenitĩ Amasis filij temporibus pluisse, quod neque prius unquam, neque postea ad suam usque ætatẽ contigisse addit, Herodotus in Thalia pro maximo apud Aegyptios portento memoriæ prodidit.

An Penelope casta fuerit: & de Vlyssis morte. Cap. II.

FRancíscus Petrarcha Ethruscus poëta, qui restituendæ Latinæ linguæ qualemcunque potuit operam nauauit, Ethrusca autem sic excelluit, ut neminem ad parem in ea re laudem aspirare posse receptũ sit, inter alia poëmata, quæ materno sermone composuit, & illa in suo genere elegantissima nobis reliquit, quæ ipse triumphos appellauit: qui operis titulus nequaquam illi tanquã primo eius authori, ut uulgò existimant, est assignandus,

sed

sed ad ueterem quendam poëtam est referendus, qui (ut Lactantius libro primo Diuinarum institutionum testatur) non insulse triumphum Cupidinis inscripsit: cuius argumentum circa hoc uersabatur, ut non modò omnium Deorum potentissimum, Cupidinem, sed etiam uictorem faceret. Cæterum an quemadmodũ in titulo, ita etiam in reliquis omnibus conuenerint, neq; quisquam conijcere potest: quòd alterius lucubrationes exciderunt, alterius extant: neque ad rem nostram quicquam pertinet, quũ nõ de tota eius operis, de quo loquimur, summa, sed de ijs tantum, hoc loco uerba simus facturi, quæ de Penelope, atq; Didone in illo traduntur. Quamobrem, quum in secũdo Triumpho Petrarcha utranque inter castas mulieres referat, Penelopen simpliciter, quasi quæ sine dubio pudicissima fuerit, nominat. At de Didone loquens, indocti uulgi linguis de ea silentiũ indicit: néue P. Virgilij fidem secuti, illam Aeneæ amore captã sese confecisse credant, omnes admonet: quasi sic erret, qui Didonem castam fuisse, quàm qui Penelopem neget. Verũ eam mihi non probantur, quæ uulgus Maronem sequẽs, de Didone credit, quàm quæ ab Homero de Penelope memorant. Sicut enim noster poëta diuino scribendi genere id apud posteros est consequutus, ut quod ipse sine dubio falsum esse sciebat, pro maximè uero acciperetur, ita Græcus, cuius noster penè in omnibus æmulus esse uoluit, hoc excellentissimis suis poëmatibus effecit, ut eam, quam impudicã fuisse, compertum habemus, eandẽ pro maximè casta, qui post eum uiuerent, cuncti ferè amplecterentur. In hoc tamen deterior fuit Maronis, quàm Homeri conditio, quòd hic omniũ poëtarum, quorum quidem aliqua scripta extẽt antiquissimus, facilius quod uolebat posteritati, q; ille persuadere potuit: qui in maxima Græcorũ, Latinorumq; scriptorum frequentia & luce uersatus, si quid præter rei ueritatem in suum opus referre uoluit, bonam fidei partem uel ideo deperdere quiuit, quia apud plurimos uulgatissimũ erat, Didonem pio mariti amore sese, ne in Hiarbæ Mauritaniæ regis potestatem ueniret, interfecisse: quum de Penelope omnes ferè in Homeri sententiam irent. Neq; hoc dictum uelim, quo minus Didonis tempora antiquissima fuisse putem: sed ut Penelope, tanquã castissima, paucis refragantibus, ab Homero laudata est, magnisq; laudibus ornata ad sequentium ætatum uiros emanauit, ita Didonis negocium non poëtica, sed historica fide, ab ijsdem acceptum est. Verùm in dispari causa, adeò enituit Virgilij ingeniũ, ut quod uolebat, quoad eius fieri potuit, haud dubiè præstiterit. Quapropter quũ Franciscus Petrarcha, rei ueritati adhærens, relicta nostri poëtæ sententia, Didonem castam fuisse asseuerarit, quur non idem de Penelope facere debuerit, non intelligo: nisi aut ea ignorarit, quæ de illa ab alijs tradita fuerunt: aut potius, tanquam falsa, sciens uolensq; respuerit. Sed nobis non tam quid Petrarcha de Penelope crediderit, quàm quid de eadem pro Sibyllę folio habendum sit, propositum esse debet. Itaq; hac in parte Ethruscum poëtam aut memoria, si quæ dicemus, unquàm legerat, aut iudicio, si eadem improbauit, uacillasse dicentes, Penelopem absenti marito fidẽ non seruasse, sed meretricio more uixisse, constanter asserimus: tum quod à Lycophrone in Alexandra, βασσάρα κασσωρεύτιδα appellatur: tum quod Duris Samius antiquus scriptor, cuius Plutarchus, Pliniusq;, alijq; nõ pauci egregij scriptores mentionẽ faciunt, idẽ asseruit, ut Ioãnes Tzetzes Lycophronis interpres ait: quamuis eum cõmuni Gręciæ causę fauens, mentiri dicat. Illam uocem κασσωρεύσασαν, πορνεύσασαν, hoc est, scortantem exponens. Inquit autem: Νῦν δὲ βασσάραν λέγει τὴν πηνελόπην. κασσωρεύσασαν δὲ, ἀντὶ τοῦ πορνεύσασαν.

Δοῦρις γὰρ ὁ σάμιος ἐν τῷ περὶ ἀγαθοκλέους, φησὶ αὐτὴν συγγενέσθαι πᾶσι τοῖς μνηστῆρσι, καὶ γεννῆσαι τὸν τραγοσκελῆ πᾶνα· ὅπερ οὐκ ἀληθεύει. ὁ γὰρ ἑρμοῦ καὶ ἄλλης πηνελόπης· καὶ ἕτερος δὲ πᾶν, διὸς καὶ ὕβρεως. Id est: Nunc Bassaram dicit Penelopen, κασωρεύουσαν autem, hoc est, scortantē. Duris enim Samius in libro de Agathocle, ipsam cum omnibus procis coijsse, ac Pana, hircina crura habentem genuisse inquit. Quod uerum non est. Hic enim Mercurij, & alterius Penelopes filius fuit: alter autem Pan, Iouis & Hybreos. Sed quid uerbis opus est? quum & ipse Homerus, cuius præconio Penelopes laus constat, ex suis operibus id colligi posse uoluerit? An fortè ille propositus procis arcus, aliud significat, quàm eam ut iuuenum uires experiretur, id præcipuè certamen, quo se iuuenes exercerent, delegisse? At hoc quidem, uel ex eo patet, quòd his uerbis, νευρὴν ἐντανύσαι, id est, neruū intendere, ad id quod uolebat exprimendum, accommodatis admodum, frequenter utitur. Nam & Ouidius Homerum idem innuisse uult, quum ait libro primo Amorum:

Penelope uires iuuenum tentabat in arcu,
Qui latus argueret, corneus arcus erat.

Quum enim idem, epistolam Penelopes nomine ad Vlyssem scripsit, uulgatam opinionem non ignarus fouit. nec minus, quum ita caneret eiusdem operis libro tertio:

Penelope mansit, quamuis custode careret,
Inter tam multos intemerata procos.

In eo tamen scribendæ ex notiori Homeri sententia epistolæ argumentum captauit, hoc uerò de industria uersibus inclusit, ut falso exemplo ei imponeret, quem ab uxoris custodia remouere cupiebat. subdit enim,

Rusticus est nimium, quem lædit adultera coniunx,
Et notos mores non satis urbis habet:
In qua Martigenæ non sunt sine crimine nati,
Romulus Iliades, Iliadesq; Remus. Et mox,
Si sapis, indulge dominæ, uultusq; seueros
Exue, nec rigidi iura tuere uiri.
Et cole quos dederit, multos dabit uxor amicos:
Gratia sic minimo magna labore uenit.
Sic poteris iuuenum conuiuia semper inire,
Et quæ non tuleris multa uidere domi.

Atqui & inter obscœna carmina, argutissimum legitur epigramma, quod uerum (quantum ego iudicare ualeo) Homeri sensum pulcherrimè exprimit, cùm omnē Iliados, Odysseæq; materiā ab amoribus pendere ostendit: ex quo, hæc ad nostram rem attinent, licet unica uoce rigidas Catonū aures offensura uideantur. Alloquitur autē eis Penelopen Hellespōtiacus deus:

Quæ sic casta manes, ut iam conuiuia uisas,
Vt'que fututorum sit tua plena domus,
E quibus ut scires, quicunque ualentior esset,
Hæc es ad arrectos uerba locuta procos:
Nemo meo melius neruum tendebat Vlysse,
Siue illi laterum, seu fuit artis opus.
Qui quoniam perijt, modò uos intendite, qualem
Esse uirum sciero, uir sit ut ille meus.

Quin & Horatium tacitè eodem allusisse reor, quum apud eum sic inter se loquantur Tiresias atque Vlysses:

Scortator erit, caue te roget; ultro

Penelopem

Penelopem facilis potiori trade: putas'ne
Perduci poterit tam frugi, tamq; pudica?
Quam nequiuere proci recto deducere cursu.
Venit enim magnum donandi parca iuuentus,
Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinæ.
Sic tibi Penelope frugi est: quæ si semel uno
De sene gustarit, tecum partita lucellum,
Vt canis à corio nunquam absterrebitur uncto.

Est autem poëtarum moris (ut ad Homerum reuertar) licet aliquid à uero quàm remotissimum, ut ueri simillimum sit, uerborum sententiarum'que ornatu faciant, aliquo loco obiter id attingere, quod toto operis contextu dissimulant. Itaque & Virgilius in hoc poëtico colore (si modo is color est uocandus) sic Homeri uestigijs insistit, ut quum nihil unquam notius fuerit, quàm Aeneam atq; Antenorem Græcis patriam prodidisse, ipse'que eorum alterum, ut operis scopum, omnibus heroicis laudibus ad cœlum efferendum suscepisset, rei tamen ueritatem ambiguo uersu aperuerit, cùm Aeneas pictas in Carthaginensium templo Grecorum Troianorumq; res gestas oculis percurrens,

Se quoque principibus permixtum agnoscit Achiuis.

Quem enarrans Seruius: Aut latenter, ait, proditionem tangit, aut fortitudinē, qua inter hostium tela uersabatur. Quid igitur in causa erit, quo minus Penelopem pudicitiam non seruasse, & falsam esse de ea re Petrarchæ censuram, ex tot ueterum testimonijs, & ex ipso denique Homero concludamus? Qui quum ab aliquibus Ithacensis, ab aliquibus etiam Telemachi filius existimatus sit, quamuis ex animo Penelopem, ut maximè pudicam celebrasset, peculiari quodā in suos affectu laborasse fortè crederetur. Huc accedit, quod propria summorū poëtarū laus (ut & paulò antè attigimus) in eo præcipue uersatur, ut præter illa, quæ nunquā fuerunt, ea etiam quæ esse nullo modo potuere, nobis suadere studeant. Quare elegantissimè de poëtica licentia Ouidius libro Amorum tertio,

Nec tamen ut testes, mos est audire poëtas:
　Malueram uerbis pondus abesse meis.
Per nos Scylla patri canos furata capillos,
　Pube premit rabidos, inguinibusq; canes,
Nos pedibus dedimus pennas, nos crinibus angues,
　Victor Abantiades alite fertur equo.
Idem per spacium Tytion porreximus ingens,
　Et tria uipereo fecimus ora cani.
Fecimus Enceladum iaculantem mille lacertis,
　Ambiguæ captos uirginis ore uiros.
Aeolios Ithacis inclusimus utribus Euros:
　Proditor in medio Tantalus amne sitit.
De Niobe silicem, de uirgine fecimus ursam,
　Concinit Odrysium Cecropis ales Itym.
Iuppiter aut in aues, aut se transformat in aurum,
　Aut secat imposita uirgine taurus aquas.
Prothea quid referam? Thebanaq; semina dentes?
　Qui uomerent flammas ore, fuisse boues?
Flere genis electra suis auriga sorores?
　Quæ'que rates fuerint, nunc maris esse deos?

Auersumq; diem mensis furialibus Atrei:
Duráque percussam saxa secuta lyram.
Exit in immensum fœcunda licentia uatum:
Obligat historica nec sua uerba fide.

Ac si qui ijs contemptis, quæ de uero Homeri sensu dicta sunt, cõtra diuina humanaq; iura unico fabulosi poëtæ testimonio (nã ab eo potissimũ omnis huius rei fides effluxit) Francisco Petrarchæ subscribere non dubitant, cur Herodotum non eum quidem poëtam, sed historicũ (licet aliqua & ipse fabulosa in suas Musas retulerit) nõ audiunt: quo teste Græci Pana ex Penelope & Mercurio natũ affirmãt: ἐκ ταύτης γὰρ, inquit, de Penelope loquẽs, καὶ Ἑρμείω λέγεται γενέσθαι ὑπὸ ἑλλήνων ὁ πάν. hoc est: Ex hac enim & Mercurio Pan à Græcis genitus dicitur. Et de Penelope quidem hactenus. De Vlyssis uerò morte Lucianus libro Verarũ historiarum secundo ita scribit, ex eius ad Calipsonem literis, ἀποκτείνας δ' ἅπαντας, ὕστερον ὑπὸ τηλεγόνου τοῦ ἐκ κίρκης μοι γενομένου ἀνῃρέθην. id est: Quum autẽ omnes (de procis sentit) interfecissem, à Telegono denique, quem ex Circe susceperam, cæsus sum. Quomodo uerò id factum sit, Didymus satis succinctè refert, ait enim: οἱ νεώτεροι τὰ περὶ τηλέγονον ἀνέπλασαν, τὸν κίρκης καὶ ὀδυσσέως, ὃς δοκεῖ κατὰ ζήτησιν τοῦ πατρὸς εἰς ἰθάκην ἐλθὼν, ὑπ' ἀγνοίας τὸν πατέρα διαχειρίσασθαι τρυγόνος κέντρῳ. Id est: Recentiores hæc de Telegono Circes Vlyssisq; filio dicta confinxerunt, qui quũ ad quærendum patrem in Ithacam esset profectus, eum per ignorantiam turturis osse occidisse existimatur. Et sanè id occultè denotat apud eundẽ, quẽ modò nominabamus, Homerum Thebani Tiresiæ de Vlyssis mortẽ præcedentibus signis apud inferos hocce uaticinium:

ὁππότε κεν δή τοι ξυμβλήμενος ἄλλος ὁδίτης
φήῃ ἀθηρηλοιγὸν ἔχειν ἀνὰ φαιδίμῳ ὤμῳ
Καὶ τότε δὴ γαίῃ πήξας εὐῆρες ἐρετμὸν,
ῥέξας ἱερὰ καλὰ ποσειδάωνι ἄνακτι
ἀρνειὸν, ταῦρόν τε, συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον,
οἴκαδ' ἀποστείχειν ἔρδειν θ' ἱερὰς ἑκατόμβας
ἀθανάτοισι θεοῖσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.
πᾶσι μάλ' ἑξείης, θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ
ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται, ὅς κέ σε πέφνῃ
γήρᾳ ὕπο λιπαρῷ ἀρημένον, ἀμφὶ δὲ λαοὶ
ὄλβιοι ἔσσονται, τὰ δέ τοι νημερτέα εἴρω. Hoc est,

Occurrens alius tibi quandocunque uiator,
Flabrum humeris gestans insignibus aspicietur:
Tunc postquam remum in terram defixeris aptum,
Et bona reddideris regi sacra Ennosigæo,
Custodemq; suum, taurumq; agnumq; trucidans,
Perge domum, & diuis solennia perfice magna,
Qui mortem ignorant, summoq; fruuntur Olympo,
Omnibus ut par est: at mors tibi talis ab alto
Dura mari ueniet, quæ te uoluentibus annis,
Maturo domet in senio. populi quoque circum
Pollebunt opibus. uera hæc tibi singula narro.

Quare autem ἀθηρηλοιγὸν flabrũ, ἀβληχρὸν uerò duram, uerterim: redderem hoc loco rationem, si omnia ubiq; persequi uellem. Quumq; ita se habeat, ut declarauimus, Vlyssis mors, magis explicitè eã nobis exponit septimus Dictys Cretẽsis de bello Troiano liber, in cuius calce hæc de ea re legimus: ad Vlyssis

ad Vlyssem nempe frequentibus augurijs somnijsq; territum, quòd à filio sibi timeret, proptereaq; Telemachum in Cephaloniæ campos relegasset, Telegonũ ex eo & Circe genitum, ab Aeea insula, ut patrẽ cognosceret, uenisse: qui cùm ab Vlyssis custodibus aditu ad patrẽ prohiberetur, eorumq; nonnullos trucidasset, ab Vlysse ad clamoris nunciũ excitato, lancea petitus, fatum quidem ipse euitauit: hastili autẽ, cuius summitati marinę turturis os præfixerat, patrem inscius interfecit. Idem tamen scriptor, alia signa Vlyssi à mari edita tradit. Sed quæ nam ea fuerint, latius non docet.

Cur homines μέροπες ab Homero dicti sint. Cap. III.

MVltam esse naturæ tum in rebus omnibus, tum in hominum ingenijs uarietatem, neq; quenquam ignorare arbitror, & ipse (ut de hac una uerba faciam) qui eam quantum iuueni licuit, tam in ijs qui aliquid memoria dignum scripserunt, quàm in plerisq; quorum omnis eruditionis laus cum uita interijt, cognoscendi gratia non parum laboraui, si mihi aliquanto exactius perspectam affirmem, nullam fortasse arrogantiæ notam iure subierim. E quibus quum plurimos mediocriter, non paucos uerò uehementer laudandos comperer im, idem mihi in quibusdam uituperandis uel ideo contigisse opus fuit, quòd eosdẽ sæpenumero uirtutũ, uitiorumq; gradus esse uidemus. Verũ quando mihi hoc tempore, quid de singulis iudicarim, pronunciare nõ est in animo, summũ tantum in ineptũ quoddã hominũ genus, nostrũ odium, paucis ostendã, quorum in liberaliũ scientiarũ linguarumq; cognitione studia, cùm ad nullã uiro dignam metam peruenire ualuerint, in hoc præcipuè desudant, totisq; uiribus adnituntur, ut quoniã suam imperitiã plurimis notã esse intelligunt; hoc se nomine unicè uenditent, quòd summorũ uirorum auditores fuerint. Itaq; cùm nihil fermè nostris auribus tritius sit, quàm cùm multos uideo, aut etiã ex lucubratiunculis quibusdam cognosco, qui bonis se literis mancipatos esse, omnibus esse perspicuũ uelint, illud protinus subiungi, hic Erasmi se, ille Budæi discipulum prædicat, hic à Marco Musuro, ille à Lazaro Philagato, alius à Lascare, aut à Lampridio, similibusq; doctissimis uiris, Græcas literas didicisse gloriatur: hisce uerbis cum ijs agere soleo, O uos etiam atq; etiam infelices, qui quum in liberalibus studijs nihil prorsus profeceritis, nequicquam meras nugas aucupamini, quum præstantissimorum uirorum nomina uestræ inscitiæ prætenditis: quasi qui Budæum, aut Erasmum audierunt, eosdem omnes ipsis doctoribus eruditiores euasisse necesse sit: aut hoc apud cordatos homines inualuerit, eos solos doctrina esse commendandos, qui excellentes magistros nacti fuerint. Neque hoc ideo scribo, quòd parum ad cuiusq; eruditionem conferre putem, eorum quos audierint amplitudinem, qui quidem nihil magis expetendum existimem, quàm eminentissimos in quibusuis disciplinis præceptores: atq; hac in parte non multis inuideam: sed quid mihi profuerit Platonis, Aristotelisq;, aut Marci Tullij, si inter uiuos agerent, quantumlibet domestica propter disciplinas consuetudo, si eo essem ingenio, quòd illorum præcepta nullo modo posset capere? Non igitur quem quisque audierit, sed quantum sibi doctrinę comparauerit, est dispiciendum. Nam si sub eximio magistro quis nihil, aut non multa discat; non illum, sed seipsum perpetuo dedecore afficiet. Nec refert ubi nam Grę cas literas quis didicerit (de hac enim re quidam etiam adeò solliciti sunt, ut malint mediocriter doctũ in Creta, quàm in Italia, aut Germania, aut Gallia doctissimum audire) quum multi olim Athenis Atticis eas imbiberint, neque tamen tantum in ijs profecerint, quantum Horatius, qui postquam

illis Romæ imbutus fuerat philosophiæ causa, postea se Athenas contulit, ubi eius professores, qui maximè tum florebant, audiret: quod ipse de se testatur libro Epistolarum secundo, his uersibus,

Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri
Iratus quantum Graijs nocuisset Achilles:
Adiecere bonæ paulò plus artis Athenæ,
Scilicet ut possem curuo dignoscere rectum,
Atque inter syluas Academi quærere uerum.

Sed ut ad eos redeam, qui Cleanthis lucerna superbi, inanibus se huiusmodi magnorum uirorũ umbris tutantur, superioribus annis, satis longã cuiusdam (quẽ nominandum non duco) epistolã ad Erasmum Roterodamum, non semel, sed iterũ atq; iterũ perlibenter legi: quòd nullus pictor tam eximiè humani corporis lineamẽta exprimit, q̃ ille suos omnes animi affectus ea depingebat, in hoc potissimũ insistens, ut quoniã nullis proprijs monumentis Erasmi se uel auditorẽ, uel amicum fuisse cognitũ iri speraret, unicam saltem illi, quamuis inuito epistolã, id quomodocunq; testantẽ, extorqueret: quod quidem facilè est consecutus. Vt enim Erasmus peracri iudicio prȩditus erat, nõ difficulter perspecto hominis consilio, sic ei respondit, ut quod ille omnibus manifestũ esse enixè optabat, nõ sine gloriolæ suæ iactura in uulgus emanare uiderit. Nã & de aliquibus erratulis, quibus eius epistola referta erat, ipsum admonuit, & in plerisq; summæ rerum imperitiæ conuicit. At quem'nam exitũ hæc res sortita est? Tanta eum de quo loquimur, etiã mediocris laudis prurigo inuaserat, ut cùm absq; aliqua sua labecula, suam Erasmiq; epistolã in lucem dare nõ posset, contempta inscitiæ nota, utramque euestigio typis excudi, ac per ora uirûm uolitare uoluerit. Cæterum quamuis nõ me lateat, quæ ab Erasmo scripta sunt, nunquã nisi per totius literariæ rei naufragiũ ex doctorũ manibus casura: nõ tamẽ tantus uir, quin illius, cuius nomini parco, epistola sub ipsum statim ortũ occideret, suæ epistolæ præsidio efficere potuit. Cùm enim nihil sit odiosius, q̃ captaiũ inuitis auibus cõtra diuina omnia humanaq; iura argumentũ: quis ea ȩquo animo legat, in quibus nulla sit nõ triuialis sentẽtia; nulla nõ insulsitatis, ueræq; assentationis plena periodus? Quòd si is tã gloriosum putarabat, uel cũ Erasmo aliquandiu uixisse, uel alio quouis modo nõ postremũ inter eius amicos, auditores'ue locũ tenere, nouũ aliquod argumentum, ut Erasmũ non semel fecisse nouerat, tractandũ suscipere debebat; atq; ita quidem, ut ab Erasmo sibi non auditoris tantũ nomen, sed magnos etiã eruditionis fructus contigisse omnes intelligerent. Sed id, dixerit quispiã, ut potuit, fecit. Suã etenim ad Erasmũ epistolã, plus sexcentis adagijs conspersit, ut bene Erasmo addictus cognosceretur. Cuius lucubrationes omnes cùm maxima laude dignæ sint, nulla tamẽ ad prouerbiorũ Chiliadas, multis de causis accedit. Imò si hoc animo egregium illud opus immensis laboribus compositũ scirẽ, ut uel in familiari sermone, uel in scriptis etiã nihil quàm meras parœmias creparemus, magis eius manibus essem infensus, q̃ propterea sum amicus, quòd aliũ scopũ spectauit, nempe ut non modò collectis unum in opus innumeris adagiorum centurijs, sed ostensis quoque eorum significatibus, altius'que repetita illorum origine, rem literariam mirum in modum iuuaret: ne scilicet prouerbijs utentes, prouerbiorum uim causasq; ignoraremus. Et sanè ut nihil in oratione gratius, nitidius'que esse potest, quàm aptè moderateq; in eam insertȩ parœmiȩ: ita nihil tam doctorum aures offendit, quàm totus eis contextus sermo; quod tum in hoc, tum

in aliis

in alijs orationis ornatibus uitandum esse proculdubio docet Marcus Tullius libro tertio de Oratore, quum ait: Quanto molliores sunt, & delicatiores in cantu flexiones, & falsæ uoculæ, quàm certæ & seueræ? quibus tamē nō modò austeri, sed si sæpius fiunt, multitudo ipsa reclamat. Licet hoc uidere in reliquis sensibus, unguētis nos minus delectari summa & acerrima suauitate conditis, quàm his moderatis: & magis laudari quod cerā, quàm quod crocum olere uideatur: in ipso tactu esse modum & mollitudinis, & leuitatis. quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maximè uoluptarius, quiq́ue dulcedine præter cæteros sensus commouetur, quàm cito id quod ualde dulce est aspernatur, ac respuit? Quis potione uti ac cibo dulci diutius potest? quum utroque in genere ea, quæ leuiter sensum uoluptate moueant, facillimè fugiant satietatem. Sic omnibus in rebus, uoluptatibus maximis fastidium finitimum est. Quo hoc minus in oratione miremur, in qua uel ex poetis, uel ex oratoribus possumus iudicare concinnam, distinctam, ornatam, festiuam, sine intermissione, sine uarietate, quamuis claris sit coloribus picta, uel poesis, uel oratio, non posse in delectatione esse diuturna. Atque eo citius in oratoris, aut poëtæ cincinnis aut fuco offenditur, quòd sensus nimia uoluptate, natura, non mente satiantur: in scriptis, & in dictis, nō aurium solum, sed animi iudicio etiam magis infucata noscuntur. Hæc Cicero: qui si ea, quæ admodum appositè collocata sunt, nauseam doctis auribus frequentia parere affirmat, quanto magis ea, quæ præter rem in medium adducuntur? Siquidem in hoc quoque egregius ille Erasmi auditor uehementer peccauit. Dum enim ne uerbū quidem absq; adagio proferre audet, plurima in suam epistolā coniecit, quibus nihil est intempestiuius, nihil ridiculū magis: prout apertissimè dignoscere potuit quicunq; eā aliquando lectitauit. Verū facilè hæc ei condones, qui Græcas literas non mediocriter laudat; utq; ad eas capessendas unumquenq; hortetur, idcirco homines ab Homero μέροπας dictos docet, quòd uarijs linguis utantur. Iam si eam ob rem homines ab Homero meropas uocari manifestissimum esset, non tamen inde uarias linguas ab hominibus discendas esse colligeremus. Quandoquidē si aliter Itali, Galli aliter, aliter etiā Hispani, Germaniq; loquuntur, an tamen ideo omnes Italicum, Gallicū, Hispanicum, Germanicumq; idioma cognoscere debemus? At pulchrū est ita loqui posse, ut aliæ nationes faciunt. Rectè quidē: Atq; hoc addo, fieri nō posse, ut aliquis exactā disciplinarū cognitionē acquirat, quin Grecas literas idē didicerit, quāuis aliquos nō mediocriter eruditos eius imperitos fuisse sciamus. Verùm nō ideò diuersas linguas quis acquirere cogitur, quòd ille inter homines diuersæ habeātur. Nō tamē homines ideo meropes ab Homero uocatos esse, quòd uariæ humano generi linguæ sint, sed q; distinctā uocē habeant, quod omnibus alijs animātibus est negatum, eius Scholiastes his uerbis declarat: μερόπων, μεμερισμένην τὴν φωνὴν ἐχόντων, ὡς πρὸς σύγκρισιν τῶν ἄλλων ζώων, ὅ ἐστι μεριζομένην εἰς συλλαβὰς, καὶ ὑπαρθρον ἐχόντων τὴν ὄπα, τοῦτ' ἔστι τὴν φωνήν. Idē sentit & Suidas his uerbis: μέροψ, καὶ μέροπες οἱ ἄνθρωποι, διὰ τὸ μεμερισμένην ἔχειν τὴν ὄπα, ἤτοι τὴν φωνήν. Eustathius uerò distinctius, μέροπες δὲ οἱ ἄνθρωποι, παρὰ τὸ φύσει μεμερισμένην ἔχειν τὴν ὄπα, εἴς τε λέξεις, καὶ εἰς συλλαβὰς, καὶ εἰς στοιχεῖα. ὁ μηδεμία ἔχει φωνὴ παρὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων αὐδήν· αἱ δὲ ἄλλαι ὅτι ὄπες λέγονται, ὥσπερ οὐδὲ αὐδαὶ, καὶ οὐδὲ ὑπομερίζονται. Nec ignoro hūc cuius mentionē fecimus Eustathiū, ea uerbis à nobis recitatis subiūgere, quę ex aliquorū sententia ideo homines ab Homero dictos significent, q; postq; filij Adā turrim, quę à linguarū cōfusione Babel appellata est, in terra Sennaar ædificare ausi sunt, à Deo optimo max. in omnes terræ partes

do(ut alij ueteres fecerunt) lapsi sint, insectantur: ut'que non ferendos esse, qui Accursio, uerbi causa, infensi, cùm eum taxarent, pueriliter ipsi decepti essent, exemplo commonstrarẽ, Ioannem Ferrariũ, uirum equidẽ adprime eruditum, ea de causa damnaui, quòd Accursiũ carpens, quia Iustinianum Flauiũ, à Flauijs populis deuictis appellatũ putarit, quũ nouũ se quidpiam in reddenda eius uocis ratione, commentũ crederet, manifestè hallucinatus est. At hoc meum erga Accursij manes, uel rei potius ueritatẽ officiũ, tam ęgrè tulit non Montanus (qui cùm suum erratũ agnouerit, humanæ sortis memor, id sibi, quod alijs omnibus, qui unquã fuerint, summis heroibus cõtigisse intellexit) sed Selestadiensis quidã rabula, ut insano me cerebro esse deierare nõ dubitarit, ęo libro, quẽ Iuris Ciuilis Lexicon inscripsit, quippe qui nec Italis quidẽ pepercerim. Quin tu omniũ hominum homo insulsissime, indoctissime, leuissime, qui illo operi, quod tibi uendicas, solos Alberici, Alciati, Zasij, Ferrarijq́, ac similiũ centones assuisti, tuum autẽ præter paucas nugas prorsus nihil, si me prauè Ferrariũ notasse putabas, cur non meum mihi erratum ostendisti? Atqui, inquis, fateor in ea uoce illius esse erratulũ, sed humanius fuisset, id meliore producta sententia commonstrare. Ego uerò quid tibi humanius, inhumanius'ue uideatur, non quæro, dum te nihili hominem esse, omnibus liqueat: qui me idcirco insanum putes, quòd nec à quibusdam Italis lacerandis abstinuerim, quasi uerò eos tantum mihi hostes delegerim, qui extra Italiã nati sunt, ijs omnibus parcam, quos Italia produxerit: cùm potius ubiq; inculcem, parũ referre, quo'nam quisque in loco natus sit, dum se dignũ exhibeat, qui ab omnibus ubicunq; natis summopere celebretur. Proinde ut eiusmodi nugatorem, non patria, sed inscitia, Italis, Gallis, Hispanisq́, odiosum reddidit: ita non mihi homines Italia, Gallia, Hispaniaq́, sed doctrina commendat, qui quum de Desyderio Erasmo quid censeã, hoc loco sim dicturus, hoc tantũ eos, qui nostra hęc legere non grauabuntur, admonitos uelim, nunquã me tam temerariũ fuisse, ut quod ipse de quacunq; re existimẽ, alijs omnibus me persuasurum sperarim, sed ut ea tantum proferrẽ, mihi semper insedisse, quæ rationibus possem comprobare. Quòd si in illis eligendis nonnunquã uacillasse deprehendar, nõ recuso quin id in meis lucubrationibus damnent, quod ipse omnibus modis, si id animaduertissem, erã uitaturus. Alioqui insanos omnes latratus magnopere aspernor, & Selestadiensis præcipue: cui quid tribuere debeã, à Germano iuuene mihi quàm familiarissimo doctus sum. Enimuero ubi locũ ei ostendi, in quo frigidus uappa quendam Floridum nimis acerbè calamũ in Montanũ strinxisse decernebat: Nõ est, inquit ille, cur huius edentuli morionis debacchationibus uel tantillũ commouearis, quum idẽ sit apud Germanos Selestadiensis hic uetulus, quòd apud Italos Thomas Fanutius. Erat autẽ hic Thomas (an enim iam sit, nescius sum) garrula quædam cornicula, insigni quadã loquacitate omnes aniculas facilè uincens: cumq́ obscurum de poëtarum comparationibus opusculũ cõposuisset, typisq́ Bononiæ idem suo ære excudi curasset, nec quodquã eius exemplar ullo pacto distrahi posse uideret, in malam crucem de suis rebus desperans erupit. Verũ relicto hoc ranarũ genere, quod neq; uiuũ, neq; mortuũ cuiquã officere ualet, de DES. Erasmi eruditione, quia non alius fuit nostra memoria, tot tãtisq́ cõtentionũ procellis expositus, aliqua scripturi, ab ijs quæ ad græcarũ ac latinarũ, quæ in illo fuit, literarũ cognitionẽ pertinẽt, auspicabimur. Iis igitur temporibus natus Erasmus, quibus græcæ literę à paucis, latinę aũt à nõ multo plurib. tyrãnicè quodãmodo tenebãtur: cũ in

his primò,

his primò, tũ in illis adultus, iã nõ mediocriter profecisset, ut iuuenes ad earũ studia, uelut proposita esca alliceret, duos Theodori Gazæ grãmaticæ libros in Latinũ sermonẽ cõuertit, Lucianiq; mox, ac Plutarchi nõ pauca Latinę itidẽ linguæ donauit. Qua in re mirificè felix fuit, nec multos illi in eo negocio pręferre audeas. Quæ cùm nõ mediocrẽ illi gloriã peperissent, maiorẽ sane ex adagiorũ Chiliadibus est adeptus. Quid dicã de multis eiusdem ad Latinam linguã pertinentibus opusculis? Quid de dialogis, in quibus supra modũ est facetus? Cæterũ non maiorẽ ex ijs in se inuidiã concitauit, quàm gloriã deriuarit. Nam pleriq; eum, edito etiã Stultitiæ Encomio, uti male de religione sentientẽ, execrari cœperũt. Deinde uerò cùm Nouũ testamentũ uertisset, in idq; scripsisset Annotationes, palàm à plerisq; in certamen est prouocatus. Nam primus in eũ inuectus est Martinus Dorpius, summæ spei iuuenis, nec multo pòst Iacobus Faber Stapulensis: quibus ita respondit Erasmus, ut integra inter eos amicitia perpetuò durarit. Prosilijt post hos in mediũ Eduardus Leus, cum illo quasi cũ acerrimo hoste agens. Successit Eduardo Iacobus Latomus, totis uiribus in Erasmum debacchatus: & post hũc Ioãnes Stunica, ac Sanctius Caranza, trib. duntaxat in locis Stunicæ defensor. Petrus quoq; Sutor Carthusiẽsis monachus, & Beda Parisiẽsis Theologus, plurima in eundẽ ediderunt. Ad quẽ post hos, quos dixi, amicè scripsit Albertus Pius princeps excellẽtissimus, illius prouocatus epistola, qua non leuiter querebatur, quòd Romę apud summũ pontificẽ, purpuratosq; patres, eius opera malè audiret. Cui sic respõdit Pius, ut nihil modestius, nihil sanius à doctissimo principe expectare licuerit. Eũ cùm scripta ad hoc Apologia iterũ lacessisset Erasmus, diffusius ille rem egit, de plurimis Theologicis quæstionibus, ut summũ heroẽm decebat, multis libris differens. Quod sanè opus, cùm autor morte præuentus, summam ei manũ imponere non potuisset, utcunq; partim ab eo, partim à nobis recognitũ in lucẽ exijt. At id tã sinistrè accepit Erasmus, ut immerentẽ heroẽm, pręter decorũ calumniari nõ sit ueritus, scommatibus parœmijsq; tãti uiri maiestatẽ deuitãs, atq; illud sæpissime repetẽs, Parisienses Theologos alios ei phrasim, alios loca, alios alia suggessisse: quod tamẽ à uero plurimũ abesse, cùm omnes qui Lutetiæ Parisiorũ eũ paulò familiarius nouerant, tũ ipse constantius quàm cęteri omnes asserere queo: quando per ea tempora, quibus is princeps illud opus scribebat, neminẽ qui literis operã dedisset, in domestica consuetudine habebat, pręter me unũ, iuuenẽ admodũ, quẽ Romæ ex Decij Syllani ludo, inter suos familiares admiserat: quod et nos alio loco testati sumus, & Ioannes Sepulueda Cordubensis, exactissimus idẽ Theologus, philosophusq;, et bonarũ literarũ cognitione eminẽtissimus, in ea quã pro illo scripsit defensione, nõ dissimulat. Sed ne in his, et reliquis, quę theologica sunt, diutius immoremur, aliud extitit hominũ genus, qui Erasmũ inexpiabili odio prosecuti sunt, atq; adeò plurimi hodie prosequuntur: ij ni mirũ, qui Ciceroniani uocari cupiunt, propter editũ in illos dialogum, qui Ciceronianus inscriptus est. Eorum uerò cùm magnus numerus sit, tum in Italia, tum in alijs quibusdam Europæ partibus, nemo tamen qui immodestius, furiosiusq; in eum scripserit, inuentus est, quàm Stephanus Doletus Aurelianus: cuius friuolis rationibus, quum ipse parum Ciceronianis amicus responderim, hoc tamen de eadem re in præsentia dixero, duas res, quare Doletus ad id certamen descenderit, fuisse in causa. Quarum alteram quum suo loco ostenderimus, altera ita se habet, ut quum nihil Ciceroniana superstitione sit absurdius, Erasmus autem per omne scriptorum genus

uagandum

uagandum, & ex singulis optimum quidque deligendum esse, commonstrarit, maximam gratiæ partem (si id omnibus esset persuasum) amissura fuerit immensa illa Doleti commentariorum farrago, ex Roberti Stephani thesauro, Marijque Nizolij in Marcum Ciceronem obseruationibus compilata. Qui enim id opus antequam hæc ederentur, uiderunt, non maius illud antea fuisse, mihi pro certo asseuerarunt, quàm sex Laurentij Vallensis de Latinis elegantijs libros, cũ aliorũ postea sudoribus magnopere locupletata, absque aliqua eius, cui ascripta sunt, laude circunferantur. Quã ob rem Doletus, quodcunque potuit, in Erasmũ uirus effudit, ita quidem ut Erinnybus agitatus, non honestæ contentionis gratia, cum eo congressus uideatur: qui licet facile ijs responderet, à quibus quocunque modo lacessitus fuisset, Doletum, uti mente captum quempiam, nulla responsione dignum duxit. Proinde id conspicatus egregius Latinæ linguæ commentariorum author, qui tertium se eorum tomum scripturum pollicitus, omnem de eo cogitationem, rei difficultate perterritus, abiecisse dicitur, nisi aliquis interim prodeat, qui paratam ei, illius materiam porrigat: qui se & literas, & natare, ut si alius quisquam, scire gloriatus est: qui inquam, unicus Aristippi germanus, animam mortalem esse, ac summum bonum in corporis uoluptate consistere, non dubitat, pro Erasmi calumniatore, unicus eius laudator repente factus est, composita de eius uita functi laudibus ode, quo nihil turpius est, nihil tetrius. Atque ego quidẽ, quamuis, cùm primum animum ad scribendum appuli, Gulielmique Budæi in Latinos odium planè non perspexissem, omnium qui uiuerent eum eruditissimum, nõ sine multorũ querimonia, dixi. Vbi uerò eius lucubrationes accuratius perlegi, paulò in eũ inclementior fui, quasi in Romanæ linguæ, eiusque scriptorum, obtrectatorem. Quod tamen ad doctrinæ palmam attinebat, sic reliqui, ut primo nostro opusculo erat expressum: quod sine dubio improbaret Doletus, qui cum laudare ualuit, cui nullã alicuius rei cognitionẽ reliquerat, cuius prouerbiorum centurias, quasi nullius ponderis, uellicat, cuius denique epistolas florulentas, stylũ autem flaccidum, eneruatumque, et omnibus uitijs scatentem, irridet: cùm ille facilis potius sit, & à uiuido quodam fœcundi ingenij flumine emanasse dignoscatur. Quòd si parcius aliquanto scriptorũ numero indulsisset, non dubito, quin ea (de styli candore loquor) assequi ualuerit, quæ summis quibusdã uiris in eo genere tribuuntur. Sed quid facias? Ipse eam laudẽ respuit: nec solũ durissimas plerasque Theologorum uoces non est aspernatus, sed quandoque de medio foro ea sumebat, quæ suis scriptis complecteretur: Illud frequentissimè in ore habens, se de huiusmodi dictionis candore minimè anxium, omnia quærere, omnia moliri, ut quocunque pacto bonarum literarũ, sacræque Theologiæ studiosos iuuaret, ex quo factũ opinor, ut non exiguo, neque floccifaciendo temporis spacio, se defraudarit: ut Plautum, Terentium, Suetonium, aliosque quosdam Latinos authores: Theologos uerò, Cyprianum, Hilarium, Hieronymum, Augustinum, Ambrosiumque, à multis mendis uendicaret: quod quatenus perfecerit, doctissimo cuique perspicuũ esse opinor. De adagiorũ autem Chiliadibus, hoc tempore non multa dicam, quòd tum præcedenti capite, tũ alijs in locis, non semel earum mentionem fecimus. Id porrò ipse fatebitur Momus, excellens Erasmi ingenium, in eo opere maximè enituisse, cùm nulla ferè parœmia eum fugerit, cùm omniũ fermè ueram rationem reddiderit, cùm demũ, si quando obscurior aliquis in eis nodus occurrebat (ut in tanto opere accidere oportuit) ingenuè se ad eum soluendum parũ aptum quan-

doque

doque affirmarit: Et per Deos immortales, quis est qui nunquā cęcutierit? Ex aliquot igitur quæ Erasmus in prouerbijs, meo iudicio, exactè non explicauit, illud est, quòd cur nam obscurissimam difficillimamq; rem, Delio natatore indigere, in prouerbium abierit, non docet. sed de eo sic ait: Δήλιος κατακολυμβητής, Delius natator olim uulgò dicebatur, admodum natandi peritus, quiq; posset in summa natare aqua. Natum adagium, aut certe factum illustrius, ex Socratis Apophthegmate. Quum enim huic Euripides librum obtulisset Heracliti, cui cognomen σκοτεινοῦ, propter affectatam scriptorum obscuritatem, rogaretq; Cuiusmodi uideretur, respondisse fertur hoc pacto: ἃ μὲν συνῆκα, γενναῖα. οἶμαι δὲ καὶ ἃ μὴ συνῆκα, πλὴν Δηλίου δεῖται κατακολυμβητοῦ, εἰς τὸ μὴ ἀποπνιγῆναι ἐν αὐτῷ. Id est: Quæ quidem intellexi, præclara. arbitror autem & ea, quæ non intellexi: quanquàm natatore Delio opus, ut nequis in eo præfocetur. Hæc Socrates, alludens simul & ad prouerbium, & ad Heracliti sensus nimium abstrusos ac profundos: ut nisi natator insignitè peritus contigisset, periculum esset, ne lector in eo libro suffocaretur, mergereturq;. Laërtius in Heraclito, refert hoc dictum ad Cratetem quendam, qui primus Heracliti librum de Natura, Græcis inuexerit, & hoc elogio commendarit. Hæc Erasmus. quibus quomodo id adagium, aut natum, aut certè illustrius factum sit, non male declarat: at causam ob quam Delio, & non alio natatore, in intelligendo Heracliti libro opus fuisse, uel à Socrate, uel à Cratete dictum sit, nequaquam ostendit, quum id esset in primis aperiendum. Sed quoniam nemo eam apertè docuit, ac coniecturis in illa reperienda, est agendum, ab Erasmo illam fuisse præteritam, neutiquam est mirandum. Neque enim sic ea à me reddetur, quasi aliunde emanare nequiuerit: sed & ipse, quæ mihi uidebuntur, de illa modestissimè, non ut Erasmum carpam, uerum ut quicquid possum, in communem studiosorum usum referam, indicabo. Quum itaque Socrates Delium natatorem eum esse oportuisse, qui in Heracliti libro non suffocaretur, Euripidi responderit, nec Delios homines alijs, siue insularum, siue continentis habitatoribus, in natando præstitisse usquam, quod sciam, legatur: eum ego interpretor Delium natatorem, qui omnia sciret, hocq; modo obscurissimum Heracliti librum intelligeret. Potuit autem uel Apollinem, qui in Delo insula natus, Delius ab ea appellatus est, cuiq; nihil occultum fuisse antiquitas credidit, intelligere: uel si ab hominibus, qui pro dijs habiti non sint, omniaq; itidem sciuerint, non est recedendum, Pyrrhum Delium piscatorem (quod genus melius cæteris natare solet) eo significare, ut facilis à piscatore ad natatorem sit allusio. Cur uerò Pyrrho Delio nihil fuisse incognitum, olim existimatum sit, Pythagoræ Samij causa factum est, qui μετεμψύχωσιν, hoc est, animæ ex alio in aliud corpus transmigrationem, cum magna celebritate inter Græcos docuit, quiq; nihil nescire prædicabat, ita dicere solitus, se Aethaliden quondam Mercurij filium fuisse, cui quum à patre quoduis præter immortalitatem, donum petendi, optio facta esset, hoc poposcit, ut & uiuens, & uita functus, omnia quæ contingerent, in memoria haberet. Inde quum paulò post in Euphorbum Panthoidem, qui Troiani belli tempore, à Menelao (ut Homerus Iliados libro decimo septimo testatur) interfectus est, immigrasset, atque idem de Aethalide affirmans, hoc adderet, se à patre accepisse, ut perpetuo errore, per quascunque uellet, arbores animaliaq; commigraret, mox in Hermotimum transisse: ut que eius rei fidem faceret, quum Branchidas iuisset, in Apollinis fanum ingressum,

gressum, clypeum, quem illic Menelaus suspenderat, uti suum petisse, tum ex hoc Hermotimo in Pyrrhum Delium piscatorem se transtulisse, qui eadem omnia de Aethalide, Euphorbo, Hermotimóque confirmarit. Ex hoc Pyrrho demum in Pythagoram uenisse, quam genealogiam ex Heraclidis Pontici sententia his uerbis Diogenes Laërtius in Pythagoræ uita recenset: τοῦτόν φησιν ἡρακλείδης ὁ ποντικὸς περὶ αὐτοῦ τάδε λέγειν, ὡς εἴη ποτὲ γεγονὼς αἰθαλίδης, καὶ ἑρμοῦ υἱὸς νομισθείη. τὸν δὲ ἑρμῆν εἰπεῖν αὐτῷ ἑλέσθαι, ὅ, τι ἂν βούληται, πλὴν ἀθανασίας. αἰτήσασθαι οὖν ζῶντα καὶ τελευτῶντα μνήμην ἔχειν τῶν συμβαινόντων. ἐν μὲν οὖν τῇ ζωῇ, πάντων διαμνημονεῦσαι. ἐπεὶ δὲ ἀποθάνοι, τηρῆσαι τὴν αὐτὴν μνήμην. χρόνῳ δὲ ὕστερον εἰς εὔφορβον ἐλθεῖν, καὶ ὑπὸ μενέλεω τρωθῆναι. ὁ δὲ εὔφορβος ἔλεγεν, ὡς αἰθαλίδης ποτὲ γεγόνει, καὶ ὅτι παρ' ἑρμοῦ τὸ δῶρον λάβοι, καὶ τὴν τῆς ψυχῆς περιπόλησιν ὡς περιεπολήθη, καὶ εἰς ὅσα φυτὰ καὶ ζῷα παρεγένετο, καὶ ὅσα ἡ ψυχὴ ἐν τῷ ᾅδῃ ἔπαθε, καὶ αἱ λοιπαὶ τίνα ὑπομένουσιν. ἐπεὶ δὲ εὔφορβος ἀποθάνοι, μεταβῆναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς ἑρμότιμον, ὅς καὶ αὐτὸς πίστιν δοῦναι θέλων, ἐπανῆλθεν εἰς βραγχίδας, καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ τοῦ ἀπόλλωνος ἱερὸν, ἐπέδειξεν ἣν μενέλαος ἀνέθηκεν ἀσπίδα. ἔφη γὰρ αὐτὸν ὅτ' ἀπέπλευσεν ἐκ τροίας ἀναθεῖναι τῷ ἀπόλλωνι τὴν ἀσπίδα, διασεσηπυῖαν ἤδη. μόνον δὲ διαμένειν τὸ ἐλεφάντινον πρόσωπον. ἐπειδὴ δὲ ἑρμότιμος ἀπέθανε, γενέσθαι πύρρον τὸν δήλιον ἁλιέα, καὶ πάντα πάλιν μνημονεύειν πῶς πρόσθεν αἰθαλίδης, εἶτα πύρρος γένοιτο. ἐπειδὴ δὲ πύρρος ἀπέθανε, γενέσθαι πυθαγόραν, καὶ πάντων τῶν εἰρημένων μεμνῆσθαι.

Quando igitur unicus à Pythagora, qui nihil sibi ignotum esse dicere solebat, ad Pyrrhum Delium piscatorem gradus fuit, cur nō ex ea re data prouerbio occasio uideri possit? Sanè de Pythagoræ temporibus alibi multa. De eius autem doctrina pauca admodum diximus, hoc est, illum quæ de animæ immortalitate Grecos docuerat ab Aegyptijs, ac Pherecyde Syro, cuius auditor fuit, suppresso eorum nomine accepisse, cum in eo quidē non parum laudandus fuerit, quod animam immortalem illis crediderit: in eo autem summopere sit carpendus, quod hominis animas in porcos, aliasque bestias marinas, terrestresque, ac uolucres migrare crediderit: quod est sine dubio absurdissimū. Ideoque minime miror Lucianum Samosatensem commodissime arrepta ex falsa eius opinione ansa, in eo Dialogo qui ὄνειρος ἢ ἀλεκτρυὼν inscribitur, & in alio, cui Βίων πρᾶσις titulus est, miris modis eum derisisse, cùm in illo Pythagoræ animam gallo inesse iocose fingat, in hoc uero primum ei in philosophorum auctione locum tribuerit, credo quòd Græcorum philosophorum uetustissimus extiterit. Hunc optimè Arithmeticam, Astronomiam, Geometriamque calluisse, suisque auditoribus silentium in quinquennium indixisse, memoriæ proditum est. Ab omnium animalium idem esu abstinebat, cætera omnia præter fabam comedens. Quod Cicero non sine ratione factū censet, in primo de Diuinatione ita scribens: Ex quo etiam Pythagoricis interdictū putatur, ne faba uescerentur, quòd habet inflationē is cibus, tranquillitati mentis quærenti uera contrariam. Cur autem ab animalibus abstinuerit, manifestissimum est. Propterea que P. Ouidius decimoquinto Metamorphos. libro ex ipsius Pythagoræ persona non minus doctè, quàm eleganter hæc de ca re cecinit;

O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid styga, quid tenebras, & nomina uana timetis?
Materiam uatum, falsique pericula mundi?
Corpora siue rogus, flamma, seu tabe uetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.
Morte carent animæ, semperque priore relicta
Sede, nouis domibus uiuunt, habitantque receptæ.

Ipse ego

Ipse ego (nam memini) Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in aduerso grauis hasta minoris Atridæ.
Cognoui clypeum læuæ gestamina nostræ,
Nuper Abanteis templo Iunonis in Argis.
Omnia mutantur, nihil interit: errat, & illinc
Huc uenit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus,
Spiritus, e que feris humana in corpora transit,
Inq; feras noster, nec tempore deperit ullo.
Vtq; nouis facilis mutatur cæra figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formas seruat easdem,
Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eandem
Esse, sed in uarias doceo migrare figuras.
Ergo ne pietas sit uicta cupidine uentris,
Parcite, uaticinor, cognatas cæde nefanda
Exturbare animas, ne sanguine sanguis alatur.

Lactantius porrò tertio Diuinarum Institutionum libro Pythagoræ de animæ in diuersa non tantum corpora, sed & animalia immigratione sententiã sic contemnit, ut eum, quòd obscuris parentibus esset ortus, suũ genus ad Euphorbum retulisse putet. Quę ignorantia, ait, effecit, ut quosdam dicere non puderet, idcirco nos esse natos, ut scelerum pœnas lueremus: quo quid delirius dici possit, non inuenio. Vbi enim, uel quæ scelera potuimus admittere, qui omnino non fuimus? nisi fortè credamus inepto illi seni, qui se in priori uita Euphorbum fuisse mentitus est. Hic credo, quòd erat ignobili genere natus, familiam sibi ex Homeri carminibus adoptauit. O miram & singularem Pythagoræ memoriam, ô miseram obliuionem nostrûm omniũ, qui nesciamus, quid antè fuerimus. Sed fortasse uel errore aliquo, uel grana sit effectum, ut ille solus Letheum gurgitem nõ attigerit, nec obliuionis aquam gustarit, uidelicet senex uanus, sicut ociosæ aniculæ solent, fabulas, tanquam infantibus credulis finxit. Quod si bene sensisset de ijs, quibus hæc locutus est, si homines eos existimasset, nunquam sibi tam petulanter mentiendi licentiam uendicasset. Sed deridenda hominis leuissimi uanitas. Hactenus ille. qui maius, ut mihi uidetur, à Deo optimo maximo beneficiũ accepit, ꝗ Pythagoras: cum Lactantius uerũ ab illo fidei lumen habuerit, cuius expers Pythagoras in eo (ut dixi) summã laudem est consecutus, quòd animã immortalem esse suis auditoribus omnibus rationibus persuadere conatus sit. Nónne magis illi uituperandi sunt, qui ut eam eodẽ quo & corpus tempore extingui cõuincerent, nihil intentatũ reliquere? Quorũ in numero nõ tantũ Græcorum quàm plurimi, sed & non pauci Latini fuerũt, ac inter cæteros Titus Lucretius Charus, Caiusq; Plinius maior. Cum enim eorũ alter mulris id rationibus cõprobare nitat̃, quam´nam Philosophorũ sectã secutus sit, his de Epicuro uersib. planè ostendit, quos sine stomacho mihi quidem legere nunquã contigit,

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, illustrans commoda uitæ,
Te sequor ô Graiæ gentis decus, inq; tuis nunc
Fixa pedum pono pressis uestigia signis.
Non ita certandi cupidus, quàm propter amorem,
Quod te imitari aueo: quid enim contendat hirundo
Cycnis, aut quid nam tremulis facere artubus hœdi

Consimile

Consimile in cursu possint, & fortis equi uis?
Tu pater es rerum inuentor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuisq; ex inclyte chartis
Floriferis ut apes in saltibus omnia libant:
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignissima uita.

alter uerò dignus propter singularem eruditionem, cui sanior mens in ea parte fuisset, sic de anima garrit libro Naturalis historię septimo: Post sepulturam aliæ atq; aliæ manium ambages, omnibus à suprema die eadem, quæ ante primum: nec magis à morte sensus ullus aut corpori, aut animæ, quàm ante natalem. Eadem enim uanitas in futurū etiam se propagat, & in mortis quoq; tempora ipsa sibi uitam mentitur: aliàs immortalitatem animæ, aliàs transfigurationem, aliàs sensum inferis dando, & manes colendo, deumq; faciendo, qui iam etiam homo esse desierit: ceu uerò ullo modo spirandi ratio homini à cæteris animalibus differt, aut non diuturniora multa in uita reperiantur, quibus nemo similem diuinat immortalitatem. Quod autem corpus animæ prosequitur materiam? ubi cogitatio illi? quomodo uisus, auditus? aut qui tangit? qui usus eius? aut quod sine his bonum? Quæ deinde sedes? quanta'ue multitudo tot seculis animarū uelut umbrarum? Puerilium ista deliramentorū, auidæq; nunquam desinere mortalitatis cōmenta sunt. Verum & Plinio & Lucretio, & quibuscunq; eiusdem hęreseos (ut ea nunc sileamus, quæ non ab hominibus, sed ab ipso omniū rerum parente atq; opifice accepta, absq; ulla cōtrouersia uerissima esse fatemur) innumeri excellentissimi uiri possunt opponi: sed unus Plato, pluris quàm infinitæ Epicureorum haræ est faciendus: cuius librum de animæ immortalitate cum legisset Vticensis Cato, sibi ipsi mortem consciscere nō dubitauit. Sed & Ambraciotes Cleombrotus, cum in eiusdem Phædonem incidisset, animamq; post corporis mortem superesse in eo scriptū inuenisset, extemplo se è muro pręcipitem dedit. In quem antiquus poëta elegantissimum illud Epigramma lusit:

ὕπας, ἅλιε χαῖρε, κλεόμβροτος ἀμβρακιώτης,
ἥλλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἀΐδην,
Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακὸν, ἀλλὰ πλάτωνος
ἓν τῷ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος.

Quid dicā de Cleanthe, Chrysippo, ac Zenone, qui sibi ipsis, quod idem de anima crederent, manus intulerunt? Iam & Empedocles cum in eadem esset persuasione, sese in craterem, hoc est in ardentis Aethnæ specum deiecit, quamuis Horatius id eum fecisse, ut pro Deo à posteris haberetur, existimarit:

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit.

De M. Tullio satis est notū, q̄ de ostendenda animæ immortalitate ubiq; sit sollicitus. Nam de alijs plerisq; tacebo, quoniam hoc argumentū plenè, ac pro rei dignitate tractandum non suscepimus, ne'ue cuiquam rerū copia fastidium pariamus, multa quidem quandoq; transimus: cuius rei hoc unū subijciam exemplum, quod cum de stipulationis etymologia agerem, M. Varronis testimoniū, qui à stipe eam, hoc est à pecunia (sic enim ea dicebatur) quam nobis dari stipulamur, non adduxerim, tum quòd is author nonnunquam in uocum deductionibus nimis est subtilis, tum quòd aliud quàm pecuniam stipulatione nobis obligamus.

De diuitijs Narciſsi, & prodigioſa Meſſalinæ libidine. Cap. V.

NVnc ut ad Eraſmum reuertamur, cum is non tantum aliqua in exactè reddendis quorundam Adagiorū cauſis prætermiſerit, ſed aliqua etiam, quę in prouerbij uſum tranſierunt, tanquàm prouerbia in ſuas Chiliadas non retulerit, non poſſum quin ſummopere demirer eum, qui Craſſi, Crœſiq; diuitias in Adagium abijſſe faſſus ſit, Narciſſi Claudij Cæſaris liberti opes ab eo ordine reiecíſſe: cum præſertim Iun. Iuuenalis ſimili modo eas ac Crœſi fortunas pro maximis, ſeu potius infinitis poſuerit in XIIII Satyræ calce ita ſcribens,

Sed nondum impleui gremium, ſi panditur ultra,
Nec Crœſi fortuna unquam, nec Perſica regna
Sufficient animo, nec diuitiæ Narciſſi,
Indulſit Cæſar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperijs, uxorem occidere iuſſus.

Caiusq; Plinius libro trigeſimo tertio, eo capite, quo de immodica pecunia, & quorum maximæ opes fuerint, ſcribit, poſtquam de Crœſo Craſſoq; non pauca retulit, tres Claudij libertos, quorū in numero Narciſſus fuit, Crœſo etiam opulentiores fuiſſe docuerit, his uerbis: Nec fuit ſatis, niſi totum Parthorum eſuriſſet aurū. Atque ut nomen quidem opimi (de Craſſo loquitur) occupauerit (iuuat enim inſectari inexplebilem iſtam habendi cupidinem) multos poſtea cognouimus ſeruitute liberatos opulentiores, pariterq; tres Claudij principatu, Pallantem, Calliſtum, & Narciſſum. An fortè quòd hoc de Narciſſo adagium, tam à Græcis aut à Romanis, quàm de Crœſo, Craſſoq; celebratum non erat, idcirco erat omittendum? Ego uerò tam libenter illo, quàm alio quouis ſummam opulentiam ſignificante uterer, tum quòd Iuuenalis celeberrimi poëtæ exemplo id facerem, tum quòd Narciſſum neq; Crœſo, neq; Craſſo poſtponendum duco: cum difficilius fuerit ei, qui ſeruus natus eſſet, quàm ijs qui in paternas diuitias aut regna ex teſtamento uenerunt, ſummas opes acquirere. niſi fortè qui Romani Imperij clauum in puppe ſedens teneret, aut Halyattis filio, Lydiæq; rege, aut priuato ciue Rom. inferior ſit habendus. At non unius Narciſſi ea ſors fuit, reſpondebit, qui Eraſmū excuſare geſtiet. Quin potius cum & Pallas & Calliſtus eandem ſibi apud Claudium gratiam compararuerint, ideo Narciſſi mentionem non fecit, quod is nō ſolus ad eum opum gradum à fortuna euectus eſt. Imò uerò non quid illis, ſed quid Narciſſo contigiſſet, ab eo ſpectari æquum erat: quando & Iuuenalis (ut oſtenſum eſt) ſic eum ut Craſſum, cuius fortunæ in adagiū erant relatæ, nominauit. Suetonius quidem in Claudij uita, poſtquam eum principem plurimos opulentiſſimos libertos ad maximos honores extuliſſe tradidit, duos eorum prætermiſſo Calliſto, Narciſſum ac Pallantem præcipuos fuiſſe docet. Sed ante omnes Narciſſum, ait, ab epiſtolis, et Pallantem à rationibus: quos decreto quoq; Senatus non præmijs modò ingentibus, ſed & Quæſtorijs Prætorijsq; ornamentis ornari libenter paſſus eſt: tantū præterea acquirere & rapere, ut querente eo quondam de fiſci exiguitate, non abſurdè ſit dictum, abundaturum, ſi à duobus libertis in conſortium reciperetur. Et ſubdit: His, ut dixi, uxoribusq; addictus, non principem ſe, ſed miniſtrum egit. Compendio cuiuſq; horum, uel etiam ſtudio ac libidine honores exercitus, impunitates, ſupplicia largitus eſt, et quidem inſcius plerumq; et ignarus. Quid ergo mirum, ſi, ut Satyricus ait, pro Narciſſi arbitratu Meſſalinam uxorem, mulierem impudiciſſimā Claudius intermit? Non mehercle, qui ſic apud eum principem potuit, à quo inter alia ſtultitiæ documenta hoc quoq; editum nouimus, quod adulto iam Britannico

nico filio Neronem priuignum adoptarit, adulteram, sed & castissimam quoque fœminam necare impune potuit. Quanquam iusta de causa Claudio in tam perditam, flagitiosamque uxorem seuire licuerit, cum eam præter cætera flagitia atque dedecora, Caio etiam Silio nupsisse deprehenderit. Dignũ sanè in honesta muliere facinus: quodque non facile crederes, nisi Plinius libro decimo cum insatiabilem in muliere libidinem exprimere uellet, de ea hisce uerbis ageret: Messalina Claudij Cæsaris coniunx, hanc regalem existimans palmam, elegit in certamen nobilissimam è prostitutis ancillam mercenariæ stipis, eamque die ac nocte superauit quinto ac uigesimo concubitu. Atqui & idem ille Satyricus poëta festiuius de ea, copiosiusque,

Quid priuata domus, quid fecerit Hippia, curas?
Respice riuales diuorum, Claudius audi
Quæ tulerit: dormire uirum cum senserat uxor,
Ausa Palatino tegetem præferre cubili
Sumere nocturnos meretrix augusta cucullos,
Linquebat comite ancilla non amplius una:
Et nigrum flauo crinem abscondente galero,
Intrauit calidum ueteri centone lupanar,
Et cellam uacuam, atque suam: tunc nuda papillis
Constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ,
Ostenditque tuum generose Britannice uentrem,
Excepit blandè intrantes, atque æra poposcit:
Mox lenone suas iam dimittente puellas,
Tristis abit: sed quod potuit tamen, ultima cellam
Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine uuluæ,
Et lassata uiris, nondum satiata recessit:
Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ,
Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.

De Io. Iouiano Pontano, Actioque Syncero. Cap. VI.

IN his itaque, ac eiusmodi non paucis, quæ singula hoc loco nõ sunt proferenda, aliquam in Erasmo diligentiæ partem desiderare quis ualuerit, his tamen tam non commouemur, quàm parũ recto (sic enim mihi uidetur) illius de quibusdam excellentibus uiris iudicio, in eo præsertim Dialogo, quem author ipse Ciceronianum uocauit, licet eius argumentum (ut sæpè testatus sum) non parum mihi arrideat, quòd prauè eos sentire ostendit, qui unico nos M. Tullio ad dictos esse debere dictitant, si quid cultum, limatum, ac denique immortalitate dignum componere moliamur. Nec sanè diffitebor, Erasmum ita rem quando que exaggerasse, ut post ualidas, quibus in eo utitur rationes, frigida nonnunquam, ac propè deridenda consectatus sit, & occulta quædam in M. Tulliũ spicula coniecerit. Sed & in eo Dialogo, & in cæteris, tam recentium quàm ueterum (paucos, in quibus etiam uitia, si uitia dicenda sunt, pro uirtutibus à nobis accipi æquum est, exceptos uolo) non minutissima quæque, sed maximè uera ac neruosa, & operis scopus in primis spectanda sunt. Proinde cum plurima Erasmus in illo opusculo eruditè admodum, ingenioseque doceat, rationibusque confirmet, in alijs leuioribus floccifaciendum est nimium eius in quibusdã rebus acumen. Cumque de plurimis, quos ad Ciceronis normã examinat, uerissimam sententiam tulerit: de duobus eum, nempe de Iouiano Pontano, Actioque Syncero iniquè iudicasse, ac friuolis rationibus eorum utrumque impugnasse

non dubito. Ac primũ quidem cum eos, qui omni studio se ad Ciceronis phrasim formasse crediti sunt, in postremam Ciceroniani Dialogi partem reiecisset, ut de ijs scilicet, Christophoroq́ Longolio copiosius ageret, id Pontano, Sannazarioq́, ut in inuidiam eos adduceret, uersutè tribuit, quod ab eorum utroq; fuit quàm remotissimũ, summum uidelicet Ciceronem imitandi studium. Atq; hoc palàm professus est, quum post Longoliũ, Bembum, Sadoletum, Casaliumq́, Pontanum collocauit, hęc de eo ex Nosoponi persona scribens: Certe Pontanũ uno ore prædicant omnes, huic Ciceronianæ dictionis palmam tribuunt eruditorum centuriæ. Sed enim unde'nam hoc collegerit Erasmus, non uideo. Vt q; de Longolio, alijs'que, quos Longolij similes esse uult, in præsentia nihil dicam, quis'nam Iouianum Pontanum (de Actio enim postea agemus) superstitiosè M. Tullio se obstrinxisse asseuerare audeat? An si ille eo quo Erasmus fingit studio fuisset detentus, plurimas suis scriptis uoces inspersisset, quas M. Cicero uitauit? At non de simplicium uocũ (dixerit ille) sed de orationis potius contextu, structurę'ue ratione loquor, quũ eum ad Ciceronis regulam excutio. Quin ego neq; in hoc utiq; tam anxiè eum laborasse conijcere queo, quãdo ea orationis genera elegit, in quibus M. Cicero nunquàm se exercuit: cuiusmodi sunt elegantissimi illi Dialogi, quos Lucianico more ab eo conscriptos Erasmus ait. Sed nec in ijs, quæ de prophanis, Christiano tamen cõuenientibus scientijs tractauit, idem scribendi institutum, quod M. Tullius in libris de Officijs, alijsq́ philosophicis secutus est. Ad hæc neque orationes, in quibus idem Cicero mirificè excelluit, neque epistolas attigit, quarũ is multos libros omni candore elegantiaq́ conspicuos reliquit, ac de quib. sinistrè admodũ iocatus est Erasmus, Longolianas cum illis cõferens: primũ, quod in Ciceronianis nihil esse accersitũ, aut elaboratũ autumat, cum multæ inter illas adeò graues, elaboratæq́ legant̃, ut ad ipsam penè orationum grauitatẽ ascendant: deinde quòd multa eiusdẽ, quę interciderunt, epistolarũ uolumina peritura non fuisse fabulat̃, si docti ea immortalitate digna iudicassent: quasi aut M. Tullio aliquid immortalitate indignũ scribere licuerit, aut multæ absolutissimæ eius orationes, diuiniq́ de Repub. libri, ideo nobis in manibus sint, quòd nihil illis absolutius condi potuerit. Verũ ne à Pontani causa longius digrediamur, cum eam potissimũ scribendi uiam delegerit, quam Cicero intactã reliquit, quis'nam sanus Iouianum Pontanũ ad Ciceronem se effinxisse dixerit? An fortè quòd historias soluta oratione, multaq́ carminũ genera composuit, in quibus Tullius suũ studium nunquam collocauit? Cum igitur hoc Ciceronianę imitationis prurito eum minimè laborasse planè uideamus, non protinus multa in illius lucubrationibus ad Ciceronem proximè accedentia (si ad eius plæraque quenquam proximè accedere fas est) inueniri inficiamur: cum (ut alibi de eo scripsimus) nemo meo iudicio omniũ nostrorũ scriptorum (de eminentissimis intelligo) artificium, aliasq́ siue solutæ orationis, siue poëmatis uirtutes, propius accuratiusq́ inspexerit, q̃ Pontanus: neq; quisquã felicius Ciceronem imitari potuerit, si hoc ei studium arrisisset, q̃ idem ipse, qui nulla earum partium, quæ eximio imitatori necessariæ sunt, esset destitutus. Cæterum cum suũ scribendi genus plurimũ tenuerit, id mihi in eo perfecisse uidetur, quòd post illos eximios Latinæ linguæ proceres, quorũ reliquias, ut rem sacrã amplectimur, prorsus nemo. Nam eius stilus ita cõpositus, sedatus, purusq́ fluit, ita quũ opus est assurgit, ut qui illi parũ æqui sunt, liuoris stimulis actos in eũ inuehi arbitrer, ad cuius uel in inuentione, uel in luculentissimæ dictionis sono, uel etiam in grauitate felicitatẽ se peruenturos desperẽt. A quorũ classe nec ipsum quidem Erasmum excluserim, qui

cum aliud minus candidum dictionis genus (ut dictum eſt) probarit, dignus fuit (quod de Seneca refert Fabius Quintilianus) qui meliora uellet, quādo quæ uoluit effecit. Quocirca quū de Pontano ita ſcribit: Ex meo iudicio nihil illius laudi uel acceſſerit, uel deceſſerit: qualis nam eius rei exitus eſſet futurus præclarè diuinauit. Cum enim ſic Pontanū laudat, ut parcius non potuerit, quæ nam illi ex Eraſmi iudicio laus accedere ualuit? Cum uerò inſulſis quibuſdam cauillis eundem ludificetur, quis illi aliquam in eo negocio integri iudicij micam tribuat? Quædam illius deguſtaui, inquit. Age autem, ſi quædam illius deguſtaſti, hoc eſt ſummis tantum labris attigiſti, cur de eo ſententiam fers, cuius operà accuratè non legeris? Et ſequitur: Tractat materias prophanas, quaſiq; locos communes, de Fortitudine, de Obediētia, de Splendore, quæ tractata facillimè niteſcūt, atq; ex ſe facilè ſuppeditant ſententiarum copiam: easq; ſic tractat, ut ęgrè poſſis agnoſcere, Chriſtianus fuerit, nec ne. Similiter temperat ſtilū in libello de Principe. Præterea non memini me quicquam illius legiſſe, præter aliquot Dialogos ad Lucianū effictos. Egregiè ſanè. Materias prophanas tractat, inquit, & ita quidem, ut in eo opere non agnoſcas Chriſtianus fuerit necne. Quaſi quicquam ad rem faciat, ut Chriſtianus ne, an ut Ethnicus de ijs uirtutibus ſcripſerit, dum nihil in eis libris, in quibus de illis agit, Chriſtianis auribus aſperum docuerit; aut Pontanum etiam, ſi Chriſtianus nō fuiſſet, pro doctiſſimo uiro non eſſemus amplexuri. Iam ſi ſingulares ſcriptores ex Chriſtianis dogmatibus metiamur, eosq; qui Theologica quamuis barbarè tractarint, alijs qui Ethnici de Ethnicis rebus ſcripſere eo nomine in Latina puritate pręferamus, quòd hi minus Chriſtianam cauſam fouerint, pluris Remigium, aut Bedam, aut Anſelmū, ꝙ Ciceronem, Liuium, Salluſtiū in ea æſtimabimus. Vt ergo neq; illi probandi ſunt, qui cū Chriſtianos ſe eſſe profiteantur, Chriſtianæ religioni uel clanculū, uel apertè aduerſantur: ita qui aliquod ſibi argumentū latinitatis capax deſumpſerit, neq; in eo Chriſtianam pietatē quicquam offenderit, non modò non carpendus, ſed uehementer etiam eſt laudandus, ſi ſuſcepto oneri ſuffecerit, quod Pontano proculdubio uidemus uſu ueniſſe, cum quaſi cōmunibus (ut Eraſmus uocat) locis, non tantū in ſententijs aptè diſtincteq; connectendis, ſed in quodam æquabili orationis genere contexendo, ſummam lucem attulerit. Idem fecit in Meteoris, & Vrania: in quibus itidē materiam ab eo quæſitam ait Eraſmus, quæ facile ſplendeſcat. At potius ea quærant inepti, ex quibus obſcurè tractatis ſummum dedecus referant. Nam Pontanus Horatianum illud præceptum diligenter legerat,

Sumite materiam ueſtris qui ſcribitis æquam
Viribus, & uerſate diu, quid ferre recuſent,
Quid ualeant humeri. cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

Demū quòd Eraſmus illum infrequentem in manibus eſſe, atq; in Epigrammatibus plus laudis, ſi obſcœnitatem uitaſſet, quod nec in Dialogis ſatis cauet, ferre potuiſſe addit, meras nugas (quod eius pace dictū ſit) ſcriptis mandauit. Siquidem Pontani lucubrationes doctorū manib. frequenter teruntur, niſi omnes forte eius exemplo quædā illius deguſtaſſe exiſtimauit; nec ſi integris ſeculis contēnerent, eſſent paruipendendæ, cū Ciceronis opera, Senecæ, aliorūq; quorundā indoctorū malignitate diu nullo fermè in honore fuerint: quæ fortuna et Homerū diu inſectata eſt: Epigrammataq; ſicuti de Priapeij carminis authore diſſerētes docuimus, nullam Venerem habere ſoleant, niſi iocoſa atque inhoneſta ſint: cum laudatiſſimum fermè quemque eorum ſcriptorem ob nullam aliam rem

magis, quàm ob similem uerborum sententiarumq́ festiuitatem commendemus. De dialogis autem Luciani more ab eo editis, cur illum excusem? cum nemo unquam Luciano magis addictus fuerit, quàm ipse Erasmus? quem tum ea de causa, tum quòd in Familiarib. colloquijs, ac Stultitiæ encomio nimiam sibi in homines ac Christum dicacitatem desumpsit, ἄθεον plerique Germani apertissimè appellare non erubuerunt: cum plurima in Theologia scripserit, euangelicamq́ pietatem frequentissimè prætendat, Iouianoq́ Pontano propterea magna ex parte infensus fuerit, quòd Ethnicum se potius quàm Christianum in plerisque ostenderit: cuius etiam criminis complicem reddidit Actium Syncerum Sannazarium, tam ornatum, tam candidum, tam argutum, tam denique admirabilem poëtam, ut cum multis (nisi fallor) antiquorum dubia palma certet. Et tamen de illo in eodem Dialogo ita scribit. Pontano successit Actius Syncerus, cui quia partum Virginis matris mirè felici carmine descripsit, supra modum applausum est à Romano theatro. Testantur hoc abunde Leonis & Clementis Breuia, sic enim hodie uocant: tum Aegidij Cardinalis addita præfatio, ne cæteros commemorē, nec sine causa tantopere placuit. Mihi certè magna cum animi uoluptate perlectum est opus utrumque. nam & Aeglogas scripsit piscatorias. Quis autem talem indolem in iuuene patricio non exosculetur? Hoc nomine præferendus est Pontano, quòd rem sacram tractare non piguit, quòd nec dormitanter eam, nec inamœnè tractauit. Sed meo quidem suffragio plus laudis erat laturus, si materiam sacram tractasset aliquanto sacratius: qua quidem in re leuius peccauit Baptista Mantuanus, quanquam & aliàs in huiusmodi argumentis uberior. Nunc quorsum attinebat hic toties inuocare Musas & Phœbum? Quid quòd Virginē fingit intentam præcipuè Sibyllinis uersibus? quòd non aptè Protheum inducit de Christo uaticinantem? quòd Nympharū, Hamadryadum, ac Nereidum plena facit omnia? Quàm dure respondet Christianis auribus uersus ille, qui (ni fallor) Virgini matri dicitur,

Tuq́ adeo spes fida hominum, spes fida deorum.

Scio deorum metri gratia positum, loco diuorum. Me quidem leuiter offendit in tot uirtutibus, quòd synalœphæ frequentes hiulcam reddunt compositionē. Ne multis: Si carmen hoc profert, ut specimen adolescentis poëticen meditantis, exosculabor: si ut carmen à uiro scriptum ad pietatem, longè præferam unicum hymnum Prudentianum de Natali Iesu tribus libellis Actij Synceri: tantum abest, ut hoc carmen sufficiat, & ad prosternendum funda Goliam ecclesię minitantem, & ad placandū cithara Saulem furentem. Atque haud sciò, utrum sit magis reprehendendum, si Christianus prophana tractet prophanè, Christianum se esse dissimulans: an si materias Christianas tractet paganicè. Siquidem Christi mysteria non solum eruditè, uerum etiam religiosè tractanda sunt. Nec satis est temporaria delectatiuncula delinire lectoris animum, excitandi sunt affectus Deo digni: quod fieri non potest, ni penitus cognitū habeas argumentū, quod uersas. Nec enim hic inflammabis, si frigebis ipse: nec ad amorē rerū cœlestiū accēdes lectorē, si tibi taliū uel leuis admodū, uel nulla cura est. Hic si præstò sunt uel ultrò, nec accersita, uel non magno cōstantia dictionis ornamenta, figurarū illecebræ, quibus fastidiosum lectorē allicimus, allectūq́ remoramur, nō arbitror reijcienda, modò primas teneant ea quæ præcipua sunt. Quale porrò sit, materiā piā ob hoc ipsum putēre nobis, quod piè tractata sit? At pie tractari qui potest, si nunq̄ dimoueas oculos à Virgilijs, Horatijs, ac Nasonibus? Hæc Erasmus, & alia nō pauca in eandē sententiā: post quæ in ꝑfundā pietatis syluā ingrediens,

grediens, dicendaq; tacendis commiscens, hoc ad summam concludit, Horatiano de poëtica licentia præcepto illos eiusdem uersus esse opponendos:

At non ut placidis coëant immitia, non ut
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.

Inquit enim: Minus opinor conuenit Musis, Apollini, reliquisq; dijs poëticis cum Christianæ pietatis mysterijs, quàm serpentibus cum auibus, aut tigribus cum agnis, præsertim in argumento serio. Alioqui si quid obiter per iocũ aspergatur ex ueterum fabulis, ferendum arbitror magis quàm probandum. Oporte bat enim omnem Christianam orationem resipere Christum, sine quo nec suaue, nec splendidũ est quicquam, nec utile, nec honestum, nec elegans, nec facundum, nec eruditũ. Licet sanè præludere ad seria pueris. In ueris, in serijs, quodq; grauius est, in pijs materijs, quis ferat ista paganica progymnasmata? Quibus uerbis, longius hic à nobis recitatis, ut meram Erasmi in Sannazarium odij uim unusquisq; ex eis cognoscat, cum nihil sit malignius, nihil candidum minus, nihil denique rancidius, singula quæ Syncero obijciuntur singulatim sunt expendenda. Ac si ante omnia Erasmum in arte poëtica, & in ea præsertim quæ ad heroicam maiestatem pertinet, non ita ut in alijs eruditionis partibus excelluisse dixero, nullam prorsus ei iniuriã mihi facturus uideor, si Erasmo meliores, hoc est Græcorum Latinorumq; prçstantissimos, aliqua laudis parte caruisse nemo est qui nesciat. Nec ego hanc illius exiguam in rebus poëticis gloriam ad illa refero, quæ metrorũ rationem continent (ea namq; ad unguem illi cognita fuisse, ex multa hominis in quibusdam poëtis recognoscendis diligentia, duabusq; nisi fallor Euripidis tragœdijs Latinis uersibus redditis, planè concedimus) sed ad lenem quandam, nitidam, amœnam, grauem (atque ut in pauca conferam) egregio poëta dignam carminum compositionem, quæ non magis arté quàm naturæ ipsi debetur, ut utrumque in præclaro poëmate perficiendo çqualem sibi partem uendicet, iuxta illud Horatij,

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est: ego nec studium sine diuite uena,
Nec rude quid prosit ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Quamobrem cum eorum alterum Erasmo non contigisse, ex hexametris ab eo scriptis perspicuè appareat (nec enim si in Euripide uertendo felicem eum fuisse fatear, omnia illi poëtica ornamenta adfuisse concesserim) cur nam is Sannazarij libris de Partu Virginis, Piscatorijsq; Aeclogis tam iniquus fuerit facile est cognitu. Itaq; quum Actium uerbis utcunque ornat, non dubium est, quin aliquot honorificis uerbis eorum aures, quibus illius poëmata arrident, delinire uoluerit, ne in ipso edicti limine statim offenderentur. At quum post mel ilico uenenum, & illud quidem teterrimũ lectori propinat, nihil esse difficilius, quàm liuorem dissimulare posse, prçclarè ostendit. Sed quocunque in Actium animo Erasmus fuerit, illud mihi satis constat, nihil esse cur qui elegantissimo poëtæ fauent, quicquam eius calumniatori deferãt. Sed ad rem ipsam ueniamus. Quàm à Romano theatro probata fuerint Sannazarij carmina, inquit ille, ex eo palàm fit, quòd duo Ro. Pontifices id breuibus appositis (sic enim uocant) testatũ esse uoluerũt, Aegidiusq; Cardinalis addita prefatione idem sit molitus: quasi quòd ijs tribus placuerit (addo etiam quartũ, Antonium Thebaldeũ, qui & ipse ijsdẽ operib. epigramma præfixit) à Ro. omnibus euestigio fuerit cõmendatũ, ac non suũ quisq; tũ in scriptis, tũ in alijs rebus laudandis uituperandis'ue iudicium sequatũ.

Et subdit Erasmus, cum magna sibi delectatione utrumque illius opus fuisse perlectum. Quis enim, ait, talem indolem in iuuene patritio nõ exosculetur? Pulchra mehercle animi delectatio, quæ Actij libros, non uiri, sed iuuenis patricij opus existimet. At alij non indolem in iuuene, sed diuinum in diuino poëta ingeniũ, nec mirorem elegantiam amplectuntur. Cumq; Erasmus nec dormitanter eum, nec inamœnè sacram rem tractasse affirmauerit, ijdem illi & amœnissimè, & accuratissimè eum omnia perfecisse iurant. Qui si Erasmi suffragio plus laudis erat laturus, si materiam sacram tractasset aliquanto sacratius (qua in re le uius peccauit Baptista Mantuanus, quanquam & aliàs in huiusmodi argumentis uberior) doctorũ certè suffragia rem sacram maximè sacro more eum tractasse pro certo asserunt: in hoc etiam ab Erasmi censura non mediocriter dissidentia, quod cum de Actio loqueretur, Baptistam Mantuanum recoctum poëtam (si modo poëta est uocandus, cum quo comparatus Alexander in Villa dei natum pecus, Virgilius, aut Homerus uideri queat) nominare non puduerit, cum illi nihil antiquius fuerit, quàm ut pauca quæ uolebat, omni lepòre elegantiaq; condiret: Mantuanus uerò monachus, solùs laboranti lunæ succurrere ualeat, quippe qui

In hora sæpè ducentos,
Vt magnum, uersus dictabat, stans pede in uno.

Et mox Erasmus: Nunc quorsum attinebat hic toties inuocare Musas, & Phœbum? Si mediusfidius Syncerus causam in iudicio fuisset dicturus, Phœbum ac Musas neutiquam inuocasset. At quia poëma erat scripturus, Phœbum & Musas, quod alij omnes uel mediocres poëtæ fecerũt, inuocauit. Et sequitur: Quid? quòd Virginem fingit intentam præcipuè Sibyllinis uersibus? quòd non aptè Protheum inducit de Christo uaticinantem? quòd Nympharum, Hamadryadum, ac Nereidum plena facit omnia? Hæc ab Erasmo emanare potuisse nõ mirabitur, qui ab eodem ita scriptum paulò inferius legerit: Quale porrò sit, materiam piam ob hoc ipsum putère nobis, quòd piè tractata sit? At piè tractari qui potest, si nunquàm dimoueas oculos à Virgilijs, Horatijs, ac Nasonibus? Quid est dij boni his uerbis insulsius? cum ei qui poëma scribere uelit, in poëtis uersandi facultatem adimat? At hoc mihi potius expedi: Si uel tantillũ à Virgilijs, Horatijs, ac Nasonibus oculos dimoueas, quo nam pacto tolerabilis poëta esse ualueris? An forte poëtas in metrorum tantum ratione imitandos credis? An, ut Horatij exemplo agam,

Siquis pedibus quid claudere senis
Hoc tantum contentus amet, scripsisse ducentos
Ante cibum uersus, totidem cœnatus, Hethrusci
Quale fuit Cassi rapido feruentius amni
Ingenium, capsis, quem fama est esse, librisq;
Ambustũ proprijs: omnes poëticas uirtutes expressisse dicetur? Nihil minus.

Nisi enim alijs coloribus, quorum exempla à Maronibus, Horatijs, ac Nasonibus quærenda sunt, poëmata, quæ quis composuerit, suis locis scateant,

Vt gratas inter mensas symphonia discors
Et crassum unguentum, & Sardo cum melle papauer,
Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis.

Cum igitur Syncerus Virginem libris Sibyllinis intentam, Protheum que de Christo aptissimè uaticinantem, aut similia finxit, ita suos libros, ut egregium, cultum, tectecq; distinctum poëma æquum est, ornauit. Quandoquidem si simplicem

plicem rei, ut erat, narrationẽ expressisset, uerendum ei erat, ne pro poëta historicus repentè prodiret. Sed quid Mariæ cum uersibus Sibyllinis? Imò quid Sibyllinis libris cum nostra religione? Ex ijs tamen de Christo & Virgine eius matre responsa citant Lactantius Christianus scriptor, & Augustinus, non minus uitæ sanctitate, quàm excellenti doctrina inter splendidissima nostræ fidei lumina meritò referendus, in libris de Ciuitate Dei. Cur aũt Protheus omnia sciuisse ab antiquis poëtis dictus, cõmodius de causa Aristei luctus ac Græcorũ reditu, quàm de Christo uaticinari potuit? Nonne eodem iure, quo Horatius, Virgiliusq; de hominibus, sic Actius de uenturo Christo filio eundem loquentem inducere ualuit? At illa figmenta sunt: quasi hæc pro ueris affirmet Sannazarius. Verùm in fabulosis ludere licet, in sacris non item. Quin potius si sacra quis poëtico more tractet, iure apud æquos iudices eam licentiam dummodo pudenter sumptum impetrabit. Alioqui Gregorium Nazanzenum, qui de Christi morte tragœdiam scripsit, prorsus detestabimur, quòd prophano poëmate rem omniũ maximè sacram seriamq; tractarit: in quo plurima leguñt, quæ ipse sibi ut poëta confinxit, nec in sacris monumentis usquam reperiuntur. Illud quippe quantumuis sedato ingenio stomachũ moueret, quòd Erasmus Actij libros de Partu Virginis non satis esse ad Goliam funda sternendũ, Saulemq; cithara placandũ deierat: quasi ad hoc scribãtur poëmata, ut ijs ecclesiæ hostes ulciscamur: aut Prudentius, cuius hymnos tantopere admiratur, hoc præstiterit. Conduntur quidẽ poëmata, ut nobis cum delectatione prosint, non ut ex illis Christi præcepta, sacrasq; discamus historias. Qua in re sic antecedit Prudentiũ Syncerus, ut sine dubio pluris sit faciendũ unicum huius ad summũ Pontificem epigramma, quàm innumeræ Prudentiorum, Aratorũ, ac Iuuencorum, ne dicam boum myriades. Nam qui id in condendo poëmate institutum sequitur, quod Erasmus laudat,

Non est ille poëta, sed caballus.

Quòd uerò de synalœphe, quæ in Actij uersibus frequẽs sit, idem obmurmurat, ut aliquid (quo nec ipse negarim) in eo poëta desideremus, in aliqua fortasse operis parte peccauit, quod illo clariores fecisse non est ambigendum. Scio & præter Erasmũ, cuius iudicio plurimũ ponderis inuidia detrahit, alios quosdam nebulones nihil Syncero (cuius Piscatoriæ Aeclogæ cuiuis ueterũ in eo genere adprimæ exercitato conuenirent) ueræ gloriæ reliquisse. Sed ut doctorũ suffragia summopere optanda, ita contemnendas esse imperitorum deblaterationes, Horatius Flaccus hæc de se scribens admonet,

Men' moueat cimex Pantilius? aut crucier quòd
Vellicet absentem Demetrius? aut quòd ineptus
Fannius Hermogenis laudet conuiua Tigelli?
Plotius, & Varius, Mœcenas, Virgiliusq;,
Valgius, & probet hæc Octauius optimus, atq;
Fuscus, & hæc utinam Viscorum laudet uterq;,
Ambitione relegata te dicere possum
Pollio, te Messala tuo cum fratre, simulq;
Vos Bibuli, & Serui, simul his te candide Furni,
Complures alios doctos ego quos & amicos
Prudens prætereo, quibus hæc, sint qualiacunq;,
Arridere uelim, doliturus si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, te'que Tigelli,
Discipulorum inter iubeo plorare cathedras.

Hæc tamen fabulosa quomodo sint capienda, ab Horatio docemur, in Arte Poëtica, ita scribente:

Syluestres homines, sacer, interpresque Deorum,
Cædibus & uictu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ab hoc lenire tigres, rapidosque leones:
Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò uellet. fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis, secernere sacra prophanis,
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor, & nomen diuinis uatibus, atque
Carminibus uenit.

Si igitur tot cōmoda à poëtis emanarūt, quis'nam eos piè damnare audebit? At Hieronymo, qui illos Christianæ religioni aduersari asseruit, maxima in hoc fides est adhibenda. egregiè sanè: si poëtas ita legimus, ut plenam illis in omnibus rebus fidem adhibeamus. Sed neque qui illos nostris temporibus legunt (nisi nomine Christiani, re autem ἄθεοι sint) Dei cultum ab illis petunt: neque ipsi Ethnici, quæ à Poëtis de religione tradita sunt, pro Delphico responso acceperunt: cum summa poëtarum laus in fingendo plurimū consistat. Quæ autem uera sunt, qui fingere possumus? At præclari allegorici sensus sub illis fictionibus latent. Pulchrè hercle. Sed ij quorsum'nam tendūt? Nónne ad humani generis utilitatem? Maximè. Qui ergo figmentis delectant, interioribus uerò sententijs ad mores animosque rectè formandos plurimum prosunt, qua'nam fronte reijcientur? Proinde si Hieronymus poëtarum uersus dæmonū pabulū appellauit, ita de illis sententiam tulit, ut si tanquam uera de Deo Deique cultu tradentes à nobis legantur, abijci prorsus debeant: sin autem ut multis eorum fictionibus delectati, illa tantū quasi certa ex eisdem colligamus, quæ Christianæ pietati nō aduersantur, assiduè nobis in manibus sint. Nam si poëtas omnino legendos non existimasset, D. Ioannem Chrysostomū, qui Aristophanem facetissimum quidem, sed & obscœnissimum ueteris comœdiæ scriptorem sub puluino semper habuisse dicitur, impium ac sacrilegum uocare cogeretur. Porrò duram prouinciam cepero, si singulos Christianos scriptores (ut de Ethnicorum myriadibus taceam) recensere uelim, qui cum ueteres poëtas legissent, non pauca ex ijs ipsis pro Christianis dogmatibus confirmandis testimonia sumpserunt: tantū abest, ut eos simpliciter odio habuisse credātur. Demum, si ideo poëtas detestamur, quia ueræ fidei lumine caruerint, eodem nomine omnes Græcæ Latinæque linguę proceres, quòd in eadem causa fuerint, execrabimur: ut ex quorum scriptis ea eliciantur, quæ Christianæ religioni ad unguem sint contraria. Quòd si ipsam forte poësim uituperant, multos sacros libros poëticè cōscriptos fuisse meminerint. Possem hoc loco multa ex diuersis scriptoribus de poëtarum laudibus producere, cum M. Cicero in oratione pro Archia, poëtarū genus mirificè laudet, alijque non pauca de eisdem scribant: sed Ouidij solum, Propertijque, de uatū excellētia uersus subijciā, cū ille iccirco ab inuidis ignauus diceret, quòd militia, Iuris ciuilis scientia, oratoriaque arte contemptis, ad poëmata se tanquam ad rem utilissimā uulgatissimamque cōtulisset: hic aūt, maius amicę carminū præmiū polliceatur, quàm si quæuis ei alia monumēta erexisset, cum hæc quidē tempori succumbant, illa autem nullam temporū patiantur iniuriā. Ouidius itaque, postque multos poëtas, quorū nomen immortale est, recensuit, sic ait in Amoribus:

Ergo cum silices, cum dens patientis aratri,
 Depereant æuo, carmina morte uacant.
Cedant carminibus reges, regumq; triumphi:
 Cedat & auriferi ripa beata Tagi.
Vilia miretur uulgus, mihi flauus Apollo
 Pocula Castalia plena ministret aqua.
Sustineamq; coma metuentem frigora myrtum,
 Atq; ita sollicito multus amante legar.
Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit:
 Tunc suus ex merito quemq; tuetur honos.
Ergo etiam quum me supremus adusserit ignis,
 Viuam, parsq; mei multa superstes erit.

At Propertius libro III.

Nam neq; Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
 Nec Iouis Elei cœlum imitata domus,
Nec Mausolei diues fortuna sepulchri,
 Mortis ab extrema conditione uacat.
Aut illis flamma, aut himber subducet honorem,
 Annorum aut ictu pondera uicta cadent.
At non ingenio quæsitum munus ab æuo
 Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Quur Horatius suas Satyras Sermones appellarit. Cap. VIII.

QVòd nihil neque in literis, neq; in quauis alia re tam esse clarũ, tamq; com-
pertum uideo, de quo non multiplices grauesq;, ne dicam inextricabiles
quæstiones, à nouarum rerũ studiosis excitentͤ, minime miror, postquam Acron
Q. Horatium Flaccum suas Satyras Sermones appellasse, eò quod humili stilo
ac non sublimi, qualis heroicis carminibus conuenit, eas composuerit, uerè, at-
que ut se res habet scriptũ reliquit, Ioannem Britannicum aliosq; quosdam mo
riones, spreta illius ratione, multo sudore aliam reperire conatos fuisse: quæ tam
pro mero deliramento est habenda, quàm quę à furijs agitati se uidere putant. Et
sanè si inter Acronẽ tantum ac Britannicum, paucosq; alios Britannico suffra-
gantes grammaticulos hæc controuersia uigeret, nequaquam me ipse hac in re
tanquam arbitrũ constituissem. Verum quoniam multis in locis de eodem ne-
gocio non mediocriter (ut uulgò credebantur) eruditos, nimis asperè disceptan
tes audiui, atque idem alijs in locis assiduè factũ accepi, eum nodum (si modò no
dus est dicendus) ita dissoluere constitui, ut Acronis sententiã multis in locis ab
Horatio confirmari, Britannici autem somniũ ex eburnea porta emissum, pro
certo affirmare non uerear. quod ita se habet: Horatiũ ideo Satyras Sermones
appellasse, ut Epistolas ab eis distingueret: quando sermones cum præsentibus
habentur, Epistolæ uerò ad absentes scribi solet, quo quid absurdius dici potest?
Atque ut de Epistolis ita esse concedã, uti omnes censent, et Britannicus garrit,
Satyræ porrò non propterea Sermones uocatæ sunt, quod præsentes ijs alloqua
tur: cum eorum plurimæ tam ad pręsentes, quàm etiam ad absentes scribantur,
cuiusmodi fermè omnes sunt quæ primo libro continentur, bonaq; earum pars
quas in secundo legimus: quod nemo qui eas uel semel legerit, negare audebit.
Hoc igitur, ut Acronem rectè sensisse asseramus, Horatio peculiare fuisse fatebi
mur, ut & Epistolas, & Satyras, et Artem etiam poëticã tam cõminuto stilo con
scripserit, quàm qui omni studio uersus ad solutã orationem depresserit. Qua in
re non modò nihil eius gloriæ esse detrahendum, sed plurimũ potius addendum
arbitror:

arbitror: licet plerique (ut alio loco copiosius contra eos de hac parte differentes docuimus) illum in hexametris reijcere non dubitarint. Proinde cum is de quo agimus, Horatius, ad heroicam illam maiestatem sese suos uersus efferre non posse egregiè intelligeret, suas Satyras sermones appellauit, quasi familiaribus sermonibus maxime propinquas. Huc accedit, quod cum idem aliud in componendis satyris institutum secutus sit quàm Lucilius, Persius, ac Iuuenalis: nempe ut quæ illi cum stomacho atque acerbitate quadam condiderant, hic lenitate a risu quodam lenierit, quod ipse de se innuit, & ex Persij de eo carminibus colligitur, æquius fuit ridentem comminuto carminum genere, quàm alto & sonoro suas sententias exprimere: quando indignatio uerborum grauitatem, lenitas uerò ac risu pleni lusus humilitatem desiderant. Quod facit, ut in eo quoque à Britannico dissentiam, quòd Horatium suas satyras ex abrupto, quemadmodum alij Satyrici fecerunt, inchoasse affirmarit, cum nihil sit illis uersiculis sedatius,

Qui fit Mœcenas, ut nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus uiuat: laudet diuersa sequentes?

Et hæc quidem non de sensu, sed de carminum structura dico, cum Iuuenalis Persiusque concitatioribus uerbis sine dubio eandem sententiam fuerint prolaturi, eorumque alter sic sua poëmata auspicatus fuerit,

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane.
Quis leget hæc? alter autem non minus iracundè
Semper ego auditor tantum? nuquam'ne reponam?
Vexatus toties rauci Theseide Codri?

Non est igitur quur leues grammatistæ, aut etiam ijs grauiores, de Sermonum uoce diutius rixentur, nisi prorsus (ut in reliquis cōsueuerunt) præter rationem insanire pergant. Cæterum non pauci ex eiusmodi putaminum numero, quare Horatius suos hexametros sermoni propiores reddiderit, dubitare solent. An quòd eo genere magis quàm alio delectatus fuerit? An potius, quòd suam naturam illis aptiorem sit secutus? Sed ijs ipse sic respondet, secundo Epistolarum libro ad Augustum Cæsarem scribens,

Nec sermones ego mallem
Repentes per humum, quàm res componere gestas,
Terrarumque situs, & flumina dicere, & arces
Montibus impositas, & barbara regna, tuisque
Auspicijs totum confecta duella per orbem,
Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum,
Et formidatam Parthis te principe Romam,
Si quantum cuperem, possem quoque. sed neque paruum
Carmen maiestas recipit tua: nec meus audet
Rem tentare pudor, quam uires ferre recusant.

In primo quoque Secundi libri sermone, à Trebatio monitus, ut nisi à pangendis poëmatibus desistere uellet, missis satyris ad celebrandas Augusti res gestas animum conuerteret, si Criticorum morsus fugere uellet, illi se oneri imparem ingenuè testatur. De qua re hi sunt eius uersus:

Aut si tantus amor scribendi te rapit. aude
Cæsaris inuicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus. Cupidum, pater optime, uires
Deficiunt: neque enim quiuis horrentia pilis

Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describet uulnera Parthi.

Atqui & in quarta primi libri Satyra, in qua multa aduersus Lucilium scribit, plane poëticos spiritus sibi in heroicis uersibus defuisse ait, eam ob rem ex poëtarum se numero excerpens: cum is tantū eo nomine dignus sit, qui os magna sonaturum naturæ debeat, quod tamen causæ deseruiens, ac sibi ipsi detrahens scripsisse credendus est: cum, ut alibi à nobis dictum est, qui similia Horatianis carmina composuerit, inter heroicos quidem poëtas non sit referendus, sed poëta sine dubio sit uocandus: nisi forte Horatius, ut Lucilium, qui ad Heroicam amplitudinem non peruenerat, à poëtarum ordine excluderet, sibi ipsi in primis eam laudem ademerit: luscus nimirum ipse redditus, ut cæcum Lucilium efficeret. quod ex eo quo utitur exemplo colligitur, in eorum qui uere poëtæ sint carminib. etiam disiectis seu dissipatis, poëtarum partes seu membra apparere ostendens: in suis ac Lucilij uersibus non item, quorum uerba è certa carminum structura remota promiscuum sapiant sermonem. Ad summam, ut suam pro tempore causam foueret, illud etiam in dubium reuocauit, an Comœdia rectè poëma nuncupetur, quum neque uerbis neq; rebus id nomen mereatur, sed certo tantum pede à puro sermone differat. Verum si hoc etiam simpliciter ab Horatio scriptū fuisset, nullo tamen iudice Comicos poëtas non esse conuinceret: ac ne se quidem ipso, qui eos multis in locis sic appellat. Porrò autem, an comœdia poëmatis nomen mereatur, ita disceptat:

Iccirco quidam Comœdia, nec'ne poëma
Esset, quæsiuere: quòd acer spiritus ac uis
Nec uerbis nec rebus inest, nisi quòd pede certo
Differt sermoni sermo merus. at pater ardens
Sæuit, quod meretrice nepos insanit amica,
Filius uxorem grandi cum dote recuset:
Ebrius &, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus. nunquid Pomponius istis
Audiret leuiora, pater si uiueret? Ergo
Non satis est, puris uersum perscribere uerbis,
Quem si dissoluas, quiuis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater. his, ego quæ nunc,
Olim quæ scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa, modosq;: & quod prius ordine uerbum est,
Posterius facias, præponens ultima primis:
Non, ut si soluas, postquam discordia tetra
Belli ferratos postes, portasq; refregit:
Inuenias etiam disiecti membra poëtæ.
Hactenus hæc: aliàs iustum sit, nec'ne, poëma.

Quam ob rem Catullus ab antiquis doctus uocatus sit. Cap. IX.

COncesseramus nuper in suburbanum quoddam ciuis utriusque nostrum amantissimi, ego, & Ioannes Baptista Bentiuolus Bononiensis, iuuenis cum propter Græcarum ac Latinarum literarum studia, tum propter singularem quendā animi candorem, elegantissimosq; quibus ornatus est mores, stricto admodum mihi amicitiæ nexu deuinctus, non tam ut æstiuos calores (qui bonarum artium studiosis inimici esse solent) subterfugerem, quàm ut animum quibusdam curis, quæ me mirificè angebant, leuarem; Bononiamq;, sole iam ad occa-

ad occaſum uergente, de noſtris aliquot negotijs ſermonē conſerentes, commodum reuerti cœperamus, quū magna nobis eorū manus paululū extra eius portas progreſſa occurrit, à quibus Iuris ciuilis ſcientiam ſectantibus, quaſi eius deſertor, quod legalibus tricis ſolutus me quodammodo in libertatem aſſeruerim, magnam lucri ſpem amiſiſſe arguor: tanquam qui leguleus non ſit, nulla ſuorū laborū præmia ſperare debeat. Cumq́ eos omnes amicè ſalutaſſemus, Quo'nā tam frequentes? inquam. Et illorum quidam mihi cæteris notior, pauci ſunt, inquit, qui æquè nobis grati, ac tu, obuij fieri potuerint, cum ea inter nos dubitatio orta ſit, de qua haud ſcio an unquam præterea ſit diſceptatum: quæ'que aut à te aut ab alio nullo, hoc tempore nobis ſolui poſſe uidetur. Tunc ego: Vtinam eiuſmodi ſit, inquam, de quo inter uos ambigit̄, ut à me ita uobis extricari queat, quemadmodum de nobis, quæ ueſtra eſt humanitas, fore conieciſtis. Quicquid tamen fuerit, quàm primum id noſſe cuperem. Et ille: Hoc ego à noſtris hiſce amicis quæſieram, inquit, cenſerent'ne Valerium Catullum Veronenſem poëtam alia ſcripſiſſe poëmata, quàm quæ nobis hodie in manibus ſunt? Tunc ego: Quamobrem, inquam, de Catulli ſcriptorum numero tam es ſollicitus? Quia ſcilicet, inquit, Catullum à coætaneis. & poſteris quoq́, docti cognomen (ut ita dixerim) promeritum, alia compoſuiſſe credendū eſt, quæ maiorem præ ſe eruditionem ferrent, quàm quę circumferuntur, non aſpernanda quidem illa, ſed eximiam aliquam doctrinam in eorum autore nequaquam fuiſſe indicantia. Ergo ſi Catullus nihil omnino ſcripſiſſet, inquam, ac doctus nihilominus à ſuorum temporum hominibus fuiſſet appellatus, prauè illos ſenſiſſe iudicares? quaſi plurimos antiquorū ac noſtra etiam memoria uixiſſe neſciamus, qui cū doctiſſimi extiterint, nihil tamen ſcriptū reliquerunt: quos ut hoc loco non recenſeam, cum Catullus à ueteribus peculiari epitheto doctus uocatus ſit, etiamſi nihil ab eo compoſitum fuiſſe pro comperto haberem, rectè illos iudicaſſe conſtanter aſſeuerarem: quando tot ſimul egregiorum procerum cenſura non facile eſt aſpernenda. Quòd ſi ea ſola compoſuiſſet Catullus, quæ hodie legimus, non'ne doctus ex ijs, imò doctiſſimus uideri deberet? Quid poteſt obſecro in argumētis, quæ ab ipſo tractata ſunt, deſiderari? An ꝙ quibuſdā durior uiſus ſit, eum ut minus doctū explodemus? Porrò M. Varro, & Nigidius Figulus, ut doctiſſimi, ita & duriſſimi ab antiquis dicti ſunt, & tamen eorū alter (nam omnes Nigidij lucubrationes exciderunt) cum Catullo in ſuo genere cōparatus, non lapide, ſed ferro etiam durior exiſtimatur. Sed ut quatenus durities in Catullo notanda ſit, præſertim quòd uterque Plinius eam in illo deprehendit, in præſentia non diſcutiam, cum ea ſanè qualis ac quanta exiſtimanda ſit, doctrinæ non aduerſetur, qui in Iambis omnibus Latinis optimo iure prælatus eſt, ut in quibus & inuentione & nitidiſſimo uerborū apparatu ſuprà quàm credi poteſt emineat, in hendecaſyllabis eſt inimitabilis, in elegis omnium Latinorū candidiſſimus habetur: qui inquam tam eſt in heroicis rarus, quàm qui à non parum multis nemini in ijs præterquàm Maroni poſtponatur, qui in multis etiam ſe Catulli imitatorem oſtenderit, quur doctus & peculiari quidem uocabulo non fuerit appellandus, neutiquam intelligo. Verum & qui tot uirtutibus decoratus iuuenis, trigeſimum nempe aut circiter annum agens exceſſit, quanto ſi diutius uixiſſet Romanis ornamento erat futurus? Quid? quod non alius (ut mihi uidet̄) inter Latinos inuentus eſt, qui tam iuuenis (Virgiliū ſemper exipio) tantā ſibi gloriā compararit? Huc pertinet, ꝙ hominū doctrina non ſemper plenè ex eorū ſcriptis colligit̄: quod ut exemplo cōptobemus, cum Virgiliū omniū Latinorū poëtarū nō

magis alijs uirtutibus q̃ summa eruditione præstantissimũ fuisse, præter ipsam temeritatem nemo sit negaturus, quis tamen parem in illius atque in Lucretij operibus doctrinã nitere affirmet? Doctrinam aũt non omnes poëticas dotes, operumq; artificium, sed philosophiæ cognitionem uoco. At Virgilius (dixerit quispiã) alium in scribendo scopũ, alium spectauit Lucretius. Cumq; ille tum tantũ philosophica tractet, quũ exactissimi poëmatis locus eorum scientiam patefieri exigat, non modò absolutè ea, sed absolutius quoque quàm Lucretius calluisse credetur, qui sex libros de Rerũ natura composuit. Eximiè is mecũ sic egerit: quoniam alijs argumentis ueterumq; testimonijs quid Virgilius in philosophia potuerit, preclare docemur. Verũ si (ut dixi) ipsa opera spectent, non tantũ is de quo loquimur Lucretius, sed Horatius quoq;, ex ijs Marone doctior uideri ualuerit. Quorsum hęc igit? eò nimirũ spectãt, ut Catullũ nõ præter rationẽ doctũ ab antiquis appellatũ sciamus: cum magnã quidẽ ex eius quę supersunt carminibus eruditionem in illo fuisse colligat, sed maiorẽ fortè ab eius coætaneis in codẽ perspectã fuisse credendũ sit. Quòd si ex operibus hominũ excellentiã æstimare pergimus, Archimedẽ Syracusanũ omnium qui unquã fuere mathematicorum eminentissimũ, ex scriptis nequaq; talem fuisse discemus, qualis à ueteribus cunctis est habitus. Nam M. Antonius egregius orator, nullam orationem in lucem dedit: quod & multi alij excellentes homines fecerunt. Neque hæc dico, quòd Catullum aliud quàm illa quæ restant condidisse inficias eam, cum plerasq; eius carmina à Grammaticis citent, quæ in reliquis eius poëmatibus nõ leguntur, Plinius q; amatoriũ de incantamentis carmen ab eodem editum referat, ac Terentianus ex eius Ithyphallicis quædam citet. Sed nisi ex ijs lucubrationibus, quæ per tot naufragia euaserũt, Catullus doctus uocari meruit, multo minus ex alijs hoc epithetum meritò ei tribui potuisse putauerim. Quæ quũ à me dicta, attentè ab omnibus audita essent, tum qui mecum sermonem instituerat, Grata mihi admodum fuere, inquit, quæ de Catulli doctrina protulisti. Verum id abs te pronũciari uelim, arbitreris ne alium quenquam præter Catullũ, ab antiquis doctũ fuisse appellatũ? Tunc ego: Istuc, inquam, haud facile dictu est, quando mihi quid de poëtis antiquitas senserit, quum nihil tale suspicarer, inter rogato omnia tam citò non succurrunt. sed Horatius, nisi memoria uacillo, secundo Epistolarum libro, de Accio ac Pacuuio tragœdiæ scriptoribus loquens, Pacuuiũ docti famam abstulisse asseuerat. Et Propertius Licinium Caluũ, non uulgarem Catulli amicũ, libro secundo Elegiarũ doctũ itidem uocat, quum ait,

> Hæc eadem docti confessa est pagina Calui,
>
> Cùm caneret miseræ funera Quintiliæ.

Verum & alios non paucos doctos appellari autumo. De Catulli tamen doctrina ut uulgatior, ita & constantior fuit opinio. Illud præterea prætermittendum non est, eundem Catullum, qui à Gellio ut elegantissimus mundissimusq; celebratur, à Fabio Quintiliano ac Diomede Grammatico inter Iambicos, ab alijs quibusdam inter Lyricos reponi. Sed ego in Quintiliani sententiã libenter eo. Atque ut ultima cum primis connectam, quid mirũ si Catullus à coætaneis docti epitheto est insignitus, cũ Maroni à quibusdã sit oppositus? Hinc illi uersus,

> Tantum parua suo debet Verona Catullo,
>
> Quantum magna suo Mantua Virgilio.

De Tyrtæo poëta. Cap. X.

TVm ille: Non omnino hæc nobis dies perierit, inquit, quũ mihi quidem credo & hisce alijs, de Catullo ita satisfeceris, ut de te futurũ animo conceperam.

peram. Cęterum quando te semel mediocribus huiuscemodi quæstionibus exercere cœpimus, illud nobis expedire non grauaberis, corrupte ne an syncerè potius legi censeas Horatianos illos in Arte poëtica uersus,

Post hos insignis Homerus,
Tyrteusq;, mares animos in martia bella
Versibus exacuit.

Enimuero cum Horatium eum poëtam Homero subiunxisse existimandum sit, qui celeberrimus inter Græcos sit habitus, non Tyrtæus, sed Dyrcæus ab eo scriptum fuisse putandũ est: nimirũ ut de Pindaro Thebano, Lyricorũ poëtarũ principe intellexerit, qui unus ex tanta Græcorum poëtarum caterua mihi cõmodissime Homero opponi potuisse uidetur. Aut enim Tyrtæus nunquam fuit, aut obscurus admodũ extitit, qui nunquam ferè aut à Græcis aut à Latinis scriptoribus nominet. Et ego: Caue, inquam, istæc inter doctos posthac unquam dixeris. Nam neque Dyrcæus in Horatiano carmine ullo pacto legi potest, neq; quisquã repertus est, cui ęquè Horatij sensus conuenire ualeat, ac Tyrtæo Atheniensi poëtæ itidem ac duci. Atq; ut rem ita se habere compertũ habeas, ac quosdã bardos grammatistas, qui uerã in Horatio lectionem in dubium reuocarunt, dementiæ queas conuincere, quæ nam Homero cum Pindaro similitudo esse ualet? cum ille rebus summorũ Regũ Ducumq; gestis scribendis, hic amoribus cantandis, equisq; aut hominibus, qui in certaminibus uicissent celebrandis intentus fuerit? cum ille deniq; heroicus, hic poëta lyricus extiterit? An quod Horatius quarto Carminũ libro ita de Pindaro cantet,

Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces noua dithyrambos
Verba deuoluit, numerisq; fertur Lege solutis:
Seu deos, regesq; canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremendæ Flamma Chimeræ:

idcirco cum Homero mares animos inflammasse dicetur? Nihil minus: quando cõmodius heroico metro, quàm Lyricis uersibus militũ animi accenduntur: Pindariq; propria uirtus in ea parte non splenduit, uti Tyrtæi, quemadmodũ ueterũ testimonijs ostendemus, Fabius porrò Quintilianus decimo Oratoriarũ institutionũ libro, cũ de Tyrtæi scriptis sententiã se neget laturũ, de Pindari carminibus quid sentiret ostendit: ex quo unico argumento eos errare colligere licet, qui uel Tyrtæũ unquam uixisse, uel Horatij in Arte poëtica uersus ei conuenire negant. At si fuit, ignobilis est ducendus, inquis. Imò ego & aliorũ scriptorũ autoritate non tantũ eum uixisse aliquando, sed & celebrem à posteris fuisse iudicatũ comprobabo. Vtq; de postremo, uerso ordine, prius agam, an qui Homero ab Horatio subiunctus est, inter uulgares poëtas est recensendus? Sed Quintilianus Horatiũ in hac parte secutus nõ est: qui Tyrtæum tantũ nominans, data opera eius scripta excutere noluit: aliter sine dubio facturus, si illũ excellentẽ poëtam putasset. Magna fateor ex Quintiliani censura Tyrtæo laus accedere ualuit. Nõ tamen protinus quasi nullius ordinis scriptores uideri debent, qui ab eo nominati non sunt: cum apertè ipse omnes se omnium generum autores sua lance non expensurũ professus sit. Alioqui Euphorionem, Nicandrũ, aliosq; multos nõ mediocres poëtas nihili faceremus, cum potius summis laudibus ab antiquis ornati fuerint: quanquàm à Quintiliano inter præcipuos non reponãtur, cuius de illis uerba hæc sunt: Audire uideor undiq; cogerẽtes nomina plurimorũ poëtarũ. Quid? Herculis acta nõ bene Pisandros? Quid? Nicandrum frustra secuti

Macer atq; Virgilius? Quid? Euphorionem frustra transibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem nunq̃ certè conditorū Chalcidico uersu carminū fecisset in Bucolicis mentionē. Quid? Horatius frustra Tyrtæum Homero subiungit? Nec sanè quisq; est tam procul à cognitione eorū remotus, ut non indicem certè ex bibliotheca sumptum transferre in libros suos possit. Nec ignoro igitur quos transeo, nec utiq; damno: ut qui dixerim in omnibus utilitatis aliquid. sed ad illos iam perfectis constitutisq; uirtutibus reuertemur: quod in cœnis grandibus sæpe facimus, ut cum optimis satiati simus, uarietas tamen nobis ex uilioribus grata sit. Hæc ille. qui etiamsi totis uiribus Tyrtæum depressisset, ab Horatio tamen eundē Homero subditum fuisse negare nō potuit: sicut eundē à Platone diuinissimū uocari, ipse Momus quantūuis inuitus asseuerarit. Sed quid de uno epitheto ago, cùm multis uerbis apud illum de eiusdē præstantia inter se loquantur Atheniensis hospes & Clinias Gnossius, circa hoc præcipue sermonē habentes, quod excellētibus laudibus eos decorarit, qui in bello excelluerint: nō illo quidē quod seditionis plenum omniumq; grauissimū est: sed quod eo multo mitius aduersus externos atq; alienigenas geritur. Sic ēm eum alloquuntur tam Atheniensis hospes, quàm Gnosius, lib. primo Νόμων, ἢ περὶ νομοθεσίας. ὦ τύρταιε, ποιητὰ θειότατε. δοκεῖς γὰρ δὴ σοφὸς ἡμῖν εἶν, καὶ ἀγαθὸς, ὅτι τοὺς μὲν ἐν τῷ πολέμῳ διαφέροντας, διαφερόντως ἐγκεκωμίακας. ἤδη οὖν τυγχάνομεν ἐγώ τε καὶ ὅδε, καὶ κλεινίας ὁ κνώσσιος οὑτοσί, ξυμφερόμενοι σοι περὶ τούτου σφόδρα πως: δοκοῦμεν, εἰ δὲ περὶ τῶν αὐτῶν λέγομεν ἀνδρῶν, ἢ μὴ, βουλόμεθα σαφῶς εἰδέναι. λέγε οὖν ἡμῖν, ἆρα εἴδη δύο πολέμου, καθάπερ ἡμεῖς, ἡγεῖ καὶ σὺ σαφῶς, ἢ πῶς; πρὸς ταῦτα οἶμαι κἂν πολὺ φαυλότερος εἴποι τυρταίου τις τἀληθὲς, ὅτι δύο. τὸ μὲν, ὃ καλοῦμεν ἅπαντες στάσιν, ὃς δὴ πάντων πολέμων χαλεπώτατος, ὡς ἔφαμεν ἡμεῖς νῦν δή. τὸ δὲ ἄλλο πολέμου θήσομεν οἶμαι γένος ἅπαντες (ᾧ πρὸς τοὺς ἐκτός τε καὶ ἀλλοφύλους χρώμεθα διαφερόμενοι) πολὺ πρᾳότερον ἐκείνου. Quod est: O Tyrtæe, diuinissime poeta: sapiens enim nobis probusq; esse uideris, quod excellentibus laudibus eos qui in bello eminuissent ornasti: de quo ego & hic Clinias Gnosius admodū tibi assentiri uidemur: utrū de eisdē uiris dicamus, an nō, manifeste scire uellemus. Dic igitur nobis, an, quemadmodum & nos, duo belli genera esse perspicuè arbitreris, an secus? Ad hæc puto quemuis Tyrtæo uiliorem uerè responsurū, duo esse: alterū, quod seditionē uocamus, omniū bellorū, ut nunc sanè diximus, grauissimum: alterum uerò, quod ponimus belli genus (quo quidē cōtra externos atq; alienigenas contendentes utimur) illo multo mitius existimo. Hæc Plato: præter quæ & alia nō pauca de eodē Tyrtæo ibidē leguntur. De quo quid sentiret interrogatus quondam non Cleomenes, ut Britannicus mentitur, sed uetus Leonidas, si Plutarcho credimus, ita respondisse fertur, bonū eum sibi ad iuuenum animos incitandos uideri: cum lectis illius carminibus, quasi furore aliquo correpti, nulla pericula timentes in pugnam ruerent. λεωνίδαν μὲν γὰρ τὸν παλαιὸν λέγουσιν, ἐπερωτηθέντα, ποῖός τις αὐτῷ φαίνεται ποιητὴς γεγονέναι τυρταῖος, εἰπεῖν, ἀγαθὸς νέων ψυχὰς αἰκάλλειν. ἐμπιπλάμενοι γὰρ ὑπὸ τῶν ποιημάτων ἐνθουσιασμοῦ, παρὰ τὰς μάχας ἠφείδουν ἑαυτῶν. Hunc Tyrtæum Diogenes Laërtius in uita Socratis, Heraclitis testimonio, mentis impotē ab Atheniensibus dictū tradit. Eiusdē & Strabo pulcherrimos uersus lib. sexto Gegraphicorū citat. Suidas Laconem eum, aut Milesium fuisse inquit. τυρταῖος ἀρχεμβρότου λάκων, ἢ μιλήσιος, ἐλεγειοποιὸς, καὶ αὐλητὴς, ὃν λόγος τοῖς μέλεσι χρησάμενον παρορμῆσαι λακεδαιμονίους, καὶ πολεμοῦντας μεσσηνίοις ταύτῃ ἐπικρατεστέρους ποιῆσαι. ἔστι δὲ παλαιότατος, σύγχρονος τοῖς ἑπτὰ κληθεῖσι σοφοῖς, ἢ καὶ παλαιότερος. ἤκμαζε γοῦν περὶ τὴν λε´ ὀλυμπιάδα. ἔγραψε πολιτείαν λακεδαιμονίοις. καὶ ὑποθήκας δι᾽ ἐλεγείας, καὶ μέλη πολεμιστήρια βιβλία ε´. Id est: Tyrtæus Archimbroti filius, Lacon, siue Milesius, Elegiarum conditor ac

tibicen:

tibicen; quem ferunt cantibus utentem Lacedæmonios excitasse, eosq; cũ Messenijs bellantes, ideo fortiores reddidisse. Est autem antiquissimus, ut qui septem sapientum tempore, siue etiam ante eos uixerit. Floruit igitur trigesimaquinta olympiade, scripsit de recto ciuitatis regimine ad Lacedæmonios, ac documenta elegijs, & bellicorũ carminum libros quinq;. Ac quasi duo fuerint poëtę, quorum utriq; Tyrtæo esset nomen, ita subdit: τυρταῖος· οἱ λακεδαιμόνιοι ὤμοσαν, ἢ μεσσήνην αἱρήσειν, ἢ αὐτοὶ τεθνήξεσθαι. χρήσαντος δὲ τοῦ θεοῦ στρατηγὸν παρὰ ἀθηναίων λαβεῖν, λαμβάνουσι τυρταῖον τὸν ποιητὴν, χωλὸν ἄνδρα, ὃς ἐπ' ἀρετὴν αὐτοὺς παρακαλῶν, εἷλε τῷ κ' ἔτει τὴν μεσσήνην, καὶ ταύτην κατέσκαψαν, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους ἐν τοῖς εἵλωσι κατέταξαν. hoc est: Tyrtęus. Iurauerant Lacedemonij aut Messenam destruere, aut ipsi perire. Cumq; responsum à deo accepissent, ut ducem ab Atheniensibus sumerent, Tyrtæum claudum poëtam capiunt: qui ipsos ad fortitudinem hortatus, uigesimo anno Messenam cepit, ipsamq; euerterunt, captiuis in seruitutem redactis. Sed aut postremus hic locus ab ipso Suida, ut latius rem explicaret, alteri subiunctus est: aut ab alio quouis: cum unus tantũ fuerit idem claudus poëta, & dux. Nam quòd eum aut Laconem, aut Milesium fuisse ait, cum Atticus poëta dicatur, uel ex aliquorũ sententia ita scribit, uel potuit Lacon aut Milesius natus Atheniensis ciuis esse, qui postea, Platone teste, Lacedæmonius quoq; ciuis fuerit. Vtq; duo Suidæ testimonia ad unum esse referenda fateamur, sic de eo ac gesto eo duce contra Messenios bello inquit Iustinus, libro tertio Trogi Epitomatũ: Interea Messenij cum uirtute non possent, per insidias expugnant. Deinde cum per annos LXXX. grauia seruitutis uerbera plerunq;, & uincula, cæteraq; captiuitatis mala perpessi essent, post longam pœnarum patientiam bellum instaurant. Lacedæmonij quoq; eo conspirantius ad arma cõcurrunt, quòd aduersus seruos dimicaturi uidebantur. Itaq; cum hinc iniuria, inde indignitas animos acueret, Lacedæmonij, de belli euentu oraculo Delphis consulto, iubentur ducem belli ab Atheniensibus petere. Porrò Athenienses cum responsa cognouissent, in contemptũ Spartanorum Tyrtæum poëtam claudũ pede misere: qui tribus prælijs fusus, eò usq; desperationis Spartanos adduxit, ut ad supplementum exercitus seruos suos manumitterent, hisq; interfectorũ matrimonia pollicerentur, ut non numero tantum amissorum ciuium, sed etiam dignitati succederent. Sed reges Lacedæmoniorũ, ne contra fortunam pugnãdo maiora detrimenta ciuitati infligerent, reducere exercitum uoluerunt, ni interuenisset Tyrtæus, qui cõposita carmina exercitui pro concione recitauit: in quibus hortamenta uirtutis, damnorum solatia, belli consilia conscripserat. Itaq; tantũ ardorem militibus iniecit, ut non de salute, sed de sepultura solliciti, tesseras, insculptis suis & patrum nominibus, dextero brachio deligarent; ut si omnes aduersum prælium consumpsisset, & temporis spacio confusa corporũ liniamenta essent, ex indicio titulorum tradi sepulturæ possent. Cum sic animatum reges exercitũ uiderent, curant rem hostibus nunciari. Messenijs aũt non timorem res, sed æmulationem mutuã dedit. Itaq; tantis animis concursum est, ut raro unquam cruentius prælium fuerit. Ad postremum tamen, uictoria Lacedæmoniorum fuit.

Veteres poëtas in fabulis admodum uariauisse. Cap. XL.

QVæ quum dixissem, ac qui mecum de Catulli doctrina Tyrtæo'que poëta egerat, hilaris, meæq; sententiæ, quãtum ego conijcere potui, subscribens, cum reliqua iuuenũ caterua à nobis discessisset, tum Bentiuolus: Quando, inquit, de aliquibus quæ ad literas pertinent, semel quid sentias pronunciare cœpisti, Græcosq; ac Latinos autores mihi iamdiu enarrasti, illud abs te pernosse cu-

pio, quid'nam mihi agendum sit, quum egregios authores admodum inter se de eadem re dissimilia scribere uideo. Tunc ego: Amice, inquam, ac pro tuo more agis. quũ meo in reb. omnibus iudicio uti cupis. Sed ne multis, iam enim nox ingruit: Quum aliquos forte uiles scriptores aliter fabulam quampiam, quàm alios excelletiores tradere animaduerteris, me iudice illos inscitiæ carpes, in horum autem sententiam libentissime ibis: nisi forte quæ infimi subsellij homines memoriæ produnt, à celebrioribus ita desumpserint, ut eorum fidem ab ijs petamus. At quum uel æquales, uel etiam inferiores à summis diuersa docere obseruaueris, hoc scito, illos neutiquam esse uti mendaces reijciendos, quod his aliter de eisdem rebus uisum sit. An enim si Homerus melior poëta extitit quàm Hesiodus, ideo Hesiodũ reijciemus, quòd Homerũ in plerisque secutus non sit? Quin etsi Hesiodo peiores, dummodo non abiectissimi, aliquid scriptum reliquerint, quod Homeri opinionem non confirmet, ut ipsi nihil Homero detrahent, ita & nihil eis Homerus. Quid igitur faciendum erit? inquis. Diuersis scilicet modis eam fabulam recitari dices, ut aliter ex Homeri, aliter ex aliorum sententia accipiat̃, cum non tantum in fabulis, quæ magna ex parte figmenta complectuntur, sed & in historijs etiam maximæ fuerint de eadem inter multos scriptores dissensiones: neq; tamen si Fabius Pictor, uerbi causa, à Catone in aliquibus dissensisset, eorum alter aberrasse, alter rei ueritatem attigisse uere diceretur. Atque hæc quidem de ijs dico, quæ quis oculata fide non uiderit. Tunc enim qui rei quum gereretur interfuit, uel plus fidei ipse in illa, si historicus sit, q̃ alij omnes mereri dicetur, uel facile inter duos plures'ue diuersis modis eandẽ rem explicantes dijudicare poterit. Verũ ut ad fabulas, de quibus noster hic sermo institutus est, redeamus, exemplisq; pro negotio utamur (fabulas aũt intelligo, nõ quæ nihil prorsus ueri habeant, sed quæ omnino ueræ esse nõ possint) Homerus Aëdonẽ in lusciniã auẽ uersam, Pandarei filiã, Ityli matrẽ, Zethi mariti suiq; filiũ interfecisse, ac propterea semper queri inquit, Odysseæ XIX. his uersibus: ὡς δ' ὅτε πανδαρέου κούρη χλωρηῒς ἀηδὼν,

καλὸν ἀείδησιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο,
δενδρέων ἐν πετάλοισιν καθεζομένη πυκινοῖσιν,
ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν,
παῖδ' ὀλοφυρομένη ἴτυλον φίλον, ὅν ποτε χαλκῷ
κτεῖνε δι' ἀφραδίας, κοῦρον ζήθοιο ἄνακτος.

At Ouidius libro Metamorphoseon sexto, Prognem Pandionis Erechthei filij Tereiq; Thracis uxorem, Itym filium, ut maritum qui Philomelam sororem uitiauerat, eidemq; linguam absciderat, ulcisceret̃, interfectum patri escam apposuisse: ipsamq; in hirundinem, Philomelam autem in lusciniam mutatam docet. quibus quid magis esse inter se contrariũ potest? An igit̃ Homerũ mentitũ, an Ouidium putabimus? Neutrũ me hercle. Sed neq; quem'nam eorũ magis in hac fabula sequi debeamus interpretarer, cum Homeri quidẽ maxima sit autoritas, maxima etiã Ouidij, quẽ plures Latini Græciq; scriptores hac in parte quàm Homerũ probarunt: qui ut hanc fabulam magis magisq; cõmisceret, in sequenti eiusdẽ operis libro alia de Pandarei filiabus longe ab his omnibus quæ diximus remota canit, quum ait, ὡς ὅτε πανδαρέου κούρας ἀνέλοντο θύελλαι

τῇσι τοκῆας μὲν φθῖσαν θεοὶ, αἱ δ' ἐλίποντο
ὀρφαναὶ ἐν μεγάροισι, κόμισσε δὲ δῖ' ἀφροδίτη
τυρῷ, καὶ μέλιτι γλυκερῷ. καὶ ἡδέϊ οἴνῳ.
ἥρη δ' αὐτῇσιν πέρι πασέων δῶκε γυναικῶν
εἶδος καὶ πινυτὴν, μῆκος δ' ἔπορ' ἄρτεμις ἁγνή.

Ἔργα δ' Ἀθηναίη δίδαε κλυτὰ ἐργάζεσθαι,
Εὖτ' Ἀφροδίτη δῖα προσέστιχε μακρὸν Ὄλυμπον
Κούρῃς αἰτήσουσα τέλος γλυκεροῖο γάμοιο,
Ἐς Δία τερπικέραυνον, ὁ γάρ τ' εὖ οἶδεν ἅπαντα,
Μοῖράν τ' ἀμμορίην τε καταθνητῶν ἀνθρώπων.
Τόφρα δὲ τὰς κούρας ἀρπυῖαι ἀνηρείψαντο,
Καί ῥ' ἔδοσαν στυγερῇσιν ἐρινύσιν ἀμφιπολεύειν.

Ex quibus uersibus licet filiarum Pandarei fabula utcunque elici queat, planius tamen illa à Didymo explicatur: quemadmodũ te admonitũ meminisse potes, quum ea tibi Homerica carmina interpretarer. Sed Pandareo ac Pandione prętermissis, idem Homerus Proeti uxorem, quæ Bellerophontis amore capta est, Antiam uocat, libro Iliados sexto, quũ ex Glauci persona de Bellerophõte ait,

τῷ δὲ γυνὴ Προίτου ἐπεμήνατο δῖ' Ἄντεια Κρυπταδίῃ φιλότητι μιγήμεναι.

Higinus uero eam Sthenobœam appellat, ita scribens: Bellerophon cũ ad Proetum regem exul in hospitiũ uenisset, adamatus est ab uxore eius Sthenobœa: qui cum concumbere cum ea noluisset, illa uiro suo mentita est, se ab eo cõpellatam. Sed hæc nominis ut apparet diuersitas, non tantũ à multis Græcis scriptoribus, & à Lycophronis præcipuè interprete, uerum etiam ab ipso eodem Hygino in concordiam redigitur: nimirũ ut eadem Antia & Sthenobœa uocata sit. Alij dicunt, inquit idem Hyginus secundo libro de Signis cœlestibus, quo tempore Bellerophontes ad Prœtum Abantis filium Argiuorum regem deuenerit, Antiam coniugem regis, hospitis amore inductam, petijsse ab eo, uti sibi copiã faceret, promittens ei coniugis regnũ: quæ cum impetrare nõ potuisset, uerita ne se ad regem criminaretur, occupat, eum sibi uim afferre uoluisse Prœto dicit. qui quod eum dilexerat, noluit ipse suppliciũ sumere: sed quod æquũ esse sciebat, mittit eum ad Iobatem Antiæ reginæ patrem, quam alij Sthenobœam dixerunt. Cæterum non tantum in huius reginæ nomine aliqua inter scriptores dissensio quibusdam uisa est, cũ reuera non sit dissensio, sed & in eo quoque, quod plerique eodẽ Hygino teste, non criminatũ ab Antia Bellerophontem, uerum ne sæpius quod nollet audiret, aut eius precib. moueretur, Argis profugisse dixerunt. Iam ut ad alia quędam ueniamus, Orpheum nõnulli Oeagri & Polymnię filiũ, plerique Apollinis & Calliopes scripserũt. Daphnem, eã quæ in laurũ mutata est, Ouidius alijque cõplures Penei Thessaliæ fluuij filiã fuisse docent: at alij Ladone eam, Arcadiæ amne natã autumant. Sed de Ladone apud Homeri tantũ interpretem in primũ Iliados me legere memini, cuius hæc sunt uerba: λάδωνος τοῦ ἐν ἀρκαδίᾳ ποταμοῦ δάφνη ὑπῆρχε θυγάτηρ εὐπρεπεστάτη. ἐρασθεὶς δὲ αὐτῆς ἀπόλλων, καὶ βουλόμενος συγγενέσθαι, ἐδίωκε. καταλαμβανομένης δὲ αὐτῆς ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ηὔξατο τῇ μητρὶ γῇ, χάσματι αὐτὴν δεχθῆναι. γενομένου δὲ τούτου, καὶ τῆς γῆς ἀναδούσης ὁμώνυμον φυτὸν, ἀπόλλων θεασάμενος, ἐξεπλάγη. καὶ τὸ μὲν δένδρον, ἀπὸ τῆς παρθένου δάφνην προσηγόρευσεν ὁμωνύμως. λαβὼν δὲ κλάδον αὐτῆς, ἐστέψατο. hoc est, Daphne Ladonis in Arcadia fluuij filia formosissima fuit, quam Apollo diligens, eaque potiri cupiens, insequebatur. Illa autẽ à deo capta, matri terræ supplicauit, ut hiatu se susciperet. Quo facto, cũ terra eiusdem nominis plantã emisisset, Apollo id uidẽs obstupit, arboremque eam à uirgine Daphnẽ, id est laurũ, eodem nomine appellauit: eiusdemque ramũ accipiens, se coronauit. Hecate pro Luna sæpissime ponitur: ea tamen aliud præter Lunam numen fuit. Quamobrem Seruius Virgilium ita canentem,

Tergeminamque Hecaten, tria uirginis ora Dianæ,

de Luna tantũ eo carmine scripsisse arbitratus, sine dubio lapsus est. Si enim hęc in cœlo Luna, in syluis Diana, apud inferos Proserpina dicta est: quod & ex ijs

de illa

de illa uersibus colligitur, Deniq; quũ Luna est, sublustri splendet amictu: Quũ succincta iacit calamos, Latonia uirgo est: Quum subnixa sedet solio, Plutonia coniux. Hecate tamen nõ eadem ratione, uel triformis, uel triplex dici potest, sed triceps, quia Orpheus eam τριοσοκέφαλον uocat: nempe quod dextrum caputq; qui sinistrũ canis, mediũ hominis agrestis habuisse perhibetur. siue etiam tergemina, qua uoce usus est Virgilius. Et de huius quoq; patre inter scriptores nõ conuenit. Aliqui enim eam Persæ filiam docuerunt, iuxta illud Ouidianũ in VII. Metamorphoseos, Ibat ad antiquas Hecates Perseidos aras. Verum Bacchilides eandẽ noctis filiã fuisse, Musæus Iouis & Asteries, Pherecydes Aristæi Pæonis filij, Orpheus Tartari, docuit: quib. nihil est, meo iudicio diuersius. Procris fabulam ita recenset Seruius in sextũ Virgilianæ Aeneidos. Hæc uxor Cephali fuit: qui cum uenandi studio teneretur, labore fessus locum quendam adire consueuerat, & illic ad se recreandum auram uocare, quod cum sæpe faceret, amorem in se mouit Auroræ, quæ ei canem uelocissimum Lælapa nomine donauit, & duo hastilia ineuitabilia, eumq; in amplexus rogauit. ille ait, iusiurandum se habere cum coniuge, mutuæ castitatis. Quo audito, Aurora respondit, ut probes igitur cõiugis castitatem, muta te in mercatorem. Quo facto, ille iuit ad Procrin, & oblatis muneribus, impetratoq; coitu, confessus est se esse maritum. Quod illa dolens, quum audisset à rustico amare eum Aurorã, quam inuocare cõsueuerat, ad syluas ꝓfecta est, & in frutetis latuit ad deprehendendũ maritũ: qui cum more solito auram uocaret, Procris egredi cupiens, fruteta commouit: sperans Cephalus feram, hastam ineuitabilem iecit, & ignarus interemit uxorem. At in duobus à Seruio dissentit Ouidius. Cum enim ille duo iacula & canem Cephalo ab Aurora dono data dicat, hic unum iaculũ cum cane, nõ Cephalo, sed eius uxori ab Aurora donata dicit: quæ postea ipse Cephalus à Procri acceperit. Sic enim ipse de uxore loquitur apud Phocum Aeacidem, libro VII. Metamorphoseon, Hæc mihi confesso, læsum prius ulta pudorem,

Redditur, & dulces concorditer exigit annos.
Dat mihi præterea, tanquam si parua dedisset
Dona, canem munus, quem cum sua traderet illi
Cynthia, currendo superabit dixerat omnes.
Dat simul & iaculum, manibus quod cernis habere.

Atque ut unum tantum iaculum fuisse credamus, sic de eo ibidem ait:

Aspicit Aeoliden, ignota ex arbore factum
Ferre manu iaculum, cuius fuit aurea cuspis.
Pauca prius medijs sermonibus ante locutus,
Sum nemorum studiosus, ait, cædisq; ferinæ,
Qua tamen à sylua teneas hastile recisum,
Iamdudum dubito: certe si fraxinus esset,
Fulua colore foret: si cornus, nodus inesset.
Vnde sit, ignoro: sed non formosius isto
Viderunt oculi telum iaculabile nostri. Et mox de eodem,
Consequitur quodcunq; petit, fortunaq; missum
Non regit, & reuolat nullo referente cruentum.

Quid in his facias? Nisi Seruius ab aliquo antiquo scriptore de duobus iaculis, & munere ab Aurora Cephalo donato accepit, sine dubio hallucinatus dici ualuerit. Sed quid plura de his, aut similibus exempla proferam? cum nusquam maior suppetat eorum copia. Domum proinde iam abeamus; ibiq; copiosius de eadem re, si libuerit, uerba faciemus.

Quàm necessaria sit Græcarum literarum cognitio ijs qui cuiuscunq; generis scientias profitentur, & quàm ad illas discendas conferat Græca in Romanum sermonem uertere. Cur item Callimachi in Dianam Hymnum Latinis uersibus reddiderim. Cap. XII.

MVltis rationibus ostenderem, non posse quenquam ad exactam cuiusuis scientiæ cognitionem absq; Græcarum literarum peritia peruenire, nisi uererer ne nimis nota siue probabilia argumenta à me tractari, liuor pro suo instituto interpretaretur. Verum ut illas quæ plurimæ sunt missas fecero, ita nõ tolerandam esse quorundã insulsitatem dixero, qui cum ueteli atq; edentuli in barbarie consenuerint, neq; aut latinæ linguæ rudimenta didicerint, aut græcè se discere posse sperent, Latinã ita uel medico, uel philosopho, uel theologo, uel mathematico (nam ius ciuile licet illius castimoniam desideret, Græca minus quàm aliæ scientiæ indiget) necessariam affirmant, ut nihil in ea exquisitum sit quærendum, sed uel millies singulis horis Prisciano caput absq; reprehensione comminuere liceat, in Græca autem nihil prorsus esse laborandũ prædicant. Cur enim (ut de Latina sileamus) uel tantillum in Græca discenda insudes, inquiunt, cum omnes penè Græci autores latinè iam loquantur? idq; doctissimorũ uirorũ industria, qui in Græcis literis adeò profecerũt, ut facile eis cedere ualeamus, etiam si integram ætatem in ea re contriuerimus. Digna mehercle asinis sententia. Iam primum qui sic loquuntur, suo ingenio non fidunt: quod facit, ut eorũ uoces nihili faciendas credamus, tum alijs uel uiuentib. uel uita functis tantũ tribuunt, quantũ planè homini tribuere nefas est. An enim qui plurima feliciter in latinũ sermonem conuertit, is nunquàm in toto opere dormitasse dicetur? Vtinam tales fuissent, per quos Græci autores Latino sermone magna ex parte frigere didicerunt, in quorum lucubrationibus plures uomicæ non essent deprehensæ: ac non potius summi eius ordinis proceres, quales fuerunt Theodorus Gaza, cui primæ in eo genere cõmuni doctorum consensu iure tribuuntur, Nicolaus Leonicenus, alijq; in leuissimis uocibus lapsi, maximas quandoq; de lana caprina rixas græcæ linguæ imperitis reliquissent. Sed etsi ij eiusmodi extitissent, quos nulla difficultas induxisset in errorem, quàm est miserum aliena inniti gloria? An si Theodorus Gaza nunquàm uixisset, ideo illa Aristotelis opera non legeremus, quæ à Theodoro uersa sunt? Imò uerò quicunq; iudicij micam habuerit, nõ modò ut Theodoro par, sed ut multo etiam eo præstantior fiat enitẽ. Verum id non succedet, inquiunt nebulones. At ego uel si quod in uotis habeo assequi nõ possim, mea, nõ Theodori fide Aristotelis Theophrastiq; scripta pernosse cupiam. Ac quis in totius negotij summa Gazæ essem cõcessurus, cur nõ in multis eum erroris conuincere ualerẽ? Sed rectè cum Græcis scriptoribus, qui Romani redditi sunt, faustèq; agerẽ, si omnes à Gaza, aut à Gazæ similibus fuissent trãslati. Quin pro uno Theodoro sexcentos impuratos nebulones inuenias, qui cum omnis literaturæ expertes, neque græcam neq; latinam linguam calluerint, infelicissimi interpretis munus obierint necesse est: quod non tantum in ijs autoribus, qui politiores appellãtur, sed in ijs quoq;, & maximè, qui ad disciplinas pertinent factum est, ut nihil esse abiectius fateamur, quàm non posse quum erres (fermè enim fieri non potest, ut quiuis ubiq; iusta reprehensione uacet) aliquam quare erraueris, uel mediocrem rationem afferre. Ne uede re nimis per se perspicua multis agam, cum certum sit Græcas literas ijs qui uere eruditi uocari cupiunt summopere esse necessarias, nullo pacto, me iudice, magis in eis proficimus, quàm cum græca, latina reddimus. Enimuero & copiam ex ea re, & absolutam

lutam uocum proprietatem ita acquirimus, ut nihil nostris mentib. ualidius hæreat quàm quod sic imbiberimus. Neq; hoc iccirco dictum uelim, quasi illos ab hac laude excludam, qui nihil uerterint. Verùm ita sentio, eam rationem in illo negotio pręcipuam esse habendam. Quid multa? nisi ea mihi maximè omnium arrisisset, nunquàm profecto illã mihi duxissem deligendam. Siquidem cũ quędam Homeri, Plutarchi, Lucianiq;, ac similiũ animi gratia uerterim, Callimachi quoq; in Dianam hymnum totidem latinis uersibus quatuor dierum spacio expressi, nempe ut ad poësim, quæ me à primis annis suprà quàm credi potest delectauit, aliquando me referrem. Eum autem in præsentia edens, illud præcipuè lectores admoneo, me uerbũ uerbo, quod imperiti consueuerunt, nequaquàm reddere conatũ, cum nihil turpius sit, in carmine præsertim, quàm poëtæ quem uertere in animo habeas, uerbis nimis anxie se addicere. Nec sanè quum commodè fieri potest, ut & carminis maiestati sufficias, et poëtæ uerbum uerbo reddas, ab eo recedendum arbitror (nam & mihi id quandoque non pessimè cessit) sed quando in paucis admodum hoc féliciter succedere uidemus, superstitiosam illam diligentiam omnino uitandam autumo. Ac ne quis me absq; ueterũ exemplo Callimachũ ita ut dico uertisse calumnietur, Varronem Atacinum, qui Apollonij Rhodij Argonauticorum interpres fuit, proferam, cum eum ex aliquibus operis reliquijs illud quod amplexus sum institutũ probasse dignoscamus. Cæterum & alij non in poëmatibus modò, uerum & in soluta quoq; oratione id fecerũt: cum M. Cicero Aeschinis in Ctesiphontem, Demosthenisq; in Aeschinem orationes hoc pacto Latinas fecerit. Porrò Callimachi hymnũ ideo delegi, quòd Catullus olim eiusdem de Coma Berenicis elegiam Latinis carminib. expressit, nuper uerò Angelus Politianus in Palladis lauacra idem fecit: nec præter rem, cum huic poëtę palma de elegia à ueteribus delata sit: quamuis Ouidius arte illum, nõ ingenio ualuisse scripserit. Illud certum est, ipsum Ouidium in eo opere quod in Ibin composuit, & argumento, & titulo, Callimachum fuisse imitatum. Vertit autem omnes qui supersunt eius poëtæ hymnos Beroaldi temporibus Iacobus quidam Crucius Bononiensis, qui Callimachum procul dubio cruci affixerit, ipse quouis cruciatu dignus. Cuius carmina nisi tam puerilia essent, quàm quæ maximè, meis illa profectò subiunxissem. Vt tamen hic Crucius in malam crucem abeat, Vtinensem quendam iuuenem omnes itidem Callimachi hymnos in latinos uersus transtulisse accepi. Sed & is, quando sua non edidit, interim ualeat. Nunc ipsius Callimachi hymnus est proferendus, tum nostrum ei subijciemus: si hoc ad dicta addidero, me in multis à uulgatis exemplaribus recessisse, uetustum longè eis castigatius secutum.

ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΥ

ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΥ ΚΥΡΗΝΑΙΟΥ

ΕἸΣ ΤῊΝ ἌΡΤΕΜΙΝ ὝΜΝΟΣ.

ἈΡΤΕΜΙΝ, οὐ γὰρ ἐλαφρὸν ἀειδόντεσσι λαθέσθαι,
Ὑμνέομεν. τῇ τόξα λαγωβολίαι τε μέλονται,
Καὶ χορὸς ἀμφιλαφὴς, καὶ ἐν οὔρεσιν ἑψιάασθαι·
Ἀρχόμενοι, ὡς ὅτε πατρὸς ἐφεζομένη γονάτεσσι
Παῖς ἔτι κουρίζουσα τάδε προσέειπε γονῆα.
Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν,
Καὶ πολυωνυμίην, ἵνα μή μοι φοῖβος ἐρίζῃ.
Δὸς δ' ἰοὺς, καὶ τόξα. ἔα πάτερ. οὔ σε φαρέτρην,
Οὐδ' αἰτέω μέγα τόξον. ἐμοὶ κύκλωπες ὀϊστοὺς
Αὐτίκα τεχνήσονται, ἐμοὶ δ' εὐκαμπὲς ἄεμμα.
Ἀλλὰ φαεσφορίην τε, καὶ ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα
Ζώννυσθαι λεγνωτὸν, ἵν' ἄγρια θηρία καίνω.
Δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορίτιδας ὠκεανίνας,
Πάσας εἰνέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.
Δὸς δέ μοι ἀμφιπόλους ἀμνισίδας εἴκοσι νύμφας,
Αἵ τε μοι ἐνδρομίδας τε, καὶ ὁππότε μηκέτι λύγκας
Μήτ' ἐλάφους βάλλοιμι, θοοὺς κύνας εὖ κομέοιεν.
Δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα. πόλιν δέ μοι, ἥν τινα νεῖμον
Ἥν τινα λῇς· σπαρνὸν γὰρ ὅτ' ἄρτεμις ἄστυ κάτεισιν.
Οὔρεσιν οἰκήσω. πόλεσι δ' ἐπιμίξομαι ἀνδρῶν
Μοῦνον ὅτ' ὀξείῃσιν ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες
Τειρόμεναι καλέουσι βοηθόον. ᾗσι με μοῖραι
Γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν.
Ὅττι με καὶ τίκτουσα, καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα,
Μήτηρ. ἀλλ' ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο κόλπων.
Ὣς ἡ παῖς εἰποῦσα, γενειάδος ἤθελε πατρὸς
Ἅψασθαι πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας,
Μέχρις ἵνα ψαύσειε. πατὴρ δ' ἐπένευσε γελάσσας.
Φῆ δὲ καταρρέζων· ὅτε μοι τοιαῦτα θέαιναι
Τίκτοιεν, τυτθόν κεν ἐγὼ ζηλήμονος ἥρης
Χωομένης ἀλέγοιμι. φέρευ τέκος ὅσσ' ἐθελημὸς
Αἰτίζεις, καὶ δ' ἄλλα πατὴρ ἔτι μείζονα δώσει.
Τρὶς δέκα τοι πτολίεθρα, καὶ οὐχ ἕνα πύργον ὀπάσσω.
Τρὶς δέκα τοι πτολίεθρα, τὰ μὴ θεὸν ἄλλον ἀέξειν
Εἴσεται, ἀλλὰ μόνην σὲ, καὶ ἀρτέμιδος καλέεσθαι.
Πολλὰς δὲ ξυνῇ πόλιας διαμετρήσασθαι,
Μεσσόγεως, νήσους τε, καὶ ἐν πάσῃσιν ἔσονται
Ἀρτέμιδος βωμοί τε καὶ ἄλσεα, καὶ μὲν ἀγυιαῖς
Ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος, ὣς ὁ μὲν εἰπὼν
Μῦθον ἐπεκρήηνε καρήατι. βαῖνε δὲ κούρη
Λευκὸν ἔπι κρηταῖον ὄρος κεκομημένον ὕλῃ,
Ἔνθεν ἐπ' ὠκεανόν. πολέας δ' ἐπελέξατο νύμφας,
Πάσας εἰνέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.
Χαῖρε δὲ καίρατος ποταμὸς μέγα, χαῖρε δὲ τηθύς,
Οὕνεκα λητωίδῃ θυγατέρας πέμπον ἀμορβούς.
Αὖθι δὲ κύκλωπας μετεκίαθε, τοὺς μὲν ἔτετμε

Νάσῳ

Νήσῳ ἐνὶ λιπάρῃ (λιπάρη νέον, ἀλλὰ τότ᾽ ἔσκεν
Οὔνομά οἱ μελιγουνὶς) ἐπ᾽ ἄκμοσιν ἡφαίστοιο
Ἑσταότας περὶ μύδρον. ἐπείγετο γὰρ μέγα ἔργον.
Ἱππείην τετύκοντο ποσειδάωνι ποτίστρην.
Αἱ νύμφαι δ᾽ ἔδδεισαν, ὅπως ἴδον αἰνὰ πέλωρα,
Πρηόσιν ὀσσείοισιν ἐοικότας. πᾶσι δ᾽ ὑπ᾽ ὀφρὺν
Φάεα μουνόγληνα, σάκει ἴσα τετραβοείῳ,
Δεινὸν ὑπογλαύσσοντα. καὶ ὁππότε δοῦπον ἄκουσαν
Ἄκμονος ἠχήσαντος, ἐπεὶ μέγα πουλύ τ᾽ ἄημα,
Φυσάων αὐτῶν τε βαρὺν στόνον. αὔε γὰρ αἴτνη,
Αὖε δὲ τρινακίη σικανῶν ἕδος. αὖε δὲ γείτων
Ἰταλίη. μεγάλην δὲ βοὴν ἐπὶ κύρνος ἀΰτει.
Εὖθ᾽ οἵγε ῥαιστῆρας ἀειράμενοι ὑπὲρ ὤμων,
Ἢ χαλκὸν ζείοντα καμινόθεν, ἠὲ σίδηρον,
Ἀμβολαδὶς τετυπόντες, ἐπεὶ μέγα μοχθήσειαν.
Τῷ σφέας οὐκ ἐτάλασσαν ἀκηδέες ὠκεανῖναι,
Οὔτ᾽ ἄντην ἰδέειν, οὔτε κτύπον οὔασι δέχθαι.
Οὐ νέμεσις. κείνους δὲ καὶ αἱ μάλα μηκέτι τυτθαὶ
Οὐδέποτ᾽ ἀφρικτὶ μακάρων ὁρόωσι θύγατρες.
Ἀλλ᾽ ὅτε κουράων τις ἀπειθέα μητέρι τεύχοι,
Μήτηρ μὲν κύκλωπας ἑῇ ἐπὶ παιδὶ καλιστρεῖ,
Ἄργην, ἢ στερόπην. ὁ δὲ δώματος ἐκ μυχάτοιο
Ἔρχεται ἑρμείης σποδιῇ κεχρημένος αἴθῃ.
Αὐτίκα τὴν κούρην μορμύσσεται. ἡ δὲ τεκούσης
Δύνει ἔσω κόλπους, θεμένη ἐπὶ φάεσι χεῖρας.
Κοῦρα σὺ δὲ προτέρω περ ἔτι τριέτηρος ἐοῦσα
Εὖτ᾽ ἔμολεν λητώ σε μετ᾽ ἀγκαλίδεσσι φέρουσα,
Ἡφαίστου καλέοντος, ὅπως ὀπτήρια δοίη,
Βρόντεώ σε στιβαροῖσιν ἐφεσσαμένου γονάτεσσι,
Στήθεος ἐκ μεγάλου λασίης ἐδράξαο χαίτης·
Ὤλοψας δὲ βίηφι· τὸ δ᾽ ἄτριχον εἰσέτι καὶ νῦν
Μεσσάτιον στέρνοιο μένει μέρος. ὡς ὅτε κόρσην
Φωτὸς ἐνιδρυνθεῖσα κόμην ἐπενείματ᾽ ἀλώπηξ:
Τῷ μάλα θαρσαλέη σφε τάδε προσελέξατο τῆμος.
Κύκλωπες, κἠμοί τι κυδώνιον εἰ δ᾽ ἄγε τόξον,
Ἠδ᾽ ἰοὺς, κοίλην τε κατακληῖδα βελέμνων
Τεύξατε. καὶ γὰρ ἐγὼ λητωϊὰς, ὥσπερ ἀπόλλων.
Αἰ δέ κ᾽ ἐγὼ τόξοις μόνιον δάκος ἤ τι πέλωρον.
Θηρίον ἀγρεύσω, τὸ δέ κεν κύκλωπες ἔδοιεν,
Ἔννεπες· οἱ δ᾽ ἐτέλεσσαν. ἄφαρ δ᾽ ὡπλίσσαο δαῖμον.
Αἶψα δ᾽ ἐπὶ σκύλακας πάλιν ἤϊες· ἵκεο δ᾽ αὖλιν
Ἀρκαδικὴν ἐπὶ πανός. ὁ δὲ κρέα λυγκὸς ἔταμνε
Μαιναλίης, ἵνα οἱ τοκάδες κύνες εἶδαρ ἔδοιεν.
Τὴν δ᾽ ὁ γενειήτης δύο μὲν κύνας ἥμισυ πυγὰς,
Τρεῖς δὲ παρουατίους, ἕνα δ᾽ αἰόλον, οἵ ῥα λέοντας
Αὐτοὺς αὖ ἐρύοντες, ὅτε δράξαιντο δεράων
Εἷλκον ἔτι ζώοντας ἐπ᾽ αὔλιον. ἑπτὰ δ᾽ ἔδωκε
Θάσσονας αὐράων κυνοσουρίδας, αἵ ῥα διῶξαι
Ὤκισται νεβρούς τε, καὶ οὐ μύοντα λαγωόν.
Καὶ κοίτην ἐλάφοιο, καὶ ὕστριχος ἔνθα καλιαὶ,

Σὺμ μίνυχα, καὶ ζορκὸς ἐπ' ἴχνιον ἡγήσασθαι.
Ἔνθεν ἀπερχομένη, μετὰ καὶ κύνες ἐσσεύοντο·
Εὗρες ἐπὶ προβολῆς ὄρεος τοῦ παῤῥασίοιο
Σκαιρούσας ἐλάφους μέγα τι χρέος, αἱ μὲν ἐπ' ὄχθης
Αἰὲν ἐβουκολέοντο μελαμψήφιδος ἀναύρου,
Μάσσονες ἢ ταῦροι, κεράων δ' ἀπελάμπετο χρυσός.
Ἐξαπίνης δ' ἔταφές τε, καὶ ὃν ποτὶ θυμὸν ἔειπες.
Τοῦτό κεν ἀρτέμιδος πρωτάγριον ἄξιον εἴη.
Πέντ' ἔσαν αἱ πᾶσαι. πίσυρας δ' ἕλες ὦκα θέουσα
Νόσφι κυνοδρομίης, ἵνα τοι θοὸν ἅρμα φέρωσι.
Τὴν δὲ μίαν κελάδοντος ὑπὲρ ποταμοῖο φυγοῦσαν,
Ἥρης αἰνεσίῃσιν ἄεθλιον ἡρακλῆι
Ὕστερον ὄφρα γένοιτο πάγος κερύνειος ἔδεκτο.
Ἄρτεμι παρθενίη, τιτυοκτόνε, χρύσεα μέν τοι
Ἔντεα καὶ ζώνη. χρύσεον δ' ἐζεύξαο δίφρον.
Ἐν δ' ἐβάλευ χρύσεια θεὰ κεμάδεσσι χαλινά.
Ποῖ δέ σε τὸ πρῶτον κερόεις ὄχος ἤρξατ' ἀείρειν.
Αἵμῳ ἐπὶ θρηΐκι. τόθεν βορέαο καταῖξ
Ἔρχεται ἀχλαίνοισι δυσαέα κρυμὸν ἄγουσα.
Ποῦ δ' ἔταμες πεύκην, ἀπὸ δὲ φλογὸς ἥψαο ποίης.
Μυσῷ ἐν οὐλύμπῳ. φάεος δ' ἐνέηκας ἀϋτμὴν
Ἀσβέστου, τό ῥα πατρὸς ἀποστάζουσι κεραυνοί.
Ποσσάκι δ' ἀργυρέοιο θεὰ πειρήσαο τόξου·
Πρῶτον ἐπὶ πτελέην, τὸ δὲ δεύτερον ἧκας ἐπὶ δρῦν.
Τὸ τρίτον αὖτ' ἐπὶ θῆρα. τὸ τέτρατον οὐκέτ' ἐπὶ δρῦν.
Ἀλλά μιν εἰς ἀδίκων ἔβαλες πόλιν. οἵ τε περὶ σφέας,
Οἵ τε περὶ ξείνους, ἀλιτήμονα πολλ' ἐτέλισκον.
Σχέτλιοι, οἷς τύνη χαλεπὴν ἐμμάξεαι ὀργήν.
Κτήνεά φιν λοιμὸς καταβόσκεται, ἔργα δὲ πάχνη.
Κείρονται δὲ γέροντες ἐφ' υἱάσιν, αἱ δὲ γυναῖκες
Ἢ βληταὶ θνήσκουσι λεχωΐδες, ἢ φυγοῦσαι
Τίκτουσιν. τῶν δ' οὐδὲν ἐπὶ σφυρὸν ὀρθὸν ἀνέστη.
Οὓς δέ κεν εὐμειδής τε καὶ ἵλαος αὐγάσσαιο,
Κείνοις εὖ μὲν ἄρουρα φέρει στάχυν, εὖ δὲ γενέθλη
Τετραπόδων, εὖ δ' ὄλβος ἀέξεται. οὐδ' ἐπὶ σῆμα
Ἔρχονται, πλὴν εὖτε πολυχρόνιόν τι φέρωσιν.
Οὐδὲ διχοστασίη τρώει γένος, ἥτε καὶ εὖ περ
Οἴκους ἑστηῶτας ἐσίνατο. ταὶ δὲ θυωρὸν
Εἰνάτερες γαλόῳ τε μίαν περὶ δίφρα τίθενται.
Πότνια, τῶν εἴη μὲν ἐμοὶ φίλος, ὅστις ἀληθής.
Εἴην δ' αὐτὸς ἄνασσα, μέλοι δέ μοι αἰὲν ἀοιδή.
Τῇ ἔνι μὲν λητοῦς γάμος ἔσσεται, ἐν δὲ σὺ πολλή,
Ἐν δὲ καὶ ἀπόλλων, ἐν δ' οἵ σεο πάντες ἄεθλοι.
Ἐν δὲ κύνες, καὶ τόξα, καὶ ἄντυγες. αἵ τε σε ῥεῖα
Θηητὴν φορέουσιν ὅτ' ἐς διὸς οἶκον ἐλαύνεις.
Ἔνθα τοι ἀντιόωντες ἐνὶ προμολῇσι δέχονται,
Ὅπλα μὲν ἑρμείης ἀκακήσιος, αὐτὰρ ἀπόλλων
Θηρίον ὅττι φέρῃσθα. πάροιθε δὲ πρίν περ ἱκέσθαι
Καρτερὸν ἀλκαΐδην. νῦν δ' οὐκέτι φοῖβος ἄεθλον
Τοῦτον ἔχει. τοῖος γὰρ ἀεὶ τιρύνθιος ἄκμων

Ἔσκε πρὸ πυλέων ποτιδέγμενος, εἴ τι φέρουσα
Νεῖαι πῖον ἔδεσμα. θεοὶ δ᾽ ἐπὶ πάντες ἐκείνῳ
Ἄλληκτον γελόωσι. μάλιστα δὲ πενθερὴ αὐτή,
Ταῦρον ὅτ᾽ ἐκ δίφροιο μάλα μέγαν, ἢ ὅτε χλούνην
Κάπρον ὀπισθιδίοιο φέροι ποδὸς ἀσπαίροντα.
Κερδαλέῳ μύθῳ σε θεὰ μάλα τῷδε πινύσκει.
Βάλλε κακοὺς ἐπὶ θῆρας, ἵνα θνητοί σε βοηθὸν
Ὡς ἐμὲ κικλήσκωσιν. ἔα πρόκας, ἠδὲ λαγωοὺς
Οὔρεα βόσκεσθαι. τί δέ κεν πρόκες, ἠδὲ λαγωοὶ
Ῥέξειαν. σύες ἔργα, σύες φυτὰ λυμαίνονται.
Καὶ βόες ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, βάλλ᾽ ἐπὶ καὶ τούς.
Ὡς ἔνεπεν. ταχινὸς δὲ μέγαν περὶ θῆρα πονεῖτο.
Οὐ γὰρ ὅγε Φρυγίῃ περ ὑπὸ δρυῒ γυῖα θεωθεὶς
Παύσατ᾽ ἀδηφαγίης. ἔτι οἱ πάρα νηδὺς ἐκείνη
Τῇ ποτ᾽ ἀροτριόωντι συνήντετο Θειοδάμαντι.
Σοὶ δ᾽ ἀμνισιάδες μὲν ὑπὸ ζεύγληφι λυθείσας
Ψήχουσιν κεμάδας, πολὺ δὲ σφισὶ πουλὺ νέμεσθαι
Ἥρης ἐκ λειμῶνος ἀμησάμεναι φορέουσιν,
Ὠκύθοον τριπέτηλον. ὃ καὶ Διὸς ἵπποι ἔδουσιν.
Ἐν καὶ χρυσείας ὑπὸ λωΐδας ἔπλησαν τὸ
Ὕδατος, ὄφρ᾽ ἐλάφοισι ποτὸν θυμάρμενον εἴη.
Αὐτὴ δ᾽ ἐς πατρὸς δόμον ἔρχεαι. οἱ δέ σ᾽ ἐφ᾽ ἕδρην
Πάντες ὁμῶς καλέουσι. σὺ δ᾽ Ἀπόλλωνι παρίζεις.
Ἡνίκα δ᾽ αἱ νύμφαι σε χορῷ ἔνι κυκλώσονται
Ἀγχόθι πηγάων αἰγυπτίου Ἰνωποῖο,
Ἢ Πιτάνης, καὶ γὰρ Πιτάνη σέθεν. ἢ ἐνὶ λίμναις,
Ἢ ἵνα δαῖμον Ἁλὰς Ἀραφηνίδας οἰκήσουσα
Ἦλθες ἀπὸ Σκυθίης, ἀπὸ δ᾽ εἴπαο τέθμια Ταύρων,
Μὴ νειὸν τημοῦτος ἐμαὶ βόες εἵνεκα μισθοῦ
Τετράγυον τέμνοιεν ὑπ᾽ ἀλλοτρίῳ ἀροτῆρι.
Ἦ γάρ κεν γυίας τε καὶ αὐχένα κεκμηυῖαι
Κόπρον ἔπι προγένοιντο. καὶ εἰ συμφαλίδες εἶεν,
Εἰναετιζόμεναι κεραελκέες. αἳ μέγ᾽ ἄρισται
Τέμνειν ὦλκα βαθεῖαν. ἐπεὶ θεὸς οὔποτ᾽ ἐκεῖνον
Ἦλθε παρ᾽ ἥλιος καλὸν χορόν. ἀλλὰ θεῆται
Δίφρον ἐπιστήσας, τὰ δὲ φάεα μηκύνονται.
Τίς δέ νύ τοι νήσων, ποῖον δ᾽ ὄρος εὔαδε πλεῖστον.
Τίς δὲ λιμήν. ποίη δὲ πόλις. τίνα δ᾽ ἔξοχα νυμφέων
Φίλαο. καὶ ποίας ἡρωΐδας ἔσχες ἑταίρας.
Εἰπὲ θεά. σὺ μὲν ἄμμιν, ἐγὼ δ᾽ ἑτέροισιν ἀείσω.
Νήσων μὲν Δολίχη, πολίων δέ τοι εὔαδε Πέργη.
Τηΰγετον δ᾽ ὀρέων. λιμένες γε μὲν Εὐρίποιο.
Ἔξοχα δ᾽ ἀλλάων Γορτυνίδα φίλαο νύμφην
Ἐλλοφόνον Βριτόμαρτιν, ἐΰσκοπον. ἧς ποτε Μίνως
Πτοιηθεὶς ὑπ᾽ ἔρωτι κατέδραμεν οὔρεα Κρήτης.
Ἡ δ᾽ ὅτε μὲν λασίῃσιν ὑπὸ δρυσὶ κρύπτετο νύμφη,
Ἄλλοτε δ᾽ εἱαμενῇσιν. ὁ δ᾽ ἐννέα μῆνας ἐφοίτα
Παίπαλά τε, κρημνούς τε, καὶ οὐκ ἀνέπαυσε διωκτύν,
Μέσφ᾽ ὅτε μαρπτομένη. καὶ δὴ σχεδὸν ἥλατο πόντον,
Πρηόνος ἐξ ὑπάτοιο. καὶ ἔνθορεν εἰς ἁλιήων

Δίκτυα.

Δίκτυα. τὰ, σφ' ἐσάωσεν. ὅθεν μετέπειτα κύδωνες
Νύμφαν μὲν δίκτυνναν, ὄρος δ' ὅθεν ἥλατο νύμφη
Δικταῖον καλέουσιν. ἀνεστήσαντο δὲ βωμούς,
Ἱερά τε ῥέζουσι. τὸ δὲ στέφος ἤματι κείνῳ,
Ἢ πίτυς, ἢ σχῖνος, μύρτοιο δὲ χεῖρες ἄθικτοι.
Δὴ τότε γὰρ πέπλοισιν ἐνέσχετο μύρσινος ὄζος
Τῆς κούρης ὅτ' ἔφευγεν. ὅθεν μέγα χώσατο μύρτῳ.
Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι, φαεσφόρε, καὶ δέ σε κείνης
Κρηταέες καλέουσιν ἐπωνυμίην ἀπὸ νύμφης.
Καὶ μὴν κυρήνην ἑταρίσσαο. τῇ ποτ' ἔδωκας
Αὐτὴ θηρητῆρε δύω κύνε, τοῖς ἔνι κούρη
Ὑψηῒς παρὰ τύμβον ἰώλκιον ἔμμορ' ἀέθλου.
Καὶ κεφάλου ξανθὴν ἄλοχον δηϊονίδαο
Πότνια σὴν ὁμόθηρον ἐθήκαο. καὶ δέ σε φασὶ
Καλὴν ἀντίκλειαν ἴσον φαέεσσι φιλῆσαι.
Αἳ πρῶται θοὰ τόξα καὶ ἀμφ' ὤμοισι φαρέτρας
Ἰοδόκους ἐφόρησαν. ἀσύλωτοι δέ σφεων ὦμοι
Δεξιτεροί, καὶ γυμνὸς ἀεὶ παρεφαίνετο μαζός.
Ἤνησας δ' ἔτι πάγχυ ποδορρώην ἀταλάντην,
Κούρην ἰασίοιο συοκτόνον ἀρκασίδαο.
Καί ἑ κυνηλασίην τε καὶ εὐστοχίην ἐδίδαξας.
Οὔ μιν ἐπίκλητοι καλυδωνίου ἀγρευτῆρες
Μέμφονται κάπροιο. τὰ γὰρ σημήια νίκης
Ἀρκαδίην εἰσῆλθεν, ἔχει δ' ἔτι θηρὸς ὀδόντας.
Οὐδὲ μὲν ὑλαῖόν τε καὶ ἄφρονα ῥοῖκον ἔολπα,
Οὐδέ περ ἐχθαίροντας ἐν ἄϊδι μωμήσασθαι
Τοξότιν. οὐ γάρ σφιν λαγόνες συνεπιψεύσονται,
Τάων μαιναλίη νᾶεν φόνῳ ἀκρώρεια.
Πότνια, πουλυμέλαθρε, πολύπτολι, χαῖρε χιτώνη
Μιλήτῳ ἐπίδημε. σὲ γὰρ ποιήσατο νηλεὺς
Ἡγεμόνην, ὅτε νηυσὶν ἀνήγετο κεκροπίηθεν.
Χησιὰς ἰμβρασίη πρωτόθρονε. σοὶ δ' ἀγαμέμνων
Πηδάλιον νηὸς σφετέρης ἐγκάτθετο νηῷ
Μείλιον, ἀπλοΐης, ὅτε οἱ κατέδησας ἀήτας.
Τεύκρων ἡνίκα νῆες ἀχαιίδες ἄστεα κήδειν
Ἔπλεον ἀμφ' ἑλένῃ ῥαμνουσίδι θυμωθεῖσαι.
Ἦ μέν τοι προῖτός γε δύο ἐκαθίσατο νηούς,
Ἄλλον μὲν κορίης, ὅτι οἱ συνελέξαο κούρας,
Οὔρεα πλαζομένας ἀζήνια. τὸν δ' ἐνὶ λούσοις
Ἡμέρῃ. οὕνεκα θυμὸν ἀπ' ἄγριον εἵλεο παίδων.
Σοὶ καὶ ἀμαζονίδες πολέμου ἐπιθυμήτειραι
Ἔν κοτε παρραλίῃ ἐφέσῳ βρέτας ἱδρύσαντο
Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ. τέλεσεν δέ τοι ἱερὸν ἱππώ.
Αὐταὶ δ' ὦπι ἄνασσα περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο.
Πρῶτα μὲν ἐν σακέεσσιν ἐνόπλιον, αὖθι δὲ κύκλῳ
Στησάμεναι χορὸν εὐρύν. ὑπήεισαν δὲ λίγειαι
Λεπταλέον σύριγγες, ἵνα πλήσσωσιν ὁμαρτῇ.
Οὐ γάρ πω νέβρεια δι' ὀστέα τετρήνοντο
Ἔργον ἀθηναίης ἐλάφῳ κακόν. ἔδραμε δ' ἠχὼ
Σάρδιας, ἔς τε νομὸν βερεκύνθιον. αἱ δὲ πόδεσσιν

Οὖλα κατεκροτέλιζον. ἐπεψόφεον δὲ φαρέτραι.
Κεῖνο δέ τοι μετέπειτα περὶ βρέτας εὐρυθέμεθλον
Δωμήθη. τοῦ δ' οὔτι θεώτερον ὄψεται ἠώς,
Οὐδ' ἀφνειότερον. ῥέα κεν πυθῶνα παρέλθοι.
Τόρῥα, καὶ ἠλαίνων ἀλαπαξέμεν ἠπείλησε,
Λύγδαμις ὑβριστής. ἐπὶ δὲ στρατὸν ἱππημολγῶν
Ἤγαγε κιμμερίων ψαμάθῳ ἶσον. οἵ ῥα παρ' αὐτὸν
Κεκλιμένοι ναίουσι βοὸς πόρον ἰναχιώνης.
Ἆ δειλὸς βασιλέων, ὅσον ἤλιτεν. οὐ γὰρ ἔμελλεν
Οὔτ' αὐτὸς σκυθίηνδε παλιμπετὲς, οὔτε τις ἄλλος
Ὅσσων ἐν λειμῶνι καϋστρίῳ ἔσταν ἅμαξαι,
Νοστήσειν. ἐφέσου γὰρ ἀεὶ τεὰ τόξα πρόκειται.
Πότνια μουνυχίη, λιμενοσκόπε χαῖρε φεραίη.
Μή τις ἀτιμήσῃ τὴν ἄρτεμιν. οὐδὲ γὰρ οἰνεῖ
Βωμὸν ἀτιμάσαντι, καλοὶ πτόλιν ἦλθον ἀγῶνες.
Μηδ' ἐλαφηβολίην, μηδ' εὐστοχίην ἐριδαίνειν.
Οὐδὲ γὰρ ἀτρεΐδης ὀλίγῳ ἐπεκόμπασε μισθῷ.
Μηδέ τινα μνᾶσθαι τὴν παρθένον. οὐδὲ γὰρ ὦτος,
Οὐδὲ μὲν ὠαρίων ἀγαθὸν γάμον ἐμνήστευσαν.
Μηδὲ χορὸν φεύγειν ἐνιαύσιον. οὐδὲ γὰρ ἱππὼ
Ἀκλαυτεὶ περὶ βωμὸν ἀπείπατο κυκλώσασθαι.
Χαῖρε μέγα κρείουσα, καὶ εὐάντησον ἀοιδῇ.

CALLIMACHI CYRE-
næi in Dianam Hymnus.

DIanam (neq; enī decet hanc transire canentes)
Dicamus, studiosam arcus, cædisq; ferinæ,
Multiplicisq; chori, & uersantē in montib. al
Hinc orsi, patrijs ut nata puella ꝑhensis (tis.
Poplitibus, magnum sic est affata Tonantem.
Virgineum decus æternum da posse tueri,
Nomina multa Pater da, ne mihi certet Apollo.
Spicula præterea concede, arcumq;, pharetram
Non peto, non magnos arcus, mihi namq; sagittas
Cyclopes facient quamprimum, arcumq; sequentem:
Sed lucem ferre, & genibus succingere uestem
Pulchram, prompta feras, ut agrestes perdere possim.
Da teneras sexaginta Oceanitidas, omnes
Nonum annum natas simul, incinctasq; puellas.
Viginti Cressas nymphas mihi trade ministras,
Quæ mihi cum lyncas, cum ceruos figere mittam,
Veloces q; canes curent, pictosq; cothurnos.
Da montes cunctos, atque urbem his adijce, quam tu
Cunq; uoles: neq; enim assiduè uersabor in urbe,
Montibus insistens, tunc inuisam oppida tantum,
Quum pariens acres mulier uexata dolores

Senserit,

Senserit, auxiliumq́ petet: quando hoc mihi fatis
Concessum, ut grauidis Lucina uocantibus adsim.
Nam mea nec pariens, uteri neq́ pondera gestans
Indoluit, nullo semperq́ enixa dolore est.
Hæc effata, patris mentum tractare puella
Cum uellet, frustraq́ manus tendisset inanes,
Cessauit tandem. at ridens pater, annuit olli,
Demulcensq́ inquit: Quoniam mihi talia diuæ
Editis, accensæ zelum Iunonis & iras
Non assis facimus: referes, quæcunq́ puella
Poscis, & à facili capies maiora parente.
Ter turrita, decemq́ tibi tradam oppida, quæ nec
Sacra deis alijs præter te, ne'ue deabus
Perficient, & Diana dicentur ab una.
Multas præterea tibi designaueris urbes,
Aut pelagi medio, aut amplæ telluris: ubiq́
Vt tibi cum lucis aræ sint, ipsaq́ custos
Portubus & triuijs bene sis nota. hæcce locutus,
Annuit. illa patris nutu firmata, profecta est
Cretensem ad Leucum, cui densæ in uertice syluæ:
Hinc petit Oceanũ, & Nymphas capit inde frequentes,
Nonum annum natas, simul incinctasq́ puellas.
Cæratus exultat fluuius: Thetys quoq́ natas
Dianæ charas gaudet tribuisse ministras.
Mox duros Cyclopas adit, quos insula habebat (olim
Quam Liparam appellant (Lipara hæc nunc fertur, at
Dicta Meligunis) Vulcani incude rotantes
Candentẽ massam, atq́ urgentes magnũ opus, ex quo
Neptuni fortes possent potare quadrigæ.
Nymphæ autem timuere, ingentia monstra uidentes,
Ossæis æquanda iugis: quîs lumina cunctis
Toruis ardebant nimirum è frontibus, instar
Quadruplicis clypei, strepitusq́ incude refusus
Terruit insuetas, emissaq́ flamina uastis
Follibus, unde imis tota intonat Aethna cauernis,
Trinacria & Sicanûm sedes, uicinaq́ tellus
Italiæ, ac magno Cyrnus tremefacta fragore.
At postquàm in uacuas elatus malleus auras
Percussit stridens in curua forcipe ferrum,
Perq́ uices connixi id pulsauere Cyclopes,
Tum neq́ eos Nymphæ contrà spectare, neq́ altum
